



Biblioteca de la Comp. de Jesus de Lima





R. 3936



**Fratri Dominici Soto**  
 SEGOBIENSIS, THEOLOGI, OR  
 dinis Prædicatorum, Cæsareæ Maieſtati à  
 ſacris confeſſionibus, in Epistolam  
 diui Pauli ad Romanos  
 COMMENTARIJ.


Eiuſdem de natura & gratia, ad ſanctum concilium  
 Tridentinum libri .III. cum Apologia contra  
 reuerendum Epiſcopum Catharinum.



QVAE  
PER


OPERA  
TVR

ANTVERPIÆ IN ÆDIB. IOAN. STEELSII.  
 Cum Priuilegio ad decennium.  
 M. D. L.



7 400 40 MADE IN SPAIN

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29




R. 3936



# Fratri Dominici Soto


SEGOBIENSIS, THEOLOGI, OR  
dinis Prædicatorum, Casaræ Maiestati à  
sacris confessionibus, in Epistolam  
diui Pauli ad Romanos  
COMMENTARIJ.

Eiusdem de natura & gratia, ad sanctum concilium  
Tridentinum libri .III. cum Apologia contra  
reuerendum Episcopum Catharinum.



CHARI  
TATEM


OPERA  
TVR



ANTVERPIÆ IN ÆDIB. IOAN. STEELSII.  
Cum Priuilegio ad decennium.  
M. D. L.



4. a. 6  
- 13.






# Philippo Magno, Caroli. V.

CÆSARIS MAXIMI FILIO,

suus Frater Dominicus Soto

FELICITATEM.

Cæsareo priuilegio cautum est, ne quis præter Ioannem Steelsium librarium à Cæs. M. admissum, in vniuerso Cæs. M. dominio intra decennium imprimat, vel imprimi curet, vel alibi impressos distrahat, Commentarios Frat. Dominici Soto Segobieñ. Cæsareæ Maieſtati à sacris confessionib. in Epistolam D. Pauli ad Romanos: cum tribus libris eiusdem de natura & gratia ad sanctum concilium Tridentinū, & Apologia contra reuerendum Episcopum Catharinum. &c. Qui secus fecerit, ei multa quinquaginta florenorum pro singulo exemplari indicta est, veluti latius patet in literis eidem à Cæs. Maieſt. concessis Bruxellæ 16. Octobris 1549. Et subſignaris  
P. de Lens.




ACCIPE PRINCEPS MAXIME qualescunque meas has lucubrationes in Paulum, quas sub claritudine nominis tui in lucem exire permitto. Nam si diuinum cum primis numen afflauerit, cuius sunt fauore elucubratae, nullis possunt auibus prodire felicius. Iam quippe orbem Cæsar, quem tot rebus clarè gestis perlustrauit, tanq; multis illustrauit victorijs, tuis partim gestit humeris imponere, solem orientem (vt inter Apophthegmata Græcorum est) annuit adorari, experiri cupit, vt sis currus post longum eius, felixque seculum gubernaturus. At cum tot sint illi exhibita negotia, conflataque ingrata bella, quæ pro suæ amplitudine Maieſtatis retrectare nequiuit, quæque adeo prosperrimo Marte patrauit, vna est tamen causa fidei, pro qua arma sua sponte saepe induit, laboresque immensos pertulit, suos toties exercitus, fortunas, regna, vitam denique exposuit. Hanc tu Inchyte Princeps si, secundum Deum, paternis votis obsecundare cupis, toto pectore suscipias, huic consecres vitam, personam deuoeas, & quanta te manent clarissima sceptrâ. Fudit pater, fugauitque hostes Christiani nominis, prostrauit fidei perturbatores: Christianam itaq; seruauit religionem, quam nouatores homines iam diu demoliri pertendunt. Has victorias, tuum sit negotium, perpetuò prosequi. Fient enim Celsitudini tuæ frequenter obuia paterna vestigia, quæ prudentiam, magnanimitatemque tuam relectâ ducant. At quauis armis tua referat rem transigere, hoc tamen potissimum est operæpretium, vt amatorem te, vt i cæpisti, fautoremque, & omnino patronum bonarum literarum exhibere pergas. Nouerint, qui sacris præsertim elogijs interpretandis, elucidandis, colendisque & protegen-

tegendis insudant, nullam rem gratius ab Amplitudine tua acceptum iri.  
Hoc enim est, aduersus errores quam firmissimum veritatis presidium.

Est autem inter omnes sacros codices Paulus, qui vt corrupte exposi-  
tus Seminarium fuit errorum omnium huius tempestatis, ita, si sanè, in-  
tegreque intelligatur, vniuersos valeat protinus extirpare. Huius igitur  
Epistolam ad Romanos, quæ & ordine, & dignitate cæteris antecellit,  
meis rudibus meditationibus interlitam, Claritudini tuæ nuncupo.

Opus quidem, quod neque tua Celsitudo, si dignum illud suo  
nomine fuerit, vt caricam aestimabit, quam Diogenes  
obtulit Aristoteli: neque ego vicissim, si tua id  
legerit Celsitudo, potero nihili pendere.

Nam et si nemo alius legerit, dicam  
quod poeta ille olim de Pla-  
tone, Philippus vnus  
mibi instar est  
omnium.



## RERVM AC SENTENTIARVM, QVÆ IN HOC OPERE TRACTANTVR,

Index locupletissimus.

<b>A</b> braham pater omnium corde circum-	34.
cisorum.	126.
Abraham exemplum nostrū.	136. 17.
pus fidei nostræ.	139.
Abrahæ sinus iustorum omnium locus in Eu-	
angelio nuncupatur.	131.
Abraham cur circumcissus.	124. 316.
Abrahæ dignitas.	125.
Abrahæ fidei encomium.	133.
Abrahæ filij qui dicantur.	126.
Abrahæ stirpem vocat Paulus oliuam.	309.
Abstinentiæ causa triplex.	362.
Abusus principis aut prælati non facit subdi-	
tis facultatē detrectandi obedientiæ.	347.
Acceptum ferre, quid.	123.
Adæ inobedienciæ, & Christi obedientiæ dif-	
crimen.	162.
Adam fuit peccati originalis causa.	148.
Aedificari, mos loquendi Christianorū.	378.
Aeditio vulgata defenditur.	24.
Æuæ tentatio.	194.
Aduentus Christi dignitas.	115.
Adulterum neminem reconciliat Deus, nisi	
liberè assentientem.	271.
Affectus naturalis etiam in damnatis perdu-	
rat.	307.
Alta sapere quid sit explicatur.	340.
Amico ficto nihil in Republica exitiosius.	333.
Amor Dei in nos infinitus.	145.
Amoris fraterni commendatio.	334.
Amor proprius obstaculum est, ne fratrum	
molestias æquo feramus animo.	383.
Angeli cur penitere nequeant.	64.
Angeli subiecti vanitati humanæ.	227.
Angelorum expectatio.	226.
Angustia vnde dicatur.	77.
Anima vt viuificatrix est vnius corporis, ita	
& Christianis omnibus spiritualiter vnus	
est pro anima Deus.	327.
Anima media est inter spiritum & carnem.	173.
Animal omne diligit sui simile.	59.
Animarum transmigratio Pythagorica.	80.
Animorum immortalitas.	46.
Antichristi persecutio, vctura vt fur in nocte.	315.
Antistitis cura.	331.
Apostolatus vox explicatur.	25.
Apostoli nomenclatura.	14.
Apostoli tria sunt officia.	15.
Apostoli & Prophetæ discrepantia.	329.
Apostolorum gratia.	25.
Aquila & Prisca ciues Corinthij.	404.
Arma lucis, quæ.	356. 358.
Audire esse duplicem describitur.	292.
Auxilio suo priuatur à Deo quispiam duobus	
modis.	52.
<b>B</b> aptismi sacramentum.	167.
Baptismus cur paruulis indultus.	127.
Baptizatis cur in fronte delinitur chris-	
mate signum crucis.	290.
Barbari vnde dicti.	34.
Beatitudo in quo actu consistit.	181.
Beatus ob quam causam quis dicatur.	46.
Begardorum hæresis proscribitur.	346.
Bellum, nullum virtutis pietatisve vestigium	
post se relinquit.	342.
Bene loqui, & bene precari in quo differat.	338.
Beneficentia Reipub. maximè necessaria.	331.
Beneficia danda non sceneranda.	333.
Beneficijs cur nos priuat Deus.	316.
Beneficium summum quod in nos contulit	
Christus, cuiusmodi sit.	111.
Biblijs sacris quanta debeatur veneratio.	10.
Blasphemia Spiritus sancti duplex.	67.
Bonitas Dei, idem est quod benignitas.	63.
Bonitatis diuinæ ratio duplex.	268.
Bonorum genera tria describuntur.	333.
Bonum, obiectum amoris.	333.
Bonus & iustus in quo differant.	146.
<b>C</b> æcitas Iudaicæ causa.	303. 317.
Cæcitas Iudaicæ causa effectrix non	
fuit Deus.	313.
Caius inter Christianos fuit illustrissimus.	410.
Carbones ignis in vtraque partem vsurpantur	
in sacra scriptura.	344.
Carnium delectus non est superstitiosus.	362.
Carnis appellatione hoies intelligit Paulus.	102.
Causarum genera quatuor.	319.
Celeritas misericordiæ ornamētū potissimū.	332.
Certitudinis gratiæ assertores cōfutant.	234. 252.
Charitas Dei & amicitia, idem.	142.
Charitas initiū & forma est omniū virtutū.	391.
Charitas Christi immensa.	145. 143. diffusa. 143.
Charitatem habere erga aliquem, & reddere,	
quid.	351.
Charitatis facultates.	333.
Charitatis diuinæ excellentia.	165. 222.
Christianorum epitheton.	291.
Christiani inter omnes mundi nationes flo-	
rentissimi.	306.
Christiani antiquitus sancti dictabantur.	27.
Christi benignitas.	219.
Christi cum Adam collatio.	22. 157.
Christus primitiæ resurgentiū & radix rena-	
scientium in eius membra.	309.
Christus non est filius adoptiuus.	218.
Christus quomodo mediator.	29. q̄ sensu præ-
destinatus. 21. peccato mortuus. 172. spiritu-	
alis vitæ principiū. 327. nō p̄soluit diabolo. 111	
lapis. 285. cur ex femine Dauidis factus. 19.	
Circuncisio non pertinebat ad legē Moysi.	119.
Circuncisio protestatio quædam legis erat, sic-	
ut nunc baptismus.	91.
Circuncisio p̄ populo circunciso vsurpatur.	387.
Circuncisio an conferebat gratiam.	79.
Ciues non minus honorant principem reuerē-	
do, quam princeps ciues præmiando.	74.
Ciuium Romanorum priuilegium.	2.
Clementia Dei inestimabilis.	146.

## INDEX.

Cognoscendi Deum triplex est via.	44.	Deus finis omnium.	45.
Comessatio quid.	357.	Deus vnus est.	44.
Commune quid Paulo dicatur.	373.	Deus non est crudelis.	298.
Comos, Deus qui præerat nocturnis comessationibus.	357.	Deus quàm offensus Adæ inobedientia.	162.
Comprehensionis modus duplex.	318.	Deus quomodo per creaturas representatur.	43.
Compunctio quid sit.	302.303.	Deorum turba vnde oborta.	150.
Concupiscentia, quomodo sit peccatum.	151.	Diei extremæ an iræ nomen potius inditum sit quàm misericordiæ.	67.
Cōcupiscibilis ad quas feratur voluptates.	357.	Dies iræ accipitur pro die finali, & cuiuscunq; particularis iudicij.	67.
Confessio fidei, obleruãtia mandatorum.	290.	Dieta præsens remedium ad bonam hominis valetudinem.	362.
Confessio oris, nisi ex corde proficiatur, vana est.	290.	Dilectio simulata, quæ dicatur.	333.
Confessio oris triplici modo fit.	ibidem.	Dilectionis debitum nunquam adeo soluitur, vt non debeatur.	351.
Configurari huic seculo, quid.	324.	Discipuli vbi primũ cognouit Christiani.	27.
Confiteri Deo, quid.	370.	Doctori quæ virtutes maximè necessariæ.	327.
Conscientia erronea obligat.	373.	Dogmatum sacrorum antiquitas.	58.
Conscientiæ diffinitio.	86.	Dominium iustorum.	243.
Contentio, pro reluctantia contra fidem.	75.	Dona non solum confert Deus secundum gratiam, sed secundum laudẽ etiã distribuit.	328.
Consiliũ, nõ ad malũ, sed ad bonũ refertur.	97.	Duellum nusquam est licitum.	344.
Contumeliosus quis dicatur.	58.	<b>E</b> Brietatis vitium.	357.
Creationis humanæ causa.	117.	Ecclesia errare non potest.	329.
Creatura irrationabilis vanitati subiecta non volens.	227.	Ecclesia quid contra Pelagianos sanxerit.	110.
Creaturæ vanitas.	226.	Ecclesia cur in ieiunijs vsum carniũ interdicit.	293.
Crimina publica iudicare esse mala non est peccatum.	372.	Ecclesiæ pestis.	(xerit. 363.)
Criminum nostrorum causa non est Deus, sed praua voluntas.	269.	Ecclesiæ authoritati standum est.	293.
Cubilis nomine quid Paulus significet.	358.	Ecclesiæ circa scripturã sacrã authoritas.	17.363.
Culpa nulla in Deum refunditur.	191.	Ecclesiæ corpus nil adeo scindit ac supbia.	340.
Culpa vbi nulla est, nulla potest esse remissio.	81.	Ecclesiæ vnitas in quo consistit.	293.
<b>D</b> æmones ministerium Dei exercent in bonum nostrum.	349.	Eleemosynarũ dignitas & debitum.	399.
Debitorum sumus Deo.	214.	Eleemosynæ antiquus bñdictio appellabatur.	400.
Deitatis & diuinitatis differentia.	45.	Ελλην græcè significat Græcũ & Gentilem.	37.
Dilectus ciborũ apud nos diuersus ab illo lubilitas, quid sit.	308. (dæorum. 362.)	Eloquentia trilinguis bona & mala.	9.
Delicti & comminutionis discrimen.	306.	Emortuum, quid.	135.
Delicti & gratiæ comparatio.	158.	Epistola ad Romanos argumentũ est ceterarũ o-	4.
Destinari ac prædestinari in quo differunt.	23.	Esaia animus inuictus.	299. (mniũ. 4.)
Dei nomine quid enunciat.	44.	Euãgelica p̄dicatio omni nationi debetur.	34.
Dei finis & propositum in reprobandis hominibus, bimembre.	268.	Euangelij definitio.	36. amplitudo. 27.
Dei virtus sempiterna quomodo philosophis innotuit.	45.	Euangelij nomine quid Paulus intelligat.	18.
Deo non credere, quid.	139.	Euangelij dignitates quinq;.	15.
Deo & parentibus cur non satis rependimus pro beneficijs.	351.	Euangelium qui verè receperunt excidere regno Dei non posse confutatur.	312.
Deo auctore nemo fit deterior.	267.	Euangelium an Iudæis venerit propter merita operum legis.	8.
Deo soli adhærendum.	333.	Euangelium trifariam diuiditur.	18.
Deus cur Deus spei nostræ dicatur.	390.	Excæcat Deus nõ adiuuãdo, sed deserẽdo.	303.
Deus mentiri nescit.	94.	Excellentia superbiam parturit.	361.
Deus quando dicitur recordari nostræ iustitiæ, quando item iniquitatis.	123.	Expandere manus, quid sit.	299.
Deus erit iudex & testis.	62.	<b>F</b> Amæ alieng denigratores notantur.	99.
Deus cur post Adæ casum statim operatus non est redemptionem nostram.	114.	Felicitas huius vitæ in honore nõ cõsistit.	47. (74.)
Deus nihil agit contra naturam.	312.	Felicitas nostra in quo posita sit.	47. (74.)
Deus quib; nos adducit modis ad pœnitentiã.	65.	Felicitas nusquam nobis promissa est, nisi sub conditionibus operum.	69.
Deus nihil facit ad malum nostrũ respiciẽs.	47.	Festis diebus cur ab opere feriamur.	367.
Deus quomodo in reprobos animaduertit.	41.	Fide iustificari & gratis iustificari nõ est idẽ.	121.
De; neminẽ cogit vel ad bonũ, vel ad malũ.	65.	Fides assensione nostra fit.	106. ab humana p̄det voluntate. 295. non accipitur pro Euãgelio. 105. esse nequit, nisi ex auditu. 292. ex

## INDEX.

obedientia nascitur voluntatis.	76. datur ad mensuram. 327. prima causa est iustificationis. 110. non iustificat, nisi dum per charitatem operatur. 109. non est ipsa quæ operatur, sed nos per ipsam.	70.
Fides non operanti quomodo reputatur ad iustitiam.	121.	
Fides vna. 39. donum Dei.	296.	
Ad fidem duo necessaria.	16. 296.	
Fide sola non iustificamur.	5. 84. 107.	
Fidei significatio, duplex. 106. beneficia. 143.		
Fidei primitiæ prius à Iudæis susceptæ, quàm à gentibus.	314.	
Fidei obedire, quid.	25.	
Fides & humanæ disciplinæ in quibus differat.	25.	
A fide & gratia in hac vita non excidimur, sed frangimur.	309.	
Fides & gratia euangelica cunctis mortalibus necessaria est ad salutem.	35.	
In solafide non est collocanda nostra fiducia.	73.	
Fides & gratia, necessaria prius sunt, quàm legibus opera iusta habeantur apud Deum.	92.	
Fides mortua Christianum hominem efficere potest absque charitate.	109.	
Filij Dei sub lege erant.	217.	
Finis hominis duplex.	38.	
Feminarum pudor.	55.	
Fragilia quæ sunt, vocat Paulus infirma.	145.	
Frater non temerè iudicandus.	364.	
Fratres respectu Dei sumus omnes.	334.	
Figura, quid.	324.	
Futurum omne indeterminatè verum est, vel falsum.	280.	
<b>G</b> audendum quò cum gaudentibus.	339.	
Gaudium durare nequit, vbi pax non viget.	390.	
Gaulonitarum hæresis.	345.	
Gentes contra Iudæos.	7.	
Gentes insitas esse contra naturam, quo significatu capi debeat.	312.	
Gentium plenitudo, & vniuersitas saluandi Israelis, num ante extremũ diem futura sit.	314.	
Gentiũ nomine orbis vniuersus intelligitur.	393.	
Gladij nomine quid Paulus significet.	349.	
Gloria quemadmodum dicatur gratia.	69.	
Gloria triplex.	142.	
Gloriæ & honoris inter se discrimen.	74.	
Gloriam & honorem inter mortales qui conseruantur, procurant existimationem consequi probitatis.	74.	
Gloriandum cur sit in afflictionibus, & hostilibus pugnis.	143.	
Gloriari nos in Deo de spe hæreditatis æternæ in hac mortali vita licet.	142.	
Gloriari in Deo, quid sit.	147.	
Glorificatione diuina indigent omnes.	111.	
Græci exteras omnes nationes, Barbaras vocabant.	34.	
Græci & Romani soli sub legibus viuẽbãt.	60.	
Gratia & pax in quibus differunt.	28.	
Gratia Dei, & gratia Domini nostri Iesu Christi eadem.	409.	
Gratia, non operum meritis, sed gratuito donatur.	88.	
Gratia fuit ante Christi aduentum.	114.	
Gratiæ & gloriæ discrimen.	70.	
Gratiæ regnum.	166.	
Gratiæ suæ nemo certus fieri potest per certitudinem fidei absq; speciali reuelatione.	131.	
Gratiæ nostræ certitudo.	221.	
Gratiam pro apostolico munere vsurpat Paulus.		
Gratiarum diuersæ mensuræ.	24. (lus. 325.)	
Gula omnium vitiorum mater.	362.	
Gulæ vitium & enormitas.	357.	
<b>H</b> eliás & Enoch circa finem mundi mittendi.	315.	
Hæreditas filiorũ est vita æterna.	215.	
Hæreditas nostra Deus.	222.	
Hæreses negantium imagines recensentur.	50.	
Hæretici sunt veluti arena sine calce.	115.	
Hæreticus ignorantia laborans, blandè ferendus, ac veritatis admonendus.	407.	
Hierusalem, emporium vnde diuulgata est fides in orbem.	399.	
Homicidium, primò inuidia patratum est.	58.	
Homine lapsus expediebat esse mortale.	159.	
Homini pernicies est alta sapere.	340.	
Homo se vendit peccando.	196.	
Homo nullus est qui non mentiat.	94.	
Homo cur conditus.	45.	
Homo duabus constat portionibus.	196.	
Honor nõ est in honorato, sed in honorãte.	75.	
Honor humanæ naturæ pensandus secundum suam excellentiam.	54.	
Honor qua ratione defendendus.	344.	
Honoris definitio.	351.	
Honoris commendatio.	334.	
Hospitalitatis laus.	337.	
Hostia vnde dicta.	322.	
Humilitas, omnium virtutum parens.	325.	
<b>I</b> dololatria & peccatum contra naturam coruã.	56.	
Idolum idem quod simulachrum.	50.	
Ignorantia, quomodo excusatur.	192.	
Ignorantia, est medicabile vitium.	407.	
Immortalitas, cur nobis ad futurum vsque seculum differatur.	223.	
Immundum quid dicatur.	54.	
Impij, qui sine lege & fide Dei vixerunt, sine iudicio peribunt.	82.	
Inclinare quosdam ad mala Deus pro suis meritis, quomodo intelligatur.	52. 267.	
Induere Christum, quid.	358.	
Indurare, quomodo dicatur Deus.	52. 65.	
Indurare & excæcare, quomodo intelligi debeant.	299.	
Infantes absque vlla operum suorum præuisione prædestinati.	271.	
Inferni supplicia nemini optare possumus.	339.	
Infidelibus omnia sunt impura & fordida.	378.	
Infidelitas in extremis etiam temporibus in aliquibus duratura.	315.	
Infidelium opera etiam bona, quæ ad suam falsam religionẽ referuntur, sunt peccata.	382.	

## INDEX.

Ingratitudinis crimen, quis committit.	63.	Iustificationis causa nulla, quam diuina æternæ prædestinatio.	20.
Inimicos tribus maximè modis nobis demeremur.	337.	Iustificatorum gradus quatuor.	121.
Iniqui odio habendi propter iniquitatem, eorum tamen salus procuranda.	315.	Iustitia Dei hinc redditur illustrior, quòd promissã misericordiã neq; iniquis abnegat.	95.
Iniqtas nulla est quã Deus nõ odio habeat.	84.	Iustitia & misericordia Dei infinita.	207.
Iniquitas in se comprehendit omne vitium.	57.	Iustitia Dei per infernũ redditur illustrior.	279.
Iniuria à Deo nemo vnquam afficitur.	319.	Iustitia operum, duplici ratione dicitur iustitia apud homines.	119.
Iniustitia nostra non est effectus iræ Dei, sed causa.	41.	Iustitia Dei vnde dicatur.	39. 104.
Insitio contra naturam.	311.	Iustitia, altera est operum, altera fidei.	84.
Insitionis similitudo.	169.	Iustitia legis & iustitia fidei, in quo consistat, explicatur.	287.
Inuidia contentionis mater.	358.	Iustitia hominis duplex.	38.
Inuidia morbus pusillorum.	361.	Iustitia supernaturalis, quæ dicatur.	38.
Inuidia, in quo ab indignatione differat.	76.	Iustitiam Dei nobis obuenire nõ ex operibus legis, sed per fidẽ Iesu Christi explicatur.	110.
Inuocare nomen Domini, quid.	291.	Iustitia legis & iustitia operum in quo differunt.	84.
Inuocatio an fidem præsupponat formatã.	292.	Iustitia in duas secatur partes. 41. runt.	84.
Iouinianus Christianorum Epicurus D. Hieronymo nuncupatur.	362.	Iustitiæ operũ & iustitiæ fidei discriminẽ.	116. 289.
Ira, triplex.	343.	Iustitiæ liberi, qui dicantur.	180.
Ira Dei, dicitur iustissima Dei vindicatio.	41.	Iustitia fidei, sola existimatione iustitia apud Deum.	119.
Ira Dei omnium est suppliciorum causa.	76.	Iustitia operum duplici ratione dicitur iustitia apud homines.	119.
Ira nomine quid Paulus intelligat.	129.	Iustitiæ fidei fructus supremus, quis.	289.
Ira reuelatio, explicatio est iustitiæ.	41.	Iustitiæ Dei & nostræ discriminẽ.	286.
Iudæi triplici honorabantur nomine.	88.	Iustitiam qui colit, placendo hominibus, placet Deo.	377.
Iudæi de tribus gloriabantur.	60.	Iustitiam apprehendere est iustum fieri recipiendo iustitiam.	108.
Iudæi legis corticem cernebant quidem, non autem ad medullam vsq; penetrabant.	303.	Ius scriptum, maioris est authoritatis, quam quod solo vsu tenetur.	86.
Iudæi cur non adepti iustitiam.	289.	Iusti sunt veluti viui lapides.	384.
Iudæi cur cæteris miserabiliores.	316.	Iustorum facies in hac vita.	291.
Iudæi sapientes.	35.	Iustum ex fide viuere quo sensu interpretari debeat.	106.
Iudæi scriniarij nostri.	16.	Iustum ex fide viuere, quomodo intelligi debeat, explicatur.	40.
Iudæorum Deus. 117. incredulitas. 94. priuilegia. 92. crimina. 87. incredulitatis causa. 305. abiectio. 298. tenacitas. 315. pœna de idololatria. 298. error de iustificatione. 6. 109. tres errores. 6. priuilegia cõmunicata Gentibus.	282.	Iustum pro impio mori, res demirãda est.	145.
Iudæorum casus non fuit generalis.	299.	Iustus qui sibi videtur, idem sibi metuat, quod in misero cernit.	312.
Iudæorum error.	93. 128. 129.	Legem audire, idem est quod recipere. 83.	
Iudæorum & Pelagianorũ error idem.	110.	Legem facere, est viuere ad præscriptum legis.	ibidem.
Iudicare pro condemnare vsurpatur.	361.	Legem iram operari quid sit, explicatur.	129.
Iudicij diuini necessitas.	62.	Legem factorum quam vocet Paulus.	116.
Iudicij diuini ex quinque commendatio.	61.	Legis & fidei discriminẽ.	41. 130.
Iudicis summi clementia.	62.	Legis diffinitio.	103.
Iudiciũ rerũ ex earundẽ causis sumẽdũ est.	61.	Legis factorum, & legis fidei discriminẽ.	115.
Iudicium temerariũ fertur duobus modis.	356.	Legis factorum, & nostræ discriminẽ.	205.
Iudicium humanum tripliciter fallax.	62.	Legis notitia absq; operibus, euanida est.	87.
Iudicium mortis permutatum.	111.	Legis opera quo pacto iustificent.	83.
Iudicium Dei in vlciscenda idololatriæ impietate legitimum.	56.	Legis opera nulla ponenda in causa iustificationis, quò intelligi debeat, explicatur.	119.
Iuramenti circumstantiæ.	31.	Legis cognitio neutiq; sufficit ad augendam vel acquirendam iustitiam.	40.
Iuramenti comites.	ibidem.	Legis cuiuscunque finis, quis.	286.
Iuramentum quando licitum.	ibidem.	Legislatoris intentio est, vt per legem bonos faciat ciues.	129.
Iurationis Paulinæ ornatus.	ibidem.	Lex nostra, efficacius spiritu persuadetur, quam verbis.	8.
Iustificandi modus est duplex.	101.		
Iustificari citra legis opera, quid sit.	120.		
Iustificatio nõ solum fidei in scriptura, sed alijs etiam virtutibus adscribitur.	108.		
Iustificatio, duplex.	40.		
Iustificatio non est opus naturæ, sed gratiæ.	47.		
Iustificatiõnis ratio explicatur.	109.		

## INDEX.

Lex Christi, onus leue est, & iugum suauẽ.	99.	Militia huius vitæ nobis inter spem ac metum est proposita.	78.
Lex euangelica dicitur lex gratiæ.	118.	Militia nostra describitur.	262.
Lex Mosãica voluntas Dei erat, sed non principalis.	325.	Militiæ Christianæ vertex.	408.
Lex vetus donum timoris.	217.	Minister quis sit.	387.
Lex nostra significantissimè dicitur lex gratiæ.	176.	Ministri nuncupatiõẽ semper gauisus est Christus.	387.
Lex humana quomodo sit ferenda.	191.	Misericordia Dei, an plus demiranda quam iustitia.	113.
Lex, vaticinium Christi erat.	16.	Misericordia Dei inenarrabilis.	64.
Lex vetus, theatrum.	105.	Misericordia Dei gratis iustificamur.	35.
Lex euangelica dicitur lex gratiæ.	118.	Misericordiæ hilaritas.	332.
Lex fidei, quæ sit.	116.	Mors pœna peccati.	154.
Liberũ arbitriũ cur Deus homini dederit.	107.	A mortalitate cur hic non liberamur.	213.
Libertas Christiana, quæ.	363.	Mortis & resurrectiõis Christi discriminẽ.	140.
Libertas vbi nulla est, nulla excogitari potest ratio meriti vel culpæ.	268.	Mortui Christi qui vocentur.	24.
Libertas vera in quibus posita est.	180.	Mundus propter hominem conditus.	45.
Libertati tria obstant.	46.	Munus vniuscuiusq; an sit legitimum quomodo cognoscendum.	327.
Linguarum donum quale.	8.	Mysterium, quid vocet Paulus.	33.
Literales sensus, varij.	10.	Natura humana diuina idiget gratia.	106.
Longanimitas Dei.	65.	Naturalis Dei cognitio, an sufficiens illis erat ad salutem qui sub lege agebant naturali.	47.
Longanimitatis & patientiæ inter se discriminẽ.	63.	Nequitia & iniquitas, idem pollent.	57.
Lucis æterni radij duo.	43.	Numinis præsentia solet in scripturis gloria domini appellari.	111.
Lutherani in tribus à nobis dissentiunt.	5.	Nutui diuino parent omnia.	133.
Lutherani contra meritum operum.	68.	Obedientia vt commendanda.	408.
Lutheranorum controuersiæ status.	38.	Obedientia, initium & caput totius disciplinae.	345.
Lutheranorum controuersia de certitudine fidei.	121.	Obedientia non cuius præstanda.	409.
Lutheranorum inconstantia. 347. de satisfactiõne error. 245. contra sanctorum orationes error. 246. de ciborum delictu calumnia. 361. error de iustificatione.	105.	Obedientiæ rationes duæ.	350.
Lutheri lerna. 293. hæretica varicies. 290.		Obedire quomodo debemus.	346.
Magistratus aptis idoneisq; committendi.	25.	Obscurare, quid.	31.
Malitia est, vbi quis data opera sciens & prudens malè agit.	57.	Obscuratio, quid.	321. 401.
Mala non permittit Deus, nisi vt prouentus fiat bonorum locupletius.	317.	Obscuratio exterior sine interna voce futilis est.	286.
Mala non sunt facienda.	97.	Obtrectator homo & conuitiator, est sepulchro pestilentior.	99.
Mala duo hæreditaria.	148.	Oculus impudicus, impudici cordis est nutritius.	59.
Maledicere qua ratione liceat.	338.	Obnoxius alteri quis dicatur.	100.
Malorum tolerantia infracti animi indicium.	142.	Offendere in Christum quid sit explicatur.	285.
Malum bono vincere est pulcherrimum.	345.	Offendiculum in habitu, & offensio in actu differunt.	372.
Malum pro malo nulli reddendum.	341.	Officium omne in tribus collocatur.	49.
Malum minus consulere est licitum.	97.	Olea & oleastri metaphora explicatur.	309.
Manichæorum hæresis. 41. blasphemia.	188.	Opera mala præuisa causa sunt reprobationis, bona verò non prædestinationis.	276.
Membra quomodo viuã fiant hostia.	322.	Opera tenebrarum, peccata.	356.
Membrorum genera duo.	328.	Opera etiam iusto sunt necessaria.	291.
Mendacium quid sit.	53.	Operum nostrorum legitima intentio in Deum esse debet.	72.
Mensa pro scripturæ sacræ pagina accipitur.	302.	Opus nostrum dupliciter consideratum.	70.
Mensura fidei quæ sit explicatur.	327.	Oracula diuina, cur Iudæorũ genti credita.	93.
Merita in operibus nostris vt sunt suppliciorum, ita & præmiorum.	71.	Orationis sedulitas plurima nobis cõfert emolumenta.	336.
Meriti definitio.	70.	Orationis vtilitas.	336.
Meritorum radix quæ sit.	ibidem.	Orationum genera quatuor.	31.
Meritorum radix & præmiorum consummatio.	377.	Originalis culpæ ratio & causa.	150.
		Originalis iustitiæ recompenfatio.	166.



## INDEX.

Originalis labis diffinitionis explicatio.	155.	Peccata, sub diuersa figura materia sunt, tam iustitiæ quàm misericordiæ.	96.
Originalis remissio an in circumcissione fiebat.	126.	Peccata quomodo tecta.	123.
Os obtrektoris, ac maledici hianti sepulchro adsimilatur.	99.	Peccatum contra naturam dicitur duobus modis.	55.
Onium & luporum discrimen.	294.	Peccati appellatio. 191. pœna. 51. effectus. 153. diffinitio. 51. 189. regnum. 166. ante & post legem discrimen. 155. cognitio apud Ethnicos.	189.
<b>P</b> acis definitio.	28.	In peccatis nos remorantur tres causæ.	64.
Pacis voce, quid intelligendum est.	141.	Peccato viuere quid.	167.
Pagani, Christum resurrexisse negat.	289.	Peccatum esse omne quod non est ex fide, quomodo Paulus intelligat, latissimè explicatur.	382.
Palma, cur decreta victorū triumphis.	142.	Peccatum damnauit Deus.	208.
Paruonia victus necessaria ad expeditius seruanda præcepta.	363.	Peccatum vt appareat peccatum. 195. quando existimatur mortuum. 192. idem quod res illicita. 97. nisi voluntarium esset, peccatum non esset. 46. 107. cedit in bonum. 236.	
Paruuli dum baptizantur, credunt aliquo modo.	127.	Peccatum quando remittitur deletur de memoria Dei.	123.
Paruuli decedentes originis labe, cur ingressu regni celorum arceantur.	68.	Peccatum & iustitia duo domini.	176.
Passiones dicuntur animi morbi & libidines.	54.	Pedes & gressus spiritualiter sunt voluntatis affectus.	99.
Patientia, in fracti animi indicium.	142.	Peierare sacrilegium.	31.
Patientiam, p̄tolerantia Dei vsurpat Paulus.	73.	Pelagiana hæresis.	271.
Patientiæ diuinæ causa.	64.	Pelliculæ circumcissæ significatio.	92.
Patientiæ munera.	73.	Peregrini non sunt eliminandi.	337.
Patientiæ duplex genus.	231.	Personarum acceptio non est in operibus meræ gratiæ.	279.
Patres Ecclesiæ speciali numine afflati, ad interpretandam sacram scripturam.	330.	Petendum confidenter.	235.
Patres non erant liberi à damnatione.	204.	Petitionis conditiones quatuor.	ibid.
Pauli vita & conuersio. 2. laudes. 212. humilitas eximia. 391. latissimæ peregrinationes. 394. laconismus. 348. magnificum ingenium. 259. breuiloquentia. 2. 12. nominis etymologia. 12. modestia. 7. obscuritas. 9. phrasis & stylus. 8. sermo Hebræo græcus. 8. de gratia & gloria mysterium. 69. mens acutissima. 130. vocatio dignissima. 14. diuina mutatio. 12. modestia & eloquentia. 32. Euangelium. 87. sapientia. 30. diuinus intellectus. 142.		Pharisæi vnde dicti.	15.
Paulini generis commendatio.	300.	Philosophi quibus vijs ad inuestigationem Dei ingressi.	44.
Paulus Apostolorum disertissimus. 8. non adiuuit Hispaniam. 397. induit personam humani generis. 189. quo pacto loquatur de Christo. 172. an vxorem habuerit dubium. 2. cur ad Romanos scripserit? 5. iudex. 7. opifex artis scenæ factoriæ. 2. cur epistolas scripserit? 2. confertur cum Ioanne. 8. cuius fuit Romanus. 1. in quibus gloriam collocauit. 393. an fuerit binominis, nec ne. 11. nomen est Latinum. 11. nil aliud quàm pusillum significat. 12. non est vulgo committendus. 9.		Philosophorum errores.	49.
Pauperibus non opitulandum ad fouendum eorum peccata.	337.	Phœbes scæmina præcipuæ authoritatis in Cæchris.	403.
Pax vera est, cum vnusquisq; ius suum tranquille possidet.	376.	Pœna, non est voluntaria, vt culpa.	227.
Pax sectanda etiam cum labore nostro, damno & opprobrio.	378.	Pœna suapte natura non nisi ob culpam debetur.	275.
Pax margarita Christianis preciosissima. ibid.		Pœna dâni inæqualis quo pacto dici possit.	71.
Pax mundana diuersa à Christi pace.	141.	Pœnam damni, & pœnâ sensus, quomodo theologi discernunt.	71.
Pax primùm fidei munus.	140.	Pontificis sanctitas.	27.
Peccandi per legem occasiones.	163.	Potentia Dei infinita.	319.
Peccatorum inter se comparatio.	54.	Potentia diuina, nota potissimum in malorum punitione.	268.
Peccatorum infidelium, ac fidelium inter se comparatio.	78.	Potestatem non esse nisi à Deo, qua ratione intelligi debeat, explicatur.	347.
Peccatorum genera tredecim.	98.	Prædestinatio, quid sit.	269.
		Prædestinatio non fit ex operibus, neq; præcedentibus, neq; subsequentibus.	273.
		Prædestinatio & reprobatio nihil nobis adiungunt libertatis.	279.
		Prædestinatio nil ponit in nobis.	270.
		Prædestinationem inter & reprobationem quomodo differt.	275.
		Prædestinationis nomen immerito inuisum.	238.
		Prædestinatorum finis, vsus & præparatio diuersa.	269.

## INDEX.

Prædicatio miraculis confirmata.	26.	<b>S</b> acerdotis in prædicatione officium.	293.
Prædicantium pedes speciosi.	294.	Saluatoris nomine in antiqua lege qui cognominabantur.	37.
Prædicatores mittit Deus duobus modis.	293.	Salus per fidem Christi nobis promissa est si fecerimus quæ fides iubet.	38.
Prælatorum officium. 32. sollicitudo. 332.		Salus exhibita omnibus in vniuersum creditibus in Christum.	110.
Prælatorum erga subditos munus.	253.	Salus nemini contingere potest nisi per virtutem Euangelij.	37.
Præmiare vltra condignum cur Deus dicatur.	72.	Salus nostra non fide sola, sed spe & charitate fundata est.	108.
		Ad salutem humanam necessaria fuit semper homini Dei cognitio.	47.
Præsciencia, an fuerit causa prædestinationis.	238.	Salutem nostram dei esse manus, quomodo intelligendum.	312.
Præsciencia diuina nihil eripit nostræ libertati.	280.	Salutis viam omni credenti strauit aperuitque Christus.	305.
Præuaricatio esse nequit, vbi nulla est lex.	130.	Salutis nostræ causæ tres.	112.
Probare, quid.	324.	Salus & sanitas in quo differunt.	37.
Probitas, obiectum est charitatis.	146.	Sanctificare Euangelium, quid.	392.
Promissio stulta & infidelis, displicet Deo.	91.	Sanctorum memores qui dicantur.	336.
Promissionum sensus spiritualis.	260.	Sanctos apud Deum adhibemus tanquam aduocatos ac intercessores.	51.
Propheta quis dicatur.	329.	Sanguinis Christi fructus, fuit vniuersalis redemptionis totius humani generis.	114.
Propheta quid sit.	329.	Sanguis Christi semel effusus, precium fuit æternæ redemptionis.	113.
Propheta, idem est quod visio.	329.	Sapere plus quam oportet, quis dicatur.	326.
Propheta, ad quam regulam perpendenda.	330.	Ad sobrietatem sapere, quid.	327.
Propheta pro theologiæ scientia accipitur.	330.	Sapere diem, quid.	366.
Propheta nunc non est in ecclesia.	329.	Sapientia nulla alia est, quàm Deum nosse.	89.
Prophetia duo sunt genera.	94.	Sapientia & scientia, in quo differunt.	318.
Propositum pro decreto quod Deus statuit vsurpatur.	122.	Saræ & Rebeckæ similitudo.	261.
Prouidentia Christi.	294.	Satisfactio Christi.	112.
Prouocare in iram, quid sit.	298.	Saul primum nomen Pauli.	11.
Proximi bona existimatio, quanti sit habenda.	370.	Scandalizari & offendi in quo differunt.	379.
A sententia in proximum ferenda, summo opere cauendum.	370.	Scandalizari quid sit.	372.
Proximis quales nos exhibere debemus.	345.	Scandali ratio in quo consistit.	372.
Proximi plus tenemur diligere, quam proprium corpus.	54.	Scandali diffinitio.	371.
Prudentiæ modus triplex.	210.	Scandali & offendiculi discrepantia.	371.
Punire citra condignum Deus cur dicitur.	72.	Scandalum Phariseorum.	371.
Punitio iniquorum, in laudem cedit iustis.	349.	Scandalum persuadetur vitari quatuor rationibus.	374.
Pusillanimitatis vitium.	326.	Scientia & fides in quo differunt explicatur.	290.
		Scripturæ sacræ genera diuersa.	385.
<b>R</b> ami naturales qui vocentur.	311.	Scripturæ sensa quatenus populo à sacerdotibus docenda.	9.
Rationabile obsequium quid sit.	323.	Scripturæ custodia in lege veteri.	16.
Reddere aliquem malum pro malo quando dicatur.	341.	Scripturam sacram absq; ecclesiæ decreto fide certa tenere non possumus.	17.
Redemptio Christi per mortem suam, cur fuerit nostra iustificatio.	112.	Scripturarum dignitas.	16.
Redemptionis mysterium duplex.	136.	Scripturarum ex noua lege certitudo.	16.
Redemptoris nostri munus.	142.	Seculi futuri ac præsentis perfectiones.	98.
Regni celorum in hac vita initia.	161.	Seculi significatio duplex.	320.
Regni cælestis pulchritudo.	165.	Seminis nomen multiplex.	283.
Regnum peccati absurdum.	173.	Sensu proprio abundare quid.	366.
Regnum dei lex est euangelica.	376.	Sepulchrum patens quis dicatur.	99.
Religionis encomium.	132.	Seruire Deo, regnare est.	161.
Religiosi vnde dicti.	15.	Seruitus, duplicem habet significationem.	13.
Reprobatio, an causam habeat in reprobis.	274. 276.	Seruitutis peccati primus effectus.	180.
		Seruorum & filiorum discrimen.	259.
Reprobationis causa finalis, quæ.	277.		
Reputare & imputare, differunt.	122.		
Res cunctæ aguntur propter finem.	45.		
Resurrectio Christi exemplar nostræ à peccatis resipiscentiæ.	140.		
Robur corporale & firmitas spiritualis in quo discrepant.	383.		
Romanorum gloria.	36.		



# INDEX.

Seueritas non est vitium, sed censoria iudicis grauitas.	312	Vbertas & pinguedo, in quo differunt.	310
Signaculum iustitiæ fidei quid sit.	79.	Vecordia humana.	172.
Signum & prodigium in quo differant.	394.	Ventris nomine intelliguntur corporalia ac temporalia.	498.
Somnus triplex.	354.	Verbum in sacra scriptura solet accipi pro re gesta.	283.
Sors hominum misera.	408.	Veritatem Dei iniustitia & impietate detinere, quid.	41.
Sorte sua non contenti notantur.	331.	Veritas Dei, pro diuina natura accipitur.	53.
Spei cum fide connexio.	231.	Vitæ Dei quomodo dicantur inuestigabiles.	318.
Spem non confundere, bifariâ intelligitur.	142.	Vim vi repellere an liceat.	342.
Spes ex fide nascitur, & fouetur vigore operum.	390.	Vindicare proprium Dei munus.	343.
Spes nosra alitur per probationem & experimentum operum fidei.	142.	Vindicta, cur nō licita auctoritate priuata.	343.
Spes non confundit, bifariam interpretari quis potest.	142.	Vindictæ & dissensionis discrimen.	342.
Spes in celo nulla.	231.	Virginis intemperatæ dignitas.	25.
Spiritualia non debentur, sed tēporalia.	399.	Virginis Deiparæ laus.	302.
Spiritualia quæ necessaria sunt ad salutem, non sunt dimittenda ob tollendum scādali.	377.	Virginitas alitur honoribus.	349.
Spiritus sancto, qui carent.	335.	minus de virtutibus quā oportet, qui sapiāt, & è conuerso.	326.
Spiritus non loquitur viua voce.	293.	Virtus nostra omnis in Deū referenda.	335.
Spiritus sancti diuinitas.	28.	Virtus ancipitem habet significationem.	36.
Spiritus Dei & Christi idem.	213.	Virtutū vitiorūq; opera, quomodo infinita.	71.
Spiritus sancti munus est, scripturas, quas ipse condidit, exponere.	293.	Viueri Deo secundum carnem, quid.	215.
Stoicorum dogma.	254.	Viueri alteri quid.	367.
Subdimur eodem iure hominib. quo Deo.	347.	Vita æterna gratia Dei nuncupatur.	69.
Subditi naturali ordine inferiores sunt superioribus magistratibus.	346.	Vita æterna quomodo consistat in perceptione fructuum.	181.
Suffragia plurimi facienda.	400.	Vitam nouam nemo potest inchoare, nisi quæ præteritæ pœnituerit.	108.
Superbia, peccati initium.	49. 58.	Vitam longam nusquam promisit nobis scriptura.	66.
Superbia excellentioribus insidiatur.	361.	Voluntas antecedens nō semper impletur.	276.
Surgere à somno, & expergisci, in quo differant.	354.	Voluntas Dei pro eius lege accipitur.	325.
<b>T</b> emporum nostrorū calamitas.	90.	Voluntas conditionalis.	275. 197.
Tertius, Pauli amanuensis.	4. 410.	Vtile quid dicatur.	333.
Testamen. veteris ac noui discriminē.	118.	Vuicles hæresis insanissima.	17.
Testamentum vetus partitum legimus in legē, psalmos & prophetas.	100.	<b>Z</b> elare pro Deo, quid sit.	286.
Theologi nimium Latinitatis studiosi, taxantur.	8.	<b>F I N I S.</b>	
Thesaurus triplex.	66.	Errata sic corrigito. A. priorem columnam. B. posteriorem designat.	
Timor filialis & castus, quis.	217.	Facie. 11. columna B. linea 4. lege Boanerges.	
Timorem Domini abijcere, præcipitum est omnium malorum.	99.	13. B. 13. Apostolus. 20. B. 26. à fine, confirmare.	
Timoris seruilis gradus diuersi.	217.	22. B. 25. pro quibus, lege cuius. 28. A. lin. vlt. rationi. 28. B. 12. firmissima. 40. B. 12. à fine, abstrusissima. 44. A. 27. percurrere. 45. A. 7. à fine, animantium. 52. A. 12. pro nos, non. 68. B. 27. pro ac, at. 75. A. 15. à fine inferiores. 76. B. 2. à fine, dignos. 82. B. 27. à regno. 90. A. 16. pro præcipiebantur, lege iubebantur. 97. B. 24. agentibus. 103. A. 7. à fine, principum. 160. A. 16. à fine, condemnationem. 177. A. 17. hac. 212. A. 27. à fine, vobis. 222. B. 9. à fine, imaginis. 224. B. 18. promanant. 227. A. 20. consensit. 229. A. 25. à fine, secuti. 231. A. 25. cōpatiamur. 236. B. 15. imaginis. 315. B. 19. iniquis. 329. A. 21. ministerium. 331. A. 23. administrari. 369. B. 27. à fine, millium. 370. A. 3. à fine, tunc. 372. A. 4. percontari. 377. A. 2. regnum. 382. B. 9. à fine, expediuit. 384. B. 7. enimvero. 389. B. 26. dele vel. Græca læpe sunt malè scripta.	
Tradere Deum homines in sua desideria quomodo intelligi debeat.	52.		
Tria de Deo cognoscibilia.	44.		
Tribulatio, vnde dicatur.	77.		
Tribulatio operatur patientiam.	142.		
Tribunal vnde dicatur.	369.		
Tributorum ius.	350.		
Tributorum genera tria.	ibid.		
Trinitatis notiones.	18.		
Trinitatis notitia non est nobis naturalis.	47.		
Tunicā Christi inconsutile qui discindūt.	335.		
Tyrannos & corruptos principes sæpe permittit Deus ad vindictā scelerū populi.	347.		
<b>V</b> anitas à peccato ortum habuit.	226.		
Vaticinia Christi.	113.		

# Fra. Dominici Soto Segobien.

## THEOLOGI, ORDINIS PRÆ-

dicatorum in Epistolam ad Romanos

COMMENTARIUM.



**D**IFFITERI porrò nequeo, veritum esse me, dum hosce in diuum Paulum commentarios pararem, ne vitio mihi, temeritatq; tribueretur, quòd post adeò multos supremæ classis viros huic ego operi calamum admouere cogitasset. Nam etsi hæc cælo delapsa sapientia ita sit in abditissimis diuinorum mysteriis recondita, adeoq; obuoluta cœlestium secretorum velaminibus, vt quantiscumq; fuerit ingeniis culta, explicataq; eloquiis, nunquam non reliqui fiant complures lubrici, implexiq; loci, lucis plusculæ appetentes: neque in tam felici segete tam esse possint vigilantes messorum, qui non frequentissimam spicam pauperibus post terga relinquunt: tamen qui possim ego patrum lacunas explere, & quæ siluerunt illi, ac (velut priscus ille pictor, Agamemnonis faciem) prudenter velauere, quo ego ausu reterege, effingere & efformare tētabo: quippe qui licet valerē cubitu staturam meam adaugere, nequirem tamen inter cupressos caput attollere. At verò in ea tempora infelicia, calamitosaq; incidimus, quibus præcipui etiam ipsi Pauli enarratores, si superstites essent, proprios suos commentarios accuratius reuiderent, quos denuò aduersus neotericos interpretes, dubio procul, instaurarent. In id scilicet mortalium genus relapsi sumus, quos suam iam ætate grassantes subnotauit Petrus apostolus: nimirum qui ex suo cerebro doctrinam huius apostoli perperam interpretantes eò fidem euexerunt (vel demiserunt potius) vt charitatis officia, si non prorsus abiecerint, certè non æstiment pro dignitate. Aduersus quorum dogmata tres libros de natura & gratia ad sanctum Concilium Tridentinum, cui tunc præter meam dignitatem intereram, pro virili nostra elucubratos dedimus. Sed cum eiusmodi controuersia (vt dicere cœpimus) ex intellectu Paulini huius, imò diuini thesauri dimanauerint, opus illud in hanc me commentariorum altiore speculationem traduxit: sanè vt duo deinceps labores mutua & vicaria se opera dilucidantes, simul valeant, & Paulum ab istorum interpretamentis vindicare, & viam eisdem finiendis controuersis firmiter ac validius cōmunire. Haud tamen est animus, cum hisce aduersariis de eorum opinionibus pugnatius hic litigare: id enim iam illic, vt nostra pusillitas tulit, abundè fecimus: quo ideo lectorem, vbi opus fuerit, remittemus: sed sensum cum primis literalem eruere pro exili captu nostro conntemur, mox vbi cunq; locum idoneum obtulerit ratio, viuida Apostoli sensa efficiendis permouendisq; legentium animis, pro nostro tepente spiritu, accommodare conabimur. Hanc etenim operam, qualem antiqui patres sacris bibliis nauare consueuerunt, ab vniuersis requiro, qui ea enarranda suscipiunt. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vtpote quæ non tantum intellectum erudiant, sed animos alant, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

PAULI VITA, EPISTOLARVMQVE NVME-  
rus, ordo & materia.

**P**AVLVS, vt de se ipse ad Ephes. testatur, Hebræus natione fuit, de tribu Beniamin, Phariseus, Pharisei filius (vt est in Actibus apostolorum, & Hierony. in lib. de Scrip. eccl. refert) ex oppido Iudææ Giscalis oriundus. Quo, inquit oppido à Romanis capto, cū parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigravit. Tamen si planè intelligere hoc nequeo. Nam cum sese ipse Act. 22. affirmet natum Tharsi, fidem videtur facere, quòd parentibus Tharsum prius commigrantibus, progenitus inibi fuerit. Porrò autem inde Hierosolymam fuit ad Gamalielelem, à quo legem erudiretur, missus. Quòd autem ciuem ibidem se Romanum profitetur, (vt historiarum etiam rudibus obsequamur) de more Romanis erat ex municipibus suis ac provincialibus, eos præsertim, qui bonè essent sanguine, qui ve essent de Repub. benemeriti,

Timantes.

Lutherani.

Lib. authoris de nat. & gra.

Intentio authoris.

Ephes. 3. Act. 23.

Act. 22.

Ciuis Romanus.

benemeriti, ciuitate donare, qui proinde vndecunq; essent oriundi ciues dicebantur Romani. Vnde Cice. 2. inuest. in Catili. Ciuium duo sunt genera, quidam nati, alii ciuitate donati. Quin & vrbes quæ in ditionem Romanorum veniebant, ciuitate donabantur. Cum ergo Tharsus ciuitas esset Romana, cuius pater Pauli ciuis erat, iure illo & Paulus inscriptus erat ciuis Romanus. His inter alia priuilegium erat, ne torqueri possent, aut pœna vlla serui li plecti. Quo tunc Apostolus iure, ne vapularet, liberatus est. Haud ergo ita multum probabilitatis præ se fert, tunc fuisse primum ciuitate donatum, quando Paulum Sergium ad fidem adduxit. Nam præterquam, quod tunc sterora (vt ipse ait) omnia reputans, neutiquam huiusmodi honoris titulos ambiuisset, testimonium eodem loco subiicitur, quod priuilegio ciuitatis iure hereditario per parentes fruebatur, vtpote qui ciues fuissent Romani. Etenim tribuno obiciētī, multo se negotio, & pecunia acquisiuisse, vt esset Romanus ciuis, respondit Paulus, Ego autem & natus sum, scilicet in hoc honore. Vnde & bona eruitur coniectura, natum fuisse Tharsii. Fuit nihilominus opifex scenefactoriæ artis, vt legitur Act. 18. id est, tabernaculorum construendorum. Nam & tabernaculorum Iudaicam celebritatem scenopegiam appellant. An verò vxorem in matrimonium duxerit, nec ne, Euseb. 3. lib. eccles. hist. testimonio Clementis affirmat. Hoc ipsum tamen super epistola ad Philipp. pluribus discutimus. Nam verbum illud in cap. 4. Rogo te Germane (aut secundum aliam literam) germana compar, ansam huic dubio præbuit. Hic itaq; prosperrimo natus sydere, Dei inquam misericordia in hoc ante sæcula destinatus, dum nomen CHRISTI odio persequens summo, properaret Damascum, voce eius quem insectabatur de repente correptus, mentem mutauit, fidemq; suscipiens, fidei promulgandæ est Apostolus institutus. Quo munere cum annos septem & triginta fuisset gloriosissime perfunctus, anno demum Neronis. 14. pro ea quam prædicabat fide, animam posuit: eatenus quantum coniectari licet, in ius Romani ciuis assertus, vt cum Petrus seruire subierit crucis supplicium, ea ipse morte, quæ nobilitati decreta erat, capite scilicet truncatus occubuerit. Reliqua eius præclarissima gesta in Act. apostol. relata sunt. Egregias autem laudes Chryf. Pauli amantissimus, copiose retulit, extulitq; eloquentissime. A quibus accumulandis nos hic, non ideo tantum susperfedemus, sed ob id vel maxime, quod tota doctrinæ Pauli enarratio nihil sanè aliud q̄ perpetuum sit, idemq; mirificum encomium vitæ. Vas ergo istud organumq; diuinum, in hoc selectum desuper, vt nomen IESV CHRISTI in omnes gentes euulgaret, non satis libi pro suo officio facere videbatur, dum alatus volucer, quas poterat orbis partes peruolaret prædicando, sed mundum vniuersum mente amoreq; complexus, quos adire nequiebat, literis instituebat, recreabatq;. Enimvero quemadmodum (vt Hieron. author est) in veteri testamento, post libros legis quæ CHRISTVM prænunciabat, necessaria fuit prophetarū doctrina, qua & fides venturi dilucidius illustraretur, & mores componerentur populi, ita & in lege gratiæ, præter Euangelicam historiam, operæ pretium fuit, vt apostoli, prophetarum successores, suis nobis verbis Euangelica sensa elucidarent, nosq; ad religionem Christianā instituere. Extant ergo Pauli epistolæ numero quatuordecim quæ legis decalogū numerumq; Euangeliorum complent. Vtpote ad ecclesias Gentium nouem. Hæ sunt, Ad Romanos vna, duæ ad Corinth. vna ad Gala. ad Ephes. vna, ad Philipp. alia, & alia ad Coloss. atq; ad Thessal. duæ. Mox quatuor ad tres discipulos suos, videlicet ad Timoth. duæ, vna ad Titum, & alia ad Phile. Deniq; quartadecima scribitur ad Hebræos: vt cum Græcis, Romanis, Hebræisq; scripsisset, nulla fieret reliqua natio, cui suā Euangelicam doctrinam nō fuisset impertitus. Licet fuerint olim, qui de epistola ad Hebræos ambigebant, esset ne Pauli: tum quod non est eius nomine & titulo, vt reliquæ, superscripta: tum quod stylus & phrasis paulò sit politior, quam vt Paulum referat: quippe qui imperitus (vt ipse ait) sermo ne, non tanto ornatu poliuit reliquas. Quibus nos tamen in suo eiusdem capite respondebitus. At verò non sunt eodem temporis ordine scriptæ, quo in hoc catalogo conscriptæ. Nā etsi ordinis scripturæ certa nequeat à nobis haberi scientia, possumus de illo nihilominus tria quatuorve coniecere. Primum, duæ sunt Pauli epistolarum series, septem sunt Romæ, atq; septem diuersis aliis locis scriptæ, vt ex earum Græcis titulis patet, & suis singulis locis peculiariter adnotatur. Illæ autem septem quas, dum extra Romam ageret, ex variis locis misit, sunt duæ ad Corin. totidem ad Thessal. ad Timo. prior, & quæ est ad Titum, & quæ ad Roman. Secundum, quod hic coniectamur, est, Inter eas quæ extra Romam scriptæ sunt, epistola

epistola ad Rom. fuit nouissima. Hoc sic colligitur. Tunc eam Paulus Romam misit, quando profectionem ad Hierosolymas moliebatur, eleemosynas delaturus, quas Macedonia & Achaia in subsidium sanctorum qui erant Hierosolymis, erogauerant, vt ex eadem epistola cap. 15. liquido constat. Quocirca, vt mox dicemus, ex Corintho censetur missa. Prius autem quam dicta eleemosynarum summa confecta esset & collecta, scripserat vtramq; ad Corinthios, priorem ex Epheso per Timotheum, posteriorem verò per Titum ex Troade: commonefaciens eos & exhortans, vt præfatas eleemosynas contribuerent, collectasq; seruariarent, quoad ipse veniret ad importandum. Id quod patet in prioris capite. 16. & in posterioris cap. 8. & 9. Imò verò nondum certo tunc constituerat, vtrum ipse per se asportaturus esset Hierosolymas pecuniam, an esset per alios transmissurus. Ait enim eodem ca. 16. Quod si dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt, &c. Sed & priorem ad Timotheum in comperito est fuisse antè scriptam, puta, quam miserat ei Ephesum ex Laodicea, dum in Macedonia ad exigendas illiusmodi eleemosynas ire pergeret, vt legitur cap. 1. vbi ait. Sicur rogaui te vt maneres Ephesi, dum irem in Macedoniam. De his verò quæ sunt ad Thessalonicenses & ad Titum, tamen non sit adeò manifestum, prius tempore fuisse scriptas, est tamen vero simillimum. Etenim priorem ac subinde posteriorem ad Thessal. dedit ex Athenis, vt patet ex priori cap. 3. Imò verò ex illis verbis cap. 4. De charitate autem fraternitatis, &c. conicit Chrysof. mentionem etiam ibi fieri eiusmodi eleemosynarum. At quicquid hoc veritatis contineat, satis est fuisse scriptas Athenis. Ad Titum verò scripserat ex Nicopoli, vt liquet cap. 3. eiusdem epistolæ, quem reliquerat Cretæ: & forte dum iret in Macedoniam, vt apparet cap. 1. Dum verò ad Romanos scripsit, iam tunc Græciam à tergo reliquerat, in qua prædicta hæc loca sunt: illuc nunquam reuersurus. Ait enim cap. 15. quod cum tunc vsq; fuisset eos visere prohibitus, vltimus tamen locum non habens in illis regionibus (videlicet vnde non iam fuisset expeditus) proficiscebatur in Hierusalem ministrare sanctis. Quod cum consummauerim, inquit, proficiscar in Hispaniam: & tunc videbo vos. Si ergo in exitu postremo è Græcia epistolam Romanis scripsit, certè omnium postrema est quas inde miserat. Tertium quod ex his conficitur est, quod præfata septem epistolæ, septem reliquas antecesserint, quæ scriptæ sunt Romæ. Etenim dum epistolam ad Rom. scribebat, non vtiq; Romam miserat, id quod edocet cap. 1. Sæpe enim, inquit, proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; huc. Ergo si cunctarum quæ alibi editæ sunt, hæc ad Rom. est vltima, inde quarto colligitur, fuisse inter vniuersas ordine septimā. Quam epistolam ad Galatas Chrysof. videtur magis probare, non fuisse scriptam Romæ, sed eam potius præcessisse, quæ est ad Roman. De hoc tamen loco proprio dicendum est. Igitur vt Prophetarū catalogus temporum ordinem non obseruat, quo illi scripserunt, ita neq; series epistolarum. Neq; verò nihil penitus conducit (vt admonuit Chrysof.) tempus nosse epistolarum, ad intelligendum cur variè videatur Paulus ad diuersos locutus. Dū enim Romanis scriberet, erudiebat eos, vt infirmis non nihil indulgerent, tanquam teneris in fide. Qui enim, inquit, infirmus est, hōlus manducet, & qui manducat, non manducantem, non spernat. Colossensibus verò, longè aliter præcipit: nempe ne gustent, nec tractent illa quæ sunt in interitu, id est, cibos, aut minuitiores cerimonias legis, cuius rei caussa (præter alias) est tēpus. Nam posterius multo, quam ad Romanos, scripsit Colossensibus in fide iam prouectioribus. Quinimo iuxta Origenis sententiam semetipsum ostendit Apostolus magis profecisse gratia & fide, dum posterioribus scribit, quam dum prioribus. Etenim sub id temporis quo Corinthios instituebat, quamuis multum fuisset progressus, tamen vti secularibus affectionibus nutabundus ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. At verò postea ad Romanos, quasi iam firmus, altissimisq; virtutum radicibus subnixus, Quis nos, inquit, separabit à charitate CHRISTI? tribulatio, an angustia, an fames? &c. Non autem temere, & vt fors tulit, hoc ordine sunt epistolæ in catalogū dispositæ. Rationem eius Hieronym. ex eorum habitu perpendit, quibus epistolæ mittebantur, ab infirmioribus videlicet ortus. Erant enim, inquit, inter Romanos, qui non Dei se gratia, sed suis meritis crederent esse saluatos: quæ proinde vitia gentilitatis tanquam omnium pessima corrigi primum erat necessarium: atq; ob id epistola ad Romanos omnium est prima. Corinthios verò fide satis instructos de aliis peccatis minoribus, vt de stupro, increpat. Auditur inter vos fornicatio, &c. Ac deinde eodem procedit ordine. Attamen sanctus Thomas considerate profecto ratio-

Epistola ad Rom.

Ad Corint.

Ad Timor. prior.

Ad Thess.

Ad Titum.

Chryf.

Rom. Cap. 14.

Origenes.

1. Cor. 9.

Rom. 8.

Ordo catalogi.

*Epistolari  
argumenta  
singula.*

Et rationem ordinis huius de obiecto & epistolarum materia ratiocinatur, utpote ex gratia CHRISTI, quam Apostolus proposuerat propalare. Gratiam enim hanc considerare est & in corpore mystico CHRISTI, cum in membris omnibus generatim, tum præsertim in præcipuis prælatis, & postremo in capite ipso CHRISTO. In primis noue epistolis ad Ecclesias Gentium habetur de gratia sermo, quatenus ad omnia attinet membra. Primum omnium in epistola ad Romanos propositum est, gratiam secundum suam absolutam naturam & necessitatem manifestare. Mox in priori ad Corinthios, ea ratione qua est & in sacramentis: quocirca in posteriori statim de ministris sacramentorum verba fiunt, & continuo ad Galat. superflua rescantur, abiciunturque sacramenta vetusta. Deinde epistola ad Ephesios cõsequitur, in qua tractare coeptum est de gratiæ effectibus, scilicet de Ecclesiæ unitate. Et in ea quæ ad Philippenses, subiungitur de gratiæ cõfirmatione & promotione. In ea vero quæ est ad Coloss. instrumur qualiter per gratiam eandem sit nobis aduersus errores pro fide pugnandum. Ad Thessal. quæadmodum sit asserenda fides aduersus persecutiones: in prioribus quidem, aduersus præsentis, & in posteriori aduersus futuras, finaliq; iudicio proximas. Quæ omnia sunt gratiæ munera. In reliquis deinceps quatuor instituuntur prælati. In prioribus scilicet ad Timoth. ut sit ab eis Ecclesia Dei gubernanda, Ecclesiæq; unitas protegenda. In posteriori verò, quàm ab illis sit propugnanda, quamq; eius hostes oppugnandi. In Tito peculiariter instrumuntur Pontifices aduersus hæreticos: ac deniq; in Philemone, quid debeant seculares dominos ac principes docere & exhortari. Epistola demum, quæ postrema est, ad Hebræos, tota versatur in gratia, quæ fuit in CHRISTO IESU domino nostro. Omnia verò hæc suis peculiaribus prologis explicatius sunt tractanda.

EPISTOLA AD ROM.

*Epistola ad  
Rom. Cen-  
sbris scri-  
pta.*

PRIMUM igitur locum habet epistola ad Rom. quam modo in lucem prodire permittimus: veluti reliquarum specimen, quas diuino numini confisi, nisi alia nos necessaria negotia remorentur, breui speramus subsequituras. Hanc quamq; sunt (ut Haymo) qui ex Athenis iudicent esse missam (in quam sententiam D. Thomas citat hic quoq; August.) multo tamen plures, & quidem merito, sunt, qui cum Hierony. & Orige. consentiunt, missam fuisse ex Corintho. Primum, quod (ut paulò ante dicebam) inde missa est, vnde Apostolus iter Hierosolymam adornabat. Est autem plusquam coniectura, quod peragratis prius Macedonia & Attica (vbi sunt Athenæ) & Achaia (vbi est Corinthus) à Cenchræo portu, qui est Corinthi, solueret, ut nauigaret Hierosolymas. Ait enim cap. 15. Nunc verò locum non habens in his regionibus, videlicet quem non iam eundem inuiserim; &c. Transmiserat ergo iam tunc Athenas. Secundo, epistolam hanc per Phœben ciuem Cenchrææ misit, quæ iter tunc forte Romam habebat, quam cap. 16. Romanis commendat. Postremò inter alios Caius quoq; in hac epistola salutem dicit Romanis, ut patet eodem cap: quem Caium liquet fuisse Corinthium: quandoquidem in priori epistola gratias Apostolus Deo habeat, quod neminem Corinthi baptizauerit præter Crispum & Caium. Si tamen lubet dicere, quod Athenis scripta, aut forsan coepta, Corinthi data est Phœbe ad Romanos, parum refert. Fuit Paulus Amanuens in hac epistola scribenda quidam Tertius nomine, ut cap. eodem habetur. At tamen licet aliena manu quandoq; vteretur, propria tamen proculdubio omnibus epistolis subscribebat, ut certam haberet authoris fidem. Vnde in calce. 1. Corin. Salutatio inquit, mea manu subscripta. Imò ad Philemonem, Ego Paulus scripsi mea manu. ¶ Argumentum huius epistolæ, penè omnium est commune & generale. Quod illis proinde est ob oculos continenter habendum, quicunq; in Paulo versantur. Tria namq; sunt quæ diuinitate plenus Apostolus suis in vniuersum epistolis Christiani nominis professores edocere perseverat, persuasosq; ac commonefactos summopere habere contendit. Primum, ut nostri mortalium generis originali illa iustitia destituti, vnde nos depulit Adæ præuaricatio, imbecillitatè, inopiã, ac miseriam cognoscamus, atq; adeò perpendamus, quàm simus nulla virtute, nullaq; penitus reliqua facultate, ut valeamus nostris nos viribus in gratia apud Deum constituere, vltimè, quod ei placeat, exhibere opus, quodq; aliqua sit apud suam maiestatem retributio ne dignum. Secundum huic appendens, in quod neruos totos intendit, viribusq; incumbit, est, quod iustificatio nostra & cum Deo reconciliatio ipsius solius, absq; meritis nostris præcedentis

*Amanuens  
Pauli.*

*Argumen-  
tū generale  
omniū epi-  
stolarū Pau-  
li triparti-  
tum.*

cedentibus opus est, idq; per fidem & gratiã vnius mediatoris, redemptoris, ac seruatoris, & sospitatoris nostri IESU CHRISTI: per quẽ ideo quicquid est in nobis Deo gratum, ad æternamq; felicitatem spectans, obtinemus: cui perinde vnihuiusmodi beneficia cuncta referre accepta tenemur. Tertium Paulini propositi membrum est, nos per fidem & gratiã domini nostri IESU CHRISTI iustificatos expergefaceri, adhortari, & (quæ sui erat sanctissimi peccatoris energia) extimulando perurgere, ne suscepta gratia in nobis vacua frustraneaq; sit, sed per officia omnia & virtutum munia charitatem excolamus, atq; adeò ope eius præuenti subsidioq; frãti, qui dat nobis velle & operari, meritis promoueamur æternis. Hic scopus est ad quem suam vsquequaq; doctrinam ac penè verba singula refert: quem proinde identidem inspectet, ac sedulo meditetur, per necessarium est, quicunq; sese Paulo mancipauerit. Hæc autem tria sunt, in quibus interpretandis neoterici Germani dissidium à nobis ex diametro fecerunt. Dissentiunt inquam, à nobis articulis tribus: nempe de operibus liberi arbitrii triplicibus: utpote ante iustificationem, in iustificatione, & post iustificationem: vt initio secundi libri de natura & gratia adnotauimus. Aiunt enim opera præcedentia iustificatione, omnia esse simpliciter peccata: in puncto iustificationis cõcurrentia, neq; dispositoria esse, neq; vllius momenti: ac demum illa quæ iustificationem subsequuntur, nullius esse meriti ad vitam æternam, Imò quatenus à concupiscentia dimanant, omnia esse peccata. His verum tamen aduersatur per omnia catholica orthodoxorum veritas. Sic enim gratiam Dei, quæ super naturam est, iure suo, & merito extulerunt semper Ecclesiæ patroni, vt naturam nostram, quæ Dei quoq; præstantissimum est figmentum, nõ adeò deiecerint indigne, quo minus possit homo, culpis aliàs inquinatus, per influentiam Dei generalem opera nõnulla exhibere, quæ licet non sint æterni præmii merita, tamen neq; sunt peccata, sed vt cunq; honesta, quæ vocant moraliter bona. Item sic semper agnouit Ecclesia, per gratiam præuenientem nos à Deo iustificari, vt tamẽ nõ veluti pecudes ad se pertrahat, sed (quæ nostra natura est) libere, ob idq; tunc nos per fidem iustificat, quando per opera simul liberi nostri arbitrii, quæ fides iubet, ad gratiam nos suscipiendam fauore suo disponit ac præparat. Ac demum eatenus per auxilium gratiæ augetur deinceps nostra iustitia, quatenus eidem nos augmẽto operam impendimus per charitatis officia, quæ merita sunt vitæ æternæ. Quocirca non sola fide (vt falso ipsi prædicant) sed fide per charitatẽ operante iustificamur: hoc est, dum per actus fidei, spei, & charitatis, puta pœnitentiæ, Dei munere disponimur, suo assentientes numini, vt ex iniustis iustos nos, ad se trahendo, constituat. De adultis quippe loquimur. Hanc autem trinam veritatem, quàm pro facultate nostra valuimus amplissimè, in præfato opere disputauimus. Quod in tres libros iuxta hoc tripartitum Pauli argumentum, & trinum Lutherianorum errorum caput, distribuimus. In quorum primo de statu hominis peccatoris, in secundo de iustificatione, ac deniq; in tertio de potestate iustificati pertractauimus. Hic autẽ specimen duntaxat causæ ob oculos lectori nudum posuimus, quod cum verbis Pauli conferat, vbicunq; de hac re loquitur: atq; adeò perpendat, quàm illis Apostolus nihil faueat, imò q̃ pro nobis apertè pronunciet. In diuerticulum autem vt reuertamur, argumentum hoc tripartitum, quod in suis epistolis Paulus ferè tractare persistit, explicatius in hac ad Rom. longèq; maiori emphasi edisserit. Quippè vbi vix apiculus est vllus, q nõ redoleat, vel nostras ab Adam hæreditarias egestates, ærumnas, & miserias, vel CHRISTI in nos misericordiam & gratiam, vel, quam in CHRISTO renati & insiti debemus adhibere morum culturam, vt eisdem diuinis fauoribus adiuti, omni officio & diligentia magis ac magis proficiamus coram Deo & hominibus. Itaq; vt paulò ante diximus, cum propositum Pauli in vniuersis epistolis fuerit, gratiam Dei manifestare, in hac ad Romanos exorditur de gratia secundum suam absolutam naturam dicere. Qua de re in capite omnium collocatur, ceu fundamentum ac robur, quo nostra Christianorum fides religioq; subnixæ consistit. Neque verò mysterio fortè caruit, quod princeps hoc, illustrissimumq; argumentum Romanis, id est, principi ac totius orbis celeberrimæ vrbi nũcuparetur. Porro vt quæ caput fuerat Gentilitatis eadem & fidei susciperet, quod modo habet, patrociniũ. Nam & ob hoc ipsum forsan mysteriũ apostolorum principes eandem urbem suo sanguine rubricarunt. ¶ Fuit autem Paulo peculiaris causa materiaq; scribendi, dissidium & factio Christianorũ, qui Romæ ex utroq; populo, Iudæorum scilicet & Gentium conuertebantur ad fidem. Diuersum etenim Romanis acciderat ab eo, quod postea Galatis. Hi nãq; cum recte fuissent initio per Paulum instituti, per

*Lutherano  
rũ dissidiũ  
à nobis.*

*Veritas ca-  
tholica.*

*Non sola fide  
de iustifica-  
mur.*

*Argumen-  
tum huius  
epistolæ ad  
Rom.*

*Causa eorũ  
ad Rom.  
scripsit.*



fraudem postea à pseudoapostolis ad legis cerimonias retrahebantur, Romanos vero, contra ab eisdem falsis apostolis prauè peruersèq; informatos, Paulus hac epistola probe synce-  
*Euseb.* raq; legis veritate reformat. Nam primi qui Romam Euangelium attulere (vt in Glossa hic ordinaria scriptum est) fuerunt à Hierosolymis Christiani quidam ex Iudaismo conuersi. Id namq; quod Eusebius narrat, Petrum primum Romanis prædicasse, intelligendum est (vt ait eadem Glossa) inter apostolos. Siquidem anteaquam Petrus illuc applicuisset alla-  
*Hierony.* tum eòdem fuerat Euangelium. Quocirca dum hanc Paulus epistolam misit, forte nondum Petrus Romanos inuiserat, Aliàs non tam cuperet eis euangelizare, quam exprimit statim cap. 1. Tametsi Hierony. aliter sentiat super illud, Vt aliquid impartiar, &c. Erat autem sub id temporis Iudæa Romanorum prouincia, quamobrem frequentes iam tunc Iudæi Romæ  
*Act. 18.* domicilia traduxerant, quos Claudius postea Cæsar vrbe relegauit, vt Act. 18. scriptum legi-  
*Romanorū litigium.* tur. Sed illo defuncto probabile est fuisse reuersos. Cum ergo Romæ prædicatione eorum qui ab Hierosolymis aduentauerant bonus numerus, tam ex Iudaismo, quam ex paganismo nomina CHRISTO dedisset, antiqua odia fouebant, inq; diuersa studia dissecti tumultua-  
*August.* bantur. Fuerat enim semper Iudæorum genti inuisa præputiata gentilitas. At cum sint quàm plurimi, qui litigium hoc elegãter denarrent, haud tamen erit fortasse superuacuum, illud ex nostro perexiguo iudicio in præsentia depromere. Porrò ex Iudaismo neoterici persua-  
*Authoris coniectura de Iudæorū errore.* dere gentibus contendebant, quòd ipsi per opera legis gratiam euangelicam fuissent com-  
*Es. 45.* meriti. Id quod Aug. palàm edocet, tum hic, vbi ait quæstionem huius epistolæ esse, vtrum so-  
*Tres Iudæorū erro- res.* lis Iudæis Euangelium domini nostri IESU CHRISTI venerit, propter merita operum le-  
*Josephus et Euseb. de Iudæis.* gis, &c. tum clarè ad Simplicia. lib. 1. q. 2. vbi inquit, Israelitas gloriari, quòd data sibi legi ser-  
 uissent: & ex hoc euangelicam gratiam, tanq; debitam meritis suis percepissent, quia legi seruiebant. Vnde nolebant eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Iudaica sa-  
 cramenta susciperent. Hæc ille. Quin verò forsàn, si coniectari liceat, aduentum ipsum Messig arbitrabatur eadè legis cultura promeruisse: nã cū CHRISTVS nō aduenerit nisi vt legis cō-  
 ditor euāgelicæ, eiusdemq; gratiæ largitor, si illa dona censabant meruisse (vt ait Aug.) idē & de aduentu ipsius CHRISTI sentiebant. Vel sic, quod eodem redit. Certum est in illo fuisse Iudæos errore, quòd operibus legis cōmeruissent iustificari: nam huius blasphemix reos facit eos Paulus per totum huius epistolæ decursum: cum ergo certo illi crederēt sperarētq; in hoc Messiam aduenturum, vt eos saluos faceret (vnde illud, Rorate cœli desuper & nubes pluant iustum: aperiat terra & germinet Saluatorem, & huius generis plurima) pari ratione hallucinabantur, & eisdem meritis debitum fuisse eius aduentum. Itaq; si ratiocina-  
 tio solida est, cogitabant, promissionem Messix, Abrahæ & patribus, veluti stipulatione qua-  
 dam fuisse factam, nempe si legem seruarent. Et quoniam ipsi in fide perseuerauerant, Deum aiebant, quasi debitam sibi mercedem, misisse filium suum. Hanc cōsiderationem existimo impendio ad intellectum Pauli conducere, vt cap. 1. & 3. & 4. adnotabimus. Eam vtiq; ob-  
 rem se tam insolenter iactabant, filios esse Abrahæ, quasi quibus hæreditario iure regnū cœ-  
 lorum obueneret. Quod etiam CHRISTO redemptori nostro identidem obiectabant. Ex-  
 hinc ergo in tres subinde errores collapsi sunt Iudæi. Fuerunt etenim primum tantillum tem-  
 poris in ea cæcitate, quòd lex euangelica Abrahæ & semini eius peculiariter promissa, non  
 esset in gentes euulganda ac prophananda: in hunc sensum interpretantes verba CHRISTI,  
 Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Et, In viam gentium ne abieritis,  
 sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quin & Petrus aliquandiu, vel ignora-  
 uit, vel hæsitauit non esse cum illis mensa communicandum. Qua de re (vt Act. 10. & 11. legi-  
 tur) anteq; nuncii à Cornelio sic eum ambiguum occupassent, diuinitus edoctus est in linteo  
 ciborum communium pleno, ineundum esse cum illis commercium. Atq; eam ob causam  
 audientes apostoli & fratres quierant in Iudæa, quasi præter suam opinionem & expectatio-  
 nem, quod & gentes recepissent verbum Dei, disceptabant cum Petro, à Cornelio reuerso,  
 quare introisset ad viros præputiū habentes, & manducasset cum illis: quibus expurgare se  
 opus habuit Petrus, quòd cœlitus id fuisset admonitus. Mox autē postq; persuasi ex suis etiã  
 prophetis fuerunt, quòd ad CHRISTVM congregadæ essent omnes gentes ab extremis terræ  
 (vt habetur Hiere. 16. & Iohel. 3. & frequentissimè in lege illa) licet gentes admitterent in  
 consortium Euangelii, cōtendere nihilofecius perseuerabant, necessariam esse circumcisionē,  
 atq; adeò priscā legē, vt Act. 15. patet. Erat enim populus ille (vt Iosephus, & li. 3. Euse. refert)

int:z

inter mortales legis suæ amantissimus, tenacissimusq; vt quam à Deo ipso receperat. Ad eò  
 vt in hac parte non nihil legi veteri præ gentium ritibus deferentes apostoli, aliquandiu per-  
 miserint circumcisionem & legales illas lotiones. Quia Paulus circūcidit Timotheum, & pu-  
 rificauit se. Et generalis apostolorum synodus tres præterea cæremonias importunis illis  
 molestisq; hominibus in tempus indulsit. Quin verò eo tertio vesano errore tenebantur,  
 quòd quemadmodum antiquitus profelytos, hoc est, ad se ex gētibus transmeātes suo ipso-  
 rum iudicio & facultate à Deo concessa in contubernium legis admittabant, ita essent tūc  
 in Ecclesiam euangelicam incircuncisi recipiendi, quasi per suam auctoritatem: per suā scilicet  
 cet legis sacramentorumq; acrituum præuiam professionem: quod nuper citatus ad Simpli-  
 cian. Aug. affirmat, vt non tantum CHRISTO, sed quodam etiam modo sibi adscribendum  
 esset beneficiū illud. Qua de causa apostolos, præsertim Paulum, acriter obiurgabant, quòd  
 Ethnicos anteq; circunciderent, baptizarent: iniquo animo ferentes, quòd qui tanto tempo-  
 re aduentum CHRISTI præstolantes, pondus legis pertulissent, nullum præ Gentibus essent  
 habituri in lege gratiæ honoris titulum. Porrò autem Christiani ex Gentibus conuersi, quip-  
 pe qui Hebræorū legem semper habuerant exosam, nouam citius abnegassent, q̄ professuri  
 forent antiquam: ob idq; scelera illis vicissim, flagitiaq; & sacrilegia violatæ sæpe legis ob-  
 iiciebant. Vtpote qui tam multis tamq; amplis beneficiis, miraculis, ac prodigiis superne cū-  
 mulati quàm plurimis, eisdemq; nefandis piaculis in beneficentissimum Deum fuissent in-  
 grati. Quapropter non esse creditu possibile, salutem per CHRISTVM exhibitā ab eis ipsis  
 fuisse commeritam, qui legem illam, Christianæ fidei prænuntiam, toties non perfregissent  
 modo, verū ad idola peruersi perfide repudiassent. Atq; vt aliud nihil perpetrassent, CHRIS-  
 TVM tamen ipsum præsentem probris, conuitiis, contumeliisq; affectum extremo vtiq; cru-  
 cis supplicio peremissent. Quapropter si beneficiū Christianæ salutis vlla præire quiuissent  
 hominum merita, sibi potius hoc esse deferendum: nempe qui de cultis idolis, nonnullam,  
 quæ impietatem sibi attenuaret, haberent excusationem. Nimirum quòd nō cum ipsis Deus  
 adeò fuisset familiariter proloquutus, cum tamē illi, dum cum duce suo loquebatur in facie,  
 tunc Deum alterum constabant. Cæterum naturalem legem & philosophiam, quas Deus in  
 mortalium mentibus seminauerat, maiori longe cura & cultu fuissent semper ipsi venerati.  
 Hoc enim allegare poterant, à cæteris scilicet mundi nationibus facile Romanis semper fuis-  
 se concessum, quòd pro fide, pro iustitia, proq; Repub. opes, fortunas omnes, vitam deniq;  
 deuouissent. Legem ergo quæ cum Euangelio esset duratura, non illam censerit quæ præter  
 significationem nihil reliqui, quod ad mores conferret, de se præstitisset, sed naturalem so-  
 lam, cuius equidem præcepta æternum permanerent. Huiusmodi litibus ac iurgiis dirimen-  
 dis in medium se dat hac epistola Paulus. Qui tametsi non admodum sit eruditio sermone,  
 nec verba à Demosthene sit mutuatus, reliquas tamen eloquentiæ partes scientissime seruat.  
 Ex arte namq; acutissimè dementiam, vesaniamq; vtriusq; factionis reprimit. Commōstrat  
 enim primum, quòd quàmuis in legis vllius facultate, aut naturalis aut scriptæ, positum fuis-  
 set, vt eius operibus posset quispiam salutem apud Deum promereri, neutram tamē vel Iu-  
 dæi vel Gentes ea fide & studio custodissent, vt illa essent mercede digni. Deinde persuade-  
 re prosequitur, quòd etiam si legem ad vnguem vtriq; exactissimè seruassent, nullius tamen  
 vnquam fuisset legis facultas, vt per eius opera posset quispiam filiorum Adæ naturaliter  
 demereri gratiam Dei, nedum CHRISTI aduentum: quippè quod, negotium sit supernatura-  
 le. Quamobrem beneficium hoc non ex operibus legis aut naturalis aut scriptæ, sed ex di-  
 uina nobis spontanea & gratuita promissione exhibitum fuisse. Neq; rursus promissionem  
 illam Messix (id in quo plurimum epistola hæc versatur) ex obseruantia legis fuisse pendē-  
 tem: imò cum fidem illi multis modis defregissent, nihilominus Deum, quod gratuito fue-  
 rat pollicitus, firmum id certumq; pro sua misericordia voluisse. Ex quo vtiq; colligit, salu-  
 tem nostram nullis legis operibus, sed vni CHRISTO deberi. Nempè qui, non quod debi-  
 tum hominibus esset, aduenisset, at vt suam promissi fidem solueret. Quãdoquidem si quis  
 opus aliquod Deo gratiosum impendere vnquam studuit, id non aliter quàm per fidem  
 prius, gratiamq; Dei iustificatus præstare potuisset. Elicit tandem, eos, filios esse Abrahæ,  
 non solos, qui circumcisionem illam in carne circumferrent, sed vniuersos, quibus fides, quam  
 suscepit Abraham, hæreret in corde. Sanè verò in tenellis illis neophytis reuincendis rigorē  
 acerbiteratq; obiurgandi lenitate quadam Christiana attemperat, ne vlla saucios contu-  
 melia

Atq;

Gentes contra Iudæos

Paulus iudex.

Modestia eius.

melia exasperet. Sed tamen simul dum amanter loquitur, aculeos nihilominus abdit amaro, ut superbiam eorum, qua deturgebant, retunderet, atque adeo euangelica disciplina sincere & candidè imbutos vno angulari lapide CHRISTO IESU parietes ambos compingeret. Est igitur quaestio huius epistolae (vt verba referamus Augustini) vtrum Iudaeis solis Euangelium domini nostri IESU CHRISTI venerit propter merita operum legis, an verò nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quae est in CHRISTO IESU, vt non quia iusti erant homines, crederent, sed credendo iustificati, deinde iuste viuere inciperent. Hoc ergo, inquit, docere intendit Apostolus, omnibus praenuisse gratiam Euangelii domini nostri IESU CHRISTI: quod propterea beneficium, gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiae redditum est, sed gratuito donatum. Haec August. Cui Ambros. Orige. & reliqui adstipulantur. Hoc argumentum est, vnde adeo est nomen Pauli celebratum. In hac peragenda causa ita se praeter ceteris extulit, vt eundem locum inter epistolarum scriptores sacros obtineat, quem habet inter Euangelistas Ioannes. Quid nisi nunquam supra pectus Domini recubuit, vnde exurgeret arca Dei, at vsque ad tertium raptus est coelum, vbi illa videret. Ille à CHRISTO in humanitate viuente lactatus est, quo posset sapienter verbi diuinitatem enunciare, hic autem in diuinitate contemplatus, quae posset digne de gratia crucifixi hominis praedicare. Nam iudicauit me, inquit, nihil scire inter vos, nisi CHRISTSVM, & hunc crucifixum. ¶ Verum enimvero de phrasi & stylo Apostoli id etiamnum praemonendum restat, quod donum linguarum, quo ceteri Apostoli in Pentecoste, Paulus autem post suam conversionem perfusus fuit, non ad fastum suppeditatum illis est, sed ad vtilitatem, vt habetur 1. Corinth. 12. Et ideo quemadmodum scientiarum naturalium non ampliorem sortiti sunt reuelationem, quae ad propagandam fidem satis erat, ita neque linguarum politiam edocti, neque omnem prorsus artificialem eloquentiam, sed eo vsque penitus huiusmodi gratia donati, vt vel singulis omnium gentium linguis loquerentur, vel (quod modo non disputamus) sua propria loquentes ab vniuersis plane nationibus intelligerentur. Neque hoc verò absque Dei consultissima providentia factum est. Quoniam lex religioque nostra, vt fide potius quam rationibus percipitur, sic spiritu, quam verbis persuadetur efficacius. Ne ergo hominum genus, qui ad leporem & splendorem humanae sapientiae assueti fuerant, maiestate sermonis spauere facti, diuinis latentibus sensis negligentius animum appellerent, consulendum à Deo nobis fuit, vt Euangelii sapientia spiritualis, non in sublimitate sermonis, nec in sapientia verbi, quae carnales aures demulcet, traderetur. Quod vtinam animaduertent noui illi huius seculi paraphraetae, qui Pauli ipsius personam induere ausi, ea ipsum perpoliunt & incrustant elaborata elegantia, vt grammaticorum plebi, paraphraeos dulcedine scilicet delibata, sordida iam habeatur & vilis apostolica phrasi. Scribebant ergo apostoli sapientissime quidem, quia numine afflati, at non ita nitide. Quapropter etsi imperitus, inquit, sermone, sed non scientia. Tamen si dum praedicabant, haud dubium est, quin essent efficacissimi. Quorsum haec? quod licet praclarus hic calamus spiritus sancti diuinis vbiq; mysteriis exundet, magnificaque sit sapientia refertissimus, tamen si verborum nitorem luculentiamque spectes, picturatumque ornamentum, non adeo elegans, neque ita multa est suauitate fluens. Quinimò, quod vsu venire comperimus iis, qui cum non sint adeo in re latina prouecti, latinum (vt sic dixerim) pellucens loquuntur, quo phrasin suam quisque veraculam prodit, idem & in Paulo perspectum est. Etenim vbi graece scribit, tota dictio hebraeis scaturit, vt non inepte sermonem hebraeograecum dixeris. Neque loquendi artem pluris facit, dum spiritus impetum non abrumpat. Quocirca hyperbatae, & (quos pleonastimos vocant) verborum redundantiis, aliisque id genus, quae in rhetore non leuia sunt vitia, frequens est. Id quod in causa est, vt crebris in locis à multis non intelligatur, & à pluribus etiam, si audire fers, habeatur despectui. Quanquam Aug. lib. 4. de doct. Christ. cap. 7. vbi argumentum hoc discutit. Sicut, inquit, Apostolum praecipua eloquentiae secutum fuisse non dicimus, ita quod eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus. Hoc autem quibus locis occurrerit, adnotabimus: nempe quemadmodum crebro rhetorum schematicis elegantibus vtatur, & illis quae ad verborum structuram sententiarumque compositionem attingunt, dignitatibus. Fuit namque apostolorum disertissimus, non modo hebraice, cuius monumentum est epistola ad Hebraeos, quam sua scripsit materna lingua, vexumetiam graece. Ea enim

Ea enim fuit forte causarum aliqua, cur fuerit selectus in gentes. Quapropter & Lystris Mercurius tanquam dux verbi habitus est & nuncupatus. ¶ Vt autem ad obscuritatem Pauli regrediamur, Orig. difficultatis huius epistolae ad Rom. alteram quoque subdit causam. Nempe quod quaestiones in ea plurimas mouet, quibus innitentes haeretici tantum fidei & gratiae Dei tribuunt, vt arbitrii libertatem à Deo homini concessam conentur euertere: id quod Petrus Apostolus Origene ipso explicatius testatur: dicens, in epistolis Pauli quaedam esse intellectu difficilia, quae indocti & instabiles deprauant. Quomodo autem deprauent, exponit in lib. de fide & operib. Aug. vbi miseranda haec tempora nostra graphicè depingit. Inter alias enim, inquit, obscuras Apostoli Pauli sententias, illam etiam, iustificari hominem per fidem sine operibus, quidam ita intellexerunt, vt professa fide, opera iustitiae sint contemnenda. Qua de re alii apostoli, scilicet Petrus, Ioannes, Iacobus, & Iudas epistolas suas contra hanc maximè dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant, fidem sine operibus nihil valere. Haec autem hic vbi de obscuritate Pauli loquimur, silentio non arbitror praeterendum, quod recentes isti Pauli interpretes persuadere hominibus pertendunt. Agnoscunt in primis obscuritatem maximam Pauli, adeo vt quidam eorum in prologo eius dixerit, quod vtilitatem huius epistolae aequat ac penè superat difficultas: quae sanè auxillis longe fuisse venustior, Christianaque modestia propinquier, si diuersa ratione, & vtilitas & difficultas explicaretur: puta si dixisset bonus ille auctor, quod difficultatem superat vtilitas: siquidem vtilitati sacrae paginae nihil est quod adaequari possit. Quod autem in iis magis est admirandum, hoc sanè censo, quod cum tam densam in Paulo fateantur caliginem, euulgari eum nihilosecius iubent in populum, opificibusque interpretantur, atque adeo vulgari lingua versum circumferri contendunt, ac teri manibus indocta plebis. Equidem non ignoro à Chrysostomo, Pauli studiosissimo, nonnunquam populum admoneri, vt quas quotidie lectiones Euangelii & epistolarum in Ecclesia audiunt, domi meditentur, dentque operam, vt intelligant. Chrysostomi autem documentum ita est auscultandum, vt populares plana perspicuaque sensa scripturae à sacerdotibus simpliciter doceri studeant, quae in rem sibi ad componendos mores esse possint. Iuxta sententiam Malachiae prophetae, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini est. At verò vt vnusquislibet de plebe scrutator velit esse maiestatis, atque his maxime temporibus, quando tanto cum periculo de doctrina Pauli decertatur, tamque multiuga numerositate translationum in diuersa sensa discissa est, distracta, & detorsa, probare nequeo.

## DE AEDITIONIBVS.

AT verò vetus vulgataque editio est, quam enarrandam assumpsimus. Enimvero, vt minime inficias serim, trilingues huius aetatis homines non nihil lucis potuisse sacrae paginae affundere suis annotationibus, si se extra in marginibus continuissent, tamen quod textuales limites adeo audenter temerauerint, indolendum quidem est plurimum. Laborabat fateor theologorum schola barbarie immodica, at nescio an nocentior iam sit tam sedulataque improba & anxia latinitatis cura. Nam praeterquam quod maximam iam homines optimamque vitae partem studio huic nauare pergunt, quae superioribus disciplinis inique subripiunt, id iam auctoritatis hoc linguarum nitore, qui populo seruit, vulgusque delectat, sibi arrogarunt, vt (quod minimè ab Ecclesia in istis literatoribus ferendum esset) nemo iam inter ipsos satis se in graecis promouisse arbitretur, nisi sacram verterit paginam, idque tam singulariter ac licenter, vt à ceteris differat traductio: haud alia theologiae mysteria venerantes, quae è suis sunt Homero ac Cicerone venati: videlicet vt venustissimam quamque voculam affectent. Legitimum olim Patribus legitimus & diuino iussu solenne, vt inter populum & arcem legis spatium duorum millium cubitorum interiaceret, neque vlli propius accedere fas esset: & qui ei manum officiosus adiuuauerat, ne eam boues excuterent, poenas temeritatis suae interemptus dedit. Modo autem (si diis placet, nam Deo certum est non placere) nemini prorsus interdictum est, sed rhetorculo cuique liberrimum, non arcam modo legis, sed verba ipsa, nec sine sensus graui periculo impetere, mutare, vertere, & pervertere. Quibus profecto (absit inuidia verbo) non possum sententiam illam non metuere, quam Ioan. in contaminatores



verborum legis pronunciat. Contestor enim, inquit, omni audienti verba prophetiae libri huius. Si quis apposerit ad haec, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae, & de ciuitate sancta, & de his quae scripta sunt in libro isto, dicit qui testimonium perhibet istorum. Neque verò me latet, salua scripturae veritate, variari nonnunquam posse inter translationum verba. Sed tamen cum litera vna non infrequenter, praecipue autem apud Paulum, varios sensus, etiã literales ferat (vt auctor est Aug. 3. de doct. Christ. cap. 27. & 12. conf. cap. 20.) quicquid citra iniuriam sacrae paginae suos quisque fautores & propugnatores, eosdemque viros graues sortiti saepe sunt, non est profecto adeo magna laus interpretis (etsi hac aetate pro summa ducatur) amphibologiam & ambiguitatem ab scriptura excludere, atque ita traducere, vt non possit litera nisi vnum capere sensum. Quinimo illa debetur inaccessae bibliorum maiestati veneratio & reuerentia, ne os spiritus sancti, plurimis fecundum mysteriis, ac literae intelligentiis, vlla ex parte obstruatur. Accedit huc quod turba haec tam variatarum translationum non potest non maiestatem scripturae sacrae indignè deiicere & exauthorare, atque tunc vel exitiosissimè, si eiusmodi aditiones vulgaribus idiomatibus, vt coeperunt, euulgari perrexerint. Itaque vt ad intermissa redeamus, cum his iustissimis de causis nuperrimè sancta Synodus veterem aditionem ex vniuersis vnam elegerit ac receperit, eandem nos defendendam suscepimus, atque ab istorum nouatorum traductionibus pro virili nostra vindicandam. Quam idcirco praecor obtestorque, vt quiuis typographus fideliter intertextam curet, qui nostra haec excuderit commentaria. Igitur diuinum in primis fauorem precati, sub patrocinio diui huius Apostoli, ac sacrosanctae matris Ecclesiae censura, enarrationem ad Dei laudem auspiciamur.

Variis sensibus literales. Aug.

Veneratio quae bibliis sacris debetur.

Concilium Tridentinum.

Admonetur typographi.

CAPVT PRIMVM.



Distributio.

SALVATIO

Saul primū nomē Pauli. Act. 9.

Saulus.

Paulus, latinū nomē.

Fuerit ne binominis, nec ne.

Chryf.

Aulus. Epistolam hanc, cuius argumentum satis explicatum est, in sedecim capita patres diuiserunt. Quid, quodque contineat, in singulis eorum praenotabimus. Primum hoc in tres partes distribuitur. Prima usque ad verbum istud / Primum quidem salutatio est. Secunda verò usque ad illud / Non enim crubescio Euangelium / prologi vicem habet. Exinde autem incipit narratio, quam illic in sua ex ordine membra dispersitam curabimus. Igitur cum epistolae initium quicquid ex arte scribit, à salutatione capiat (vt est, Cicero Lentulo: aut Hieronymus Augusto saltem) hac vna ratione Apostolus (quicquid alii effingant) à proprio nomine orsus est. Id quod in cunctis epistolis obseruat, praeterquam in illa quae est ad Hebraeos: cuius illic subiiciemus causam. Porro autem quantum de hoc nomine variae diuersaeque sint interpretum sententiae, tamen hanc omnium esse communem necessarium est, quod Paulus, vti qui Hebraeus natus est, idemque ex tribu Benjamin, primum à sua statim circuncisione nomen fuerit, Saul, Hebraeis celebre, praefatae potissimum tribui, vnde fuerat illic in regem assumptus: cuius Act. 9. extat testimonium. Nam vbi nos legimus / Saule Saule quid me persequeris? in codice graeco, eodem idiomate quo CHRISTVS loquebatur, seruatum est / Saul Saul. Attamen in more vtriusque est, puta graecis & latinis, vt huiusmodi hebraica nomina suis declinationibus inflectant: ceu Adam, Adamus: Ioseph, Iosephus. Vnde qui ab Hebraeis appellabatur Saul, à Graecis (etiã tunc in Iudaismo) nuncupatus est Σαυλ, à latinis verò Saulus: vt Act. 7. & 8. scriptura testatur. De altero item nomine, quod est / Paulus, illud etiam primum in confesso est omnibus, quod sit latinis peculiare: quibusdam scilicet Romanorum familiis gentile: vt, Paulus Aemilius, Paulus Sergius. Neque apud alios vsquam gentium in usu fuit vnquam, nisi quasi latinum. Vtrum autem Apostolo à puero statim fuerit geminum nomen, hebraicum videlicet & latinum, an verò quando nomen CHRISTO in baptismate dedit vnà tunc cum religione hebraeorum etiam nomen commutauerit, id quidem inter sacros doctores controvertitur, Chryf. in ea est sententia, qui diuinitus commutatum illi nomen existimet, vt neque in hac re quicquam minus haberet, quam Petrus, qui ex Simone appellatus est Cephas: vel quam Zebedaei filii, qui Beonerges sunt cognominati. Chrysofomo adhuc ret Beda. Super Act. Ambrosius eodem fere alludens ait, quod quemadmodum Isaac à risu quem matri fecit, & Iacob à calcaeo quem supplantauit fratris, sortiti sunt nomina, ita Apostolus, qui prius propter iniquitatem fuerat Saulus, postmodum Paulus, id est, quietus nuncupatus est. August. in lib. de spi. & lit. cap. 7. Non ob aliud nomen, inquit, elegit Pauli, nisi vt se paruum ostenderet. Sed Hieronymus in enarratione epistolae ad Philemonem censet nomen hoc quasi trophaeum vsurpasse à Paulo Sergio, quod (vt legitur Act. 13.) primam frugem obtulit CHRISTO: quo & August. quoque spectat lib. 8. confess. Ceu Romanus ille Scipio à debellata in Africa Carthagine, Africani sibi nomen fecit. Neque Hieronymus primus fuit huius sententiae auctor, quippe quae vetustior Origenes, vt suo iam tempore vulgatam, commemorat, at non approbat. Quinimo adstruit, Paulum à puero statim fuisse binominem, Saul scilicet nominatum & Paulum: velut Salomon dictus est Iddar: Matthaeus, Leui: & id genus binominum complures. Cui quidem sententiae (quantum mea fert tenuis opinio) plausibilis adstipulantur coniecturae. Primum quod cum vocatio & baptismus Pauli tam sint Act. 9. explicatè denarrata, si nouo coelitus tunc nomine fuisset insignitus, neutiquam id Lucas siluisset: praesertim cum aliorum, quibus nomina sunt commutata expresse meminerit scriptura. Deinde quia noua nomina non nisi mysterii gratia delata sunt coelitus viris sanctis ad exprimendum (vt q. 37. in 3. p. auctor est S. Thomas) gratuitum aliquod donum personae collatum, vt Gen. 17. Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Et Iacob, vel à lucta cum angelo, vel quia vidit super scalam Deum, dictus est, Israel. Et Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c: nomine verò Paulus non designatur officium aliquod, dignitas, aut mysterium Apostoli huius: solum enim propter virtutem humilitatis nec ipse mutasset nomen, nec mutaretur à Deo. Et maximè quod nomina diuinitus missa, hebraica sunt, & tunc recentia: hoc verò praescis latinis fuerat iam pridem vsurpatum. Ad haec,

Ioan. 1.  
Mar. 3.  
Ambro.  
Aug.  
Hierb.  
Origenis sententia probatur de nomine Pauli gemino.  
Gen. 17.  
Mat. 16.

F. D.

SOTO

IN

hæc, si à Deo commutatum esset illi nomen, id commodissime effectum esset, aut in eius vocatione, aut in baptismo, ubi proinde extinctum esset nomen Sauli: at vero non modo in eius conuersione, verum & post baptismum nuncupatus est Saulus. Segregate mihi, inquit, Saulum & Barnabam. Et aduersus Hieronymum, nobilissimum aliàs scripturarum interpretem, præterquam quòd illud de Paulo Sergio nihil aliud est quàm cõiectura, insinuat se quoq; argumētum, quòd ante conuersionē Sergii legitur eodem cap. Saulus qui et Paulus. Et præterea ex hac non minus copulatione nouum etiam desumitur argumentum. Oratio enim hæc/Saulus qui & Paulus/significatè exprimit, utroq; simul nomine appellatum. Nam si nomen submutasset, dictum esset/Saulus, qui postea Paulus/aut Paulus, qui antea Saulus. Accedit huc, quòd nisi prius de nomine Pauli notus fuisset, non se hoc solo nomine de improviso ubiq; & minimè apud Iudæos nuncupasset. Postremò deniq; fidem mihi facit, quòd consuetudo fuerit Iudæis, nominibus nonnunquam appellari aut græcorum, vt 2. Mach. 4. de Iafone & Menelao scriptum habetur, aut etiam Romanorum, iis cum primis, qui ciues fuissent Romani: qualis (vt supra dicebamus) natus fuit Paulus. Qui proinde & Saul propter legem, & propter honorem ciuitatis Paulus ab infantia (vt cõiector) nuncupatus est. Tamen qui in Iudaismo nomen plurimum vsurpabat Sauli, postea in Christianismo nunquam se nisi Paulum appellare visus est: tum vt hebræo nomine vnà cum lege reiecto, christianum ubiq; se de nomine prædicaret, tum etiam quòd gentium proprie Apostolus selectus erat, quibus celebrior habebatur illa nominatio. Et confirmatur hæc sententia à simili in Ioanne, qui cognominatus est Marcus, vt habetur in eisdem Act. cap. 12. id est, simul nominatus. Non enim, quantum opinor: Marcus/cognomē erat, sed nomen/vt cum nomine hebræo/Ioannes/quod abiecit, habuerit simul & Romanum/Marcus/quod retinuit. Cuius & aliud exemplum est in Leui. & Matth. Per multa hic præterea scrutantur doctores etymologiarum mysteria, ad rem forsitan non ita multum pertinentia. Hieron. ait vocem/Paulus/Hebræis sonare, mirabilem, de quo apud aliquos male audit, quòd contra suum ipsius alibi documentum, etymologiam vnus linguæ ab alia

diuersa ascuerit. Nam Paulus (vt diximus) vox latina est. Igitur vt de hoc tantillum dicamus, Saul/Hebræis idem pollet quod petitus, seu postulatus, eò quòd Saul postulatus fuit Rex à populo: quoniam ab huiusmodi actibus & euentis hebræi nomina esformabant. Et ita (si sic loqui lubet) fuit à Deo Paulus ad apostolatam accersitus. Σαῦλ ἄλλ' verò abiecta v græce significat commotionem, sonat enim proprie Σαῦλ maris fluctū. Sed tamē Paulus/tæetli latina vox fit, potest nihilominus græca vox similis deriuari à παύομαι, quod est, quiesco, vnde παύλαμ quietem vocant: vt Paulus/idem sit quod quietus. Qua ratione ait Ambro. ex Saulo Paulus, id est, ex violento quietus. Hæc Patribus & tempori præter ingenium nostrum dedimus. Etenim vt ratio nonnuncquàm etymologiarum habenda est, tamen neq; adeò crebro sunt obseruandæ, neq; persequendæ tam anxie. Quod ad rem verò atinet, Paulus latine nil aliud q̄ pusillū significat: quod nomen vndecunq; Paulo obtigerit, quàm maximè ipsi competit. Non eò tantum, quòd de se ubiq; humiliter & abiectè sentiat, blasphemum se nimirum vocàs, contumeliosum, abortiuum, atq; adeo apostolorum minimum, sed quòd vel in hoc ad regnum cœlorum spectare videatur, quòd velut minimum granum sinapis, & quod in Iudaico stercore computruerat, eò sit honoris diuinitus sublimatus, vt in virtute spiritus sancti nō tantum (quod ipse ait) partem orbis, quæ ab Hierusalem vsq; ad Illyricum patet, sed orbem ipsum Euangelio compleuerit, idq; signis & prodigiis corroborauit, tamq; excelsos atq; frugiferos præterea nobis mysteriorum culmos reliquerit, quibus volucres cœli, Euangelici inquam Ecclesiæ doctores, insidentes, nunquam satis queant, quantum in eis latet diuinæ sapientiæ, meditatione exhaurire.

Seruus Iesu Christi. Mox nomini suo tres subdit voces, scilicet, seruus, Apostolus, segregatus, quibus suam conditionē, vitæq; institutum, ac prærogatiuam proloquitur. Igitur qui spiritum Pauli legendo ebibere cupis studiose lector, iam hinc de ad delibandum accommoda: atque hanc primam suspicie mutationem dexteræ excelsi: qua ex persecutore factus est vas electionis. Qui enim hætenus non modo inimicus erat IESV CHRISTI, sed quasi acerrimus hostis in omnes huius nominis viros ac mulieres

Tres  
vocesDiuina  
Pauli  
mutatio.

viro

virus efflabat, quo victos perduceret, perderet, & extingueret, qualis iam de repente prodeat, contemplare. Seruus, inquit, IESV CHRISTI. Quid ita? Qui legis (ait) antea zelo non secundum scientiam super omnes coactaneos meos, ceu furia quadam, aduersus nomen CHRISTI inuehebar, super omnes nunc antecessores meos apostolos vnus CHRISTI negotium gero. In ea penitus causa hæreo, vt nomē hoc toto orbe habeatur honorificum. Huic obeundo muneri vitam consecraui. Seruus enim quantumcunq; est, domini est, & ego quicquid sum, gratia Dei sum. Sed si quis id obiiciat, quòd Galatas ipse docuit, nepe quòd postq̄ misit Deus spiritum filii sui in corda nostra, clamātem, Abba, pater, non iam serui sumus, sed liberi. Huic respondetur primum, quòd licet miracula Dei bonitas sit, filios nos appellare (iã nō dicam vos seruos sed amicos) nostra tamen debet esse modestia, vt contra pro honore maximo ducamus, eius nos seruos agnoscere. Nam cum feceritis, inquit, quæcunq; præcepta sunt vobis, dicite. Serui inutiles sumus. Præterea seruitus, vna est, cum mancipium, non tam vltro, q̄ metu seruit: quemadmodum vetus populus, quasi sub ferula in pædagogia agebat legis: quippe cui nondū tradebatur hæreditas, quæ quidem seruitus nō congruis Euangelicis nobis: sanè quibus CHRISTVS aditum pandens ad regnum, facultatem subinde fecit, vt filii Dei nominemur, & simus. Quæ duarū legū intercapedinem verba illa designant. Iam non dicā vos seruos (puta vt olim) sed amicos. Altera vero est seruitus, libertatis plena, quæ à timore filiali proficiscitur: dum sua quisq; sponte cogitata ratione benefico patri obsequium rependit, qua se Paulus (veluti Moses olim, Abraham, David, & Iob & reliqui selecti patres) appellat seruum IESV CHRISTI. Id quod & græce δούλος (quæ vox hic est) exprimit, à δουλέω quod est/colo. Quòd si seruo à seruando nomen imposuere, tam iuris prudentes, ex eo quòd in bello captis vita seruetur, quàm etiam philosophi, propterea quòd qui ab elegantioribus doctrina & moribus instituuntur, eorum serui existimantur, vtracq; sanè de causa serui omnes sumus IESV CHRISTI: quippe à quo & redempti sumus, & saluberrimis institutis gubernamur. Qua de re optime componuntur/Seruus IESV/id est, seruatoris. Apposuit & cognomen CHRISTI, quòd

Seruus Iesu  
Christi.

est/vnctus. Hoc enim ritu reges sacerdotestq; & propheta in lege veteri olim initiabantur, quibus venturi CHRISTI præsignabantur munera. Vnde quòd Græci, CHRISTVS, nos vero vnctus, id Hebræi dicebant Messias.

Vocatus Apostolus. Cum seruum se pronunciaffet, mox genus obsequii subiungit, quo CHRISTO inseruiebat. Sunt enim (vt author est ipse ad Ephe.) ministeriorum diuisiones, secundum donationem spiritus sancti. Nam posuit Deus, inquit, quosdam apostolos, quosdam autē, prophetas & euangelistas. Quòd autem non dixerit simpliciter/apostolos/sed/vocatus apostolus/sunt qui authoritatis gratia per antonomasiā dictum existiment, Hesyhii forsitan antiquissimi authoris adducti sententia, qui ait/vocatus apostolus/idem esse quod, nobilis apostolus. Sed sunt qui contra modestiæ malint adscribere, vt Anselmus: nempe vt amplitudinem vocis apostoli temperaret, quale est/Bernardus vocatus Abbas. Attamen vtrunq; videtur extremum: nam prima sententia humanum quiddam & ab eius humilitate, modestiaq; alienum Paulo videtur impingere. Qui enim se minimum apostolorum censet, & alibi indignum etiam qui vocetur apostolus, quomodo se per excellentiam apostolorū apostolum iactasset? In altera vero opinione nescio quid latet, quòd veritati quodāmodo detrahit. Etenim/vocatus apostolus/iuxta hanc glossam, non tam esse apostolum, q̄ vocari, insinuat. Paulus verò (vt in suis fermè epistolis, & maxime, vbi contra pseudoapostolos scribit, perspectum est) nullo adhibito tali temperamento, planè se apostolum (quod verè erat) profitetur. Igitur/vocatus apostolus/fortè idem est, quod/existens apostolus. Nam/vocari/hebraicè idem sæpe est quod, esse. Vel forsitan/vocatus/dixerit, vt modū, quo apostolatam inierat, demonstraret. Habet enim nominis potius vim, quàm participii: vt sit sensus/vocatione apostolus. Ob idq; græce non κληθεὶς participium, sed nomen extat κλητός. Et quanquam non adeo perspicue, vtrunq; tamen internoscitur latinè hæc differentia. Vbi enim dicimus, Romanorum Reges, & Venetiarum duces, sunt electi, non id tantum enunciamus, quòd in individuo, fuerint aliquando electi, sed quòd non sunt apud illos nati duces aut reges: non hæreditate, aliāue ratione obeunt

Ephe. 4.

Vocatus  
apostolusVocatus  
nomen.Act. 13.  
Aduersus  
Hieron.

2. Mach. 4.

Act. 12.

Etymologia  
nois,  
Paulus.

imperium, q̄ electione. Quo pacto David & Saul fuerunt etiam reges electi. Sic Paulus vocatus, id est, non natus apostolus, ut cuius natus Romanus: non hæreditario iure, aut (quo mentem intendit) ex legis meritis, aut quod ipse huiuscemodi honoris ambiens, à lege, institutoq; parentum descivisset, sed quod esset vocatus apostolus, hoc est, sola Dei vocatione institutus. Ea enim ratione qua, dicere, in deo, idem est quod, facere (nā ipse dixit & facta sunt) usurpatissimū erat in lege, ut q̄ ad munus aliquod, vel functionē assumebatur à Deo, diceretur vocati: ut Esa. 48. Audi me Iacob & Israel, quem ego voco. Quod alii eodē quinto casu transferunt/vocate mi. Et. 49. Dominus ab utero vocavit me. Quapropter vtitatissimum est Paulo, cōuersos ad fidem, appellare/vocatos. Cuius figure sunt, & hic paulo inferius illa/vocatis IESU CHRISTI, & vocatis sanctis. Et. 1. Cor. 1. Iphis autem vocatis, Iudæis, atq; Græcis, &c. Quin & in veteri lege legimus Soph. 1. Iuxta est dies dñi. Et infra. Sanctificavit vocatos suos. Imò vero ex hoc scripturæ idiomate sancti usurparunt sermonem illum/Bernardus vocatus abbas, Anselmus vocatus episcopus/id est, sine meritis propriis vocatione Dei. Cui successit & quod modo in more est/Paulus miseratione diuina Papa. 3. Communiuit præterea Apostolus hac voce auctoritatem suam aduersus pseudoapostolos, qui fidē ei imminuere ac derogare moliebantur, quæ diuinæ auctoritati debetur, eo quod non fuisset electus à CHRISTO, ex quo ratio Apostoli constat, atq; adeo nec eius fuisset reuelationibus imbutus. Quo ergo huiusmodi detractionem propulsaret, vocatum se ait Apostolum, diuinitusq; subinde, tum doctrina perfusum, tum etiam adiutum gratia. Huc pertinet quod ad Galat. 2. ait, Qui operatus est Petro in apostolatū circūcisionis, operatus est & mihi inter gentes: atq; id quod ait hic infra, Per quem accepimus gratiā & apostolatū. Quin ad cumulum etiam auctoritatis eius accedit, quod cum alios in natura mortali degens, elegisset CHRISTVS, hūc iam cælo receptus euocauit. Neque verò muta forte, ut Matthiam, sed viua voce, deq; proprio eodēq; congeminato nomine Saul, Saul.

Esa. 48.

Vocatus abbas, &c.

Vocatio Pauli dignissima.

prædicatum, quoniam à reliquo tunc apostolorum collegio fuit segregatus. Legitur enim Act. 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam. Ita ut quod dixerat/vocatus apostolus/hac prerogatiua amplificaret. Attamen phrasia hæc non videtur hunc sensum exhibere: dixisset enim tunc potius/segregatus in gentes/aut quid simile, quo peculiaris designaretur segregatio à reliquis apostolis. Cum ergo ait/Segregatus in euangelium dei/nihil sibi proprie videtur præceteris arrogasse, sed munus potius ipsum apostolicum descripsisse. Idem enim pollet/Apostolus/quod/segregatus & destinatus ad promulgandū Euangelium. Est ergo hic eleganter vsus rhetorum figura, quæ dicunt definitionem. Nam ut quod in genere dixerat/Seruus/idem in specie nomine apostoli expressit, ita & quæ esset apostoli functio, definitione patefecit. Ambr. Segregatus/inquit, à synagoga: vbi & Augustino nescio quid discriminis perspectum est inter Ecclesiam nostram & veterum synagogam, quippe quod cum Ecclesia Græcis à verbo cadat, quod est/conuoco/synagoga verò ab eo, quod est/cōgrego/et illud quidem hominibus magis, hoc verò pecorum gregibus congruat, ea inquit, fortè de causa Paulus in Ecclesiam, vbi ratione viuatur, vocatum se dixit, à synagoga verò, segregatum. Hæc Aug. Tamen profecto, segregatus, hic nihil humile significare videatur, sed honorificū. Est enim græce ἀφωρισμὸς, quod est selectus, sepositus, et secretus. Nā & medici selectas illustresq; sententias ἀφωρισμὸς vocant. Quocirca segregatus forsitan ait (quo Chryl. & Orig. propendent) ab utero matris suæ, idq; ab æterno. Quæ ratione ad Galat. 1. Cum autem, inquit, placuit ei qui me segregauit ex utero matris meæ. Cuius (quanuis alii ex cœtu id synagogæ interpretentur) sensus Paulino instituto propior apparet, ut de ventre naturalis matris ad literā intelligatur. Cum enim vbiq; atq; in hac potissimum epistola, & ad Gal. negotium suscepisset præscindendi Iudæis supercilium legis, & admonendi, omnia beneficia nobis gratuita Dei voluntate obuenire, perinde est Paulo, de ventre matris meæ, ac si dixisset, nullis meis pensatis meritis, antequam natus essem, more sacris literis consueto. Hierem. 1. Priusquam te formarem in utero noui te. Et Esa. 49. Dominus ab utero vocauit me. Et quod hic cap. 9. late

Apostoli nomenclatura.

Definitio nri figura.

Ambr.

Aug. de Ecclesia & synagoga.

Segregatus.

Hierem. 1.

late persequitur de Iacob: & Esau, qui antequam essent nati, aut aliquid boni vel mali fecissent, segregati sunt, alter in vas honoris, alter in contumeliæ. Allusio est ergo hæc, quod quemadmodum imperator exercitus ratione & consilio alios signiferos eligit, alios qui exercitum ducant, ita CHRISTVS alios euocauit apostolos, alios pastores, &c. Atqui consulto non dixit restricte/Segregatus ad prædicandū Euāgelium/quod est vnum particulare officium, ad apostolorum quoq; successores deriuatum. Sed dixit simpliciter/in Euāgelium/vt dignitates omnes functionesq; apostolicas complecteretur. Tria enim sunt apostoli munia, scilicet Euangelium promulgare, idq; spiritu prophético, doctrinam miraculis confirmare, ac demum Euangelii professores gubernare. Elegantissimam idcirco œconomia in his verbis Pauli videre mihi videor, dum duabus præcedentibus vocibus/vocatus apostolus/duas subinde alteras expositorias, suam vtriq; accommodat. Quod enim præmiserat/vocatus/exponit per/segregatus/id est/sine meritis meis altissimo Dei consilio ex mortalium grege selectus: quod vero dixit/apostolus/id per Euāgelium functionē describit. Ab exordio ergo statim ad causam se insinuat, quæ agit. Nempe Romanorum tumorem comprimit, qui partim legi naturæ, partim scriptæ beneficia recepta referebant. Nam quod de se ipse pronunciat, idem illos commonefacit, de se ipsis, ut sentiant. Neq; mala est præterea coniectura, si quis dixerit, Paulum segregationis verbo ad sectam etiam allusisse Phariseorū, quæ in Iudaismo profitebatur. Nam Pharisei non ex eo tantum illo nomine appellabantur, quod vitæ instituto & vestitus fortasse delectu secreti erāt à vulgo, sed inde potissimū quod legi meditāda & interpretāda erāt segregati: ob idq; pharisei dicebantur, quod Hebræis est/interpretes. Quemadmodū, teste Cicerone, & religiosi à relegēdo dicti sunt: ut quorū officium esse debet, legē & (qua vulgi mores cōponāt) philosophiam relegere. Alludens ergo ad Iudaismum, in quo erat tunc segregatus in legem Moylis, ait, Segregatus iam in Euangelium dei.

In euangelium Dei.

Tria apostoli officia.

œconomia.

Pharisei.

Religiosi.

Quod ante præmiserat. Postquā sese Paulus pluribus fortasse q̄ alibi vsipiam epithetis apud Romanos commendauit, propterea quod & mortalium clarissimis & de

altissima fidei materia scripturus, opus habebat contra pseudoapostolos auctoritatē asserere suam, continuo anteq̄ personas nominet, quibus salutem dicit (non tam anxius de rhetoricis præceptionibus, q̄ spiritui obsequens) trinam parenthesis interponit. Prima est, qua Euangelium cuius meminit, suis titulis ac dignitatibus luculentissime exornat. Enimvero cum functionem apostolicam in Euangelio diuulgando collocasset, necessarium erat, Euangelium tum rem describere, tum manifestare auctoritatem, iis vel maxime, quibus neq; ipse, neq; aliorum apostolorum quispiam prædicauerat. Et quidē verbum ipsum/Euangelium Dei/satis præ se maiestatis fert. Nā cum Euangelium, idem sit, quod bonum faustumq; nuncium, Euangelium Dei (à quo nihil, nisi eximium promanat) esse non potest, nisi optatissimum, & quod humanas mentes sui nominatione sursum rapiat. Quo proinde verbo (quod Chrylost. adnotat) functionē suam super prophetarū vaticinia commendat. Diffinit ergo extollitq; Euangelium ex suis causis, initiisq; & qualitibus: quæ sunt numero quinque. Primum ex auctore Deo qui præmiserat. Porro is cum sit (vno etiā consensu philosophorū) immutabilis natura, nō potuit nō seruare promissi fidem, & cum nec fallere possit nec falli, nequit esse illud quod reuelauerit, nisi firmæ indubitataq; veritatis. Accedit secundo ad pondus Euangelicæ auctoritatis, antiquitas reuelationis: est enim nostrum ingenium, ut quæ noua sunt & de improviso exorta, fingentia esse credamus: ea verò quæ iam olim fuerant, diuinis præsertim oraculis, prædicta, quoniam eorum expectatione tenebamur, facile recipimus. Quamobrem CHRISTVS postquā suam discipulis mortem, & à mortuis resurrectionem prædixerat. Hoc nunc, inquit, dixi vobis priusquam fiat, ut postquam factum fuerit, credatis. Et in Actis apostolus Petrus, quo fidei plus & auctoritatis dictis suis adstrueret, Nos vobis, inquit, annunciamus eam quæ ad patres nostros repromissio facta est. Hac ergo de causa Deus tot antea seculis mittendum à se in carne filiū pollicitus est mūdo: nepe ut tanto mysterio percipiēdo sese homines fide exercentes, adpararent: utpote quod si extemplo nos imparatos occupasset, ingenti opus fuisset negotio antequam mentibus nostris conciperetur.

Trina parenthesis.

Euāgelium Dei.

Quinque dignitates euangelii.

Antiquitas.

Pet



Per prophetas suos. Tertio effert eu-  
 angeli dignitatem inde quod prænūciaue-  
 rit illud Deus per prophetas suos. Nam sunt  
 (vt Titum ipse admonet) aliqui proprii ho-  
 minum prophetæ, qui teste Hiere. visionem  
 cordis sui loquuntur, nō de ore domini, Et  
 erant dæmonum oracula, qui patre menda-  
 cii geniti miseros mortales præstigijs elude-  
 bant. Et quālibet gentibus fuerant non  
 nulla de CHRISTO mysteria à suis Sybillis  
 decantata, extarentq; nōnulla venturi præ-  
 sagia (qualis erat illa Athenis superscriptio,  
 Ignoto Deo) erant tamē rara hæc testimo-  
 nia, exiliaq; & inferiora, q̄ quibus Aposto-  
 lus diuinam authoritatē communiret. Pro-  
 phetas ergo Dei vocat, quibus in aurem ar-  
 cana sua suggererat Deus, quæ, ceu suo ip-  
 sius ore, euulgarent. Qui quidem non solum  
 de Messia autore euāgelii vaticinati sunt  
 (vt vbiq; apud ipsos est cernere) sed euā-  
 gelium etiam ipsum de nomine prænuncia-  
 runt. Dabit enim, inquit Dauid, dominus  
 verbum euangelizantibus virtute multa. Et  
 Esa. 61. Ad annunciandum mansuetis misit  
 me dominus, vt prædicarem captiuis indule-  
 gentiam. Et Hiere. 31. Dabo legem meam in  
 visceribus eorū, & in corde eorum scribam  
 eam. Nec tantum à prophetis prænunciatū  
 est euangelium, sed lex ipsa, tota erat vati-  
 cinium CHRISTI: vt infra cap. 3. latius pa-  
 tebit. Vnde & Iudæos CHRISTVS testimo-  
 niis Dauid de sua diuinitate conuincit: vt  
 qui pater eius secundum hominem fuerat,  
 testem eundē diuinitatis produceret. Aper-  
 tissimo ergo hic testimonio condemnantur  
 Manichæi (vt adnotauit Hiero.) repudian-  
 tes testamentum vetus.

In scripturis sanctis. Adiungit quar-  
 to loco ad robur euangelicæ authoritatis,  
 quod prophetarum vetustissima testimonia  
 per scripturas sanctas perpetuæ memoriæ  
 prodita sunt. Nam nisi literis (quibus cum  
 absentibus colloquimur) fuissent ad nos  
 perlata, neutiquam adfruere nobis possent  
 fidem euāgelii. Quapropter sanctas (qua-  
 tenus ad rem hic pertinet) non ob id tan-  
 tum appellat scripturas, quod spiritu san-  
 cto inspiratæ (teste Petro) fuerint sancti lo-  
 quuti, aut quod sanctificationem nostram  
 contineant, sed (quod vox ipsa sanctitatis  
 latinis auribus exhibet) quia integra, pura,  
 incorruptaq; sunt, & quibus nihil potest  
 vel falsi, vel ambigui esse commixtū. Nam  
 nisi author earum spiritus sanctus inconta-

minatas, illibatasq; seruasset, nunquam pro-  
 diuinis haberentur. Fuit equidem Lacedæ-  
 moniis, Atheniensibus, Romanis, ethnicis  
 deniq; vniuersis religiosum ac solenne, le-  
 ges suas & scita in æs incidere, quo essent  
 in sancta custodia: tamē (vt Iosephus in lib.  
 de Iudæorum antiquitatibus, & Euseb. lib.  
 3. refert) nulli vnquam genti tanta fuit reli-  
 gio, suas leges ab omni corruptione et præ-  
 uaricatione præseruare, quanta Hebræis.  
 Quippe qui quando sub tentorijs vagi ob-  
 errabant, castraq; vno atq; altero subinde  
 loco metabantur, tunc iussu dei in arca de  
 lignis setim auro mundissimo intus & for-  
 ris deaurata, aureaq; micante corona, legē  
 (vt quæ euāgelio datura erat testimonium)  
 decretis ex primoribus, q̄ humeris baiula-  
 rent, ante castra præferbant. Pro qua  
 tuenda vitam exponere erant paratissimi.  
 Hanc postea in templo, quo populus quo-  
 tidie sacrificatum consuebat, & intra san-  
 cta sanctorum reconditam venerabantur.  
 Qua de re scite Aug. scriniarios nostros ex-  
 istimat Iudæos, codicē portātes vnde Chri-  
 stianus credat. Vide quanta sapientia Pau-  
 lus authoritatem euāgelii, veluti inter Scyl-  
 lam & Charybdin nauigans, à suspitione, tā  
 nouitatis, q̄ antiquitatis asserit. Nam quia  
 noua, vana esse solent, à vetustate commen-  
 dat euangelium, sed quia temporis longin-  
 quitas multa nutrit fabulosa, testes summæ  
 authoritatis adhibet, quorum vaticinia in sa-  
 crario scripturarum ad nos vsq; fidelissime  
 asseruata sunt. Sed obiciat hic quis fortē,  
 quod ab apostolorū seculo nō fuerint nobis  
 sacrorum bibliorū volumina tāto studio ac  
 religione scriniis obliuata, id quod absq;  
 responso, vel hoc maxime tempore, non est  
 prætereundum. Responsio autem est, quod  
 legis nostræ, quæ apostolico testimonio  
 spiritualis est, longe aliam spiritus sanctus ha-  
 bet rationē & curam, videlicet vt absq; cor-  
 poreis illis impedimentis integram fidem  
 scripturarū custodiat per authoritatem Ec-  
 clesiæ. Duo enim (vt. 2. 2. q. 6. author est S.  
 Thomas) sunt ad assensum fidei necessaria,  
 scilicet habitus intellectus, quo inclinamur  
 appellimurq; ad credendum ea quæ à Deo  
 reuelata sunt. Et præterea vt ipsa nobis ea-  
 dem proponantur, hoc est, indubitato con-  
 stituatur, quænam sint illa quæ sunt reuela-  
 ta. Et vtrumq; donum est supra naturale: a-  
 liās non posset in Ecclesia vna constare fi-  
 des. Quoniam neq; vllæ coniecturæ, ratio-  
 nes,

Tertia di-  
gnitas.

Hiere. 23.

Esa. 61.

Lex vati-  
cinii Chri-  
sti.Quarta di-  
gnitas.Scriptura-  
rum san-  
ctitas.

Iosephus.

Custodia  
scripturæ  
in lege  
veteri.Iudæi scri-  
narii no-  
stri.

Questio.

Certitudo  
scriptura-  
rū in no-  
ua lege.Duo ad fi-  
dē necessa-  
ria.Authori-  
tas Ecce-  
siæ circa  
scripturā  
sacram.August.  
Euang. nō  
cred.Aug. docu-  
mentum.

nes, aut testimonia humana certissimam fe-  
 cissent fidem (qualis est catholica) hæc aut  
 illa esse diuinitus enunciata, nisi nobis id cœ-  
 litus indicaretur. Neq; illis rursus super ca-  
 ptum nostrum propositis promptissimo obse-  
 quio quiuis præberet assensum, nisi numine  
 afflatus, vt ea crederet, quæ naturalis ratio  
 non suadet. Habitum autem, quo inclinamur  
 ad assensum, Deus nobis infundit, sed autho-  
 ritatem infallibilem proponēdi elargitus est  
 Ecclesiæ, vbi Petrum vniuersalem pastorem  
 & vicarium instituit: & vbi ait, Ego rogavi  
 pro te, vt non deficiat fides tua. Hac autem  
 autoritate proponēdi nobis fidem bifari-  
 am Ecclesia fungitur. Primo definiendo, hūc  
 illumve esse authorem diuinum, puta hunc  
 esse Moysen, Esaiam, Matthæū, vel Paulum,  
 vel ex alijs vnumquemlibet. Secundo expri-  
 mendo hunc vel illum sensum ex sacra scri-  
 ptura, decernendoq; illū esse de fide: vt quod  
 spiritus sanctus à patre filioq; procedat, quod  
 mater CHRISTI fuit mater Dei, quod fuit  
 virgo perpetua, & id genus cætera. De hoc  
 verò secūdo munere nihil ad rem modo, sed  
 propter primum ait contra epistolam Mani-  
 chæi cap. 5. Aug. Euāgelio nō crederem ni-  
 sine Ecclesiæ catholicæ commoneret autho-  
 ritas: quod est, nisi Ecclesia mihi, vt hoc esse  
 Euāgelium crederem, iuberet. Nō enim est  
 illius sententiæ Aug. quod Ioānes aut quiuis  
 alius apostolorum aliqua Ecclesiæ authorita-  
 te indigeret, vt fides ei esset certissima adhi-  
 benda, si modo cōstaret hunc esse apostolū.  
 Est enim in apostolis, ceu in diuinis organis,  
 autoritas ipsius Dei, quib; proinde, etiā si an-  
 gelus de cœlo (vt ait Paulus) aliud euāgeli-  
 zaret, firmissima debetur fides. At quod hæc  
 sit apostolica doctrina, aliusve cuiusq; autho-  
 ris sacri, Ecclesiæ munus est pronūciare. Por-  
 rō autem hac ratione necessarium nobis fuit  
 diuinitus consultum iri. Nam quāuis autogra-  
 pha ipsa apostolorū (vt contra Faustum lib.  
 28. ait Aug.) alicubi relicta essent, quin etiā  
 si CHRISTVS ipse seruator noster legem in  
 tabulis æneis incidisset, quæ ad nos vsque su-  
 perstitēs essent, non haberemus certissimā fi-  
 dem, quæ esset catholica & diuina, hæc esse  
 scripta CHRISTI aut apostolorū: quippe qui  
 nō possemus non hæsitare, an forsā illis quæ  
 ipsi scripserunt pereuntibus, alia fuissent sup-  
 posita. Adde quod etiā si hominē statuisset  
 perpetuū, vel certe angelum, qui nobis esset  
 scripturarū custos ac testis, nō esset tanta cer-  
 titudo scripturarū, quāta est necessaria ad fi-

dem catholicam. Vnum enim principium fi-  
 dei est, hos, quibus vtimur, libros esse canoni-  
 cos. Et ideo concludit Aug. necessariā fuisse  
 publicā Ecclesiæ autoritatē, cuius dicto de  
 hac re standū esset. Qua de re insanissima fuit  
 hæresis Vuitelef, qui referēte Vualdeni, to. 2.  
 cap. 19. ne ecclesiasticā admitteret de hac re  
 autoritatē, fateri mallebat, huius esse cœli-  
 tus reuelationis subsidium implorandū. Quā  
 amentia & ab inferis reuocauit Lutherus, ne-  
 que sui relinquere voluit. Sed quinara sunt  
 qui hæc vnq; reuelationū lumina peculiariter  
 receperint: aut quomodo tuti esse, securiq;  
 possunt, nō venire ab angelo Satanæ, qui sæ-  
 pe in angelū lucis trāsformatur? Longe pro-  
 fecto tutius ac sanctius nos instituerūt Ecce-  
 siæ patres, vt præter Augustinum vetustissi-  
 mus Irenæus aduersus Valētinianos lib. 3. &  
 de præscriptionibus hæreticorum Tertullia-  
 nus: nempe quod apostolorum aliorumq; sa-  
 cros codices, nisi Ecclesiæ decreto, fide certa  
 tenere nō possumus. Atq; hoc demum Nico-  
 laus Papa, 19. d. cap. Si Romanorū scripto de-  
 finiuit. Hac ergo ratione scripturas illibatas  
 indubitatasq; (vt ait Paulus) sanctas reti-  
 nemus, quod certissimi atq; tutissimi per fidē  
 catholicam sumus, paraclæto spiritui, quem fi-  
 lius à patre nobiscum æternū permanurum  
 misit, curæ esse, vt quoties Ecclesia hunc vel  
 illum sacrorum canonē præscripserit, nullate-  
 nus error subesse queat.

De filio suo. Materiam deniq; ac subie-  
 ctum sancti Euāgelii subiungit, vt celeberr-  
 mam eius, augustissimamq; autoritatem ex  
 quinq; (vt diximus) nominibus cōcludat: sa-  
 nē quod & à Deo, & tot ante seculis, & per  
 eximios prophetas, & in sanctissimis scriptu-  
 ris, & de filio suo promississet. Qua vtiq; rati-  
 one mundum in magnam spem venturi Dei  
 mitteret, ingentiq; afficeret cupiditate viden-  
 di, quo maiori venientem alacritate & obse-  
 quio exciperēt. Hoc enim suggererat ipse no-  
 bis saluator noster, vbi dicebat, Multi pro-  
 phetæ & iusti cupierūt videre, quæ vos vide-  
 tis. Sed nunquid Euāgelium de filio est so-  
 lo? an nō de tota etiā trinitate? Profecto tota  
 in ipso trinitas nobis innotuit. Nā etsi Deum,  
 quod vnus esset, et rerum genitor, philosophi  
 (licet id quidē hallucinantes) cognouissent,  
 & prophetæ de mysterio trinitatis qualē qua-  
 lem fecissent sub vmbra mentionē, personas  
 tamē illas vnus essentis de noīe, ante Euāge-  
 lium, non nouerat mundus. Quamobrē CHRIS-  
 TVS morti proximus, Pater, inquit, venit ho-

Vuitelef.  
insania.Irenæus.  
Tertull.Cap. Si  
Rom.  
d. 19.Quinta  
dignitas.Questio  
de filio  
filio.

ra, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Ego te clarificauit super terram, &c. Et de triade tota paulò ante, Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Quocirca iussi sunt apostoli prædicare Euangelium, baptizantes in nomine patris & filii & spiritus sancti. Quid ergo est quod ait de filio suo? Nimirum quòd Euangelium de re noua est, videlicet de aduentu Dei, pater vero non est, sed nequè spiritus sanctus carnem indutus. Qui ergo venturus prænunciatus est, quique nostram salutem est operatus, filius fuit, & ideo Euangelium promissum propriè est de filio. Cui veruntamen demandatum negotium est, vt altissimum trinitatis mysterium annunciaret, utpote cuius fides et professio ad nostram nobis salutem necessaria est. Neque verò Paulus trinitatis hic notiones tacitus præteriuuit. Nam vbi ait/Euangelium Dei/patrem designat, sanè de quo subdit/quod ante promiserat de filio suo. Quòd vero interiecit/per prophetas suos in scripturis sanctis/spiritum sanctum insinuat, prophetarum doctorem: perinde ergo est, ac si dixisset, Euangelium, quod pater per spiritum sanctum de filio suo promissit. Vt autem hanc descriptionem Euangelii expediamus, dubitatio altera est, quid nomine intelligat Euangelii. Vtrum historiam quatuor euangelistarum? hæc enim peculiariter censetur hoc nomine, quibus tamen euangelistis Paulus non annumeratur, an verò prædicationem intelligat suam, quam videtur 2. Timoth. 2. appellare Euangelium suum? Respondetur, quòd nomen Euangelii id penitus significat, quod bona annuntiatio: vt euangelizo vobis gaudium magnum, Luc. 2. Sed tamen ecclesiastico iam vsu, verbis prophetarum & apostolorum receptissimo, tantum vsurpatur pro annuntiatione & prædicatione, quæ fit de CHRISTO per diuinam reuelationem. Atque hic tripliciter. Primo modo Euangelium idè est quod diuina prædicatione de CHRISTO, seu vêturo, seu iam incarnato, quomodo et priscorum prophetarum & prædicationes, Euangelium dici possunt. Vt Esa. 40. Ascende tu qui euangelizas Sion. Secundo autè strictioreque modo idè est quod annuntiatio, id est, publica prædicatione ex diuina reuelatione de CHRISTO incarnato, qua scilicet annuntiatur factus secundum carnem (vt subdit hic Paulus) & prædestina-

tus filius Dei in virtute in salutem omni credenti: atque hoc pacto accipit in præsentia. Quod enim vocatus hic ait & segregatus in Euangelium, repetit. ad Cor. 1. dicens. Non enim misit me CHRISTVS baptizare, sed euangelizare. Et Gal. 1. Cum placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illum in gentibus. Quam nimirum notionem prædicationem suam, siue verbo, siue scripto, appellat Euangelium suum, atque hac ratione totum nouum testamentum appellatur lex euangelica, vt distinguitur à lege veteri. At tertio modo historia ipsa præscisa CHRISTI vsque ad ascensionem & eius propria de se ipso prædicatione dicitur archetypum Euangelium. Atque hac ratione discernitur à reliqua parte noui testamenti. Neque ita multum referret, si hoc modo acciperetur impræsentiarum. Nam ipsa prædicatione apostolorum, explicatio fuit prædicationis CHRISTI: tametsi significantius accipiatur secundo modo. Scripta verò aut prædicationes aliorum sanctorum post apostolos, quinimo neque ecclesiastica decreta digna sunt nomine Euangelii: quia non sunt immediate reuelationes Dei, vt iacer canon, etiam si fauore & (quod aiunt) manutenentia spiritus sancti, Ecclesiis errare nequeat.

Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Quoniam in explanatione Euangelii filium Dei nominauerat, secundam illico de ipso parenthesin subtextit, qua mysterium totum sui aduentus trino sermone dilucidat. Primo quòd qui sempiternus est vnigenitus patris, Deus verus de Deo vero, per quem vniuersa sunt condita, idem ipse in tempore verus factus est homo. Secundo quòd idem vere Deus & homo in hoc prædestinatus est filius Dei in virtute, vt potestatem nobis faceret filios Dei fieri, quo post mortalem hanc vitam altera nos donaret æterna. Et tertio quòd per ipsum Dei & hominum mediatorem cuncta nobis proueniunt beneficia diuina. Igitur dum ait/qui factus, &c./discernit filium naturalem, de quo promissum fuerat Euangelium, ab adoptiuo. Vnde Hilar. Hic verus & proprius est filius: origine, non adoptione: veritate, non nuncupatione: natiuitate, non creatione. Addubitat autè hic Chryf. cur fuerit ab hoie auspiciatus, cū humana natura in CHRISTO ignobilior sit, quàm diuina: vult tamen

tamen responsum esse, quòd ordo & via fuerit, vt ab imis ad summa perduceremur. Ad iungere veruntamen ad causam possumus, quòd ordinem obseruauerit Apostolus cognitionis nostræ, quæ porrò cum à sensu oritur, à corporea humanitate ad diuinitatē progreditur. Aut certe, quòd cū dicēdo/de filio suo/diuinitatē iam CHRISTI designasset, naturam assumptā proxime subnexuit, vt inde quasi circulo quodā ad diuinā iterum reuertetur, dicēs, Qui prædestinatus, &c. Sed alia paululo grauior de hoc subit me cogitatio. Cur ex semine Dauidis et non potius Abraham enunciatuR CHRISTVS factus. Intelligere nanque mihi videor idcirco Paulum hic ex semine, non Abraham, sed Dauidis dixisse, quòd vulgo CHRISTVS filius Dauidis fuerit olim celebriter nuncupatus, Abraham verò non itè. Nam interrogati pharisæi, cuius filius Messias esset, respondēt, Dauid. Et quoties miser eū supplices misericordiā postulabat adibant, honoris gratia filium appellabāt Dauid. Sed verò hæc est quæ me contra submouet hæsitatio. Et si Dauidi quoque postea facta fuerit promissio, de cuius fructu sessurus Messias foret super sedē eius, tamē primus cui arcanū venturi detectum est, & cui primū sponsio facta, & cū quo primum, data acceptaque fide, percussus est fœdus, Abraham planè fuit. Ille characterē circumcisionis accepit, cuius minister (teste Paulo) missus est CHRISTVS. Denique, cum populo illi tam erat gloriosum, esse genus Abraham, sanè qui eius se filios prædicabant, quare CHRISTVS non pari causa tam dicebatur Abraham filius, quàm Dauid? Præterea cum toties (vt est in lib. Gen. repetita sit benedictio seminis Abraham: vt, In semine tuo benedicetur oēs gentes. Et, Multiplicabo semē tuum super arenam maris & super astra cæli, cur Paulus non pulcherrima vsus est hic allusione illius seminis, vt diceret, Qui factus est ei ex semine Abraham, scilicet vt eadem voce quæ fuerat promissio facta, pronūciaretur impleta? Causam fortè huius sic possumus coniectere. Binus fuit generis delectus factus venturo Messia, prior quidē certæ selectæque gentis ex orbe vniuerso, quæ esset illustrissima, quæque lege & more fidē venturi Dei profiteretur. Hic factus est in Abraham, cū quo Deus, quasi cum persona publica totius orbis de salute humani generis pactus est, qui proinde carnis fuit caractere signatus, quo esset genus ipsius internotum. Hac de causa vti Romanis, Lacedæmoniis, Thebanis, singulis de-

niq; gentibus, suum cuique gentile nomē erat, ita & circumciscus ille populus, filii Abraham nuncupabantur, quasi populus Deo electus, vniq; Deo colēdo addictus. Sed alter fuit delectus familiarē ex illo populo, quæ esset CHRISTI profapia, et hic factus est in Dauid. Quocirca reiecta domo Saul, arbitrio Dei selectus est rex, quo etiā honoris fastigio genus CHRISTI secundum carnem nobilitatū esset & illustre. Ob idque propheta non vaticinabantur venturū ex semine Abraham (id enim ex vetusta sponsione Dei firmum erat) sed ex familia Dauid. Egre dietur virga de radice Iesse. Et, Suscitabo Dauid germen iustum, et alia id genus plurima. Igitur sicuti, licet Romani à Romulo, tamē nobiles præclarique inter illos à propria familia cognominabatur Camilli, aut Cæsares, ita CHRISTVS, non filius Abraham, sed Dauid nuncupabatur. Quæ obrem (quæ mea est existimatio) Matth. in cap. genealogiæ Saluatoris non proposuit, Liber generationis IESV CHRISTI filii Abraham, sed filii Dauid, qui Dauid fuit filius Abraham. Hac itaque ratione Paulus ait, Ex semine Dauid. Quo præterea titulo excellētia CHRISTI sanguinis prædicat, quippe qui regibus illius gentis fuerit progenitus. Sed tamē, secundum carnem, vt contra Foti, & Arri, alteram habere sempiternā Dei naturam, insinualet. Pronomen /ei/ non habent græci oēs codices, quod tamē cuncti habent latini. Et quauis non adeo sit magni momenti, habet tamē significationis non nihil, vt non absolute dicatur factus, sed Deo patri factus: ea loquendi forma, qua dicimus, Natus est Philippo Hispaniarū principi filius: more vsitatissimo scripturæ. Vt Agar peperit Abraham filiū. Et natus est ei ex Agar Ismael, & ex Sara Isaac. De theologia verò harum prædicationum, Deus factus est homo, qui tamen homo non est factus Deus, & de hæreticorū erroribus, qui nascentem Ecclesiam de hac re molestarunt, non est præsentis muneris dicere, sed ad tertium pertinet sententiarum librum. Orig. obseruat vocem /carnē/ quasi illa ratione fuerit posita, quòd anima, quæ non traducitur de potentia materiæ, non tam propriè fit, quàm caro. Attamē forsā non huc conspexit Paulus, sed noie carnis totum intellexit hominē, vt Esa. 66. Veniet omnis caro, vt adoret corā facie mea. Quod contra Arrium facit, qui dicebat CHRISTVM non assumpsisse animā, sed verbū ei fuisse pro anima. Expresserunt præterea hominem nomine carnis, & Ioan. vbi ait, Et

Ioan. 17.

Trinitatis notiones.

Quid noie Euangelii.

Euangelii trisaria dicitur.

Gal. 1.

Cur ex semine Dauidis.

Secunda pars reuoluitur.

Hilar.

Chryf.

Esa. 11.

Filii Dauid.

Factus est ei.

Gen. 26.

Origenes, carnem.



verbum caro factum est, & in presentia Pauli, vel quò magis clementiam & humilitatē Dei ab infimæ partis assumptione commendarent, vel (quod mihi potissimū probatur) quia infirmitas carnis & concupiscentia aduersus spiritū, ab originali peccato pullulans, nostrorum est actualium causa. Et ideo qui in hoc de cœlo descendit, vt peccata deleret, factus caro prædicari voluit, vt per illam vilem imbecillamq; naturā, qua victus homo est, & seruus peccati, intelligeret se, CHRIS T O victore, redemptum. Nihil est cur cum grammaticis disceptemus, dicendum ne sit, factus, an verò genitus. Nam primum græce ΕΥΟΛΛΕΥΣ est, per simplex υ & omicron quod est factio, nō ΕΥΩΛΛΕΥΣ per duplex, & ω mega quod est, genito. Et præterea similiter Ioan. ait, Verbum caro factū est. Ad hæc factus / significatiū explicat, opus fuisse spiritus sancti absq; virili semine / genitus / nāq; suspitio nem iniiceret, quòd esset genitus humano more.

Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. Postquam CHRIS TVM de humana natura declarauit, prosequitur de diuina dicere. Sunt autē verba hæc de quibus enarratores magno interuallo dissident. Primum omnium latini codices summo consensu habent / prædestinatus / græci verò, quanuis pluri habent δεισδεντ &, id est, destinato, est tamen prægrande argumentū habuisse olim aliquos προορισδεντ &: prædestinato / alias nemo vertisset, qui prædestinatus est. Tamen si Origenes solis in latinis codicibus affirmet esse, prædestinatus, nisi forte eius interpret literam vitiauit. Græcum etenim Origenem non vidi, quem consulerem. At non tanti referre ad rem existimo particulam / præ / vt de illa sit pertinacius depugnandum. Est autem δεισδεντ, idem quòd definitus, ab δεισω, vnde δεισμός, quod philosophis est definitio. Quanuis alii vertāt / declaratus (quod idem est) & alii / pronunciat. Origenis autem fides interpret trāsferit / destinatus. Hinc inter Origencem & Augustinum conflata lis est. Aug. tum alibi crebro, tum in de prædestinat. sanct. cap. 15. ai. CHRIS TVM, quatenus homo est, fuisse prædestinatū. Orig. vero negat: neq; tamen alia de causa, nisi quòd particula / præ / antecessorem temporis importat. Et ideo, prædestinatur, inquit, nemo, nisi qui aliquando non fuit, CHRIS TVS autem, vt qui semper Deus fuit, destinatus quidē est, at nō

prædestinatus. Chrysostronus autem non significacionem (vt Origenes) destinatus amplectitur, sed illam prorsus quæ est, definitus & declaratus: qui idcirco hic nullū reputat subesse respectum ad Deum mittentem filium in carne, vt ab eo fuerit aut prædestinatus, aut destinatus, sed duntaxat censet significari, quòd filius Dei qui in mortali carne apparuit filius David, patefecit & declarauit se esse Deum, ex illa virtute spiritus sancti, qua resurrexit à mortuis. Iuxta illud Ioan. 2. Soluite templum hoc (quo cognoscatis me esse hominem) & in triduo (vt manifestem me esse Deum) reedificabo illud. Et Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis à terra, tūc cognoscetis quòd ego sum. At quanquam sensus hic non adeo à Pauli contextu (præsertim græco) abhorreat, mirari tamen certe satis nequeo, cur tanta concordia & applausu his retro annis triginta susceptus omnibus sit & probatus, vt D. Augustinum eiusq; assectatorem, D. Thomam atque alios nō vulgaris existimationis viros, quasi indignos, qui audiantur, explodant: cum tamē, si quam in hac epistola causam agit Paulus, meliori mente attenderent, non nihil fortē de rigore censendi remitterent. Est enim eius (vt sæpe diximus) institutum, Romanos ita instruere & conformare, vt crederent, neminem filiorum Adæ humanis operibus assequi posse iustificationis beneficium, sed sola gratia & misericordia IES V CHRIS TI. Ex quo manifeste colligitur, iustificationis eiusdē nullā aliā causam fuisse (vt cap. 9. fufius dicturi sumus) q̄ diuinā æternamq; prædestinationē. Nam si dum iustificamur opera nostra non sunt causa quæ antecedit voluntatem Dei, sed Deus præuenit, consequens fit, vt neq; dum nos ab æterno prædestinauit, opera nostra prospexerit, tanq̄ causam, sed quia prædestinauit nos ad gloriā, destinauit ad gratiā: & ideo statuit disponere nos per opera. De adultis enim loquimur. Siquidē euidentissimū est, eodē modo ab æterno decreuisse nobis gloriā & gratiam, quo modo in tēpore cōfert. Quod istis obloquētibus de prædestinatione summopere perspectum esse deberet, ne ita collaberētur. Quamobrē intelligere planē nequeo (vt peiori verbo abstineā) quidnā sibi volunt, q̄ in suis scholiis super Chryf. de prædestinatione nostra discordiā inter ipsum & Augustinū ferere moliūtur, propterea quòd Chryf. nihil hic de prædestinatione loquitur, & fauere semper videtur libero arbitrio. Namq; si ita de Chry-

Indignē eū  
citur sententia  
Aug.

Paulinū in  
sicutum.

Prædesti  
natio.

Nulla est  
inter Aug.  
& Chryf.  
discordia.

de Chrysostrono sentiunt, vt qui opera nostra, quatenus primam iustificationis gratiam antecedunt, causam illius & meritum esse crediderit, Pelagianum eum planē faciūt, quam notā doctissimo & sanctissimo Chrysostrono inurere, impietas esset. Si tamen ita Chrysostronum intelligunt, vt agnouerit iustificationem eorum, qui libero iam arbitrio vtuntur, ita Deum ab æterno præordinasse, vt nemo nisi assentiens vocationi & inspirationi ipsius, & motioni cooperans, iustificetur, hoc ipsum est, quòd theologi omnes docent, ipsissimum Augustinum secuti, cuius dictum est, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Sin verò velint gloriā qui super premus est prædestinationis scopus, non nisi propter propria præuisa opera cōferri, id quidem de adultis nemo negat: vt cap. 2. dicturi sumus. At nullatenus consequitur, Deus statuit Laurētio ob martyrium gloriā, vel augmentum gloriæ: ergo martyrium fuit causa vt prædestinaretur. Præordinamur enim ad gloriā, & ideo ad præuenientem gratiā per merita CHRIS TI, vt per officia nostra, cooperante Deo, perueniamus ad eandē gloriā. Ob idq; opera sunt causa, nō quidem prædestinationis, sed effectus eius, vt cap. 9. planē elucidabimus. In paruulis verò sola merita CHRIS TI causa existunt tam gloriæ, q̄ gratiæ, vt cap. 2. ostensuri sumus. Vt ergo ad Paulinum propositum redeamus, cum aduersus CHRIS TI causa fuerit iustitiæ nostræ, operæ precium duxit statim in fronte ipsa epistola scopus ob oculos figere, quo totam referre statuerat: nempe hanc filii Dei manifestationem in carne nō ex condignis meritis humani generis, sed ex æterna & gratuita prædestinatione Dei nobis obuēnisse. Hoc re veratū cunctis antiquis latinis, tū præcipuē Augustino prudenter exploratum est, & sapienter perspectum. Cuius ideo verba in lib. de prædest. sanct. cap. 15. non pigeat audire, eos præsertim, qui D. Thomæ inuentum hoc esse putant. Præclarissimum, inquit, lumen prædestinationis et gratiæ ipse saluator est, ipse mediator Dei & hominum homo CHRIS TVS IES VS. Ille enim homo vt à verbo patri cōæterno in vnitatem personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit: quòd eius bonum qualecunq; præcessit, vt ad hæc ineffabilem excellentiā perueniret? Et infra, Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundū vniscuiusq; mensuram se per cuncta eius membra diffundit.

Aug.

Paulinum  
propositū.

Aug. de  
prædesti  
nacione.

Fit ea gratia ab initio fidei suæ homo quicūque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est CHRIS TVS. De ipso spiritu est hic renatus, de quo est ille natus: eodē spiritu fit in nobis remissio peccatorū, quo spiritu factum est, vt nullum haberet ille peccatū. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorū, quæ in sancto sanctorum maximē claruit. Quam negare quis potest rectē intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum dominū gloriæ (inquantū homo factus est Dei filius) prædestinatum esse dicimus. Clamat doctor gentium in capite epistolarum suarū, Qui prædestinatus est filius Dei, &c. Et paulò interius cōcludit, Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant quæ perierunt per Adā, & regnet, quæ regnat, Dei gratia per dñm nostrum IES VM CHRIS TVM. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generatiōis inuenit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Hæc illic Aug. atq; his etiam plura in hoc argumentū confert in lib. de bono perseuerantiæ, & super Ioan: tract. 110. Neq; verò solū propter Augustini auctoritatem hæc retulimus, quanq̄ & dignus ipse erat, cuius huc testimonium accersitum curarem: sed in hoc quoq; tot verba retulimus, vt liberum lectorem docilem, attentumq; haberemus, quemadmodū Pauli ratiocinatio hæc est, quòd si nostra singulorū iustificatio sine præuis meritis nostris sit, idem solidiori ratione & de CHRIS TI aduentu confiteremur. Nempe vt tumorem iam hinc retundere incipiat Iudæorum, qui (vt in prologo præfati sumus) suis meritis arrogabant incarnationē CHRIS TI. At arguunt quidā, quòd saltē nihil hic Paulus de prædestinatione CHRIS TI ad gloriā cogitauerit, in quo tamē vera consistit prædestinationis ratio. Ad hoc primum respondetur, quòd neq; Aug. neq; alii doctores aiunt nisi quòd fuit prædestinatus, vt esset filius Dei in virtute (vt ait Paulus) & caput ac redemptor noster. Sed præterea dicimus, hoc pertinere ad verā prædestinationē: cum quòd prædestinari vt esset filius Dei, includit gloriā eius: quandoquidē ratione diuini suppositi debetur illi & gloriā, etiā secundū humanitatem: tum præcipuē quòd cum redemptio fuit causa nostræ glorificationis, prædestinari vt esset redemptor, vere pertinet ad prædestinationem nostrā, quæ fit ad gloriā.

Argu  
mentū.

Responso.

Discordia  
inter Orig.  
& Aug.

Orig. cōtra  
prædestina  
tionē Cbri  
sti.

Obuiam huc nihilo secius exit nobis Orige  
nes, quod non prædestinatur, nisi qui non  
dum est, sed futurus est, idcirco quod præ  
anteceffionem designat: CHRISTVS au  
tem, qui Deus est, coæternus est patri. Hay  
mo. hac de causa ait, quod humanitas quæ  
antea non erat, prædestinata est vniri ver  
bo. Est tamen hoc, vt verum sit, sanè in  
telligendum de homine. Nam non præde  
stinatur, nisi suppositum cuius est agere pro  
pter finem, quo destinatur: humanitas ve  
rò non agit. Secundum hæresin Nestorii,  
qui dicebat suppositum alterum humanum  
coniunctum esse diuino, huic locus esset re  
sponsioni, nobis autem nequaquã congruit,  
vt qui vnum suppositum vtriusque confi  
temur naturæ. Respondetur ergo primo,  
quod non ita multum dimicamus de vo  
cula illa præpositionis. Etenim, siue præde  
stinatus, legatur, siue destinatus, satis est, pro  
positum Dei aliquod æternum significari abs  
que vllis nostris meritis filium destinantis,  
vt idem esset Deus & homo. Quod certe  
Origenes non negat, sed solum contendit,  
quod nos prædestinati, CHRISTVS verò  
non, nisi destinatus dicendus sit: cum quo  
sentit Hieronymus in enarratione epistolæ  
ad Ephes. cap. 1. Idcirco forte quod destina  
ri est respectu rei iam existentis quæ ad fu  
turum opus ordinatur: prædestinari autem  
respectu rei quæ nondum est. Ceu si quis eum,  
quem iam habet filium, rei vxorig destinat,  
eum verò, qui nondum natus est, cõlibatui  
prædestinet. Verum & secundo responde  
tur, quod particulã ipsam præ/que in exem  
plaribus latinis vniuersim legitur, tueri pos  
sumus. Etenim inter alia quæ CHRISTO se  
cundum humanam naturam competunt, nõ  
autem secundum diuinam, vt vulnerari, fa  
mescere, sitire, &c. venit etiam, prædestinari,  
quoniam licet persona semper fuerit filius  
Dei, ob idq; non concedatur quod homo  
CHRISTVS factus est filius Dei (quod dicit  
realem inceptionem diuinitatis) sed quod fi  
lius Dei factus est homo: tamen quoniam  
prædestinatio solum dicit actum mentis, tu  
to affirmare possumus, quod CHRISTVS,  
quatenus existit in humana natura, præde  
stinatus est esse filius Dei in virtute: iuxta  
verbum Augustini loco citato de prædest.  
sanct. vbi ait, Prædestinatus est ergo IESVS,  
vt qui futurus erat secundum carnem filius  
Dauid, esset tamen in virtute filius Dei se  
cundum spiritum sanctificationis. [In virtute

Nestorius.

Responso  
de prædest.  
Christi.

Legitima  
responso.

Christus  
quo ser  
su præde  
stinatus.

te.] Clarissime nunc ablatius hic lucet, dis  
tinguit enim inter nostram & CHRISTI  
prædestinationem, nimirum quod nos præ  
destinamur esse filii Dei adoptiui, CHRISTVS  
verò prædestinatur esse filius Dei in virtute  
seu potentia, id est, filius naturalis, vt am  
plius iam nunc explicabitur.

Secundum spiritum sanctificatio  
nis. Hebraismus est, Hebræi namque ad  
iectiua non habent, quæ ideo reddunt per  
genitiuum nominis verbalis, vt, vas electum,  
vas electiois/odorem suauem, odorem sua  
uitatis. Et ita spiritum sanctum, spiritum  
sanctitatis (vt aliqui vertunt) sed tamen me  
lius habet, spiritum sanctificationis, vt expri  
matur per participium, quod est, spiritum san  
ctificantem / Est enim hoc in re presenti si  
gnificantius. Est enim sensus, quod cum nos  
prædestinati sumus, vt Deo in filios adopta  
ti, sanctificemur, CHRISTVS prædestina  
tus est esse filius Dei in virtute spiritus san  
ctificantis nos, per remissionem peccato  
rum. Iuxta illud. 1. Corinth. 1. Qui factus est  
sapientia nobis à Deo & iustitia & sanctifi  
catio. Et cap. 6. Sed sanctificati estis in no  
mine domini nostri IESU CHRISTI & in  
spiritu Dei nostri. Quocirca verbum hoc  
non tam propriè referri videtur ad opus il  
lud spiritus sancti, quibus obumbratione  
conceptus est CHRISTVS, vt quod in vir  
gine nasceretur, sanctum esset. Licet hunc  
etiam sensum, præter alios doctores odo  
ratus fuerit in his verbis August. loco pro  
ximè citato de prædest. sanct. Non tamen,  
inquam, tam propriè ad hoc refertur, quàm  
ad spiritum per quem nos ipse sanctificat.  
Est enim diffinitio hæc precedentis verbi /  
in virtute / Nempe quod prædestinatus sit  
in ea virtute, qua nos sanctificaret: sic nam  
que cap. 3. concludit, vt sit ipse iustus & iusti  
ficans. Iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis pote  
statem filios Dei fieri. Quapropter & super  
ipsum baptizatum spiritus sanctus descendit,  
& ius facultatemq; habet donandi spiritum  
sanctificantem. Secundum illud, Paracletus  
quem ego mittam vobis. Et, Sicut misit me  
viuens pater & ego mitto vos. Accipite spi  
ritum sanctum, quorum remisistis peccata  
remittuntur eis, &c. Quamobrem haud dis  
plicet eorum lectio, qui non illic faciunt  
comma, qui prædestinatus est filius Dei: sed  
oratione ita continuant, vt prædestinatio in  
totum pertrahatur, quod est, filius Dei in virtute  
secun

Hebræi ad  
iectiuis ca  
rent.

Sanctifi  
catio.

Ioan. 1.

Ioan. 15.  
& 20.

Græca am  
phibologia.

1. Cor. 6.

secundum spiritum sanctificationis. Nam est  
homo CHRISTVS omnē haberet (vti erat)  
potentiã Dei, non tamen prædestinatus est es  
se filius Dei ad vniuersa patrada quæ virtute  
diuina poterat, (vt creare, annihilare ve mun  
dum) sed ad ea tantum quæ ad nostram spe  
ctabant salutem: scilicet vt nos in gratiam  
patri reconciliaret, legibus institueret, ec  
clesiasticos magistratus erigeret, & (quod  
omnium consummatio est) mortuis in vitam  
immortalem reuocatis, prout quisque gessis  
set in corpore, retribueret. Et hoc est quod  
subditur.

Ex resurrectione mortuorum. Hanc  
etenim particulam omnes agnoscunt interpre  
tem esse præcedentiũ. Est nihilominus in con  
trouersia propter græcam amphibologiam.  
Græci enim ablatiuo carent, in cuius vicẽ sub  
stituunt genitiuum. Et ideo mortuorum / po  
test latine reddi per ablatiuum, vt pleriq; iam  
nunc secundum Chrysostomum & græcos, fe  
rè legunt hoc modo, Qui declaratus est filius  
Dei illa virtute spiritus sancti, qua ipse resurre  
xit à mortuis. At verò lectio hæc, vt non est  
quam ego obnixè contēdam respuere, ita nec  
illa est quæ mihi sit probatissima. Nam primũ  
Græcis obseruatissimum est, eiusmodi geni  
tiuis habentibus vim ablatiuorum præfigere  
præpositionem / ex / vel similem, sicut nos di  
ceremus, ex resurrectione ex mortuis / vel à  
mortuis: quæ tamē nulla est hic græce. Et præ  
terea non solum prisca omnes latini, sed Ori  
genes etiam græcus legit per genitiuum: vt sit  
sensus, quod virtus illa spiritus sanctificantis  
in qua destinatus, vel prædestinatus est esse fi  
lius Dei, potissimum declarata est ex resurre  
ctione mortuorum. Cum scilicet ipse propria  
virtute resurgens causa fuit resurrectionis no  
stræ, secundum illud. 1. Cor. 6. Deus dominum  
suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam.  
Quocirca & cap. hic. 15. testimonio resurgētis  
CHRISTI fidẽ adstruit resurrectionis nostræ.  
Si resurrectio, inquit, mortuorum non est, nec  
CHRISTVS resurrexit. Et infra demum subiit  
cit, Quod CHRISTVS resurrexit à mortuis,  
quoniam per hominem mors, & per hominẽ  
resurrectio mortuorum. Neq; forsã ad illos  
tantum mortuos alludit (vt vult Origenes)  
qui cum CHRISTO resurgente à monumētis  
excitati sunt, vt testes suæ essent resurrectio  
nis, sed ad illam (vt reor) postremæ diei cele  
berrimam resurrectionem mortuorum. Vide  
tur enim Paulus loqui idiomate tũc inter ver

bi ministros vulgatissimo. Nimirum qui ad  
uersus Sadducæos negantes resurrectionem  
mortuorum, his modo citatis, & eiusmodi te  
stimoniis resurrectionem vniuersalem asserere  
bant. Ob idq; sensus est, virtutem illam san  
ctificandi in qua CHRISTVS prædestinatus  
est, quanta fuerit, ex illa resurrectione fore  
manifestandam. Quamobrem cum alia po  
tuisset diuinitatis CHRISTI clarissima docu  
menta commemorare, nempe quod dæmo  
nia eiecisset, & varias infirmitates curasset,  
quodq; dum spiritum exhalaret, velum tem  
pli scissum fuisset, & sol obtenebratus: cæte  
ris tamen omnibus prætermisissis, resurrectio  
nis mortuorum penitus commemorat, quippe  
quæ supremum futurum esset spiritus sanctifi  
cantis opus. In summa comparatione CHRIS  
TI cum Adam hoc verbo inlinuauit. Nimi  
rum quod sicut infirmitate ille præuaricatus  
genus nostrum in mortem adegerit, ita in hac  
virtute prædestinatus fuerit CHRISTVS, vt  
mortis nexibus abruptis, liber ipse à mortuis  
resurgeret, atque adeo nos spiritu viuificante  
regenos immortalitate donaret. Iuxta illud  
ad Corinth. Sicut in Adam omnes moriun  
tur, ita & in CHRISTO omnes viuificabun  
tur. Considerandum hic demum est, quàm ex  
arte duarum CHRISTI naturarum, alteram  
alteri obiecit, quo earum interuallum magis  
fieret perspicuum. Non enim satis duxit car  
ni spiritum opponere, sed quia caro in nobis  
infirma, immunda, & mortalis est, ait, CHRIS  
TVS prædestinatus esse in virtute, cõtra in  
firmitatem: secundum spiritum sanctificationis,  
contra immunditiam: ex resurrectione mortuo  
rum, contra mortalitatem.

Iesu Christi domini nostri. Et de hoc  
item verbo dissidium est eadem de causa, sci  
licet an sit latine casu paterno, an ablatiuo  
reddendum. Græce namque illa omnia sunt  
in eodem casu, genitiuo scilicet, filii sui, facti,  
prædestinati, IESU CHRISTI, quorum pri  
mum citra controuersiam redditur per abla  
tiuum. De filio suo / atque duo item sequen  
tia, facti & prædestinati / absq; dubio sunt pri  
oris adiectiua. Quæ aliqui proinde transfe  
runt in eodẽ ablatiuo, alii verò per nomina  
tiuum cum relatiuo. Sed tamen hoc postre  
mum / IESU CHRISTI / anceps est. Etenim  
neoterici traductores pro indubitato habent  
esse substantiuum illius, quod est, filio suo. Et  
ideo aliqui oēs quatuor voces traducunt per  
eundẽ ablatiuũ, scilicet, de filio suo, facto se  
cundum

Collatio  
Christi cõ  
Adam.

1. Cor. 15.

cundum carnem prædestinato filio Dei, IESV CHRISTO domino nostro. Alii vero tria vltima per nominatum, vtpote de filio suo, qui factus est ei secundum carnem, qui prædestinatus est, &c. IESVS CHRISTVS dominus noster. Alii autem legunt, qui factus est / qui prædestinatus est / IESV CHRISTO dño nostro, vt semper respondeat illi quod est / filio suo. At verò etsi lectio hæc non habeat vnde redarguatur, neq; dissonet lectioni græca, non tamen est adeo perspicua & indubitata, vt sit vulgaris æditio abiicienda. At qui si nulla hic prædestinationis fieret memoria, fateor, ita tunc apte quadrasset litera / Qui declaratus est filius Dei ex resurrectione mortuorū IESV CHRISTO domino nostro. Sin vero prædestinatus (quod reor) aut destinatus, legendum est, tunc optime constat lectio æditionis vulgatæ. Porro vt genitiuus hic nō eò referatur, vt sit pariter ablatiuus, sed potius genitoris casus, atq; adeo modus illius, quod est, mortuorum: vt sit sensus, quod diuina CHRISTI virtus & potestas detecta sit & patefacta ex resurrectione mortuorum, qui sunt eiusdē IESV CHRISTI domini nostri.

*Vulgata æditio defenditur.*

Aug. Quam lectionem Aug. & latini patres, græce etiam periti sequuntur. Et vocat mortuos IESV CHRISTI vel omnes in vniuersum, idcirco quod omnes eius virtute & potētia resumpturi sunt viuentia corpora, vel eos forsitan peculiariter secundum sententiā Augustini & Hieron. qui eius fide & gratia ad eius quoq; gloriam & felicitatem suscitādi sunt. Eo quo loquitur pacto. 1. Cor. 15. vbi ait, IN CHRISTO omnes viuificabuntur, vnusquisq; autem suo ordine. Primitiæ CHRISTVS (ille enim omnium fuit resurgētium primus) deinde ii qui sunt CHRISTI, qui in aduentum eius crediderunt. Nam calamitosa illa reproborum turba, licet resurget iussu CHRISTI, non tamen instar resurrectionis eius, vt similibus dotibus corporis donetur. Vnum hic tamen restat, ad quod respōdeatur, videlicet, quod si IESV CHRISTI / non refertur ad / filio suo / sed est genitiuus illius quod est / mortuorū / efferrī deberet per relatiuum, vt diceretur, ex resurrectione mortuorū eius. Nam cum proxime antecessisset / de filio suo / repetere nomen ipsum IESV CHRISTI, non est phrasis latina. Sunt qui pectori hoc Pauli tribuant, qui CHRISTO plenus tertio quoq; verbo nomē eius depromebat. Quare sexies vel septies prolatum hic obseruant. At verò non id fortē temerē & incogitanter faciebat. Est enim hæc

*Mortui Iesu Christi.*

*1. Cor. 15.*

*Dubitatio.*

*Septies nomē Christi.*

braismus, in sacra pagina consuetissimus (vt auctor est Aug. super Psal. 61. & lib. de Trin. 21.) vt loco pronominis repetatur nomen quod præcesserat, Sicut audiuius sic vidimus in ciuitate domini virtutū, in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in æternū, pro eo quod est / ipse fundauit eā. Et in Pentateucho sæpenumero, Fecit Moses, sicut præcepit dominus Mosi, pro eo quod est sicut præcepit dominus ei. Et ita / mortuorum IESV CHRISTI, pro hoc quod latini dicerēt / mortuorum eius. Propter hunc, huiusq; generis alios locos in prologo de hoc crimine interpretes huius seculi in iudicium deferebam, quod satis scripturæ sacræ facerēt si sua adnotamēta in marginibus circumscriberent: multo inquam sanctius venerandam eius maiestatem reuererentur, si non textum illuc versus, omni posthabita theologia, traducendo inuerterent, quocumq; eorum sententia propendet. Id quod profecto citra magnam iniuriam, non modo sanctorum patrum qui multiuga sensa in fœcundissima sacra pagina meditātur, sed & ipsius etiam sancti flaminis, qui tanta fœcunditate eandem dictauit, fieri nequit.

*Aduersus neotericos.*

Per quem accepimus gratiam & apostolatū. In tertio membro parenthesis secundæ, qua filius Dei describitur, demonstratum it Apostolus, per ipsum factum hominē prædestinatūq; filium Dei, ac perinde mediatorem Dei & hominū cuncta nobis obuenire, quæ ad nostram spectant salutem, siue ad personam propriè attineant, siue ad commune bonum. Quæ duo donorum genera duabus vocibus designat / gratiā & apostolatū / Reperias quosdā, q eandē rem vtriq; subiectā arbitrentur, ita vt noīe gratiæ nō illam gratū facientē intelligant, sed apostolatū ipsum, qui munus est gratuito impensum. Ac si dixisset / per quē accepimus gratiā hanc apostolatū. Aug. verò (id quod nō solum coniunctio copulatiua innuit, sed menti literæ propius accedit) tanq; duo legit, Gratiam, inquit, cum omnibus fidelibus, apostolatū autē cum cæteris apostolis. Et Hieron. gratiam in baptismo, apostolatū quando à spiritu sancto directus est. At qui copiam hic cumulata gratiæ exprimere mihi videtur, vt idoneus esset cui apostolatus concederetur. Enimvero quauis gratiarū eiusmodi dona quæ in publicam vtilitatē conferūtur absq; iustificatē gratiæ, sceleratis nōnunq; hoībus cū iustis & sanctis cōmunia esse possint, iuxta illud Mat. 7.

*Aug.*

*Hiero.*

*Gratiarū diuersa mō sura.*

Multi

Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nōne in nomine tuo prophetauimus, &c. Eos tamen quos Deus ad tales dignitates ac functiones asciscit, vel maxime ad apostolatū, qui summum omnium in Ecclesia fastigiū obtinet, nunq; nisi gratia & virtutibus pro dignitate præmunitos super Ecclesiæ candelabra erigit. Licet sua inde culpa decidere possint, vt Iudas. Vnde Sufficiencia, inquit alibi, nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministrōs noui testamenti. Quare qui Ecclesiæ antistites immeritō præsidēt, sibi videant à quo sint dæmone in Ecclesiam obtrusi. Neq; vero eadem sunt quæ ad omnia obeunda munia, desiderantur merita & gratiarum plenitudines. Nam de CHRISTO, qui Dei & hominū mediator digne esse nequiebat, vt gratiā nobis Dei ad iustum mereretur, nisi immēse ipse charus gratusq; esset patri, ait Euangelista, Verbum caro factum est, plenum gratiæ & veritatis, nempe sine mensura & modo. Et Deipara virgini, Ave, (ait angelus) gratia plena, non scilicet vt cunq; gratiosa, sed eo diuinitus gratia & fauore super omnes angelorum hierarchias subleuata, quo esse loco apud Deum decebat, cui nomen ipse suæ paternitatis erat cōmunicaturus, videlicet quæ eius filii mater erat futura, cuius ipse pater erat. Et protomartyrem Stephanum plenum gratia & fortitudine legimus, vtpote ad iustum, quantum in eo desiderari poterat, qui martyrum inuictissimi exercitus dux futurus erat. Mortaliū enim principum solertia esse debet & prudentia, aptos idoneosq; explorare, quibus magistratus fidant: sed Deus immortalis dignos ipse facit, quorum fidei negotia sua & causas committat. Qua autē mensura emetiri CHRISTVS debuit apostolis gratiam, facile est perpendere. Nempe qui de media sublata plebe in hoc delegabantur, vt Euangelium quocumq; terrarum propagarent, quod non verbis tātum persuaderēt, sed signis & prodigiis confirmarent. Neq; obiectos hostes armis debellarent, sed (quod potentia diuinæ præclarissimū testimonium est) sine pera, sine baculo, velut oues mactati, mirifica māsuetudine lupos perterrefacerent, euincerēt, fugarent, profigarēt, ruerent, ac prosternerent. Accepit ergo Paulus non apostolatū modo, sed gratiā & cætera dona eidem functioni necessaria: & dona quidem, q; alii forsitan apostoli consummatiora. Nam abundantius, inquit, illis omnibus laboraui: nō ego autem, sed gratia Dei mecū. Sanē verò de hac voce apostolatus obmure

*Dignitas intemerata e virginitas.*

*Stephanus.*

*Interest inter Deū & humanos principes.*

*Apostolatus gratia.*

*1. Cor. 15.*

murant quidam, nec satis esse latinam, nec verbum Græcum ἀποστολή fideliter reddere. Apostolatus namq; & clericatus & episcopatus, magistratus ipsos significant, ἀποστολή verò (quod est in Græco) significat functionem & administrationem apostolici muneris. Sicuti ἐπισκοπή administrationem episcopalis dignitatis. Et ideo transferendum erat (vt dicūt) Gratiam & apostolatus functionem. At sunt iam huiusmodi nomina in hoc significato latine vsurpata, vt significēt functiones ipsas. Et præterea quauis / apostolatus / pro dignitate ipsa & magistratu accipiatur, forsitan & hoc ipsum voluit significare Paulus. Et ideo forte interpret non tam vocem, q; sensum Pauli studeat exprimere. Neq; vero inconsulto dixit / per quem / & non / à quo /. Quoniā à Deo, vt est nomen naturæ, cuncta dimanant quæ in rebus fiunt creatis. Vnde illud est Theologorum axioma / Opera Trinitatis indiuisa sunt extra. Ea verò quæ ad nostram salutem spectant, per CHRISTVM tanquā per mediatorum nostrum donantur nobis.

*Apostolatus.*

*Axioma Theologorum.*

Ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Vel est sensus, vt ipse gentibus prædicādo obediret fidei, vel potius vt in hoc eius esset prædicatio intentā, vt audiētes assensum præberent fidei. Est enim græcè / ad obedientiam fidei / quod est, vt obediat fidei. Quā ob rem etsi obedientiam hic forsitan quis posset eam subaudire, quæ ad mores omnes extenditur, secundum illud ad Corinth. Ideo scripsi vobis vt cognoscā experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis, tamen obedire fidei in præsentiarum ex propria huius virtutis ratione & actu accipiendum est. Etenim vt / obedire iustitiæ / idem pollet, quod in iustitiæ officii esse, & obedire fortitudini, tali virtuti operam dare: ita ad obediendum fidei / perinde est, ac si dixisset, vt gentes omnes credant, fidemq; assensu suscipiāt. Et verbo vsus est / obedire / vt quantum est inter fidem & humanas disciplinas discriminis explicaret. Hæc namq; cum naturali mētis acie & lumine cernantur, compellere euincerēq; possunt intellectum: fides autem inuisibiliū diuinorum, quæ nisi per lucē illam, mortalium oculis inaccessam, conspecta esse nequeunt, non argumētorum vi, syllogismorumq; acumine demonstratur, sed voluntario obsequio tacitaq; auscultatione suscipitur. Vnde illud est. 2. Corint. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium CHRISTI. Et cap. hic. 10.

*Obedientia fidei.*

*2. Cor. 10.*

*Differentia inter fidem & humanas disciplinas.*

*2. Cor. 10.*

*Rom. 10.*



Non omnes obediunt Euāgelio. Et subditur, Esaias dicit, Domine quis credet auditui nostro. Est ergo sensus, In hoc ascitus sum ad apostolatū, non ut philosophorū more inani verborum disputatione demonstrare contendam veritatem fidei, sed (quod ait Theophylactus) ut audientes obedienter credant. Vbi notā incredulitatis utriusque populo impingit, Iudaeorum videlicet qui signa petebāt, & gentium qui sapientiam & philosophicā persuasionem postulabant, ut est, 1. Corin. 1. Tametsi prouidentissimè consultum à Deo mortaliū generi fuerit, ut euangelica prædicatio (ut habetur Marci ultimo) miraculorū signis confirmaretur. Nam cum cognitio humana à sensu incipiat, cōsentaneum fuit, ut sensilibus miraculis ad supernaturalium fidem homines promoverentur, quāuis afflatus internus spiritus sancti efficaciter esset. Vnde Chryso. Non apostoli res ita gessissent, nisi spiritus sanctus viam præmuniret. Et Theophyl. Euangeliū prædicare, apostolorum est muneris, Dei vero audientibus persuadere [In omnibus gentibus] Videtur quibusdam Paulus hoc dixisse eo significatu, quo gentes à Iudæis saepe distinguit. Veluti infra cap. 11. Gentium se proprie apostolum pronunciat. Et Galat. 2. Qui operatus est, inquit, Petro in apostolatū circuncisionis, operatus est & mihi inter gētes. Et pertinere huc aiūt, quod subdit, in quibus estis & vos vocati, quasi innuens, Romanos in sorte ditionemque sui proprie apostolatus venire, tã quã natione gentiles: qui propterea obsecundare ei tenebantur. Hoc tamē nō est verisimile. Quod enim ait, apostolatū accepimus, non suo peculiariter, sed apostolorum nomine dictum existimo. Et ideo gentium hic nomine vniuersas nationes comprehendit. Alludit ergo ad illa verba Marci ultimo, ubi apostoli in mūdum vniuersum missi, iussi sunt docere oēs gentes, cuiuscūque essent nois & cōditionis: ad differentiam antiquæ legis exiguis spatiis constricta, iuxta illud Esa. 49. Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & feces Israel conuertendas. Dedi enim te in lucem gentium, ut perueniat salus mea vsq; ad extremum terræ. Quod in hanc nostram sententiā citat Paulus ipse Act. 13.

Pro nomine eius. Nonnulli (quorum videtur esse Ambrosius & Hieronymus) exponunt nomine eius, pro hoc quod est, vice eius. Nā sicut CHRISTVS vice & autoritate patris missus est, ita & vice & potestate CHRISTI delegati sunt apostoli: secundum illud Ioā. 20.

Sicut misit me viuens pater, & ego mitto vos. At verò quamquā apostoli legatione pro CHRISTO fungerentur (ut habetur 2. Cor. 5.) non tamen huic loco significatio hæc planè coaptari videtur, neque enim cohæret primo verbo, ut legas, per quem accepimus gratiā & apostolatū, vice eius. Nec rursus cōgruit secundo membro, scilicet, ad obediendum fidei, vice eius. Et idcirco fortasse oculatius rem coniectantur Chryso. & Augu. nempe ut / nomen eius / in proposito materia fidei designet, ut sit sensus, ad obediendum fidei, quæ est de nomine eius, vel super nomine eius. Videlicet ut gētes credant in nomen ipsius: nam vobis non solum, pro, verum idem quod, de, & super, significat. Prædicabāt namque apostoli non esse aliud nomen sub celo datum quo salus pateret hominibus. Ob idque quocēlebrius haberetur, baptizare consueuerunt in nomine CHRISTI, ut patet Act. 8. Accedit ad hunc sensum, quod erat Paulus proprie organum ac vas à CHRISTO selectū, ad importandum nomen ipsius coram gentibus, cuius hic nominis meminit. Quāuis non displicet lectio, pro nomine / hoc est, ad gloriam nominis eius.

In quibus estis & vos vocati Iesu Christi. Tres parentheses interiectas hic prænotauimus. Primam quæ Euangeliō, alteram tertiam quæ filio Dei accommodata est, & hanc tertiam, quæ est de Romanis: utpote qui inter præfatas gentes sunt vocati. Et quidem Chryso. ad Romanorum hoc defectio nem pertinere autumat: nempe ut suæ eos sortis & cum cæteris gentibus æqualitatis inde admoneret, quod nō aliæ gentes cum illis, sed illi inter alios, citra prærogatiuam, essent vocati. At forsā cuiusdam apparere cōtra potest honoris id gratia & laudis dictum. Cū enim se primum, mox Euangeliū commendauerit, captare Romanorū pergit beneuolētiam, quod ubi primum gentibus prædicatū fuisse Euāgelium, ipsi protinus noia dedissent, quorum fidem paulopost effulgere ait in vniuerso mundo. At ne nimiam eis præberet ansam extollentiæ, non ait, in quorum religionē vos metipso contulistis, aut fidem dedistis, sed quod id totum CHRISTO acceptum referrent, in quibus (inquit) estis & vos vocati IESV CHRISTI, id est, in quorū numerum dignatione & largitate IESV CHRISTI adscripti estis. Vnde, vocati IESV CHRISTI, idem est, quod à IESV CHRISTO, Sicuti statim, dilectis Dei, quod

Act. 9.

Tertia parenthesis.

Contraria sententia.

Prædicatio miraculis confirmata.

Chryso.

In omnibus gentibus.

Esa. 49.

Amplitudo Evangelii.

Christiani.

Paulus seruit assumptæ causæ.

Variat tras latio.

Omnibus.

quod est, à Deo. Vbi & auctore Augusti. Amplitudo Euangeliū præ veteri lege laudatur. Quasi dixisset, Licet ex genere Israel nō sitis, quia tamen Euangeliū in gētes omnes expanditur (ubi nō est Iudæi discrimen & Græci) vos quoque vocati estis. Igitur qua ratione dixerat, vocatus apostolus, ait vocati IESV CHRISTI, quod est, Christiani. Et consonat præterea verbo verbum. Cuius enim se scholæ vocatum magistrū profitetur, eiusdem subiungit eos vocatos esse discipulos. Porro (ut Act. 11. memoriæ proditū est) Antiochiæ primum discipuli cognominati sunt Christiani, instar philosophorū, quorū alii Stoici, alii Pythagorici, aut Academici, aut Peripatetici à suo quisque capite cognominabantur. Et ne vllum præteriret locum, quo nō seruiret ei, quæ agebat, causā, admonitos eos hic habere sategit, primū suæ inter se paritatis, imò verò vniuersitatis, ut non iam deinceps ad Romanorum genus & symbolum vel Iudæorum claritas sent, sed vno professionis vinculo & nomine in CHRISTO censerentur. Deinde (quod Ambrosius agnoui) ut qui inter alias gentes pariter vocati essent, uti alia Christianorum nationes faciebant, ita & ipsi neque minimam antiquæ legis particulam admitterent.

Omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis. Cum sermonem hæc tenus suspendisset, personas iam de more nominat quibus salutem impertitur. Vbi non desunt interpretes, qui transferunt, Qui estis Romæ. Est enim græcè, nō verbū, sed participium / existentibus Romæ / quod per tertiam secundamve personam traduci potest. Obseruantissimum tamen ex arte est, personam quæ saluatur in tertia persona exprimi. Vt Cicero Bruto suo salutem. Quamque neque aliam lectionem respicio, idcirco quod in secūda persona præmiserat, in quibus estis & vos vocati, Omnibus, inquit, utrosque ex Iudæis gētibuscque cōuersos complexus, ut qui in vram Ecclesiā coalescebant, cōmuni nomine saluaret, atque ut hac ratione factionum simbras rescinderet [Dilectis Dei] sanè quod non toti Romanorum Reipublicæ, sed Christianis peculiariter scribebat. Participium duriuscule genitiuo adhæret latine, mollius namque sonaret, dilectis Deo / sed tamen græcè non est nisi nomen / charis, id est, amicis Dei, & ferre id potest latinus sermo, ut reddatur, dilectis Dei / quippe quod esse quoque potest nomen. Id quod & Augusti. auribus benignitatem Dei

insonat. Non enim ait, diligētibus Deū / quasi nos prius dilexerimus, sed, dilectis Dei / id est, a Deo. Siquidem (ut habetur Ioan. 4.) ipse prior dilexit nos ante merita nostra, ut adamati redamare valeremus. Quod & subiectum nomen / vocatis sanctis / explicatius elucidat, quod est, ad sanctitatem ascitis, seu vocatione sanctis, non ex antea actis meritis, sermone apostolis cōsuetō, ut Iudas IESV CHRISTI seruus, &c. his qui sunt in Deo patre dilectis & CHRISTO IESV conseruatis & vocatis. Atque eo sunt vocati, quod prius dilecti, ut vocatio effectus amoris sit, vocationis verò opus, sanctitas. Etenim quos prædestinavit, inquit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit. Sub id quidem tempus nascētis Ecclesiæ in more erat, quorū quos baptisate abluebantur, promiscue sanctos nuncupari. Tum quia mos etiam fuerat antiquæ legis. Vt Leuit. 11. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Et Deut. 7. Populus sanctus est domino. Tum quoque quod / sanctum / ad verbum sonat, purum, mundum, & sordibus penitus defecatum, Deo denique dicatum. In talem vero nos splendorem & nitorem restituit baptisati gratia, dum Deo nos consecrat. Vnde Ephe. 1. Elegit nos, &c. ut essemus sancti & immaculati. Quo ergo augustissimum hoc spiritus sancti donum oriētibus tunc Christianis magis commendaretur, sancti dicebantur. Vt ad Philip. Salutate omnem sanctū. Et, Salutat vos omnes sancti. Quin & se ipse citra insolentiæ notā eodē vsu nūcupauit sanctum. Mihi autem sanctorum minimo. Eadē enim de causa per manū impositionē, quorū pectoribus interne spiritus sancti illabebatur, eorū oculis sensibiliter effulgebat, uti habetur Act. 10. & 19. Post vero adolēcente Ecclesia inter patres tātum & proceres hoc durauit. Ita enim Basilii, Chryso. Hieron. & horum similes mutuo se nomine & honore sanctitatis honestabant. Sed tamen adulta iam ac senescente religione diuos duntaxat hoc titulo censemus, ut quos firmitas sempiternæ sanctitatis securos iam, tutosque fecerit. In terris autem vnum est Ecclesiæ caput, quod sanctitatis nominatione veneramur. Primum ut admonitissimus, quanto sit honore à nobis vicarius CHRISTI suscipiendus. Deinde ut de suo ipse epitheto vicissim intelligat, quo debeat gradu reliquo corpori antecellere, qui vniuersorum iudex & censor in specula Christianæ Reipublicæ publicitus sedet.

Gratia vobis & pax à Deo patre & domino

Aug.

Antiquitas sancti dicebantur Christiani.

Act. 10.

Sanctitas Pontificis.

nostro Iesu Christo. Animo hic reputandum est, vt apostoli, forma salutandi gentibus celebratissima reiecta, nouam Christianam docuerint. Erat enim gentium saluatio salutem / aut bene agere / illud crebrius Latinis, Græcis hoc plurimum vsurpatum. At apostoli, præsertim Paulus, temporariam salutem non tanti æstimantes, vt sit Christianis exoptanda, gratiam imprecantur & pacem. Nam præterquam quod Iudæis fertur saluatio pacis solennis fuisse, cecinit quoque cælestis ille nunciatus nati Saluatoris, Gloria in ex-celsis Deo, & in terra pax hominibus. Sicuti olim fuerat præcantatum. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Vnde redemptor ipse, In quamcumque, inquit, domum intraueritis primum dicite, Pax huic domui. Neque verò idem pollent / gratia / & / pax. Nā gratia via est ad pacem. Illa quippe radix est meritorum prima: pax vero, optimus fructus. Exordium enim salutis nostræ à dilectione Dei sumitur, non qua nos ipsum, sed qua ipse nos prior diligit: per illam namque gratis nobis errata condonat, atque exinde charitatem qua se redamemus, impendit, charitatem autem consequitur gaudium, gaudium verò pax. Nam fructus spiritus (inquit Paulus) charitas gaudium, pax. Enimvero qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Ob idque quasi optato bono potitus, gaudio perfunditur, ac protinus fruitur pace. Est enim pax habitus sedati animi, atque à cupiditatibus ac desideriorum fluctibus pacati. Erat præterea seditionis Romanis deique legis primatu tumultuantibus congruentissima saluatio. Gratia & pax. Gratia verū tamen & pax hominibus deprecanda illa est quæ à Deo patre nobis impartitur. Quo verbo Paulus gratiam illam & pacem, quæ inter homines sunt, fallaces & adulterinas refellit. Vnde CHRISTVS seruator noster, Pacem, inquit, meam do vobis, pacem relinquo vobis: nō quomodo mundus dat, ego do vobis. Pax enim (vt 19. de ciuita. Dei, auctor est Aug.) Est tranquillitas ordinis, vel ordinata concordia. Vbi ergo rerum ordo iusque vnicique non seruetur, imago quidem esse potest pacis, eò quod iniuriam passis facultas non suppetit repetendi, haud tamen vera est pax. Mūdāna pax est, dū propriis vnusquisque affectionibus obtemperat, atque nulla vel ordinis vel iustitiæ ratione habita, animū explet. Sed vera est, cum suo quisque iure continetur, alienū ne violet, cumque intus animus ratione, vt par est, obsequitur: cū denique exi-

gua hæc angustaque mundi bona, in cōmune possideri necia, præceptionibus illis, Nō adulterabis, non furtum facies, &c. Veluti certis limitibus circumseptæ, per partes possidetur. Hæc, inquam, vera pax est huius Christianæ militiæ. Nam alia est pax quæ exuperat omnem sensum, vbi immensum illud pelagus infinitorum bonorum quod nullis terminis includitur, deposito corpore mortis huius possidetur. Vbi scilicet, vt fruentium societas fuerit numerosissima, ita erit voluptas singulorum maxima, pax cunctis firmissima, quietissima possessio, atque adeo felicissima. [A Deo patre & Domino nostro IESU CHRISTO.] In aliis quibus Græcorum exemplaribus pronome / nostro / non attextitur voci / domino / sed / patre / scilicet, à Deo patre nostro, & domino IESU CHRISTO. Vnde cū apud illos vterque possit esse, tam ablatiuus, quā genitiuus, fit ipsis sermo anceps. Possit enim legi, à Deo patre nostro, & domini IESU CHRISTI / quasi idem sit nobis pater communis cum CHRISTO. In pluribus tamen / nostro / copulatur cum / domino / & sic absque omni amphibologia sensus est, gratiam & pacem conferri nobis à Deo patre & à domino nostro IESU CHRISTO. Nempè ab illo, vt in quo primum authoritas præsidet, & à CHRISTO, quatenus mediator est Dei & hominum. Sed tunc perplexior profecto exoritur quaestio de casu / Deo patre / & quidem responsione digna, Virum sit nomen naturæ, ita vt accipiatur pro Deo in tribus subsistente personis, an verò proprie pro persona, quæ gignit filium. Deus enim primo modo est pater noster per creationem & gubernationem. Iuxta illud Deut. Nunquid nō ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit & creauit te? Et in Euangelio, vbi orare docemur, eodem significato accipitur / Paternoster. Ad hanc dubitationem illi qui legunt, à patre nostro, & domini IESU CHRISTI / necesse habent respondere, quòd nomen patris, enunciatum hic de prima persona, quæ est pater CHRISTI. Atque hinc hæretici nacti sunt occasionem inficiandi diuinitatem spiritus sancti, nempè quòd duas hic tantum personas nominaret Apostolus. Cū quibus hic proinde Aug. seriò de hoc conficitur. At verò duobus modis huiusmodi hæreticis obuiā à nobis itur. Primo quòd etiam si acciperetur hic / pater / pro prima persona, non erat illico necessaria expressa mentio spiritus sancti: tū quia argumentum huius epistolæ totum instruitur de CHRISTO, & ideo licet nulla fieret men-

Pax cælestis.

Variatio lectionis.

Questio de patre.

Deut. 32.

Mat. 6.

Diuinitas spiritus sancti.

Saluatio Gentium.

Differet inter gratiam & pacem.

Gal. 5.

Pax vera.

ret mentio spiritus sancti, nihil inde colligitur contra eius diuinitatem, tum etiā quia appellatione donorum gratiæ & pacis, insinuat persona spiritus sancti. Sed præterea manifestum est / patre nostro / non significare hic nisi Deum in tribus personis, cuius auctoritate cuncta nobis obueniunt bona. Eo quòd opera Trinitatis (vt supra diximus) indiuisa sunt extra. Quocirca CHRISTVS licet aduocatus sit apud patrem (vt habetur 1. Ioan. 2.) nō est tamen mediator inter patrem suum, sed inter Deum & homines. Ita enim ait Paulus. Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum. Et ideo non dicit hic / à Deo patre & filio suo / sed, & domino nostro / Neque stare idcirco potest lectio / à Deo patre & domini IESU CHRISTO / sed / à Deo qui est pater noster / & / a IESU CHRISTO / qui est dominus noster. Erat enim apostolis solenne, CHRISTVM appellare dominum, vt Ioan. 20. vidimus dominū. Et 21. Dominus est. Quam Ecclesia consuetudinem etiam nunc seruat, in calce precationū concludens / per dominum nostrum IESVM CHRISTVM: puta cui tamquam mediatori seruitium debeamus. Neque verò absque adnotatione præterendum est, quòd nō dixit / à Deo patre, & Deo nostro IESU CHRISTO / ne deos duos (quæ Arrii fuit impietas) introducere videretur. Vnde (vt Tertulliani aduersus Praxeam obseruatio est) vbi Paulus patrem & filium cōiungit, neque ambos dominos, neque ambos, deos appellat, sed patrem Deum & filium Dominum: vt illud etiā est, 2. Cor. 1. Deus & pater domini nostri IESU CHRISTI. Non quòd filius non sit Deus, vt pater, neu quòd pater non sit dominus, vt filius, sed quòd vnus idemque sint ambo Deus & dominus. Vnde Philip. 2. vbi diuinitatem filii manifeste comprobatur, comparatione ad patrem, non ait, Qui cum in forma Dei esset nō rapinam arbitratum est se esse Deum (ne alium à patre deum falsus quis suspicaretur) sed se esse æqualem Deo, quod est, deitate parem. Ecce diuinam Pauli salutationem, vbi à sua primum persona deinde à re ipsa de qua dicitur est, attentionē & docilitatem venatus est. Etenim si attentio (vt inter rhetorum præceptiones refertur) inde potissimum excitatur, vbi de rebus maximis, altissimis atque insolitis diciturum se orator pollicetur, vnde quæso potuit comparare Paulus maiorem, quā cū apostolus legatusque Dei, de ipsius filio, tot retro seculis per diuinos prophetas in scripturis sanctis, foedere sempiterno mortalibus pro-

Christus quomodo mediator.

Christus dominus.

Annotamentum.

Tertul.

Philip. 2.

Epilogus salutationis.

Attentio.

missio, diciturus prodit? Inde verò eos doctiles reddidit, quòd non excogitatis à se argumentis, sed prophetarum testimoniis, & quas sibi Deus afflauerit rationibus, cuius apostolatu fungitur, rem agere proponit. Namque beneuolentiā in exordio statim sibi aucupatur, Primū quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annūciatur in vniuerso mundo. Post salutationem exorditur epistolā. Exordium autē, quod secunda pars est huius capituli, vsque ad verbum / Non enim erubescō Euangelium / totum in hoc expendit, vt suū erga Romanos beneuolum & amicum animum aperiat, quo eorum quoque in se reciprocum amorē excitare valeat. Id quod opera precium erat, antequam eos criminationibus suggillationibusque aggredieretur. Nam cum Paulus apud illos ex Iudaismo cōuersos, veluti legis hostis, male audiret, potuisset facile illis in suspensionem venire, quòd sese potius vliscēdi causa, quā vt eos corrigeret, maledicta illa iactaret. Sed est hic præterea præfectis Ecclesiæ, & quibus cura incumbit animarum egregium documentum, quo corripiendi acerbiter, in quam sapennero necessarium illis est incidere, Christiana lenitate mitigare discant: quinimo à beneuolentia initium sumere correptionis. Vt cum vtrumque (vt ait Aug.) sit necessarium, amari potius appetant, quā timeri. Atqui articulis septem præfationē hanc absoluit. Inchoat enim primum ab eorum laude, quòd fides ipsorum in vniuersum orbē emicaret. Vbi multa profecto sunt annotatu dignissima. Prospicius enim primum omnium intentusque in negotiū quod susceperat, suppressendi videlicet eorum fastum & arrogātiā, non ait, Laudo vos de fide ista vestra tam firma, tamque cōstanti, aut quid huiusmodi, quod propriæ virtuti possent adscribere, sed totum Deo & sospitatori nostro CHRISTO transcribit secundum illud Iacob. 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. [Primum quidem, gratias ago Deo meo.] Sanctissima est eloquentia, quæ cum ab eorum laude videatur initium capere, potius à gratiarum diuinarum actione initur, ex qua omnis debet oratio proficisci. Ac denique ita hic Christianos instituit, ne de vanis bonorum nominibus, vnde inanem gloriam aucupantur homines, sed de his penitus quæ ad virtutem & religionem pertinent, proximos laudemus: ac ne tunc quidem homines

Docilitas.

EXORDIUM epistolæ.

Beneuolentiā cōparat sibi Apostolus.

Documentū salutari.

Septem mēbra.

Multa adnotanda.

Gratiarū actionis exordium.



homines, sed bonorum omnium largitorem. Etenim virtutum opera, non tam quod sint merita nostra, quod dona Dei, laudi sunt danda ab hominibus in hac vita. Deus enim est qui, quatenus sunt merita, laudabit, remunerabitque tempore suo. Vox/primum/nihil aliud mysterii abdit, quam quod est captandis initiis accommodata: velut, iam primum omnium satis constat. Gratias de receptis beneficiis agimus, uti de fide hic Romanorum

*Primum.* [Deo meo] Deum omnium (ut infra cap. 4.) suum ipsius peculiarem, sanctorum idioma te nominat. Habet enim emphasin huiusmodi sermo & significationem necessitudinis cuiusdam singularis, aut ex parte Dei, qui speciali quadam praeter ceteris cura tali homini prospicit, aut ex parte hominis, qui singulare studium gerit colendi Deum: porro cui solus Deus pro omni bono est. Vtraque ratione olim Deus Hebraeorum praedicabatur, ut Exo. 3. & Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Jacob. Sed praeter has causas, ob quas iure optimo id Paulus poterat, forte/ Deo meo/dixit, ut legitimus pastor, quo amplius explicaret, quam pro suo proprio, bonum eorum duceret, id est, Deo/ qui mihi hoc beneficiu, propriu in vobis largitus est. Veluti Moses in beneficio transmissimaris, Deus meus & glorificabo eum. [Per IESVM CHRISTVM] vtruque mediatoris munus est, veluti sacerdotis & pontificis nostri, puta, & dona nobis a Deo deferre, & nostras vicissim ante conspectu eius preces & sacrificia offerre. Quarpropter in precationibus ecclesiasticis subiugimus, Per dominu nostrum IESVM CHRISTVM. Et Paulus Heb. 3: Considerate, inquit, apostolum & pontificem confessionis nostrae IESVM, qui fidelis est ei qui praefecit illum: sicut & Moses in omni domo eius. Ut enim Moses inter Deum & populum internuncium agebat, preces populi in auribus Dei exponens, a quo & legem rursus & mandata populo renuntiabat, ita CHRISTVS nuncius delegatus est atque institutus sacerdos noster apud Deum. Imo tanto amplius (inquit Paulus) CHRISTVS Mose, quanto amplioris gloriae est qui praefecit Mo- sen, quam praefecit ipse Moses. Ob idque qui paulo ante, apostolatum se recepisse per CHRISTVM confessus est, per quem & gratiam & pacem Romanis item optauerat, per eundem etiam nunc gratias Deo refert [Pro omnibus vobis] Omnes, uti supra, communi appellatione complectitur, ne factiosus hominibus, & de honore concertantibus, flammam accenderet

iurgandi, vtrius populi notatione anteferret. Atqui esse potest, ut quod gratiae est vobis idem sit hic quod de/vt/pro vobis/materiam designet gratiaru actionis. Ac si dicat, Gratias ago de vobis quod per clementiam diuinam Ecclesiae insiti sitis: sane quoru accessione fides CHRISTI tantum incrementi & fulgoris acceperit. Aut/pro vobis/id est, nomine vestro. [Quod fides uestra annuntiat in uniuerso mundo] Non eis congratulatur (quod Chryso. obseruat) terrena atque caduca, utpote imperii ditiationem & gloriam, quae nihili sunt aestimanda, sed fidem. Quin age lector, quae se Paulus sapienter causam insinuet, speculari. Nullum eoru officium, neque charitatem, quae maior est fide, commemorat, praeter vnam fidem, hac nimirum ductus ratione. Cum haec esset virtus de qua totum argumentu huius epistolae instituit, quae est Christianae fundamentum religionis, essetque Romanos reprehensurus, ac vellicaturus, quod fidem non pro dignitate penderent atque suspicerent, legi scriptae vel naturali tribuentes, quod fidei erat propriu: captat inde primum eoru benevolentiam, quod Romae fuerit suscepta fides, unde, cum caput esset & arx ac publicu foru totius orbis, nome CHRISTI amplissime posset diuulgari. Sed & hinc etiam mirifice se accingit ad causam, eos utique commonefaciens, ut cogitaret quoadmodu in sua opinione periclitaretur tota mundi fides. Nam cum essent positi in exemplum vniuerso mundo, sua vel veram vel falsam doctrinam probare poterant & sequi nationes aliae. Vniuersus mundus/non intelligitur iuxta propria verbi notationem. Nondum enim tunc praconiu Euangelii in vniuersos orbis angulos euolauerat, quia neque ad Antipodas tam breui quieverat penetrare, quod cap. 10. repetendu nobis est. Sed vel est hyperbole, quae sacris literis nihil officit: ut est illud Mat. 19. Facilius est camelum per foramen acus transire, &c. nihil enim mentitur qui superlacionis schemate nomen alicuius illustrissimi viri toto orbe terrarum celebratum dixerit: vel forte Romanis Romano loquitur more, qui eadem hyperbole ditionem suam & dominatu, quo latissime patere significarent, vniuersum orbem appellabant: ut est illud Euangelii, Exiit ad dictum a Caesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis.

Testis enim mihi est Deus cui serui in spiritu meo in Euangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri

Pauli sapientia.

Fides.

Vniuersus mundus.

Hyperbole non officit vero.

Luc. 2.

Secunda pars prologi.

Quatuor orationum genera.

Obsecrare.

August. De licito iuramento.

Hieron. Iuramenti comites.

Mat. 5.

stri facio semper in orationibus meis. Secundum membrum sermonis, quem de sua in Romanos explicanda beneuolentia instituerat, est, quod sine intermissione orabat pro eis. Quatuor enim sunt, quae ad Timotheu iubet fieri in Ecclesia, pro regibus, & pro vitae tranquillitate. Haec sunt obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones. Et quidem gratiarum actio, ut paulo ante dicebamus, de receptis est beneficiis, quas quidem gratias iam nunc fecit pro ea, quam susceperant fide: oratio autem cum postulatione ad ea quae defunt, impetranda funditur, sed obsecratio, quaedam est, adiecta coniuratione, imprecatio, ut cum per sancte incarnationis mysterium, aut per passionem eius & crucem, deum qui nos exaudiat, adiuramus. Vnde/obsecrare/ob sacra precari. Has hic Paulus speciatim gradatione quadam coorditur, praemisso iuramento. Sunt autem qui cogitant orationem hanc/ Testis mihi est Deus/ non esse Paulo iuramentum, propterea quod gratiae non est nisi/ Testis meus est Deus/ quod videtur narratiue prolatum, potius quam sub forma testis inuocandi. Sed re vera & verbum Graecum habet etiam attestandi formam, tamen si magis id consonum interpres Latinis auribus reddiderit: & crebro Paulo in more est, ubi necessitas occurrit, iurare, ut Gal. 1. Ecce coram Deo quia non metior, & alibi saepe (ut auctor est August.) in lib. de serm. domini in monte, & contra medacium, & contra Manichaeos. In quibus locis hoc exemplo Pauli comprobatur, non esse illicitum iurare, quinimo nonnunquam ex causa honestum esse religionis officium, ad Dei pertinens cultum: utpote quem iurantes confitemur infallibilem omnium veritatem & prospicientiam habere, ut cui omnia sunt in conspectu, etiam abditissima cordium: dum modo suos habeat iuratio comites, ut ait super Hieron. Hieronymum. Nempe veritatem, iudicium, & iustitiam. Quandoquidem auctore eodem Apostolo ad Heb. 6. Iuramentum omnis controuersiae finis sit ad confirmationem. Quae de causa, inquit, & Deus ipse iuramento per semetipsum Abraham promissiones obfirmavit. Quod autem habetur in Euangelio, Sit sermo vester, est est, non non, quod autem amplius est a malo est, non intelligitur malum esse (ait August.) ex culpa iurantis, sed vel ex culpa exigentis iuramentum, plus forte nimo increduli, vel ob malum poenae: scilicet, propter ingenium & conditionem mortaliu, quibus post peccatum Adae non est facile de

re occulta fidem adhibere citra testes, & iuramentu. Quare non ait, quod amplius est, malum est, sed a malo est. Est autem peierare sacrilegium: nempe ubi Deo nota impingitur, aut ignorantiae, quod ipsum lateat quid homo habeat in corde, aut iniustitiae, quod veritatis conscius contrariae attestetur falsitati. Sed citra necessitatem de rebus minoribus iurare, temeritas est, & tanta maiestatis irreuerentia: consuetudo vero periculosa, & quae ad peritiam viam sternit: iuxta illud Eccle. 29. Iuratione non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Iurat autem Paulus cum omnibus iuramenti circumstantiis cautissime ac circumspiciissime. Primum necessitate appulsus. Nam cum Romanorum illis pseudoapostolis infestus esset, non erat illis persuasum facile, quod tam propenso in eos esset animo quod tamen creditu eidem erat operae pretium, ut eius doctrina proficerent. Quin vero habet hic emphasis plurimum iuratio Pauli, ad efferendam, quam in eos gerebat charitatem, Secundo iurat de re occultissima: utpote de oratione, quam secreto absque testibus agebat. Ac denique tertio in scripto ubi maturius & consultius loquimur. Sed tute animo tecum attentius quam exprimerem ego valeam, reputa, quam congruenter, quantoque cum decoro vestit perornatque iuramentum suum. Cui serui, inquit, in spiritu meo in Euangelio filii eius. Vbi verbum Graecum λατρεύω, non significat, utcumque seruire, sed reuerenter, quasi Deum colere & adorare: unde/latra/deriuatur, theologoru vox. Ut ergo irreuerentiam iuramenti expurgaret, quod quis posset temerarium suspicari, ait, Testis est ille, quem non solum extere, sed in spiritu meo summopere reuereor, tantum abest ut irreuerentissime testem falsi appellarer. Et cui serui in Euangelio filii eius, hoc est, in illo obsequii genere, ubi summa fides, ac veritas constantissima, necessaria est, quippe cuius ministris Deus arcana pectoris sui concredidit, quae summa fide euulgarer. Per spice ergo quam sit iuramentum Pauli, non excusandum modo, sed plane laudandum. Chryso. praeterea in verbo / spiritu meo/ meditatur sublimitatem cultus euangelici respectu Gentilium rituum, Iudaicarumque caerimoniarum, quoru prior vanus erat, & corporeus: alter autem, verus quidem, sed tamen ipse corporeus, in animalibus maectandis plurimum positus. At vero euangelicus ethnico contrarius est, quia verus, Iudaico autem praestantior, quia spiritualis. Vnde Ephes. 3. Qui in spiritu

Peierare sacrilegium.

Eccles. 29.

Iuramenti circumstantiae.

Iurationis Paulinae ornata.

Chryso.

Primum.

Deo meo.

Exod. 3.

Heb. 3.

Pro omnibus vobis.

in spiritu seruimus in CHRISTO IESU, & non in carne / [Quod sine intermissione, &c.] Non ait simpliciter, sine intermissione, quia & dormiebat & procurabat alia, sed sine intermissione, idem est, quod in omnibus suis orationibus, scilicet, quotiescunque stans horis orabat. Est enim prelati munus, cuius proinde & cura maxima esse deberet & vigilantissimum studium, non solum verbum in animis populi predicando seminare, sed precationum ite assiduitate, agricolarum exemplo, apud Deum agere, qui humorem superne caloremque sufficiens, sementem ad frugem usque prosperet ac perferat. Nam ego, inquit, plantavi, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.

Obscraans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam, in uoluntate Dei ueniendi ad uos. Tertia ratione beniuolentiam colligit Romanorum, ex eo quod cuperet eos uisere, atque ita cuperet, ut inter alias obsecrationes hoc plurimum peteret, ut sibi per alia negotia aliquando uacaret ad eos uenire. Enim uero hoc forsitan de Paulo conuincuntur Romani, quod cum Christiani & ipsi essent, & in urbe quae orbis esset praclarissimum caput, atque eius ipsius ditionis, qui apostolus erat gentium, nullam aut perexiguam sui rationem duceret, si quidem cum Graeciam totam perlustrasset, nunquam, ut Romam ueniret, concepisset animo. Hanc ergo suspicionem hic animis eorum eximere molitur. Neque uero ad uerbiorum conuincematio illa & inculcatio / si quo modo, tandem aliquando / ociofa est, sed habet necessarium quid energiae ad maiorem depromendum affectum. Nam / tandem / uehementiam praese fert desiderii. Et ideo ait / si quo modo, &c. / id est / Si quacumque uia & tempore mihi liceret, desiderium meum implerem. [Prosperum iter in uoluntate Dei.] Non enim uel aeris inclementiam, uel locorum asperitatem metuebat, uel quod aliis implicitis secularibus negotiis praepediretur, sed id tantum optabat, si uoluntas esset Dei, ut ab aliis, quibus ob causam ipsius distrahebatur, peregrinationibus tandem expediretur, quo facultas sibi fieret diuertendi Romam. Fuerat namque (ut Galat. 2. meminit) cum Barnaba decretus in Macedoniam & circumadiacentes regiones (unde epistolam hanc mittebat) tum praedicationis gratia, tum ut eleemosynas pauperibus, qui erant Hierosolymis procuraret. Et ideo ante transactum negotium non inde ab-

ducere se poterat: imò neque absque nutu Dei, cui se totum addixerat, mouere pedem.

Desidero enim uidere uos, ut aliquid impartiar uobis gratiae spiritualis ad confirmandos uos, id est, simul consolari in uobis per eam, quae inuicem est fides uestram atque meam. Causam denique optati itineris exponit, quod ipsius erga illos uoluntatis quartum est argumentum. Non enim eum uisendi Romanos cupido incesserat, ut maiestatem spectaret urbis, superba aedificia, monumentaque uetustissima suspiceret; neque uilla item ex huiusmodi uoluptatibus, quas inanis hominum cura in uisitandis amicis captare solet, sed ut aliquid illis impartiretur gratiae spiritualis. Aut nunquam, aut certe quam rarissime Paulo uirtutis, fideique & gratiae nomen, in hac praesertim epistola, ab ore decidit: quorum enim solum fidem supra commendauerat, eis gratiam nunc gestit impartiri. Hic non est graece χάρις, ut supra, ubi gratia & pax, sed χάρισμα, quod est, gratiae donum. Non enim eius functionis erat, gratiam iustificantem conferre, quod diuinum est munus, nisi praedicando, docendo, persuadendoque & exhortando: quae quidem genera gratiae gratis datae sunt, quae Romanis hic cupit impartiri. Addit / spiritualis / uel singulis uerbis a terrenis eos ad caelestia se uocare perseueret. Ambrosius non legit / impartiri / sed administrare. Et Chrysostomus / transmittere. Ubi notat Paulum insinuare, quod non promittat propria elargiri, sed quae acceperat communitate. Nihilominus tamē de ferius habet / impartiri / nam & ea quae nobis, ut dispensamus demandantur, dicimur quoque impartiri. Sed est hic mentis attentione considerandum, quanta tum modestia, tum etiam sinceritate & eloquentia utatur. Etenim ne eum redargueret, quod qui gratiam iam suscepissent, nullius amplius egerent, ait / Ad confirmandos uos, in ea scilicet qua suscepistis gratia. Unde constat quod non fuerat illis supra gratulatus fide, tanquam eis esset praeter ceteris nationibus firmissima (imò erat opinionibus pseudoapostolorum commixta & exulcerata) sed quod esset celebratissima: uel ipse quod admiratus esset mundus, Romam antiquissimas, & quas sanctissime colebant, patrias leges cum lege noua crucifixi hominis commutasse. At quia uerbum confirmationis duriuscule & acerbè eorum forte animos percellere poterat, ut quo notam illis impingeret fluctuantis animi, altera se exponit

exponit mitiori uoce mutuae consolationis, quo uidelicet temperamento omni se humanitate & comitate demitteret, ac parem se illis faceret, [id est, simul consolari in uobis] Interpretes huius temporis taxant hic ueterem, quod duo uerba graeca eiusdem formae diuersè reddunt latine. Graeci enim gerundiis carent, quibus sufficiunt uerba infinita. Graeca sic habet lectio, Ad confirmare uos, id est, simul consolari in uobis. Quod aiunt isti ita uertendum fuisse, ut utrumque ad illos pertineret: scilicet / ad confirmandum uos, id est, ad hoc ut inter uos inuicem consolationem alterutrum capiat. Sunt ueruntamen isti nimium caesores. Interpretes namque prospiciens subsequenter orationem / per eam, quae inuicem est, fidem uestram atque meam / qua palam fit, non esse sensum, ut ipsi inter se inuicem se consolarentur, sed quod & illi ab Apostolo, & ab illis recipere ipse solamen caperet, licet dixisset, ad confirmandos uos, (quod Latinus sermo postulat) non subiunxit / ad consolandum uos / uel / ad uestram inter uos consolationem / sed / simul consolari in uobis. Quod fateor perspicacius dixisset, Ut nos inuicem mutuae consolationem capiamus. Sed fuisse haec, paraphrasis potius quam translatio. Atqui ut supra gratias agebat agere se Deo suo, quasi eorum bonum, suum existimans proprium, ita & hic angere se desolatumque inuit eorum dissidio, atque adeo cupere de eorum pace solamen capere. Quocirca id quod ait, [Per eam, quae inuicem est, fidem uestram atque meam] referri uino modo potest ad unam fidem CHRISTI, ut sensus sit iuxta expositionem Ambrosii, quod cum ipsi solidi fierent in fide eius praedicatione, per eandem fidem consolationem cum illis haberet etiam ipse, qui bonum illorum suum ipsius reputabat. Vel forte / fidem uestram atque meam / dixit, alludens ad mutuae fidei, quam ipse illis tanquam discipulis CHRISTI, atque sibi illi uicissim tanquam apostolo debebat. Ut sit sensus, Desidero uidere uos, ut cum uos experiar mihi auscultantes, atque opera mea confirmatos consolatosque, solatium quoque mihi afferat correctio uestra.

Nolo autem uos ignorare fratres, quod saepe proposui uenire ad uos, & prohibitus sum usque adhuc: ut aliquem fructum habeam in uobis, sicut & in ceteris gentibus. Quinto argumento pergit etiamnum animum erga eos suum patefacere: nempe qui non solum optabat postulabatque

a Deo iter illuc prosperum, sed animo id saepe etiam proposuerat, nisi fuisset prohibitus. Sunt qui uertere malint, praepeditus. Nam obstantia, inquit, negotia sunt, quae impediunt: idque usum ueniebat Paulo. Prohibet autem qui interdicit ne facias, quod illi non contingebat. At uero praeterquam quod, prohiberi, saepe etiam usurpatur pro eo quod est impediri, forsitan Apostolus hoc loco id sentiebat, quod est proprie prohiberi. Non enim tam negotia aliorum trahentia causabatur, quam quod esset a spiritu sancto prohibitus, cuius solius nutu se se permiserat. Talis enim erat apostolis loquendi consuetudo. Unde Act. 16. de eodem Paulo & Sylla legitur, quod transeuntes Phrygiam & Galatiae regionem uenturi sunt a spiritu sancto loqui uerbum Dei in Asia. Atqui Ambrosius, Origenes & Theophylitus consentiunt. Quinimo secundum Ambrosium haec prohibitio nem in culpam illorum reuocit Paulus. Ait enim a Deo fuisse prohibitum, qui sciens adhuc imparatos illos, ad alias eum urbes direxerit. Cui quidem sensui alterum etiam addit Origenes, scilicet quod potuit & a Sathana prohiberi: quemadmodum ad Thessalonicos ait. Voluimus uenire ad uos semel & iterum sed impediuit nos Sathanas. Haec Origenes. Qua forsitan de causa praemiserat obsecrasse Deum, ut prosperum illi iter concederet: atque adeo per hoc quod ait, prohibitus, emollire Romanorum animos intendebat, ut a suis contentionibus desisterent, ne illa essent forsitan in causa, cur non ipsi fieret diuinitus facultas eos uisendi. Ambrosius legit / Arbitror uos non ignorare / quasi iam id fuisset Romanis compertum per fratres qui Romam uenerant, quo & Hieronymus respicit. Et forsitan isti patres tale exemplar Graecum nati sunt: in his tamen quae modo circumferuntur non est nisi / Non uolo [ut aliquem fructum, &c.] Hoc non proximo uerbo / prohibitus sum / apponendum est, sed superiori / uenire ad uos. Fuit enim hyperbaton hoc necessarium, uidelicet, interserere impedimentum itineris ante propositam causam, ne postea filium orationis intercideret: ut confestim uidebitur. Atqui (ut S. Thomas commemorat) referri hic fructus potest, non solum ad fructum qui ex augmento fidei, Ecclesiae Dei accresceret, uerum & ad eum etiam quem Apostolus inde ad suorum meritorum cumulum erat appositurus, secundum illud Ioan. 4. Qui metis mercedem accipit, & fructum congregat in uitam aeternam. Quin uero hunc secundum sensum locupletando persequitur Origenes.

Sine intermissione.

Praelatorum munus.

Tertia pars.

Quarta pars.

Fides &amp; gratia.

Ambrosius Chrysostomus.

Modestia &amp; eloquentia Pauli.

Respondetur pro interprete.

Ambrosius.

Quinta pars.

Prohiberi.

Ambrosius.

Origenes.

1. Thessalonicos.

Hyperbaton.

Fructum impartiar.

Origenes.

C edisse.

edifferens, quomodo Paulus multarum diuinarum cupidus, ex multis possessionibus proventus congregare desiderabat. Sensus autem prior est, qui menti literæ videtur magis consentaneus. Nam qui Deo plenus apostolico munere fungebatur, non tam ad suorum mentorum accessionem, quam ad amplificandam stabiliendamque fidem in cordibus hominum coniciebat oculum, sciens inde charitatem locupletius ditari, quod non querit quæ sua sunt. Itaque quod antea dixerat / gratiæ spiritualis / hoc est quod explicatius modo ait, Ut aliquem fructum habeat in vobis, seu apud vos. Alludens ad mandatū illud CHRISTUS Ioh. 15. Posui vos ut eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat. Tæsti modestiæ causa non dixit / faciat / sed / habeat. Atque hic intellectus ex subiunctis continuo verbis eruitur, quibus ait, se debitorem esse cunctis gentibus.

Sexta pars.

Græcis ac Barbaris, sapientibus ac insipientibus debitor sum. Sexta hæc pars est huius prologi, qua ita causam reddit proximæ orationis, ut semper in concilianda benevolentia persistat. Ait enim ideo se tantopere affectasse viam in urbem, quod vniuersis æque sit debitor, cuiuscumque sint nationis aut sortis. Quamobrem si Græcis prius prædicauerit, non est quod minus debeat Romanis, sed quod illuc fuerit à spiritu sancto impulsus. Orige. quatuor hos, non datiuos, sed ablatiuos esse censet. Nam græcè in hac forma loquendi idem casus utriusque seruit, suppleta ergo particula / quibus / sic intexit hanc litteram. Sicut in cæteris gentibus Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus, quibus debitor sum. Qui non utique esset inconcinnus ordo. Efferrī nihilofecius bene latinè posunt, ac forte aptius, in datiuo, ut sit hoc membrum distinctum, quo redditur causa cur in Romanis, veluti in cæteris gentibus, fructus fidei facere cupit. Græcorum fuit olim idioma, exteris omnes nationes, barbaras appellare. Vel ex eo (ut Strab. lib. 14. author est) quod homines dure & aspere Græcam linguam pronunciantes, quasi blætos & balbos iudicabant: atque inde à sono barbar, qui est balbutientium, fictitio nomine vocabant barbaros. Vel à Barbaria regione (ut aliis opinio est) cuius incolæ, quibus cum Græcis commercium erat, ineptissimi erant, ut græcè loquerentur. Vndecumque id tamē emanarit, usus obtinuit, ut quibuscumque non erat lingua Græca, Barbari, & quicquid in Græcia esset pere-

Barbari. Strabo.

grinum, barbarum diceretur. Exinde ad naturam agrestem & incultos mores accommodari vocabulum coeptum est. Vnde Anacharsidis extat dictum, in Solonem urbane reiectum. Is enim cum ex Scythia Athenas venisset, à Soloneque barbarus esset salutaris, respondit, Est per Iouem & Solonem Anacharsidis, ita ut Anacharsidis Soloni barbarus. Et ideo. 1. Cor. 4. Si nesciero, inquit, Apostolus, virtutem vocis, ero cui loquar, barbarus. Vsu tum demum Latini idem sibi vendicauerunt, ut ignaros suæ linguæ, barbaros nuncuparent. Græcis ergo & barbaris, idem est, quod Græcis & residua orbis parti: ac si dixisset, vniuerso orbi. Nisi maus idem prorsus esse, Græcis & barbaris, quod statim definitionis schemate subdit / sapientibus & insipientibus. Sed præstat prior sensus. Quamquam Iudæos secundum Originem neque in Græcis posuit (ut quos paulo post Græcis contraponit) neque barbaros appellasse est verisimile, sed appellatione Græci ac barbari, gentium tantum vniuersitatē expressit, quibus erat proprie debitor, tanquam gentium apostolus. Nam Iudæorum populo (cui CHRISTUS præcipue fuerat missus) pro manifesto habebat se esse debitorem, uti erant reliqui apostoli. Sed de hoc Paulo post distinctius. Chryso. barbarorum nomine Romanos vult comprehendere, eo quod non sunt natione Græci. Ambro. contra, græcorum vocabulo omnes Romanos intelligit: id quod persuasum / facilius forte est. Haud enim est verisimile, quod in exordio statim tam dura, infamique barbarorum voce eorum animos perculisset, quorum affectabat benevolentiam. Eo vel maxime quod ubi statim subdit / sapientibus & insipientibus / absque dubio sapientium numero complexus est quoque Romanos. Quippe qui iam sub id ætatis bonas literas artesque ingenuas coluissent, ac legum politia morumque elegantia reliquis antecellerent nationibus. Accedit & huc coniectura, quod Romani vel ea fors ratione quod Græcus Pythagoras in Italiā philosophiā intulit, vnde (ut author est Hieron.) magna Græcia Italiæ pars quædam dicta est, Græcorum appellatione concluderentur. Neque vero differtia, si quis / Græcis ac barbaris / ad naturam referat, id est, tam elegantibus & ad literas natis hominibus, quam agrestibus & feris / sapientibus verò & insipientibus / ad artes: scilicet, tam eruditis & cultis, quam scientiarum rudibus. Collige hinc ergo quod nulla natio, quamuis in remotissimis insulis abditissima, tam esse potest beluini ingenii, cui non debeat evangelica prædicatio.

Anacharsidis.

Chryso.

Romani Græcorum appellatione.

Nota veritatem catholicam.

Iudæi sapientes.

Diuina potentia.

Septima pars.

Emphasis.

Euangelizare.

dicatio. Et est dubio procul, qui huic catholice veritati contradicit, condemnatissimus error. Alias neque vellet Deus omnes homines saluos fieri, nec fuisset CHRISTVS, vti vniuersalis redemptor, pro toto humano genere passus. Sunt autem qui sapientium hic nomen Iudæis ascribant, propter peritiam legis, qua ad Euangelium poterant manu duci, & è contrario gentes omnes, ob legis inscitiam, insipientium nomine intelligant. Sed tamen lectio hæc non adeo videtur legitima. Quicquid sibi tamen Paulus verbis huiusmodi voluerit, mirificum sanè diuinæ potentia, & virtutis testimonium erat, quod cum Græcia omnium scientiarum emporium haberetur, totiusque sapientiæ splendor & cultus, Roma vero imperium mundi, homo natione Iudæus (gens toti orbi abiecta & inuisa) absque humana vlla eruditione, artifex quidam tætoriorum futur, debitorem se Græcis Romanisque erudiendis auderet prædicare. Sed ita Deo complaceat fuit, secundum altissimum iudicium suum, perdere sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobare. Nam quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Ita quod in me promptum est & vobis qui Romæ estis, euangelizare. Septimum est ac denique postremum prologi membrum, ubi conclusionem præmissorum facit. Concludit inquam gradationem, qua suum aduersus Romanos affectum exaggerat. Neque quod in eodem proposito videndi eos, quod semper habuerat, adhuc persisteret, quodque idem iter, quod à Deo petierat prosperum, et procurauerat, etiam tunc esset promptissimum arripere: neque per ipsum stare, quominus habita facultate, conficeret. Sed & coniunctio illa. [Et vobis qui estis Romæ euangelizare] emphasim habet, ac si dixisset, Nihil plus cunctabor, & vobis qui in gloria summa estis & fastigio mundi, qui leges orbi præscribitis, & eloquentiæ numeros cum omni philosophiæ genere coniungitis, euangelizare, quam provincialibus vestris ac subditis. Euangelizare vobis / ita est græcè, scilicet in datiuo, sicut annunciare & prædicare vobis. Tamen / euangelizo / græcè & cum accusandi quoque casu construatur, sicut / doceo / apud nos. Vnde / Pauperes euangelizantur, id est, quod / Doceatur Euangelium.

Nō enim erubescō Euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Submittit hic

causam eum sit promptus, etiam Romæ prædicare, quia scilicet non erubescit prædicationem Evangelii. Ob idque plerique interpretum ad exordium hunc textum pertinere existimant, enarrationem verò à subsequenti verbo / Reuelatur autem ira Dei / inchoari. Videtur autem nisi fallor, ita ad exordium calcem pertinere, ut sit etiam narrationis caput, atque adeo nodus utriusque partis. Quin verò est propositio argumenti totius epistolæ. Quocirca hic præmittenda est totius diuisio ac distributio. Igitur (ut supra dicebamus) tripartitum est epistolæ huius argumentum. Primum enim Romanos, in quibus & totum mortalium genus, admodum habere satagit conditionis suæ & inopia post Adæ peccatum, utpote qui suo ingenio & facultate naturali, redire in gratiam Dei nequeunt. Deinde (quod inde consequens fit) omne studium totusque conatus eius est, ita nos instituere, ut credamus, salutem & reconciliationem nostram, opus Dei esse per fidem & gratiam IESU CHRISTI. Tertiam demum partem in hoc expendit, ut nos per gratiam Dei iustificatos ad charitatis officia exhortetur. Duo priora tractat in vndecim primis capitulis, at ita promiscue commixtisque, ut vix possint perspicue discerni. Et ideo distributio quam possumus exactissimam facere, in quatuor fit præcipua membra. Siquidem in quatuor primis capitulis intendit illam constabilire conclusionem, quam profert cap. 3. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Vbi ostendit gratiam Dei & fidem sic esse vniuersis vsquequaque necessarias, ut absque illis nulla vllius legis opera Deo sint grata & accepta, tanquam vera iustitia, sed gratis nos propter eius misericordiam iustificari. In quatuor deinceps sequentibus patefacit earundem fidei & gratiæ amplissimam virtutem ac facultatem ad salutem, ad legisque implementationem, denique ad consummationem vitæ Christianæ. In tribus autem subsequentibus agit de origine eiusdem gratiæ & fidei iustificantium. Quibus tribus membris constitutis liquidò constabit, tum indigentia nostra, tum præcipue potentissimum auxilium Dei. Quartum denique membrum, puta à duodecimo capite vsque ad finem, exhortatio ferè est hominum iusticatorum ad exaugendam percolendamque iustitiam. Proponit ergo statim hoc capite intentum prothema, scilicet fidem & gratiam euangelicam cunctis esse mortalibus necessariam ad salutem, ut sine qua nulla vnquam

ENARRATIONIS caput.

Argumentum.

Distributio in quatuor membra.

Prothema.



lex potuit hominem iustificare. At itaque, Non erubescio Euangelium. Enimvero cum ea esset Romanorum superbia & gloria, vt nihil humile saperent, nihil deiectum & vulgare, vel admittere, vel certe audire dignarentur, nisi quod de media philosophia de promptum esset, omniq; ornatum elegantia: neq; rursum in deos referrent, nisi homines illustres, victoriisq; & triumphis clarissimos: pudere certe quemq; poterat, praconiūq; Romam inferre Iudæi hominis, & fabro (vt vulgo putabatur) prognati, qui non solum nullam habuisset vnq; armorum potentiam, verum scelerum reus factus, crucis dedecus inter latrones medius pertulisset. Hunc scilicet vnū Deum praedicare, cōtra verò Herculem, Iouem, aliosq; hoc genus indigetes atq; penates deos, veluti hominum portenta, eliminare, eorumq; delubris imaginem Dei asfigere pendentis in patibulo, poterat circumspectissimus quisq; erubescere, atq; is praesertim, qui non eloquentia polleret Ciceronis, cui aures illi assueuerant accommodare, sed ea sermonis incompta simplicitate vsurus foret, quam ad retundendam sapientiam huius seculi Deus prouiderat. Poterat inquam vnusquisque id erubescere, nisi qui ab ore eiusdē Dei audisset, Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Mirificè autem ac venustè Hieronymus, expressit hunc Paulinum affectum. Ecquid enim Apostolus apud eos homines Euangelium Dei erubesceret facti hominis, qui non solum prodigiosos homines, verum animalia bruta colebant vt deos, cum in primo admiranda pietas sit, & in altero horrendum dedecus. Vbi & haeretici pariter subnotantur, qui indignum reputabant, vt hominem Deus indueret. Igitur nihil erat, cur Paulus Romanos erubesceret, qui nihil falsum, sed diuinam veritatem, qui nihil humile, sed summam pietatem praedicabat. Quin habebat potius ex quo idololatrias illos pudefaceret. Vnde quod hic ait, Non erubescio, repetit ad Corinth. Praedicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem, &c. Dei virtutem, & Dei sapientiam. Est rursus merito considerandum, quàm ex arte qui in fronte statim salutationis nominauerat se apostolum, hoc est, ministrum segregatum in Euangelium, in calce itidem exordii verbum resumis Euangelii, vnde eius virtutem decentius

aggrediatur enarrare. Idcirco subdit [Virtus enim Dei est] Ecce propositionem thematis, ac narrationis initium. Quando verò ait quòd Euangelium est virtus, non vsurpatur hic nomen Euangelii pro verbis euangelicis: ea ratione, qua Bartholomæus, Barnabas, ac ceteri quoq; sancti discipuli per tactum Euangeliorū sanabāt à languoribus infirmos: sed vel accipitur pro ipsarum seriè rerum, quem admodū, quod Deus factus est homo, quòd crucifixus est, &c. dicimus esse Euangelium, vel (quod eodē relabatur) accipitur pro verbis seu praedicatione, eo significatu, quod per ipsam diuulgantur Dei hominis facti mysteria, quæ sunt nostræ causa salutis. Vt sit huiusmodi verborum contextus, Euangelium est denuntiatio virtutis potentiaq; Dei, quæ per CHRISTVM IESVM salutē pollicetur, omniq; praestat credenti. Quemadmodum loquitur CHRISTVS Ioā. 6. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Vtrumq; significatū nos Paulus eodem loco perq; sapienter docet. 1. Corint. 1. Verbum, inquit, crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, Dei virtus. Et paucis interiectis, Praedicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidē scandalum, Gentibus autē stultitiā, ipsis autē vocatis Iudæis atq; Græcis, Dei virtutē & Dei sapientiā. Qui nanq; prius dixerat, verbū crucis virtutē esse, continuo repetit, CHRISTVM crucifixum, virtutē esse eādem. Virtus latine, nomē anceps est, nam opponitur & vitio & impotentia, Græcis verò diuersæ sunt voces ἀρετή & δύναμις, hic autē legēdum est in posteriori significatione, vt idem polleat quod potentia [Virtus Dei] Quoniā nō est in hominis credētis, aut merito, aut facultate, saluum se per se facere, sed virtus Dei est, quæ per fidē saluū facit credentē, secundum illud. ca. 9. Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Olim sub lege mittebātur de super patribus angeli, qui eos à periculis seruarent, vt Gen. 4.8. Angelus qui eruit me de cunctis malis, &c. in noua verò non nominatur nisi virtus Dei. Neq; verò ait / virtus CHRISTI / sed Dei, vbi prima residet autoritas, à quo CHRISTVS eandem accepit. Iuxta illud. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et dicitur virtus, non solum propter stupēdam potestatem, quo moriens mortem vicit, & vitam donauit æternā, verum & propter admirandam victoriā fidei, cuius praedicationi, miraculis cōfirmatæ, mūdus nō potuit resistere. Quod enim stultum est Dei, sapiētius est hominibus,

Enarrationis initium.

Euangelium.

Ioan. 6.

1. Cor. 1.

Virtus Dei.

1. Cor. 1.

Salus.

Salus.

Scripturae testimonia.

Vocabis nomen eius Iesum.

Saluator.

minibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. [In salutem omni credenti.] Saul, licet nonnunquam pro sanitate accipiat, differunt tamen, quòd sanitas est bonus corporis habitus, firmaq; valetudo. Salus autem (vt hic accipitur) idem est quod incolumitas, cum quis ab aliquo periculo seruatur. Quæ quidē græcè diuersæ sunt voces / ὑγιαίνω, id est / sanitas / σωτηρία, id est, salus. Vnde σωτηρία saluator. Hoc loco & quibusuis similibus scripturæ, accipitur hoc secundo modo. Vt Exod. 14. super transitum maris rubri, ait Moses, Nolite timere, state & videte salutem domini quam vobis facturum est hodie. Et Iud. 15. de Sāpnone, vbi milliariā illam turmā Philistinorum maxilla asini trucidauit. Tu domine, inquit, dedisti in manu serui tui salutem hanc & victoriam. Et. 1. Reg. 11. tale est ad populum verbū Saulis congregantis cū Ammonitis, Cras erit vobis salus. Illæ enim omnes salutare victoria, mysteria erant spiritualis huius per CHRISTVM conferendæ salutis: quam proinde propheta identidem vaticinabatur. Vt, Dominus illuminatio mea & salus mea. Et, Salus iustorum à domino. Et, Domine virtus salutis meæ. Quibus ferè hic verbis vsus est Paulus. Et Zacharias, Quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nostræ. Vnde duces omnes antiquæ legis, qui CHRISTI figuram gerentes populo saluti fuere, Saluatoris appellatione cognominabantur. Vt Gen. 4.1. Iud. 3. & quarti Reg. 15. cernitur. Quo alludens angelus, Christianæ salutis paranympus, Vocabis, inquit, nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quæ tamen etymologia, nisi hebraice, splendorem non habet. Est enim (vt characteribus Latinis effigietur) Iasa verbum, seruare, vel si dicas, saluare, cuius verbale nomen, Iesua, id est, Seruator, vel Saluator. Est ergo perinde, ac si dixisset, Vocabis nomen eius Saluatorem, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem verbum inpraesentiarum addendum duximus de nomine Saluator. Illi enim qui hac ætate latininitatis tutelam nimio iure susceperunt, non, Saluator, admittunt, sed, seruator, aut liberator, aut sospitator. Quia saluare aiunt, non est Latinum, sed, saluere, defectiuum salutandi verbum neutrum, significans id quod, saluum esse. In actiua verò significatione pro eo quod est, saluum facere, non saluare, sed, seruare, dicunt Romani, atq; inde ser

uator, nō saluator. At verò licet, conseruatis, etiā dixerit Iudas / Dilectis & CHRISTO cōseruatis & vocatis / tamen cum saluare, & saluatus, & saluator, non solum sint in scriptura frequentissima, verum & solennes doctores & latinè celebratissimi, vt Aug. Ambro. Cypria. Lactan. crebrò vsurpēt, non est cur nos ab illis abstineamus. Vt ergo ad literam vnde videmur discessisse, reuertamur, ait, virtutem Dei quæ per Euangelium annunciat, non eā esse, quæ est ad creandum mūdū, vel ad liberandum seruandumq; populum à corporeis periculis, vt à diluuiō seruauit Noë, & ab Ægyptiis Israël, sed in salutem animæ omni credēti [Iudæo primum & Græco] Quod dixerat / omni credēti / exprimit subdēns / Iudæo primum & Græco, id est, sine aliqua discrepantia humana conditionis. Sed praeposuit / Iudæo / vt seruaret antiquitatis ordinē in credendo: nam prius crediderunt in Abrahamo Iudæi. Dubitare hic quispiā potest, an sub ista disiunctione vniuersos mortales complectatur, veluti sub illa superiori / Græcis ac Barbaris / Origenes. quidem neq; per illā neq; per hanc censet totum orbem comprehendendi, sed ait, quòd cum Græci duabus appellationibus, Græci & Barbari, omne hominum genus exprimerēt, veriore distinctione vsus esse Paulum sub trina appellatione, scilicet Iudæorum, Græcorum, & Barbarorum. Atqui forsitan ita res habet (vt iam praenotaui) Iudæos non venire aut Græcorum aut Barbarorum nomine, sed nihilo secius verò simillimum est, quòd per hanc modo bimembrem diuisionem intelligatur totum humanum genus. Sed annotandum est, quòd ἔθνη græcè vno significato significat Græcos, alio verò idem est, quod Gentilis. Vbi ergo supra è regione ponuntur Græci & Barbari, accipitur primo modo pro illa natione, hic verò vbi opponitur Iudæo, idē pollet quod Gentilis. Cum enim Romæ lis esset inter Iudæos & Gentiles de lege scripta & naturali, prima statim propositio Pauli est, salutem nemini contingere posse, neq; Iudæo, neq; Gentili, nisi per virtutem Euangelii. Quocirca hoc sibi familiarissimo binario Iudæi & Græco totum orbis ambitum vbique complectitur. Adeo, vt Ephe. 2. inde vniuersitatem redemptionis CHRISTI patefaciat, quòd ipse fuerit pax nostra faciens vtraque vnū. Nempè qui medio pariete maceræ, hoc est, cerimoniarum legis, diruto, duos populos condidit in semetipso in vnum nouum

Iudæo primum & Græco.

Origenes.

Græci & Barbari.

Ephe. 2.

hominem, ut ambos reconciliaret in vno corpore Deo. Et hoc est quod ait hic, Virtutem Euāgelii esse in salutem omni credenti. Hic autem primus locus est Pauli, vnde Lutherani ab orthodoxa patrū expositione discordant. Hinc argumentorum turbam ordi inceptant, hinc bellum contra nos de iustificatione adoriuntur. Si enim, inquiunt, salus apostolico testimonio omni in vniuersum patet credenti, quid aliud ad iustificationem desiderare oportet, aut exigere, quā vnicam fidem? Huius autem statum controuersie, et si lib. 2. de nat. & grat. satis explicuerim, quam infra quoque commodius repetam cap. 3. tamē quia creberrimi subinde occurrunt loci huius figuræ, operæpretiū est summam hic eādem & ex parte referre. Fatentur enim catholici per fidem, ut hic ait Paulus, iustificari credentes, sed tamen per eam fidem, quæ per charitatem operatur. Ut ipse idem Apostolus ad Galatas attestatur. Nam alias, etiam si tanta esset (ut ait ad Corinth.) quæ transferendis montibus sufficeret, nihil ad iustitiam coram Deo valeret: pro eo quod, teste eiusdem apostolici ordinis Iacobo, ociosa esset, quinetiam mortua. At neque illi negant fidem qua iustificamur, eam esse, quæ per charitatem operatur, sed tamen id verbotenus sustinent. Nam re vera bis per omnia à veritate distant. Concedimus enim omnes fide per charitatem operante apprehendi iustitiā Dei: attamen, ut cap. illic. 5. explicitum à nobis est, apprehendere, idem illis est, quod credere, puta intellectus assensione accipere verbum promissionis diuinæ, quod solum, ut aiunt, necessarium est ad salutem. Iustitiam autē & gratiā sola sic fide apprehensam subsequitur, secundum illos, charitas & reliquæ virtutes, quæ ideo nullatenus concurrunt ad iustitiam, sed sequuntur iustificatum. Vbi facillimum perspectu est, quemadmodum iuxta eorum dogma non iustificamur fide per charitatem operante, sed sola fide, id est, intellectus assensu, antequam per charitatem operemur. Veritas autem catholica est, fidem esse omnino necessariam ad salutem, per quam quidē apprehendimus, hoc est, cognoscimus vnde pendeat & in quo consistat iustitia & salus nostra: hanc veruntamen Deus salutem in adultis per actus fidei & charitatis operatur, qui ante gratiam informes sunt: post verō, formati. Deus enim ita nobis per fidem CHRISTI pollicetur salutem, si fecerimus quæ fides iubet. Non enim solum ait, Qui credi-

derit, sed, Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et, Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Et, Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et, Conuertimini ad me & conuertar ad vos. Non ergo satis est credere, ad iustitiam, sine actione poenitentiae. Quocirca fides non solum operatur per charitatem in eo qui iam iustus est, sed per actus etiam charitatis disponit ad iustitiam: dum peccator numine afflatus diuinoque tactus digito, assensum præbet Deo, libere nos mouenti, atque diuinæ motioni cooperatur per spem salutis & peccatorum detestationem. Igitur in hoc sensu audiendus est hic Paulus prædicans, Euangelium, virtutem esse Dei in salutē omni credenti, ut lib. 2. citato latissime à nobis disputatum est, vbi cap. 21. hunc Pauli locum peculiariter tractauimus, sed & cap. hic item 3. iterabitur idem locus.

Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Expositionem attexit eius quod dixerat, Virtus Dei in salutem. Salutis enim nostræ tunc reuera potimur, cum iustitiam habemus, sumusque apud Deum. Iustitia namque idem est quod æqualitas inter duos. At qui tunc res vnaquælibet iusta est, cum recte se habet ad proprium finem. Finis autem hominis (ut lib. 1. de nat. & grat. differēbamus) non vnus, ut in cæteris se inferioribus creaturis, sed duplex est, nempe naturalis & supernaturalis. Hic supremus est: in quem inferior ille refertur. Naturalis finis hominis est bonum honestum, quod est rationis obiectum. Et ideo naturalis eius iustitia est operari secundum rationem propter honestum. Hoc enim est viuere, ceu animal rationale: in quo proinde Aristoteles felicitatem humanam constituit. Sed alter homini finis est supernaturalis in visione amati Dei consistens. Quocirca iustitia supernaturalis est, in gratia Dei agere, atque ea præstare officia quæ illi sint grata acceptaque ad vitam æternam. Primus dicitur naturalis, quia suapte natura homo cum generali affluētia Dei potest talem exequi iustitiam. Potest quippe nonnulla opera moraliter bona agere, quæ licet non sint merita æternæ vitæ, atque adeo nec simpliciter bona, sunt tamen vtunque bona, id est, iustitia apud homines. Quod lib. eodem late discussimus. Iustitia autem supernaturalis nuncupatur hic ab Apostolo iustitia Dei. Vbi nihil refert qualiter genituum vsur-

Iustitia.

Finis hoīs duplex, &amp; duplex iustitia.

Li. 2. de nat. &amp; grat. cap. 21.

Iustitia Dei.

uum vsurpes, actiuēne, id est, iustitia quæ est à Deo, an verò obiectiuē, id est, iustitia inter hominem & Deum: seu, iustitia coram Deo. Iustitia enim nobis apud Deum inesse non potest, nisi Deo ipso authore per iustitiam CHRISTI. Hæc autem iustitia inde constat: primum ut in gratiam suam ac beneuolentiā (vnde nos Adam deiecit) restituat: mox ut iussa faciamus iuxta intentionē, qua nobis ab ipso præcepta sunt: puta ut digna sint præmio æterno: qualia esse nequeunt, nisi in eius nos gratia, sua ipsius ope asseramus. Posita ergo est salus nostra in hac iustitia Dei, quæ inde iustitia Dei dicitur, authore Augusti. in lib. de spiritu & lit. quod impartit eam iustos facit. Sicuti domini est salus, qua saluos facit. Quocirca non accipitur hic iustitia speciali virtute, quæ distinguitur in communitatiuam & distributiua, sed pro toto virtutis genere, quod vniuersam probitatem comprehendit. Quod vniuersam probitatem commendat nos admodum Matth. 3. Sic decet nos adimplere omnem iustitiam. Et ca. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Hæc enim iustitia Dei est, quæ reuelatur in Euangelio. Tametsi (quod mihi probabilissimum est) iustitia hic etiam accipi possit pro iustitia CHRISTI, qui de cōdigno meruit nobis reconciliationis gratiam, ut infra suo loco exactius latiusque patebit. [Ex fide in fidem] Geminam hanc fidem variè enarratores, nec parum diuerse, interpretantur, nunc præcipuè postquam ex Cicero nis officina tam de se in Paulum prodiit enarratorum caterua. Igitur, ut in quas commentiasque expositiones missas faciamus, & complures alias, quæ in glossa referuntur, duæ sunt ad rem pertinentes. Prior quam Ambrosius suggerit, est, iustitiam Dei reuelari ex fide, quam nobis ipse dat promittēdo salutem, in fidem quam nos illi vicissim tribuimus credendo. At verò doctissimus Ambrosius potius videtur hic modum attingere, quo salutē acquirimus, quæ quo nobis reuelatur. Adipiscimur enim tunc salutem, cum Deus confert quod promissit, annuentibus quidem nobis credēdo. Reuelari verò ex fide in fidem, ordinem planè luminum ac successionē designare videtur. Quamobrem sensus omnium certissimus est, ut vtroque loco assensus intelligatur credentium per reuelationem Dei. Nempe ex fide antiquorum patrum in fidem nostram. Hunc enim sensum Origenes, Chrysostomus, & reliqui patres magno hic consensu percipiunt.

Augusti.

Iustitia.

Ambrosius.

Ex fide in fidem.

Germanus sensus.

Cum enim dixisset Paulus, iustitiam Dei reuelari in Euangelio, obicere ei potuissent Iudæi, ante Euangelium reuelatam illis in lege fuisse salutem. Quocirca præoccupans eos, qui sic reclamarent, ait, iustitiam hanc non in Euangelio primum, sed ex fide in fidem reuelari, id est, primum in lege veteri patribus, quibus multifariè multisque modis loquebatur olim Deus in prophetis, per fidem implicitam & trinitatis & CHRISTI, postea per explicitam nobis in Euangelio, quibus explicatius locutus est in filio. Quæ quidem fides licet ex parte obiecti, non duæ, sed vna sit, scilicet de vno Deo, de quo vno Messia, iuxta verbum Apostoli Ephes. 4. distinguuntur tamē accidentaria differentia expressionis & temporis. Quem enim ipsi credebant implicitè bantur venturum, nos explicite, & quem ipsi operiebantur venturum, nos confitemur venisse. Est ergo sermo hic talis, iustitia Dei per CHRISTVM quæ sub fide antiquæ legis velabatur, nunc per fidem Euangelii reuelatur. Et apparet ex fide in fidem dixisse, qua forma dialectici docent ex præmissarum scientia progredi discipulum ad eam quæ est conclusio. Qua de causa Apostoli & Euangelistæ sæpe utebantur testimoniis veteris testamenti, ut proximo textu patet, & cap. 3. repetemus. Reuelatio autē hæc iustitiæ Dei est, nemini vnquam mortalium per vilius operæ legis extitisse salutē, nisi per gratiā Dei in fide, vel implicita, vel explicata IESV CHRISTI. Gentilibus autem qui possent identidè redarguere, etiam in lege naturæ extra fidem Iudæorum patuisse sibi salutem, reponde re hic differt: dicitur statim quomodo illis facta fuerit reuelatio iustitiæ Dei, atque adeo inuisibilem bonorum, per ea quæ facta sunt.

Vna fides.

Reuelatio iustitiæ.

Sicut scriptum est. Iustus autem ex fide viuit. Testimonium hoc non assutum cogites sententiæ proximæ / reuelatur ex fide in fidem / sed superiori / in salutem omni credenti / Neque idcirco fit vitiosum hyperbaton, quinimo appositissimè prius exponere studuit, quidnam rei esset virtus illa in salutē: ut puta quod esset iustitia Dei, quæ vita est omni credenti. Et quia dixerat, ex fide in fidem, è vestigio subiicit testimonium antiquæ legis, quomodo credenti pateat salus, videlicet quia iustus ex fide viuit. Est autem verbum hoc Abac. 2. Vbi translatio nostra habet, Iustus autem in fide sua viuet. Septuaginta vero / ex fide mea viuet. Et quidā codices La-

Abac. 2.



*Hieron.* tini habent/viuit/de presenti. Hiero. septua-  
ginta arbitratur fuisse deceptos similitudine  
quæ maxima est characterum hebræorū /  
Iod & /Vau. Nam si dictio terminatur in  
/Iod /legendum est, mea. Si verò in /Vau  
legendum, sua. At fortasse in re ambigua cō-  
sultius septuaginta duxerūt vertere, mea/vt  
humanam salutē Deo transcriberēt. Apосто-  
lus autē vtrunq; suppressit, vbi idcirco alter-  
utrum subintelligi licet. Nisi forte vel /sua/di-  
xit, vel /mea / & à scriptoribus neglectū est.

*Lutherani.* Hic, secūdus locus est, quē Lutherani pro se  
adferunt: porro quem eo intellectu legunt,  
quod fides p se sit vita ipsius iusti, atq; adeo  
reliqua opera nihil ad iustitiam coram Deo  
conferant. Cum tamen (vt eodē cap. 21. lib. 2.  
demonstrauimus) non ille sit sensus, quod fi-  
des sit vita ipsa & forma qua homo est iustus,  
sed quod fides sit, quæ iustum, tum in finē di-  
rigat, tum alliciat ad virtutem. Ac si dixisset,  
Iustus nō prius recipit præmium, q̄ operetur,  
sed in futurum prospiciens operatur. Vnde

*Hieron.* /ex fide, inquit, Hiero. quia sine fide, hoc est,  
sine spe retributionis honorū operum perficere  
virtutes nemo poterit. Quo sensu ait ip-  
se ad Heb. Credere oportet accedentem ad  
Deum, quia est, & quia remunerator est. At  
qui sensus hic planissimus est & perspicuus  
in verbis prophetæ. Excitat enim illic Deus  
desides homines ac sensuales, qui nō nisi præ-  
sentibus commouentur, quibus ait, Ecce qui  
incredulus est non erit recta anima eius in se-  
metipso: iustus autem in fide sua viuet, id est,  
spe per fidem reuelata durabit in opere. Et

*Heb. 10.* Apostolus ipse ad Heb. 10. eundem prorsus  
depromit intellectū, vbi ait, Nolite itaq; amit-  
tere confidentiam vestram quæ magnam ha-  
bet remunerationē: patientia enim vobis ne-  
cessaria est, vt voluntatem Dei facientes re-  
portetis promissionē. Adhuc enim modicū  
aliquantulumq; qui venturus est, veniet, &  
non tardabit. Iustus autem meus ex fide vi-  
uit, quod si subtraxerit se, nō placebit animæ  
meæ. Viuit ergo iustus ex fide, dum propter  
Deum, quæ fide cognoscit & propter præmi-  
um, cuius spem habet, ex fide, facit opera cha-  
ritatis. Vbi status depingitur & conditio no-  
stra à Deo peregrinātium. Illi quippè trium-  
phatores cœlicolæ ex visione amātes viuunt,  
nos verò ex fide operātes. Atq; hic est quoq;  
sensus superioris conclusionis, quæ hoc testi-  
monio confirmatur, Euangelium est virtus  
Dei in salutem, omni credenti.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo su-

per omnem impietatem & iniustitiam  
hominum eorum, qui veritatem Dei in  
iniustitia detinent. Præfixa itaq; explicata  
& testimonio scripturæ confirmata capitali  
propositione totius epistolæ, nimirū quod so-  
li gratiæ Dei per merita CHRISTI adscriben-  
da salus sit totius humani generis, ad amplifi-  
simam eius corroborationē descendit, tali or-  
dine, secundum partitionem quā nuperrime  
faciebamus. Primo in quatuor hisce capitulis  
dilucidat hanc secundo loco propositā parti-  
culam / Iustitia enim Dei in eo reuelatur / de-  
monstrando, (vt paulo ante dicebamus) ne-  
cessitatem gratiæ & fidei euangelicæ. Mox  
in quatuor proximis edisserit priorem par-  
tem, scilicet / Virtus Dei est / explicādo pote-  
statem ac facultatem magnificam gratiæ ius-  
tificantis ad opera subsequētia perficiēda.  
Tertio in trib⁹ subsequētibus explicat, quod  
ait, Iudæo primum & Græco, quæ admodum  
vtriq; vtriq; populo, id est, vniuerso orbi gra-  
tuito Dei munere eadē gratia obuenerit. Est  
autē in hac potissimū tractatiōe ob oculos ha-  
bēda bimēbris illa diuisio iustificatiōis, quā  
li. 2. de nā. & gra. præfiximus. Prima enim est,  
qua qui iniustus erat, iustus fit: iuxta illud in-  
fra. 4. Credenti in eum qui iustificat impiū.  
Alterā verò est, qua (vt est in Apocal.) qui  
iustus est, iustificatur adhuc. Prima est remis-  
sio peccatorum per gratiam operantem. Se-  
cūda verò est progressio ad vberiorē iustitiā  
per gratiā cooperantē. Tertiā illic iustificati-  
onis acceptiōne adiecimus, vt iustificatio sit  
absolutio eius, qui reus in iudicio sit: Cū scili-  
cet secundum allegata & probata ab illo iu-  
dex sententiā profert: iuxta illud Pro. 17. Qui  
iustificat impiū & q̄ cōdēnat iustū, abomina-  
bilis est vterq;: de qua acceptiōe in subsequē-  
tib⁹ aduersus Lutheranos redibit sermo. At  
tamen est hic maximopere speculandus pro-  
cessus apostolicus ad intellectū literæ, q̄ alias  
abstruētissima videtur. Etenim quoniā duo  
poterant hoīes allegare, quibus suam arropa-  
rent iustitiā, scilicet, vel cognitionē seu rece-  
ptionē legis, vel secundo opera quæ fecissent  
secūdum legē, hunc in ostendenda gratiæ ac  
fidei necessitate ordinē tenet, quod primū pa-  
tescit, cognitionē seu receptionem legis sine  
operū exhibitione neutiq; sufficere ad iusti-  
tiam, vel acquirendam, vel augendam Iusti-  
tiam dixerim, nec quæ apud Deū est, nec quæ  
apud homines. Et hoc pertractat vsq; ad il-  
lum locū cap. 3. Quia ex operibus legis, & c.  
Nempe

*Ordo & di-  
stributio.*

*Iustificatio  
duplex.*

*Li. 2. de nā.  
& gra. ca. 6.*

*Processus  
Apostoli.*

Nempe commonstrando, non auditores le-  
gis, sed factores iustificari apud Deū. Quini-  
mo in eos, qui auditores sunt & non factores,  
iram prorsus Dei reuelari. Illinc verò vsq; ad  
finem quarti capitis progreditur, vt confir-  
met, quod neq; opera cuiusvis legis efficacia  
sunt primæ iustificationis, hoc est vt ex iniu-  
sto quis iustus fiat, sed eiusmodi causam iusti-  
tiæ ad fidem esse & ad gratiam Dei referen-  
dam. Quæ idcirco gratiæ & fides, causa quo-  
quæ sunt, vt opera iustificati, auctioris sint ius-  
tificationis merita. Ex quibus deniq; collig-  
it necessitatem gratiæ & fidei, vt pote quod  
ex illis vtrunq; iustificationis genus omnino  
dependeat. Sed quo perspectior hæc tibi sit  
partitio, hinc oculis prospicere incipias discri-  
men inter legē et fidē, qd Paulus in subsequē-  
tibus expādit, scilicet legis, siue naturalis, siue  
scriptæ id fuisse prorsus munus, vt doceret  
quid bonum et malum: & ideo inexcusabiles  
fecisse delinquentes: iustitiam verò quæ est  
apud Deum, atq; adeo impletionem legis ad  
suam ipsius intentionem, beneficium esse di-  
uinum per fidē CHRISTI. Quamobrem duo  
hic statim proponit. Primum quod Euange-  
lium CHRISTI redemptoris virtus Dei est in  
salutem, quippe in quo ipsius iustitia reuela-  
tur. Alterum, quod pariter in eo reuelatur ira  
eiusdem Dei in eos, qui veritatē eius per in-  
iustitiam retinent. Atqui cognitionem legis  
absq; operibus nihili fieri apud Deum, quini-  
mo præuaricatores per eandem reos consti-  
tuit, præmonstrat de gentilibus in residuo hoc  
fragmento huius capituli, ac deinde vsque  
ad locum iam præsignatū cap. 3. quia ex ope-  
ribus legis / palam idem facit in Iudæis: nimi-  
rum de ambobus concludēs populis, quibus  
est totum hominum genus complexus, quod  
omne os obstuendum sit, omnisq; mundus  
subiiciendus Deo, vt puta in cuius arbitrio et  
beneplacito posita est nostra salus. In accu-  
satione autem gentium tria peragit. Præmit-  
tit namq; primum, quam habuissent notitiā  
Dei iurisq; naturalis, mox quanta nihilomi-  
nus commisissent flagitia, ac demum quales  
exoluissent pœnas. Haud ergo abrupta tibi  
ineptaq; videatur oratio hæc, dum de impro-  
uiso à reuelatione iustitiæ Dei digreditur ad  
reuelationem iræ. Est enim potius artificio-  
sissima continuatio: iustitia etenim duas ha-  
bet partes, videlicet præmiationem honorū,  
& malorum vindictā: ob idq; reuelatio iræ,  
& explicatio est iustitiæ. Quocirca ne propo-  
nenti Paulo, iustitiam Dei reuelari in Euan-

*Discrimen  
inter legem  
& fidem.*

*Tria in ac-  
cusatiōe a-  
gentium.*

*Reuela-  
tione.*

gelio, obtenderēt gentes reuelationem iuris  
naturalis sibi satis fuisse, præoccupat eos di-  
cens, Imò reuelatur simul in eodem Euange-  
lio & ira Dei super impietatem vestram, qui  
agnitionem illam naturalis iuris deprauatissi-  
mis moribus cōtaminastis. Et est vocum re-  
spondentia supra modum concinna, Iustitia  
Dei reuelatur ex fide / & / Reuelatur ira Dei  
de cœlo super omnē iniustitiā / licet sit mo-  
dus conuersus. Namq; iustitia nostra à Deo  
per fidem, velut ex suo fonte promanat, edi-  
uerso autem iniustitia nostra non est effectus  
iræ Dei sed causa. [Ira Dei.] Nulla in ipso est  
passio, sicuti in nobis, sed tamen iustissima  
eius vindicatio, dicitur ira, nomine sumpto  
ab affectione quæ est in nobis. Non quidem  
propter similitudinem affectuum, nihil enim  
in Deo simile est iracundiæ nostræ, nēpe qui  
(vt est in lib. Sap.) cū tranquillitate iudicat,  
sed propter similitudinē effectuum. Sic enim  
Deus absq; vlla concitatione animaduertit  
in reprobos, qualem homo percussus ira effe-  
ctum facit in hostem. Sicuti in subuersiōe or-  
bis dixit se pœnituisse, quod creasset homi-  
nem: quoniam ita humanū genus deleuit de  
superficie terræ, quemadmodū deleret vas, si  
gulus, quæ pœnituisset facti. Quamq; & po-  
test accipi nomē / ira / pro effectu ipso. Iuxta  
illud Exod. 13. Misisti iram tuam & deuora-  
uit eos ignis [De cœlo.] Exaggeratio est ad  
incutiendum terribilius timorem. Præterquā  
quod fortē adiectum est ad declarādum, fla-  
gitiosos illos atq; impios gentiles tanta licen-  
tia vixisse, ac si Deus (vt est in Iob) nostra  
de cœlo non consideraret, sed ambularet cir-  
ca cardines eius: contra quam est in psalmo  
illo, Dominus de cœlo prospexit super filios  
hominum, vt videat si est intelligens aut re-  
quirēs Deū. At verò apparere cuipiā posset,  
non primum fuisse in Euangelio reuelatam  
iram Dei, imò non tam euidenter tamq; hor-  
ribiliter in ipso, quam olim, cum in lege natu-  
ræ, tum etiam in lege scriptæ. Legimus enim  
pridem cœli catarrhæctis apertis obrutum or-  
bem, item ardētī sulphure e cœlo iactato cō-  
sceleratas vrbes infandæ turpitudinis dedis-  
se pœnas, alibi hiatū terræ viuentes homines  
absorptos, atque alibi ab angelo cœlitus mis-  
so permulta hominū millia trucidata, aliāq;  
id genus prodigia, quorum similia à CHRIS-  
TO vsq; nato nunquā, aut certe vix vnquā  
accidisse legimus. Qua de causa Manichæi  
Deum veteris testamenti crudelem existima-  
bant. Quin vocabatur in lege, Deus vltionū.

*Ira Dei*

*Sap. 11.*

*Dubi-  
tatio.*

*Mani-  
chæi.*

Quid ergo est quod ait Paulus, terrificam iram Dei cum CHRISTO nato reuelatā de celo? Vt alia hic interim responsa intermit- tam, quod mihi in mentem venit, quodq; eu- angelica hominum soboles animo debere- mus altè recondere, ne adeo nos secure præ- cipites in vitia daremus, sic habet, Huma- num genus ante scriptam legem infans erat, sub lege deinceps, ceu puer (vt inquit Apo- stolus) sub pædago: quibus proinde ho- minibus tam officiorum præmia, quam erra- torum supplicia (qualia illi ætati conducen- tia sunt) præsentanea & sensibus peruia pro- ponbantur. Si volueritis (ait per Prophe- tam illum) & audieritis, bona terræ comede- tis: quod si nolueritis & me ad iracundi- am prouocaueritis, gladius deuorabit vos. At vbi ad iustam ætatem adoleuit, vt in hæ- reditatem mitteretur, nihil iam in Euange- lio puerile, nullum nobis lex nostra tempo- rarium statuit, vel præmium, vel supplicium. A visibilibus nos ad inuisibilia abducit, ad cœlestia attollit à terrenis. Cum ergo Apo- stolum hoc loco iram de celo euangelicam comminantem audio, multo maiorem intel- ligo, quam vel conflagrationem vrbium, vel orbis inundationem, nempe illam domini ac iudicis nostri, vbi ait, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vo- bis quem timeatis. Timete eum qui post- quam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam. Quod perinde est, ac si dixisset, Non solum minus timendi sunt qui occi- dunt corpus, quam qui torquere potest ani- mas, eo quod maior corpore est anima, sed ex eo minus fortè metuendi, quod non possunt, dum torquent, non occidere. Si enim id valerent, ob id multo essent magis extime- scendi. Fac dirum immanissimumq; tyran- num omni tormentorum genere in quem- piam desæuire: videlicet qui hominem, vti pecus, coram iubeat excoriari, exenterari, dilaniari, torreri, & quouis alio (si quis ex- cogitari potest) modo affligi, posseq; eti- am tunc hominem illum non interficere, sed spiritum sensusq; vim in illo corpore in co- lumem retinere, vt quoties sibi libitum esset, in eculeum repeteret, eademq; tormenta ite- rum ac subinde iterum integraret. Hæc cer- tē potestas vehementissimè perhorrenda es- set. Veruntamen cum in hominis facultate positum non sit, vt quem cruciat, non peri- mat: quinimo quo quis crudelius cruciat,

citius interimit, non est cur tantopere occi- sores corporum timeantur. Nam illuc vsq; penitus eorum terminatur sæuitia. At verò illius est potestas expauescenda, à quo nec ipsa te mors valet eripere, sed post necem corporisq; interitum animam potest cum re- sumpto immortalis corpore sic semper discer- ciare, vt tñ nūq̄ exhauriat vitā. Hæc vtiq; ira Dei est quæ reuelatur de celo, in lege quidē nature qualiquali notitia, in lege verò scripta aliquāto maiori, sed in Euangelio explicatis- sime [Super omnem impietate & iniustitia, &c.] Impietas est hominum in parentes, in patriā, atq; cum primis in Deum, in quos proprie nō est iustitia, quia nec esse potest æqualitas ob- sequiorum ad suscepta beneficia. Iustitia ve- rō est inter homines. Et potest hic fortè spe- ciatim accipi, vt contraria est iustitia, quæ in præstando seruandoq; suo vniciq; iure po- sita est. Tameñ possit etiam, nec adeo multū refert, generaliter accipi pro vniuersa vitiose- tate, cōtraria iustitia paulò superius commo- morata. Est secundū quosdam hebraismus, vel fortè hypallage, id est submutatio verbo- rum /super omnē impietate hominū / pro eo quod est /super impietatem omnium hominū. Sed nulla fortè opus est figura. Vindex enim est Deus nō solum in singulos impios, verum & singularum impietati. [Qui veritatem Dei in iniustitia detinent.] Id est veram cognitio- nem Dei, seu qua Deum homines nouerant, seu quam Deo authore receperāt. Vtrumuis enim senseris, eodē recidas. Nam (vt ex sub- sequentibus iam iam liquebit) quauis notitia Deus nobis innotescat, eandē ipso magistro suscepimus. Quanq̄ in aliquibus exemplari- bus, præsertim græcis, nō est genitiuus / Dei / sed tamen idem pollet / veritatem / quod ve- ritatem Dei. Quid autem sit, veritatem Dei in iniustitia & impietate detinere, id sanè nō obiter & perfunctorie est contemplandum. Scientiam nanq; & quamcunq; notitiam à deo recipimus, in hoc eā ipse mētibus nostris inculpat, vt sui in nobis amorem ingeneret, ad suum nos alliciat cultum, & qua ad se res- ta pergamus, præmonstret viam. Qui ergo, quo suapte natura ducit, lucem huiusmo- di non sequitur, sed moribus deuius aliorum deflectit, is, quasi vim, violentiamq; inferens, veritatem Dei detinet, id est arcet, cohi- bet & veluti carceribus remoratur: multo profecto magis, quam qui vel celo motum, vel soli lumen inhiberet. De hoc ergo im- pii iniustiq; Pauli iudicio censentur gentiles, quod

quod cum Dei notitiam tali lege & fide re- cepissent, vt totam in eius cultum & gloriā impenderent, nequiter eam tamen perditissi- misq; moribus polluerunt, viciaruntq;, ac si mulachrorū cultura peruerterunt. Huius pul- chrum Chryf. exemplum supponit. Veluti si cui rex (inquit) thesaurum suum crederet, vt in suum ipsius regis honorem & splendore dispensaret, in prædones ille tamen & mere- trices perfide effunderet, is sanè grauiter in regem peccasset. Quam vero nefande verita- tem Dei impietate sua & iniquitate ethnici cōpresserint ac violauerint, explicatum pro- greditur.

Chryf.

Duo radii  
aterne lu-  
cis.Quod notū  
est Dei.Manifesta-  
tio Dei.

Quia quod notum est Dei, manife- stum est in illis: Deus enim illis manife- stauit. Duo sunt radii lucis illius, quā Deus habitat inaccessibilem, nobiscum in hac mor- tali vita communicati: alter scilicet naturalis innatiq; nobis luminis, quo in rebus visibili- bus, quantum nostrum fert ingenium, inuisibi- lia contemplamur: alter verò reuelatæ fidei. Idcirco cum de hoc secundo dixisset, iustitiā Dei reuelari in Euangelio ex fide in fidem, vtputa Iudæis & nobis, prosequitur nunc de priori modo dicere, per quem gētibus Deus innotuit, vt explicet, quam philosophi verita- tem, quoq; pacto per iniustitiam detinuerūt. Igitur / quod notum est Dei / non est dicere, quod notum est Deo: sed quod cognoscibile est de Deo, id est, quod per se ratio naturali acumine absq; speciali reuelatione speculan- do consequi valet: ad differentiam eorum, quæ naturalem rationem transcendunt: quæ dicuntur ignota. Hoc, inquit, in illis manife- stum fuit, id est, inter illos. At ne Romanorū vel reliqui mundi sapientes insolentia intus melcerent, cogitantes eiusmodi cognitionem Dei suo pte se ingenio & industria comparaf- se, subdit. [Deus enim illis manifestauit.] Hoc au- tem verbum nonnulli referunt ad manifesta- tionem fidei. Quo profecto nihil esse potest literæ minus consentaneū, vt paulò inferius emunctius disputabitur. Loquitur enim hic de cognitione gentium, vt distinguitur con- tra cognitionem Iudæorum & euangelicam, quam paulò ante appellauit fidem. Et pro- pterea hic dixit / Quod notū est Dei / id est, cognoscibile per ea quæ facta sunt, in quibus cōspiciuntur inuisibilia, hoc est, manifeste in- tellectui demonstrātur (vt ait Hiero.) quasi alia non sint cognoscibilia, nisi per fidē, per quā non conspiciuntur, sed creduntur. Igitur

lumen ipsum naturale, de quo ait Propheta, Signatum est super nos lumen vultus tui do- minic, appellat, & quidem meritissimo mani- festationem Dei. Nam etsi lumen hoc, debitū sit cōditioni, & nature hominis, sicuti sua sin- gulis naturis debita cōgenitaq; sunt acciden- tia, tamen quia Deus est nature parens, qui res ex nihilo condidit, opera ipsa naturalia, quæ fiunt per formas ab ipso rebus inditas, perq; generale auxilium, munera sunt eius. Ad confutandum ergo philosophorum opi- nionē, qui ignorātes mundi creationē, nō ita pro dignitate Deo transscribebant benefi- cia nature, ait Paulus, Deus illis manifesta- uit, cui proinde cuncta debentur: nam & sensus nobis contulit, & hanc mundi fabricam, ceu librū, corā nobis aperuit, & inuestigatri- cem rationem adiecit, qua per effecta ope- ra opificem suspiceremus. Atq; id est quod subdit.

Inuisibilia enim ipsius à creatura mū- di per ea quæ facta sunt intellecta con- spiciuntur, sempiterna quoq; eius vir- tus & diuinitas. Exponit quidnā illud sit, quod humana ratio scrutari de Deo valet, quibusq; sit vestigiis indagabile. Vbi hoc est ad eiusmodi interpretationem prænotandū, quod structura hæc mundi non est effectus Dei vniucus (vt verba vsurpemus philoso- phia) sed æquiuocus. Quod est, non esse effe- ctum similis substantiæ (sicuti arbor ex arbo- re genita, vel animal ex sui simili) sed substā- tiæ & nature disparis ac dissimilis: veluti plantæ atq; animalia, opera sunt solis, à quo progignuntur. Ob idq; sicut effectus solis quos experimur, non eum secundum totā na- turam repræsentant, sed quatenus eorum est causa, vtputa, quod sit calidus, siccus, lucidus, &c: ita neq; per creaturas innotescit nobis Deus secundum naturam & essentiam suam, sed secundum potentiam, qua est rerum effe- ctor. Agit autē extra se, quatenus vnus, (nam opera trinitatis indiuisa sunt extra) non autē qua ratione est trinus: sit ergo, vt quemadmo- dum qui nunquam vidisset solem, neutiquā ex rebus genitis cognouisset, cuius quantita- tis aut figuræ esset (quod munus est astrolo- giæ) cuiusue esset essentia (quod pertinet ad metaphysicam) ita neq; per creaturas altius à nobis conspiciatur Deus, quam vt intelliga- tur esse vnus, primaq; rerum causa, incorpo- reus, infinitus, &c. Penitus ea verò sublimi- usq; callere quæ illi competunt in quantum

Effectus  
vniucus  
& æqui.Quomodo  
Deus per  
creaturas  
repræsentat  
tur.

trino,

Humanū  
genus.

Esa. x.

Luc. xz.  
Nolite ti-  
mere eos q  
occidunt  
corpus.

Impietas.

Veritatem  
detinere.

trino, superioris est cognitionis, puta fidei, in enigmate: visionis autem, in propria specie. Hoc sanè notitiarū interuallum verbis illis subnotare videtur Sapiens, Eccles. 3. Altiora te ne quæsieris. Et subdit, Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi. Quod est, Illa quæ eouſq; sunt excelsa, vt intuitum naturalem excellent, nequaquam naturali vi mentis explores: sunt tamē eorum tibi multa de super referata, quæ non debes ad rationis trutinam perpēdere. Igitur quæ de Deo hæc rerum vniuersitas nobis indicat, tria sunt hic apud Paulum, scilicet, Inuisibilia Dei. Quod est dicere, Essentia seu essentia attributa, quæ negationis forma proferuntur: vt quod sit infinitus, immensus, & c: hæc enim significat, inuisibilia. Mox Sempiterna eius virtus: puta quod sit principium operandi primum, idemq; vnum. Ac tertio Diuinitas: quo nomine (vt reor) inaccessam maiestatem designauit, sed quatenus in nos effusa, finis est noster. Hæc autem tria triplici via ex creaturis (vt author est in de diu. no. Dio.) peruestigantur: scilicet efficientia, excellentia, & negationis. Qua de re non erit extraneum hic adeo neq; peregrinū, vias quibus fuerint philosophi ad inuestigationē Dei ingressi, præcurrere, nempe vt intelligamus, quā nō fuerint excusabiles, qui debitam ei gloriam nō retulerūt. Primam namq; viam, eandemq; regiam, cunctisq; propemodum celebratissimam, à ratione motus ac mutationis rerum sibi muniere, quæ dicitur ratio efficientia. Hac enim semita rimati sunt virtutem Dei, & per virtutem cætera. Etenim per se notum ac sensu compertissimum primum omnium habuerunt, res corporeas vniuersas moueri: nempe alterari ab se mutuo, corrūpi, & quæ pereunt sementem facere, vnde similes repululent, quatenus soboles rerum temporalium perpetua generationum serie, æternum (vt in eorum erat opinione) persisteret: cælos verò, harum vicissitudinis mutationum expectes, loco saltem cieri. Sub hac autem sensuali experientia assumpserunt, quicquid mouetur, ab alio moueri. Quod Aristot. 7. & 8. Physicorum ratiocinatus est, acute id quidem, sed prolixius & implexè magis, quā vt hic explicare debeamus. Est tamē luce ipsa clarius, quod nunquā viride lignum ardere, caleſcere ex se posset, nisi ab alio, quod calidum, aut re sit, aut virtute, immutaretur, nequē lutimassa in vase vllum ipsa efformaret, nisi si gulus ex præconcepta animo forma eam ef-

fingeret. Ab hoc principio elucere illis cōspicit causarum series, naturalisq; catena, qualiter inferior quæq; à superioribus moueretur: nempe sublunaria hæc agentia subiecta esse cœlestibus lationibus (quod in meteoris docet Aristot.) vt eorum virtus inde gubernetur. Perspexerunt enim, accedente ad nos sole, quā plurima terræ nascencia germinari, quæ, recedente, exarscunt. Vnde illud dictū promanauit, Sol & homo generant hominē. At qua causa & ratione terrena hæc à cælis mouentur, & cælos necesse est (siquidem & ipsos moueri rotariq; constat) ab alio circumferri. Nō est autem in causis in infinitum ab initio, quoniam tunc nulla esset prima, nulla autem extante prima, quæ suppositas mouere incipiat, fieri nequit motus: est ergo motor primus, atq; adeo immobilis: nam aliās moueretur & ipse aliunde. Ecce quemadmodū via motus & efficiētia peruestigata est suprema virtus: quæ cum sit ipsa omnino immota, omnium perinde sit mutationum principium & effectrix causa. Ex quo continuo secundum consequens eadem via fit, supremam illam causam, nō plures, sed vnum esse Deum. Nomine enim Dei potentia quædā, virtusq; enunciatur summa, ac per se sufficientissima. Si autē duo essent dii, aut vnus alterius opereretur, & tunc nō esset cunctipotens: aut per se omnia posset, & tunc alter esset superuacuius. Quinimo vel vnus valeret alteri resistere, vel resistere nequiret, & tunc esset hic imbecillus. Sed & qui admirandam mūdi compositionem inspexerint, qui ex membris tam disparibus tanta cōcordia & vnitatem confederatis, compactus est, nō possunt non habere persuasissimum vnus Dei esse signum. Vnde Lactan. lib. 1. non philosophorum modo omnium, sed poetarum quoq; confessio ne ostendit, vnitatem summi Dei receptissimam fuisse semper in antiquitate. Id quod disertissime Cicer. in de nat. deor. luculenterq; Aristot. & grauissimè in Parmenide Plato et in conuiuio constituunt. Quocirca (vt ibidē Lactan. & Cicero authores sunt) turbam illam deorum Saturni, inquam, Cereris, Neptuni & talium humana consuetudo introduxit, de quorum origine & causa paulo post redibit sermo. Quibus nihilominus plurimos adiunxit poetarum licentiosa loquacitas. At quāuis diuersis eos rebus quasi fautores præferebant (vt Cererem frugibus, vitibus Bacchum) nemini tamen arrogabant efficientiā

Vnitatis Dei.

Cōpositio mundi.

Lactan.

Cicero.

Deorum turba.

ea ra-

Sempiterna virtus.

Dan. 7.

Diuinitas & deitas.

Deus, finis omnium.

Agere propter finem.

ea ratione, qua primo orbis motori. Tertio eadem efficientia semita insistentes contemplati sunt, virtutem illam vnus Dei, sempiterna esse. Quod ait hic Paulus, & propheta olim Daniel vbi dicebat, Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur. Quoniam virtus & substantia quæ immobilis est, illa quidem neq; habet vnde gigni, neq; à quo possit corrumpi. Quam quidem præterea æternitatem virtutis eadem ipsa generationum perpetua constantia planè demonstrat. Nam & materia, perpetua est, quæ proinde ex corrupto restat, subsequentiq; generationi subternitur, & (si legem naturalem duntaxat spectes) cœlum itidem perpetuum est, vnde generationes perpetuēt. Quo fit, vt & primū efficiens sit maiori multo ratione sempiternum. En quemadmodū sempiterna Dei virtus philosophis innotuit, videlicet primum esse principium motus, idemq; vnum, ac deniq; sempiternum. Mox inde eadem efficientia methodo philosophantes speculati sunt diuinitatem Dei, quam hic nominat Paulus. Quo sanè nomine aliter denotari videtur essentia Dei, q̄ nomine deitatis. Deitas namq; naturā Dei absolute exprimit, sed diuinitas / eandē significat, qua ratione rebus extra diffusa participatur, finisq; est omnium. Est enim id diuinum, quod est deitatis particeps, atq; adeo / diuinitas / idem pollet, quod participata, seu participans se deitas. Quamobrē Deus non dicitur diuinus: licet dicantur attributa diuina: quia significantur modo intelligendi humano, veluti accidentia. Cognouerunt inquam, Deum se quodammodo rebus cōmunicare, atq; adeo cuncta propter seipsum, ceu supremum finem, mouere. Nō enim Deus appetitu & desiderio vllius rei acquirendæ quæ caret, operatur, sed amore suæ effundendæ bonitatis. Hanc autem rationem vltimi finis, veluti primi authoris, hoc pacto per eosdem creaturarum motus potuerūt indagare. Res etenim cunctæ de se ipsæ palā prædicāt, agere se, vel agi propter finē: qd Arist. Phys. 2. perquā sapienter disertum reliquit. Quisnam ignoret, vapores in hoc profus natura effectrice in aera sursum eleuari, vt pluat: pluuere verò propter fruges, fruges autē in amantium vsum & alimoniam crescere. Et (quo cætera prætereamus) animalium, hominumq; præsertim membra & organa & potentia in sua quæq; officia, functionesq; distributa, firmissimo sunt testimonio, in suos ipsorum fines suapte natura referri. Cum res ergo irrationa-

les, quippe quæ non se ipse arbitrio moueant, in suos se fines dirigere nequeant, planè colligitur à sapiente suo primo motore in suos quæq; dirigi, propelliq; fines: veluti mittitur in scopum sagitta. Et quoniam finem vnum in alium ordinari, compertum est, neq; verò est in infinitum per illos ascendere, sed ad summum sit tandē perueniendum, fit, vt ipse qui primus est motor, supremus quoq; sit finis, propter quem ipse cuncta fabricauit. Neq; verò id tantum, sed inde facile sapientes illi intelligebāt, virtutē illam primā, non ideo solum sempiternā esse, eandemq; omnium finem, quod esset perpetuo immota permanens, sed quod iugi perpetuaq; prouidentia ab initio cuncta gubernaret. Vt est Sap. 14. Tua pater prouidentia ab initio cuncta gubernat. Et in Euangelio Ioan. 5. Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor. Vnde Protagoras, qui de hoc dubitauit, & qui id negauerat Diagoras, atq; adeo Democritus & Epicurus, qui res fortuna, casuq; agi profitebantur, ludibrio in reliquis philosophorum scholis habiti sunt. Quos Iob. cap. 22. illis ipsorum verbis subnotauit, Nubes latibulum eius, nec nostra cōsiderat. Nemo enim tam rudis vnquā fuit, tamq; feris moribus, inquit Lactan. ille Firmianus, quin oculos suos in cœlum tollēs aliquam Dei prouidentiam intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate & pulchritudine. Et lib. 2. de nat. deor. Cicero. Quid potest esse tam apertum, tamq; perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus, quā aliud quod esse numē præstantissimæ mentis quo hæc regantur. Imò verò si te audire adhuc non tædet, non modo cognouerant, totam hanc rerum molem, esse propter Deum, verū explicatius id quidem: puta totam esse propter hominem conditam, hominem verò, vt Deum coleret. Aristot. inquam, & quos veritas creati mūdi latuit, docuerūt nihilofecius omnia existere propter hominem. At verò Plato, quem philosophorum Deum iure optimo, vel hac de re, nuncupauit antiquitas, nō id modo, verum (vt in Timæo differuit) factum esse à Deo mundū, eundemq; propter hominem, tanquā eius domicilium, rerumq; hanc vniuersitatem, quāta eam cernimus amplitudine vastissimā, ac dispositione pulcherrimam, in victum, vestitum, aliaq; subsidia homini fuisse à Deo suffectam. Quamobrē cum Aristot. in operatione secundum virtutē, humanam felicitatem collocasset, & in contem-

Prouidentia. Sap. 14.

Iob. 22.

Lactan.

Cicero.

Mundus propter hominē.

Plato.



platione intelligentiarum, multo diuinius Plato, (quod in conuiuio disputat, & D. Aug. de ciuit. Dei lib. 8. meminit) hoc quod est, secundum virtutem viuere, nemini euenire affirmabat, præter eum qui notitiam, amorem, imitationemq; Dei haberet, neq; esse quenquam aliam ob causam beatum, quam quod Deo, qui summum bonum est, frui cõperit. Nam animorum immortalitatem non solum Plato frequenter, & dubio procul Aristot. sed etiam Stoicorũ princeps Zeno pro comperitissima habuit, qui et piorum sedes ab impiis longe discreuit. Hæc sunt in quorum meditationem voces nos istæ duæ miserunt: Sempiterna virtus & diuinitas. Ex his demũ diuinæ essentia attributa innotescunt, nempe omnipotẽtia, qua cuncta creat, bonitas, ob quam operatur, et sapientia, qua gubernat vniuersa, atq; id genus alia, quæ hic vocat Paulus, inuisibilia Dei. Nam est simplicissima in se sint vna substantia, tamẽ cum nobis non nisi per hæc perfectiones innotescant, quæ in nobis multæ sunt & diuersæ, pluratio numero ait/ inuisibilia. Et quãuis humana cognitio à virtute Dei ad eius essentia contemplando conscendat, tamen quia essentia prior est secundum rationem, q̄ potẽtia, eo ordine quo in se sunt, ait/ inuisibilia, virtus, et diuinitas. Et hæc de via efficientia. At verò (vt in initio proponebamus) disquiritur quoq; ab hoĩbus attributorum Dei notitia per viam excellentia, vt quæ perfectionem designant, sed tamẽ in nobis imperfecto sunt modo, perfectissima eadem meditemur esse in Deo. Sunt enim in nobis, esse, viuere, sapere, & reliqua huiusmodi limitate imperfectoq; modo, Deum autẽ suspicimus, per se esse, per se viuere, per se intelligere, & sapere, & c. Tertia deniq; methodus diuinæ explorandæ maiestatis est, negationis, id est, remotionis & depurationis eorum quæ in nobis composita, mortaliaq; sunt, aut quomodocunq; aliter inferioris ordinis, q̄ vt sint digna, quæ diuinæ substantia apponantur. Nempe vt cum essentia nostræ angustæ sint, & terminis certis ac periodis contractæ, in Deo infinitam, immensamq; essentiam intelligamus, immortalem, incõprehensibilem. Et quæ in nobis, seu corpora, seu accidentia sensibilia sunt, incorporea illic, & per se substantia, & insensibilia existimemus. Quæ denique aut ex partibus, aliaue quauis ratione cõposita in nobis experimur, eadem simplicia, ab hisq; oĩbus cõditionibus immunia, nuda, pura, et defœcata Deo transferibamus, atque

(vt Paulus ait) inuisibilia. Vbi autem ait/ à creatura mundi/ sunt qui noĩe creature, hominem intelligat, idiomate Greg. super illud Mar. 16. Prædicare Euangelium omni creature. Vbi sentit hominẽ noĩe creature censerit, eo quod sit ei cum omni creatura aliquid cõmune. At verò quãuis κτῖσῖς, græcis ambigua vox sit, tã creationẽ significans, q̄ rem quoq; creatam, eandemq; pariter ambiguitatẽ latine habeat/ creatura/ tamẽ hic/ creatura mundi (si genituum respicias) creationẽ equidẽ significare videtur, sicuti factura mundi, genitura hominis. Vnde Aug. 8. de ci. Dei, cap. 9. & 11. & vbiq; in hunc locũ incidit, ad tollendam dubietatẽ semper legit, à cõstitutione mundi. Est enim sensus, inaccessam illam antea lucem diuinã à creatione mundi effulgere promicareq; cepisse, vtputa quod quantum est hoc ædificiũ mundi, nihil aliud q̄ radius sit quidam, quo se Deus effundere & manifestare constituit.

Ita vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Explicata notitia Dei quã habuerunt gẽtes, enarrare prosequitur, quã cõmiserint impietatẽ: colligens ex superioribus, nullã habuisse excusationem, qua suam possent obtegere culpã. Nã si totã veritatẽ & omne diuinę religionis arcanum ethnicorũ philosophi attigerunt: nepe si (quod loco nũc citato ait Aug.) de summo Deo ista senserunt, quod & rerum creaturarum esset effectus, & lumẽ cognoscendarũ, & bonũ agendarũ, quodq; ab illo nobis sit & principiu natura, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, nihil erat quo suæ valerẽt culpæ obtinere. Hic tamẽ de verbo excusationis id cõsiderandum est, quod peccatũ (authore Aug.) nisi esset voluntariũ, peccatũ nõ esset. Quam obrem ea causa quæ prauæ actioni hoĩs quipiam adimit libertatis, tantundẽ (vt docet. 3. ethi. Arist.) de ratioe culpæ remittit. Tria autẽ inibi subiicit plenæ libertati aduersantia, per quæ, si nõ vbiq; integra tollitur culpa, pro parte tamẽ semper excusatur. Hæc sunt, ignorantia, vis, atq; metus. Attamẽ nunq; ab his tribus excusationẽ prætexere vllus potest, nisi dum præcedũt velut causa operis, quod aliàs nõ fieret. Qualis ignorantia fuit Pauli insectantis Ecclesiã CHRISTI, cuius proinde culpæ veniã & mĩam cõsecutus est. Gentes autẽ nõ ob ignorantia veri Dei ad idola peruersi sunt, sed de sua potius exultates ac superbiẽtes sapientia

A creatura mundi.

Aug.

Aug.

Excusatio peccati.

Tria quæ obstant libertati.

Ita, nõ est græce.

De duobus inculsantur

Dispositio Dei.

Dubitatio, an sufficeret cognitio naturalis.

piencia Deum studio contempserunt, ac subinde propter cõtemptũ excæcati sunt ab ipso. Quocirca nec fuerunt per ignorantia excusabiles. Particula/ ita/ non est in codice græco, eamq; ob causam aiunt quidã, non solum redundare, verum etiã sensum subuerrere, & sic vertendũ ad verbum fuisse, Deus illis manifestauit, & c. in hoc vt sint inexcusabiles. Hanc autẽ lectionẽ ego non adeo pugnaciter auersarer, nisi literã in hũc sensum traheret, quod Deus in hoc ipsum contulerit gentibus cognitionem, vt non haberent quo suã culpam excusarent. Qui sensus falsus est. Nihil enim Deus facit ad malũ nostrũ respiciẽs. Id qd̄ Chrys. hic prudenter admonet. Non enim, inquit, ea causa vt eos inexcusabiles redderet, tantum magisteriũ præstitit, sed vt illũ cognoscentes excolerẽt. Euenit tamẽ ex eorũ culpa, vt nõ essent excusabiles. Cuius alumnus Theo. exemplum ex psalmo supponit, Malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. Non enim propter hoc deliquit Dauid, vt Deus esset iustus, sed quia peccauit, iusta in ipsum fuit Dei animaduersio. Quare interpret nõ solũ non subuertit sensum per particulã/ ita/ verũ elucidauit, quippe quæ non significat Deũ eõ retulisse quã sui cognitionẽ impertiuit hominibus, vt essent inexcusabiles: sed hoc tantũ quod cognitio fuit causa, vt nõ possent ignorantiam impietati suæ prætere. Atq; meditate de duobus inculsat illos Paulus: nepe qd̄ neq; Deum glorificauerunt, neq; gratias egerunt, cum tamẽ ad vtrancq; rationẽ Dei ex visibilibus penetrauissent: videlicet & quod causa esset efficiẽs prima, cui de acceptis beneficiis gratias agere debuissent: et qd̄ rerũ oĩm, ac maximẽ ipsorum hominũ supremus esset finis, cui idcirco se totos addicere tenebatur. Nam sic Deus officia dispensauit, vt mudi hæc moles, pulchritudo, & constãtia, veluti mutorum signa et nutus, gloria eius prædicarẽt, pũta vt enarrarẽt cœli gloria Dei, & ignis, grandis, mix, glacies facerent verbum eius: audire autem hoc encomium soli rationali homini demandatũ est: cui ideo præceptũ fuit gloria in ipsum referre, ipsiq; pro his cunctis gratias agere: eo quod vniuersa hæc subiecisset sub pedibus eius. Exurgit autẽ hic dubitatio iã partim submota. Vtrũ naturalis Dei cognitio sufficiens illis erat ad salutẽ, q̄ sub lege agebãt naturali. Nanq; si non erat sufficiens, non facile apparet, quomodo illos poterat vsq; adeo excusatiõe expoliare, quin valerẽt se ipsi per carentia superioris notitia protegere. In con-

trariunt verò, quod non fuerit sufficiens, q̄ maxima sunt argumẽta. Primum quod iustificatio non est opus naturæ, sed gratia, vt contra Pelagium decretũ extat: ergo neq; ad iustitia coram Deo satis est naturalis cognitio. Mox quod ad humanã salutẽ necessaria fuit semp homini cognitio Dei, non solum qua ratione vnus est, rerũq; causa et finis, sed nõnulla etiã trinitatis. Nam oportet credere, authore Paulo, remuneratõẽ esse: remuneratio verò per filiũ Dei atq; spiritus sancti opẽ obuenit nobis: trinitatis autẽ notitia, nõ est nobis naturalis. Ad hæc, credere quoq; opus est, in illa fruitione inspecti Dei positã esse nostrã felicitatem, ad quorũ profecto cognitionẽ frustra nostra niteremur natura, nisi altius nobis desuper affulgeret lumẽ. Postremò itaq; arguitur inde, quod videtur necessaria ad salutẽ, notitia aliqua originalis maculæ, propterea quod in nullo vnq; seculo, nisi per aliquod sacrificiũ imaginẽ gerẽs sacramẽti, remissa fuit: illa autẽ notitia acquiri nullatenus nobis potest sola naturæ ope. Hæc videtur cõfirmare eorũ opinioẽ, qui existimant sermonẽ hunc apostolicũ interpretandũ esse de manifestatione Dei per fidẽ. Cum tamen luce sit clarius, nõ loqui nisi de cognitione naturali, philosophorũ propria, ex creaturis elicitã, in quibus inuisibilia inspiciuntur, quæ distinguitur contra obscurã diuinitus insulam fidem, qua creduntur. Igitur cũ hoc sit hic constitutissimũ, sit, vt quicquid sit de eius sufficientia ad salutem, ob eandẽ tamen naturalem cognitionẽ, teste Apost. fuerint inexcusabiles. Est enim hoc loco mēs ipsius, orbi palam facere, quod Deus neminẽ deseruisset aut neglexisset mortalium, sed mundũ hoc sine creasset, vt esset nobis, nõ solũ in alios vsus vitæ, at potissimũ (vt. 1. de doct. Chri. author est Aug.) in vehiculum, quo per rerũ cõtemplationẽ Deũ speculantes, ac perinde colẽtes, ab hac, vbi peregrinamur vita, transueheremur in aternã patriam. Atq; hanc prouinciã ac negotiũ philosophia naturali demandauit, vt per sapientes vulgus ad cultum Dei institueretur. Vnde Chrys. explicãs quomodo Græci, id est, quot quot sub lege naturæ degebãt, nullã poterant impietatis excusationẽ habere. Nunquid, inquit, nõ audistis vocẽ cœlorũ, qui enarrãt gloria Dei per oculos nobis immissam, concertumq; rerũ oĩm pulcherrimũ vndiq; tuba clarus intonantẽ? & c. Hæc autẽ oĩa ad naturalem cognitionẽ pertinet: nõ ergo Paulus superioris meminit notiois fidei. Idẽ sentit Greg. & Hiero.

Animorum immortalitas.

Attributa diuina.

Via excellentia.

Via negationis.

Mens Apostoli.

Chrysost.

Quo fuerint inexcusabiles.

et Hieron. et reliqui. Quod autem cognitio naturalis fecerit eos inexcusabiles, bifariam quis forte cogitabit. Vno quippe modo, si vera illa esset opinio, quam lib. 2. de nat. et gra. in prima impressione veneta probatior existimabam: puta quod in lege naturae licet fuisset necessaria fides CHRISTI ad salutem (quoniam nunquam fuit aliud nomen sub caelo in quo oporteat nos saluos fieri) tamen illa non esset necessaria, nisi quae naturae lumine haberi poterat: ita ut naturalis cognitio quae per creaturas haberi potest, quod vnus Deus est principium ac finis, qui ideo remunerator est, diceretur fides, quae in lege naturae sufficiebat. Tunc etenim liquidum constaret, quomodo cognitio naturalis excusationem auferebat idololatriae et iniquis gentibus: quoniam per illam cum auxilio speciali Dei mouentis voluntatem, reconciliari cum Deo poterant. Hanc equidem opinionem, praeter auctoritatem S. Thomae, qui super verbo illo cap. 2. naturaliter quae legis sunt faciunt, huc videtur conuincere (licet. 1. 2. q. 113. ar. 4. in contrarium propendeat) hac argumentorum probabilitate suadebam. Primum quod in illis seculis sola erat necessaria illa fides de Deo confusa, quod sit, et quod inquiringibus se remunerator sit, in quorum primo membro notitia implicatur trinitatis, et in altero mediatoris, qui fuit CHRISTVS: ad hanc autem videtur natura posse rerum contemplatione conscendere. Et quod plurimum mouere quempiam potest, non est creditum facile, aliam Deum exegisse vnquam cognitionem sui ad salutem, quam illam quae esset ab illo publicitus promulgata: in lege autem naturae non erat proposita gentibus cognitio Dei, praeter illam quae per lumen naturae consignata erat in mentibus hominum: nullam ergo praeterea requirebat: neque alia videtur fuisse necessaria. In lege autem scripta et euangelica alia ratio est. Neque vero opinio haec omnimode impingeret in Pelagium, cum non adscribat iustificationem naturae viribus, sed beneficio Dei supernaturaliter mouentis affectum. Hoc enim proculdubio semper fuit necessarium, quoniam iustificatio, opus supernaturale est et donum Dei. At vero licet non desint forte quibus haec probetur opinio de naturali fide, re tamen bene inspecta, alteram omnino iam probem: non solum quod hoc aetatis male audit haec, quam in scholis aliquando sustinebam, verum quod patres sublimi hoc iustificationis mysterium, non tam rationibus, quam sacris elogiis adstrue-

bant, captiuantes nimirum intellectum in obsequium fidei. Et aduersus Pelagium non solum sancitum est, iustificari hominem absque operibus, verum quod neque initium fidei a nobis est: contestate Apostolo, minime nos sufficere cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Et Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidem, et non ex vobis: vbi fides asseritur gratiae donum. Et Aug. Hyp. lib. 3. Fide, inquit, non aliam nisi quae nunc est salui facti sunt omnes sancti, qui ab exordio usque ad finem mundi salui facti, faciendique sunt: cum ergo haec sit super naturalis, fit, ut semper talis fuerit necessaria, licet non adeo explicata. Igitur alio modo cognitio haec Dei naturalis, de qua hic loquitur Paulus, quam per visibilia rimando adepti sunt philosophi, eos reddebat inexcusabiles: nempe quod licet non fuisset sufficiens ad salutem, tamen si iuxta eandem cognitionem ostendentem illis vnum Deum in cuius gloriam tenebatur omnia referre, ius preceptaque naturae seruassent, Deus suffecisset illis altiorum notitiam fidei.

Sed euauerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Perquam sapienter Paulus, vbi confirmauit quod ignorantia gentium non antecessisset eorum impietatem et iniustitiam, ut possent eam suis sceleribus obtexere, statim commonstrat, nequitiam potius et insipientiam eorum in causa fuisse suae ipsorum caecitatis, mentisque caliginis. Sed euauerunt, et c. Res illa vana existimatur, quae nihil habet solidi, sed caret illo quod suapte natura apta est habere: seu quae sibi a natura praescriptum scopum et finem non assequitur: vti crustula nucleo vacua. Ergo cum finis intellectus nostri qui ad imaginem Dei facti sumus, cognitio sit diuina, quicumque illius caret, vanus est, sicuti et voluntas quae rei alius quam Dei amore tenetur, vana, Sapientis iudicio, censetur. Vbi vniuersa quae sub sole sunt ex eo vanitatum esse vanitates denunciat, quod cum respice explere desideria nequeat nostra, earum quoque appetitiones vanae sunt et fuitiles. At qui cum mentis cognitio, tam lux intellectus sit, quam etiam finis noster, vtrique est homo absque diuinorum scientia, et vanus scilicet, et obtenebratus. Ob idque qui cogitationes suas non affixerunt in Deum, sed ad creaturas sub miserunt sese, merito ait eos, et euauisse in cogitationibus suis, et eorum animum obscuratum esse.

Aug.

Quo reddebatur inexcusabiles.

Initium peccati superbia.

Philosophorum errores.

Res vana.

Eccles. 1.

Vanitas.

Nomis

Nomine enim cordis in praesentia Paulus animum nostrum designat, qua parte carnis factus, sensilibus rebus subditur. Quemadmodum facit paulo inferius, vbi desideria cordis nominat. Cum vero ait obscuratum esse insipiens cor, non ita sentias, ut prius fuerit insipientiam, quam obscuratum, sed quod per insipientiam (quae est lucis priuatio) obscuratum est. Non quod Deus se oculis eorum subduxisset, sed quod illi se a vero sole auertissent [dicentes enim se, et c.] Dixerat, euauisse in cogitationibus, ac perinde obscuratum fuisse illis cor, quorum vtriusque membri causam atque explanationem ex ordine subtextit. Enimvero quoniam dixerunt se esse sapientes, inde in vanitatem collapsi sunt. Animaduerte pie lector, ut sit omnis initium peccati (quod in Sapiente est) superbia. Postquam enim philosophi eo quod tanto studio et sudore scientias nacti fuerant, earum sibi gloriam arrogassent, neque Deo retulissent receptas, deturgere statim inflarique coeperunt, atque inde in sectas se et symbola dissecare, ut alii Academicum, alii Stoicum, alii Pythagoricum, alii alius philosophiae ac tumentibus nominibus insignirentur. Mox dogmata quilibet sua profiteri instituit, nec tam lucem intellectus sectari, quam alios oppugnare, propriaque tueri placita. Atque hinc sanè est, ut tam de naturalibus rerum principiis et causis, quam de ratione morum usque adeo varia diuersaque commenta et monstra confinxerint, ut qui plerisque eorum legerit, nihil aliud quam ab irato demone demantatos existimet. Dicentes ergo se esse sapientes, stulti facti sunt. Quas supra dixerat mentis tenebras, easdem nunc stultitiam appellat. Bene ergo Esaias, Vx. inquit, qui sapientes estis in oculis vestris. Etenim quod in fabulis de formoso illo iuvene est, hoc ipsum illis euenisse videmus: ut cum non Deum suspicerent, sed in terram proni in sua se sapientia identidem spectarent, quasi humanam exuti effigiem, in vanitatem abierunt.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. Non exigas christianè lector diuinum nostrum oratorem ad regulas humanae eloquentiae. Non enim verba prodigit, quibus vestiatur oratio, sed si a loco illo Reuelatur ira Dei sermonem respicias, perpetua est catena, vbi quodlibet ver-

bum exponit praecedentis causam. Quo ergo insolentes sua scientia gentiles deiecti fuerint, explanat. Quia mutauerunt gloriam Dei in similitudinem animalium. Ut autem continuatio huius textus fiat ad subsequentes, considerandum est, tria esse in quibus officium omne collocatur: nempe ut homo in deum religiosus sit ac pius: sibi vero sobrius, pudicus et modestus: aliis autem iustus, frugi et bonus. Atque in omnes has partes insinulat hic Paulus, illam gentium iniquitatem peccasse. Primum in Deum, quoniam mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis creaturae / In corruptibilis Dei / alii transferunt, immortalis, alii quae, indissolubilis: amplioris tamen significationis est incorruptibilis. Deus namque non solum est immortalis, verum nulli corruptioni mutationiue, vitio aut contagio obnoxius. Neque interpret noster ignorabat et philosophos significare etiam immortalem. Nam trās tulit. ad Timo. 1. Regi immortalis: sed nouerat nihilominus significare et incorruptibilem: nimirum a verbo cadēs φθέρω, quod est corrumpo. Et nota, mutauerunt, nam immutabilem gloriam Dei mutauerunt, transfuleruntque in caducas ac fuitiles creaturas. [In similitudinem] Graecus casus per effectiuum germanius redditur. Non enim est sensus, quod gloria versa sit in similitudinem, sed quod mutata est ab illis gloria Dei, et ipsorum existimatione translata in creaturas, similitudine, id est, per similitudines deorum, quas ab se confictas adorabant. Sed parum interest. Nam et in similitudines ipsas, hoc est, deorum simulachra honores etiam diuinos referebant: iuxta illud Sap. 14. Incommunicabile nomen imposuerunt lignis et lapidibus. Atque qui, ut D. Thomas obseruat, diuinis tribus tria è regione opponit humana. Gloriam, inquit, quae ideo vera est et aeterna, quod veri atque adeo incorruptibilis est Dei, in similitudinem, quae non est veritas, sed umbra, neque solida, quia hominis, ob idque corruptibilis creaturae. Quibus proinde verbis vehementer exprobrat eorum impiam dementiam, quod incorrupta veritate posthabita, euandam umbram, quin verò nugacissima mendacia deitate donassent. Nec refert, siue nomen gloriae enuncies de illa, quae est in Deo diuinitatis claritudo, quam mentiti sunt in esse creaturae, siue de glorificatione, quam Deo debentes, impenderunt creaturae. At quorum obsecro cogitas, similitudinem hominum ad-

In tribus collocatur officium omne.

Incorruptibilis.

In similitudinem.

Sap. 14.

D rabant

Responsio.

rabant? Iouis, Iunonis, Bacchi, Veneris, Plu-  
 tonis, aliorumque id genus, qui hominum po-  
 tius portenta, monstrorumque prodigia habendi  
 fuissent. Imò nec ibi quidem precipitem  
 naturam caelum sistere permiserunt, verum  
 et ad volucres demiserunt sese: atque inde rur-  
 sum ad quadrupedia atque ad ima usque repti-  
 lia colenda deiectioni sunt infamatores illi na-  
 turæ nostræ, quos Deus ad imaginem suam  
 cõdiderat, orbique præferat, et æquauerat an-  
 gelis, ut soli maiestati suæ subderentur. Lu-  
 culenter quidē & eleganter per quatuor hæc  
 præcipitia ruinam infatuati hominis depin-  
 xit. Sanè qui supremo Deo neglecto, homi-  
 nes primum, par sibi animal, mox volucres  
 supra se volantes, deinde subiectum sibi bru-  
 tum pecus, ac demum abiectissimos serpentes  
 adorasset. Neque enim animantium ullam  
 serpentem inferiorem excogitare potuit, &  
 quæ Deo magis aduersaretur: utpote cuius  
 effigiem indutus est circumuentor ille pri-  
 morum hominum, ubi discordiarum inter  
 genus nostrum & Deum atque inimicitiarum  
 sementem fecit. Adorauerunt tamen & scul-  
 pta marmora, & ligna, luteaque idola, quibus  
 si faber aut figulus tribuisset cor, authorem  
 ipsum suum adorassent, ut in de verb. domi-  
 ni ait Aug. Vide quàm erant idololatræ illi  
 inexcusabiles. Etenim cum solum hominem  
 Deus voluntate & mente donasset, ut pro om-  
 ni creatura Deo gratias referret, illi in saxa  
 traducebant gloriam Dei, quæ non solum  
 sine numine, sed sine sensu erant, reclamantia,  
 non ipsa nos, sed Deus fecit nos. At pul-  
 set hic fortassis cuiuspiam animum. Qui mor-  
 talium potuerint eò insaniam furorisque colla-  
 bi ac ruere, ut non homines modo, eosdem-  
 que mortuos, sed pecora, lapides & robo-  
 ra pro diis ducerent? In initio quidem tyran-  
 ni fuere, qui suis imaginibus templa, arasque  
 erexerunt: ut de Belo Babyloniorum rege  
 memoriæ proditum est. Deinde propter ali-  
 qua facinora (ut propter urbem conditam  
 Romulo) seu propter egregias victorias (ut  
 Herculi aliisque compluribus) statuæ positæ  
 sunt, quæ non habebantur ut dii, sed ex-  
 tabant in eorum memoriam, atque ut homi-  
 nes ad virtutum studium excitarent. Nam  
 idolum idem est quod simulachrum. Cum  
 verò sensuales homines imagines sensibus  
 obiectas tanta veneratione suspicerent, da-  
 ta inde occasione, damonia illuc ingressa,  
 responsa dare ceperunt, atque homines de-  
 ludere, qui crederent subsidia, præsidiaque in-

de sibi à statuis ac delubris obuenire. Ani-  
 malium verò cæterorum adorationē Ægypti-  
 tus astrologiæ superstitionibus imbuta ad-  
 didit: quod lib. 7. est apud Strabonem diffu-  
 se. Cunctas namque animalium effigies, quas  
 in zodiaco compererant, ut Arietem, Tau-  
 rum, Scorpionem & alia pro diis habebant.  
 Cuius idcirco Deus admonitos fecit olim  
 ludæos ex Ægypto reduces, dicens, Ne fortè  
 oculis eleuatis in cælum, videas Solem & Lu-  
 nam, & omnia astra cæli, & errore dece-  
 ptus adores ea & colas. Quin verò (ut au-  
 thor idem refert) non solum pecoribus pe-  
 nē vniuersis, sed cæpis & porris, quibus ves-  
 cebantur, deferebant diuinos honores. Quin  
 & crocodilus ferocissima belua Arsinoe ut  
 be Ægypti à sacerdotibus mansuetæ cole-  
 batur: quam hic forsitan commemorat Pau-  
 lus nomine serpentum: sicuti & nomine vo-  
 lucrum, aquilas Romanorum, vel anseres ob-  
 custodiam capitolii sacros. Sed de his Euse-  
 bius, & Lactant, latissime. Et. 8. de ciuit.  
 Dei Aug. ubi celebratissimū illum Ægypti-  
 orum Hermetem Trimegistū inducit, qui aie-  
 bat, veluti Deus summus omnium pater ef-  
 fector est cælestium deorum, ita & homi-  
 nes, terrestres sibi deos effingere. Est profes-  
 sio altissima dignum meditatione, quàm sit  
 homo hinc rerum omnium miraculum, si di-  
 cto Dei audiens fuerit, ut qui ad eius imagi-  
 nem factus, eius demum fieri particeps deita-  
 tis natus idoneusque sit: inde verò si ad Satha-  
 næ tyrannidem descuerit, quanto ludibrio  
 vanitatem eius antiquus ille hostis circumuer-  
 set. Ex hoc autem loco recentes isti prote-  
 stantes catholicos deferunt, & increpant,  
 quòd gentilitatis imagines ab orco reuoco-  
 mus, idololatrarumque æmuli colamus, con-  
 tra prohibitionem legis Deuter. 5. Non faci-  
 es tibi sculptile neque omnem similitudinem  
 quæ est in cælo desuper, & quæ est in terra  
 deorsum, & eorum quæ sunt in aquis sub  
 terra. Non adorabis ea, neque colas. De  
 hoc tamen fustus hic decertare ratio enar-  
 rationis non permittit, sed satis admonuis-  
 se fuerit, in hunc olim errorem lapsos fuisse  
 nonnullos, quorum fuit Seruius Mar-  
 tiensis Episcopus, Leo quartus Imperator,  
 & Vualdenses. Qui error condemnatus est  
 sub Gregorio tertio in Concilio Romano,  
 & Franconia sub Adriano primo, & in  
 concilio secundo Niceno, & postremo in  
 sexta Synodo Constantinopolitana: quæ con-  
 demnatio inter decreta relata est, de consi-  
 sti.

Ægyptii.

Deut. 5.

Crocodilus

Homo varius.

Lutherani de imaginibus.

Hereses negantium imagines.

De consi. dist. 7. cap. venerabiles.

sti. dist. 7. cap. venerabiles. Neque alia erant  
 antiquis imagines interdictæ, quàm astrorum  
 & animalium, & piscium, quæ subnotantur  
 nominibus illis, cæli, terræ, & aquarum. Qui-  
 bus adorandis, cum totus penè mundus erat  
 infectus, tum maximè populus ille suo pte in-  
 genio procliuus: à quo nunc periculo procul  
 abest Christianorum orbis: ubi nulli vnquã  
 tam rudes aut barbari fando auditi sunt, qui  
 crucifixi, sanctorumue imagines, tanquam  
 idola venerarentur. Sed quemadmodū tunc  
 Cherubin in propitiatorio duos erigi Deus  
 iussit, de quorum medio loquens, humanis  
 etiam sensibus maiestatem suam ostenderet,  
 ita modo, præsertim postquam Deus visibi-  
 lis homo factus est, sanctissimè institutum est,  
 ut suprema illa triumphantium Ecclesia, ubi  
 Deus inter tot beatorum coronas medius re-  
 gnat, in hac interim militanti ob oculos no-  
 bis obiiceretur: tum, ut per visibilia (ut hic  
 docet Paulus) ad illam infinitam felicem  
 contemplandam promoueremur, tum ut san-  
 ctorum exempla animos ad eorundem imi-  
 tationem accenderent. Neque vlli Christiano-  
 rum vsquam terrarum aut gentium in men-  
 tem venit, ut siue ab imagine, siue à diuisi-  
 bilis auxilium aliquod expectaret, quod per se  
 ipsi possint ferre, sed eos tantum apud Deum  
 aduocatos adhibemus. Verum de hoc emu-  
 tius. 1. Timoth. 2. inter enarrandum, quem ad-  
 modum CHRIS TVS vnus sit mediator Dei  
 & hominum.

Pœna peccati.

Propter quod tradidit illos Deus in  
 desideria cordis eorum, in immunditiã,  
 ut contumeliis afficiant corpora sua in  
 semetipsis. Post idololatriam gentiũ, qua  
 fuerant in Deum impii, attextit, ut fuerint in  
 se ipsos impudici & contumeliosi. Proponit  
 autem secundum hoc vitiorum genus, quasi  
 pœnam impietatis eorum, à Deo ipsis infli-  
 ctam. Vbi hæc primum omnium meditatio  
 animum occupat meum, quàm sint utique di-  
 rg, crudelesque beluæ, quamque in nos truces, at-  
 que truculentæ nostræ ipsorum libidines.  
 Qui enim homines de honore diuino in pe-  
 cudes & serpentes foedissime translato, acer-  
 rima supplicia debebant, non vrsis, leonibus  
 aut immanissimis tigribus traditi sunt lanian-  
 di ac deuorandi, sed in desideria cordiũ suos-  
 rum: ergo desideria nostra seuiora illis sunt,  
 ac bestiis quibusuis immaniora. Cuius equi-  
 dem causa non est indagatu difficilis. Est  
 enim animal quoddam, homo, rationale, &

mortale. Quapropter quæcunque nobis mors,  
 quamlibet atrocissima contingat, nihil natu-  
 ræ nostræ dissonum patimur, quãdoquidem  
 mortales morimur. Cum autem quicquam  
 rationi aduersum, contrariumque admittimus  
 (quale omne est peccatum) tunc conditioni,  
 naturæque nostræ insignis irrogatur contume-  
 lia. Et quoniã nulla res externa inuitos, sed  
 solum liberum arbitrium nostrum valet nos  
 de rationis arce deturbare, nullum potuit in  
 impios acerbius patibulum decerni, quã quod  
 in propria traderentur desideria, atque ea qui-  
 dem immunda & impudica, quæ voluntatē  
 ad malum propellerent, quo naturam ipsam  
 inquinarent, defœdarēt, et infamarent. Est  
 autem locus hic quem Lutherani eo detor-  
 quent, ut persuasum habeant, Deum non mo-  
 do causam esse peccati, verum ita efficacem,  
 ut ad malum cogat. Quinimo ita sit causa, ut  
 solus ipse sit causa. De qua re præcipuam dis-  
 putationem instruximus lib. 1. de nat. & gra.  
 cap. 17. & 18. quam poterit consulere, quicumque hunc locū  
 intellectum sibi cupiat. Ait enim Lutherus  
 art. 36. quòd non est in potestate nostra, ma-  
 las vias facere, sed mala opera in impiis De-  
 us operatur. Et (ut alios silentio prætermitta-  
 mus) Bucerus super hunc locum eousque ha-  
 bet constitutissimum, Deum esse cogentem  
 causam peccati, ut qui hoc negauerit, Deum  
 neget, esse Deum, quia negat esse efficacem  
 causam illius effectus, quem vult fieri. Hoc  
 enim, inquit, significat, Tradidit. Hanc verū-  
 tamen incredibilem absurditatem, absurdissi-  
 mamque impossibilitatē pro virili nostra con-  
 futauimus argumentis multis, ex natura, tum  
 Dei, tum etiam peccati constructis. Est enim  
 peccatum, opus contra diuinam regulam &  
 voluntatem: quòd autem Deus quoquo pæ-  
 cto quempiam contra regulam suam & vo-  
 luntatem moueat, manifestaria contradictio  
 est. Siquidem cum eadem in ipso res sit men-  
 tis regula, & voluntas, & potentia, iuxta regu-  
 lam suam facit & voluntatē quicquid facit.  
 Multo ergo magis est impossibile mouen-  
 do ad id cogere. Est præterea peccatum (ut  
 verbis August. in de vera relig. utamur) vsque  
 adeò voluntarium malum, ut nullo modo sit  
 peccatum, si non sit voluntarium, id quod de  
 peccatis etiã ipsis, quæ sunt pœna peccati, re-  
 petit lib. 1. retractationũ. Id ergo operis, quod  
 Deo cogente fieret, imputari ab ipso in cul-  
 pam, impossibile est. Quinimo si facere quod  
 Deus, vel præcipit, vel consulit, adeò non  
 est peccatum, ut sit etiam officii & obediē-  
 tia,

Lutherani.

Lib. 1. de nat. & gra. cap. 17. & 18.

Lutherani.

Peccatum.

Aug. in de ve. religi. cap. 14.

Lib. 1. retract. cap. 15.



*Iacobus.* tia, quomodo quod perurgente ipso fit, peccatum erit? Iam verò si vera est Iacobi sententia, qua admonemur, vt nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, quoniam Deus intentator malorū est, quis dum peccat dicere audeat, quòd Deo, non modo tentante, verum & cogēte peccat? Tradere ergo in proposito, vt Orig. Ambro. Chrysof. Aug. et sancti patres consentiunt, idem est quod permittere. Bisariam hic tamen insurgunt contra hoc interpretamentum. Primum arguunt, id quod est, tradere, nos satis explicari per hoc quod est, permittere. Nam traditio applicatio quædam videtur & impulsio vel adiudicatio in potestaté sensualitatis. Sicut in Exo. legimus, quòd indurauerit Deus & ingrauauerit cor Pharaonis. Et Esa. 6. innuitur Deus excæcare corda, aggrauare aures, &c: quæ maiorem multo emphasim habēt, quàm, permittere. Deinde argumentantur, verbum/ permittere/ in Deo non esse mitius, quàm facere: quin vero in idem recidere. Nam cum Deus nouerit, inquit, naturam nostram ita esse deprauatam, quin etiam tales nos, ipso authore, in vtero conceptos, vt sine eius spiritu & auxilio cauere peccata non possimus, si illud nobis, quoties eo opus habemus, non largitur, manifeste conuincitur in causa tunc esse peccati nostri: sicuti causa cæco cadendi est, qui manum non porrigit. Ad hæc autem abunde (vt reor) responsum à nobis est loco citato, vbi distinximus, quòd duobus modis cogitare possumus à Deo quempiam priuari auxilio suo. Vno modo, quòd in pœnam præcedentis peccati ita destituat hominem in fauore suo & subsidio, vt statuerit, quasi firma sententia, nunquam ei amplius succurrere, sed fixum apud se habeat & firmum, illum perpetuo deserere, ita vt per Deum ipsum stet, ne ille vel à præterita culpa emergat, vel noua vitet crimina. Alio modo permittere idem pollet, quod finire quemq; libere agere secundum propriam voluntatē, ita tamē vt semper sit Deus paratissimus brachium porrigere, nisi per hominem steterit. Primo itaq; modo dicebamus, neminem vnquam mortalium in hac vita fuisse à Deo destitutum, sed illam esse destitutionem eorum propriam, qui cruciantur in inferno. Alias non in vniuersum verum haberent de omnibus hominibus voces illæ diuinæ, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et, Pœnitentiam agite, Et, Conuertimini ad me in toto corde

de vestro. Et, Deus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, &c. Et, Ego ad ostium sto & pulso. Et, Noli vinci à malo. Et, Noli negligere legem Dei. Et, Nolite fieri sicut equus & mulus, Et alia id genus quæ vniuersalem hominum libertatem præse ferunt. Colligitur ergo Deum eo tradere homines in sua desideria, quòd permittit eos ire secundum inclinationem propriæ voluntatis. Idem quippe Apostolo est, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, quod Prophetæ illud, à Hieronymo hic citatum, Dimisi eos secundum desideria cordis eorū. Ibunt in adinventionibus suis: hoc est, nulla coactione, sed suapte spōte animis obsequentur suis. Neq; aliud quicquam designat Augustiniana glossa, quæ est inter ordinarias, desumpta ex lib. de gra. & libe. arbi. cap. 21. quæ ait, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunq; quæ voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. Cum enim cuncta bona in Deum suapte natura referantur, inclinatio Dei ad bonum, intentio nem eius ac numen designat. Cum verò malum culpæ deuiatio quædam sit à diuina voluntate, fit, vt inde Deus inclinare hominem ad malum censeatur, quod propriæ ipsius inclinationi permittit. Atq; idem est tradere in desideria. Vnde in epistola ad Sixtum secunda, Nō Deus, inquit, obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo gratiam. Et ad Simplicianum, Non intelligendum est, quòd Deus ita induret, quasi quenquā peccare cogat: sed tamen quibusdam peccatoribus misericordiā iustificationis suæ non largitur, & ob hoc eos indurare dicitur, quia nō eorum miseretur: non quia vi impellat vt peccēt. Et in lib. de essent. diuin. Indurare, inquit, dicitur Deus quorundam malorum corda, sicut de Pharaone scriptū est. Non quòd omnipotens Deus per potentia suam corda eorum induret, quod est impium ita credere, sed exigētibus eorum culpis, cum duritia cordis quā ipsi sibi mala perpetrando nutriūt, nō aufert, quasi eos induret, quia iusto iudicio indurari sinit. Ecce Deus nō aliter q̄ sinendo & permittendo est causa peccati. At verò (vt S. Tho. 2. 2. q. 79. exponit) quoniā Deus nō necessitat, sed ratione & iudicio permittit nostrā nos sequi inclinationē, permissio ipsa, nūc traditio, nūc verò excæcatio, obduratio, vel aggrauatio nuncupatur. Vt illic à nobis expositum est. Quin verò Orig. lib. 3. de prin. ca. de lib. ar. ele

gantissime explicat, non aliter Deum indurare corda, q̄ patienter tolerando (vt cap. sequenti etiam adnotabimus) schemate illo sermonis, quo clementissimus herus in seruum ait, Ego te talem serue feci. Patiētia mea tuæ extitit insolentia causa. Quam expositionē sequitur & Hiero. Quinimo & Pau. id exprimit, vbi ait, Ignoras quoniā benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autē duritiam tuā & impœnitens cor, &c. Hæc latissime testimoniis q̄ plurimis inter enarrandum decretum sanctæ Tridētinæ Synodi sessione sexta cōfirmauimus. Vbi anathema esse iubetur, qui dixerit, nō esse in hominis potestate, vias suas malas facere, sed quòd mala opera, ita vt bona, Deus operatur. Quod autem inde huc restat accersendū, est, quòd nō quæcūq; permissio est censa traditio aut induratio, sed vbi iam catena malorū in profundum pertraxerit miserum. Vnde Apostolus hic, vbi primum ait gentes demutasse gloriam Dei in similitudinem corruptibilis hominis, &c, non dixit eos tunc tradi: tamen si id permissi commiserant. Sed cum deinceps carnalibus desideriis assuescebāt, tunc ait eos tradi in desideria cordis ipsorum, id est, cordis, quod nō Deus ab se coactu abalienauerat, sed quod illi libere ab ipso fecerant alienum. Quam itidem libertatē suggerit etiam num Apostolus in subiunctis verbis [ut contumelias afficiat corpora sua in semetipsis] Quod est, tali sua se ipsi sponte deturparunt spurcitia, & affecerunt cōtumelia, qualem ne ab hoste paterentur, vel mortem prius ipsam petiti debuissent.

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori: qui est benedictus in secula, Amen. Quæ deinceps subsequuntur per ea, quæ hætenus præcesserunt elucescunt. Nihil enim pergit quicquam noui adiciere, quàm (quod in more habet) explicatius repetere, in aliamq; faciem vertere quæ simpliciter dixerat. Resumit namquæ gentium, tum impium idolorum cultum, tum spurcitiā infamem, qua se in pœnam permissi sunt descendere & conspurcare, vt districtiore oratione & exprobratione eorū insolentiam retundat, atq; adeo patefaciat, quàm non fuerint per se digni diuina recōciliatione. Vnde quod dixerat/ Mutauerunt gloriam Dei in similitudinē imaginis, &c: iterato perstringit subdēs/ Et mutauerunt veritatē Dei

in mendacium. Est enim hebraismus cuius supra meminimus/ Dei/ pro/ eius/. Cū enim mox antecesserat/ gloriam Dei/ supponendū deinde fuerat relatiuum. Veritas hic Dei forte ab aliquo referatur ad cognitionē, quam philosophi à Deo ipso recipientes falsis dogmatibus peruerterunt. Attamē significatius accipitur pro natura diuina, quæ cum in vno sit solū vero Deo, existimata ab illis est creaturis competere, quæ deorum sunt prodigiosa, portentosaq; mendacia. Est quippe mendacium, quicquid non est id, quod repræsentat. Iuxta illud Psal. Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Atq; huc pertinet quod subdit [Et coluerūt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori.] Duo crimina quæ superius gentibus obicerat, puta quòd neq; Deum glorificassent, nequē egissent illi gratias, eadem ambo iam nunc maiori refricat improperio. Est enim auxesis prodigiōse impietatis, insignisq; dementiæ amplificatio. Quod enim Deo gloriam & gratias non habuissent, ingrati animi delictum erat: quod autem debitos Deo honoris titulos, aras, thura, sacrificia, & id genus cultus in creaturas transfuertissent, inexpiabilis est perfidia sacrilegiū: videlicet quòd creaturas nō modo Deo pari iure exæquassent, verum honorificentius colerēt, quàm Deum. Imò vero quòd ait/ potius/ nō eam facit comparationē, quasi Deo etiam vero aliquatenus seruirent, sed Hilario lib. de trin. 2. interprete, tantundem est ac si dixisset, Præterito, prætermisso quæ Deo, soli creaturæ diuina obsequia præstiterunt. [Qui est benedictus in secula, Amen.] Pulcherrima cōclusio & præhabite orationi ac cōmodissima. Est enim perinde ac si ita concludisset, Quicquid autē impii ac vanidici illi honoris & gloriæ moliti fuerint Deo detrahere, nihil tamē solide inaccessaq; maiestati adēptū est, vt quæ à futili creatura nullatenus pēder. Nihil ei deperit diuinitatis, sed est per se ipse benedictus, et omni laudis noīe dignissimus/ Amen/ vox est hebreis affirmādi, idq; adeo constabiliendū, quòd firmum fixumq; est & sempiternum.

Propterea tradidit illos Deus in passionēs ignominia. Quemadmodū culpā idololatriæ de qua prædixerat/ mutauerunt gloriam Dei/ quo eā acrius exulceraret, iterato refricit, subdēs, Et commutauerunt veritatē, &c, ita & acerbitatem pœnæ/ quā in genere illis verbis perstrinxerat/ tradidit illos in desideria/ explicatius repetit in specie, subiūgēs,

Concilium Triden.

Aug.

Veritas

Mendacium. Psal. 4.

Hilari.

S. Tho. 2. q. 79.

Veritas Dei.

Orig.

quod tradidit eos in passiones ignominia. Nam desiderium cordis, genus est ad affectus animi, libidinesque complures, & perturbationes & morbos. *περὶ* verò quod græcus co-dex habet, alii vertunt affectus, alii morbos animi. Sed re vera passio, quanuis nō sit latinis adeo frequens, egregie foedissimam libidinem effert. Namque sub nomen passionis non cadit apud philosophos quæuis qualitatis susceptio, sed illa quæ naturæ subiecti aduersatur. Vnde Arist. noluit absolute affirmare, intelligere, esse pati, sed per diminutionem, quod dam pati, id est, receptionem formæ, qua subiectum perficitur. Neque aqua, dum calorem remittit, proprie censetur pati, utpote quæ in naturam redit suam, sed quando calefit, tunc proprie patitur: quippe quæ tunc euincitur, & de sua natura deturbatur. Morbi ergo animi & libidines, naturali ordini contrariæ, perque proprie dicuntur passiones. Ignominia componitur ex nomine, per negationem. Est enim nomen hominis idem quod honor eius & celebritas: iuxta illud, Melius est bonum nomen quam diuitiarum multarum. Quare ignominia est illud, quod ex diametro opponitur honori: ut contraponantur, nomen & ignominia, sicuti nobilitas & ignobilitas. Vbi hoc animaduertendum est, quod peccatorum spiritualium, ut sunt, infidelitas, superbia, iniustitia, et reliqua, ad peccata carnalia, & præsertim ad luxuriam, duplex est comparationis ratio. Etenim si culpe grauitatem spectes, peiora genere suo sunt spiritualia, ut. 1. 2. q. 73. author est S. Tho. Primum ratione subiecti, puta spiritus, qui dignior est corpore, et per quem fieri debet in Deum conuersio. Nam corporis natura est, conuerti ad sensibilia. Secundo ex parte obiecti: quoniam per spiritualia, vel in Deum immediate peccamus, vel in proximos, quos plus tenemur diligere, quam proprium corpus. In quod auctore Paulo, qui fornicatur, peccat: atque adeo minus infert iniuriam. Ac denique tertio ratione motiui, quia delectabilia tactus vehementius mouent quam spiritualia, unde magis excusant. Si verò infamiam attendas & ignominiam, carnalia antecellunt spiritualibus. Vnde Greg. Carnalia, inquit, sunt minoris culpe & maioris infamiae. Cuius ratio est in promptu naturalis, quod honor humanæ naturæ pensandus est secundum suam excellentiam & præstantiam, respectu irrationabilium animalium. Actiones autem spirituales non sunt nobis cum brutis communes, veluti sunt carnales. Qua de causa carnales primum dicuntur peculiariter

immunditiam. Est enim immundum, id quod mixtionem habet inferioris naturæ, ut dum aurum cum aliis confusum est metallis. Vnde Paulus Ephe. 5. fornicatorem appellat immundum. Sunt præterea infames magis, plusque contumeliæ & opprobrii irrogantes naturæ nostræ: sanè quam degenerem de honore proprio & excellentia ad vilitatem deiiciunt brutorum: quæ ideo, auctore. 3. Ethico. Aristotele, maiori sunt dignè exprobratione, maioriq; ab illis pudore suffundimur. Id quod Psal. indicat, vbi ait, Homo cum in honore esset non intellexit (nam intellectu præstat cæteris animantibus) & ideo comparatus est iumentis. At vbi eorum impudicitia in præceptis corrui humana impudentia, ut in nefandam turpitudinem, brutis pecudibus incognitam, ferisque ipsis intentatam voluteatur, summam inde ignominiam & contumeliam totum contrahit genus nostrum: nimirum quod tunc non solum comparatur iumentis, sed beluis etiã ipsis, cunctisque pecoribus subiectet. Ob idque passiones ignominia dicuntur, quasi absurdiores ac magis detestandæ, quam quæ nominentur. Affabre ergo absurdissima desideria, immunditiam prius Apostolus nominauit, mox contumelias, ac demum passiones ignominie: quas passiones proximo inferiori textu explicatum properat.

Nam foeminae eorum immutauerunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu foemine, exarserunt in desideris suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.

Heu nimium miserandum hominem, postquam diuina semel orbatus luce, supernarum legum diruperit vincula. Profecto nulla procella tanto impetu, anchora in media tempestate diuulsa, transuersam nauim illidit in saxa. Per spicem quo vitiorum voragine absorptos narrat Apostolus mortales illos, qui Deum, quem cognouerant, non glorificauerunt. A cognitione etenim veri Dei ad idola peruersi in horrendum protinus submersi sunt flagitiorum barathrum. De quibus (etsi pudor officium lingue superet) non veritus est Paul. fari, ut gentium infamiam euulgaret ad gloriam redemptionis, qui eis nihilofecius non occlusit salutis ianuam. [Nam foeminae, &c.] Aut nullum est mysterium, quod a foeminis orsus fuerit: aut illas forte anteposuit, quod quanuis non tam

Immundum.

Infame.

Arist.

Deplorandos hominum casus

Foeminarum pudor.

Duobus modis peccatum contra naturam.

Diony. & August.

Lib. 1. de na. & gra. cap. 3.

Aug.

ratione polleant, quam viri, pudor tamen, qui debet in eis præcellere, debuisset longius ab infano illo furore eas arcere. [Mutaerunt naturalem usum.] Quonia in homine duæ sunt naturæ, vel duo potius distincti gradus, ex quibus vna constat natura, videlicet sensibilis et rationalis, duobus modis peccatum dicitur contra naturam. Vno quia est contra rationem: quo modo omne peccatum est contra naturam, ut. 4. cap. de diuin. nom. Dionysius, & 14. de ciuit. Dei August. auctores sunt: ex eo scilicet quod cum homo, rationale animal, & speciem a ratione sortiatur, & nomen, quicquid est contra rationem, censetur proprie contra nostram naturam: ut lib. 1. de nat. & grat. latius exposuimus. Sed altero modo peccatum dicitur contra naturam per antonomasiam: illud porro, quod non modo rationi, sed ordini etiam, quem appetitui sensitio natura præscripsit, repugnat. Concubitus etenim vagus maris cum foemina, quanuis fiat extra rationem, continetur tamen intra lineam, animalibus a natura positam, prolis gratia. Et ideo vocatur hic naturalis, etiam dum illegitimus est & peccatum: quia membris fit, a natura generationi destinatis. Quocirca & filii inde procreati, naturales dicuntur. Ob idque optima est redargutio Augustini contra Iulianum, qui ex hoc quod vsu foeminae appellat hic Paulus naturalis, eliciebat, nullum inde contrahi peccatum originale. Redargutio quippe est, quod tunc stupra essent laudanda. At verò seminationes alia, quæcunque præter illum ordinem fiant, illa quidem simpliciter sunt contra naturam, puta quas non solum ratio, sed appetitus etiam naturalis detestatur. Ex his sic explanatis consequitur, peccatum contra naturam secundo modo in sola re venerea versari. Nam alia vitia non mutant speciem naturalis appetitus, sed per exorbitantiam a ratione patrantur. Est enim a natura ingenuus homini appetitus honoris, atque etiam vindictæ: sed per transgressionem rationis collabitur in superbiam, vel in iram. Pari modo appetitus naturalis est cibi ad conseruationem indiuidui, sed crapula rationis modum transmittit. Attamen in venere non solum peruertere contingit is qui a ratione præfinitus est ordo (vbi in adulterio) sed scopus præterea naturalis ipsius appetitus. Vbi autem ait, foeminas immutasse naturalem usum, posset forsitan quispiam non aliam foeminarum absurditatem cogitare, quam quod peruerso naturæ ordine serui-

rent masculis: attamen infandam etiam aliam suggerit Paulus: nempe quod sicut masculi in masculos exarserunt, id est, immaniori quam naturali ardore æstuauerunt, ita & foeminae inter se inuicem. Nam etsi hæc plusquam bestialis rabies non tam nefaria, tamque turpi deformitate inter foeminas valeat, quam inter viros perpetrari, grassatur tamē in vtrumque sexum: ita ut foeminis contingat amplexari se quoque inique. Ob idque seorsum adiecit de viris [similiter & masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideris suis in inuicem, &c.] Habet autem hoc genus sceleris suos grauitatis silendos numeros: adeo ut vbi fuerit pessime consummatum, tunc vel pollutionis species mutetur in genere moris, vel sit circumstantia eorumque prægrauans, ut debeat (vbi reor) exprimi in confessionis sacramento. Compulit nos hic locus de foeditate hac pessima loqui, quod tamen flagitium merito inter reliqua appellatur nefandum. Sanè quod & immanius sit ac portentuosius, quam ut effari possit, turpius autem probrosiusque, quam ut debeat. Nam & angelis quoque cælestibus ab impurissimis illis olim, mortaliumque scelestissimis oblatum fuit, qui tamen cælesti picæ ardentique sulphure absumpti, quam Deo abominatio hæc, sit execrabilis, perpetuo suo foetore nos admoment.

Et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. Confert tum demum cum culpa poenam, ut diuini iudicii splendeat iustitia. Porro autem multa speculantis animo occurrunt in vltione hac supplicia, quæ meritis illorum hominum respondent. Primum enim si inuersum suæ naturæ ordinem cernas, optime illum intelliges, ordinem quem diuinum ipsi peruerterant, respondere. Fuerat enim (ut præfati paulo ante sumus) is naturalis ordo rebus supernè inditus, ut animalia rationis expertia homini subiecta parerent, in homine verò sensualis, brutaque pars superiori rationi obsecundaret: quæ quidem ratio Deo semper affixa, cætera subinde gubernaret. Vbi ergo homo ad imaginem Dei conditus, per insolentiam a ratione decidit, ac diuinam gloriam honorisque titulos in brutorum simulachra, portentuosam impietate, contulit, iusto statim iudicio in desideria carnis traditus est, quæ rationalem partem, non euinceret modo, verum eo dedecoris opprobriisque pertraherent, ut hominē, simulachrum Dei, bru-

Grauitatis gradus.

Mutationum analogia.

torum naturæ substernerent. Mox, si modos quoque conferas mutandi veritatem Dei in mendacium, vsuque naturalem in abusum sexus, & ibidem quoque spectatur analogia. Si enim illi Deum verum non cognouissent, quanquam creaturam aliquam pro Deo adorassent, non idcirco condemnarentur, studio demutasse veritatem in mendacium, sed ex ignorantia existimarentur peccasse. At cum id ipse illis reuclasset, consulto falsos deos vero præferentes veritatem mutauerunt in mendacium. Eodem quoque pacto censendum in pœna, quæ erroris istius persoluerunt. Si enim non præsensissent, voluptatē inesse in re vxoria, licet contra naturam deliquissent, non iudicarentur meditato mutasse naturalem vsu: sed tamen quia natura magistra, edocti erant, in coniunctione maris & fœminæ legitimum vsu consistere, atque adeo veram illic inesse voluptatem, qua possent cupiditatem suam, honestius explere, meritò facti sunt ingentissimæ fœditatis rei. Sanè quòd scientes ac prudentes mutassent naturalem vsu, id est, cogitato eum spreuissent, profanassentque & diuertissent ad illum, in quo non erat vera oblectatio, sed quam ipsi vitiatò lutulentoque gustu sentiebant in cœnoso illo volutabro prodigiosa corruptionis naturæ. Veluti qui linguam humore corrupto infectam patiuntur, gustum terræ, suauē sentiunt. Quapropter hoc nō vitium, sed vitiorum portentū est, nempe cui nemo obtendere potest, quòd naturali sit allectus illecebra. Quin verò immanissima est libidinis furia, quæ oblectantem naturam, tam ingentique iniuriæ renitentem, in vesanam hanc rabiem adigere vniquā valet. Vide ergo quod fuerit legitimum iudicium Dei, quod in vlciscenda idololatriæ impietate refulsit. Si quidem qui veram Dei gloriā in deos falsos transcripserāt, ita plectebantur, vt verū delectamentū naturæ in deformē illam obscenitatem transferrent, vbi non est nisi horrendū delectationis monstrū. Et qui diuinū nomē monstruosa deorum cultura obscurabant, suum etiam ipsi genus, quasi publici pudicitiaē hostes, dehonestantes, ignobilissimum reddebant. Et qui vnam Dei, indiuiduamque naturā in deos plures dissecebant, vinculum quoque iidem & fœdus naturæ, quo duo sunt iuncti in carne vna, illegitimo coitu dissoluebant. Atque dum sexus vterque alterum sibi concessum aspernabatur, in se ipsum reddebatur iniurius, et propagādo generi perniciosus. Quadenique ratione qui in Deum naturæ authorē,

Legitimū  
iudicium  
Dei.

cuius beneficio viuebāt, tã erāt peruerse ini qui, naturā ipsam suam, in concessa illa ac turpissime deflagrante libidine, non solum peruertebant, sed prole frustrati, prorsus extincti. Obseruant præterea hic enarratores, nefandum crimen ferè coniunctum esse cum idololatria, quasi peculiarem eius vltionem. Atque adeo sub idem ferè ætatis exorta fuisse ambo. Tempore enim Abrahæ Belus ille Babylonius idololatrare cœpit, quando & Sodomorum vrbes de execranda turpitudine exustæ, pœnas luerunt. Tametsi & ante diluuium, quando omnis caro corruerat viam suam, eodem vitio contaminatū fuisse genus humanū, vero simile est. Nam propter quod aliud tam extimescēda animaduersio æquior fuisset? Neque enim aut modo viget aut vlla vnquam ætate viguit genus hoc stupri nefandissimum, quod naturam, quæ imaginem Dei gerit, in vsu prostituat pecuinis peiores, nisi vbi notitia Dei, sempiternaque alterius vitæ, aut nulla est, aut perquam tenuis.

Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Tertio etiam nūc eandem repetit orationem, quippe conferens cum crimine impietatis ignorantiaē pœnam. Existimās hoc loco nonnulli, quorum est D. Thomas, Paulum meditato singulis trium impietatum singula supplicia respondēter supposuisse, vt ex eo quod peccauerunt in gloriam Dei, traditi sint in desideria: & quoniam peccauerunt in veritatem eius, traditi sint in passiones ignominiaē: sed quia non probauerunt Deum habere in notitia, traditi sint in reprobum sensum. Origeni tamē non probatur tam anxia hæc relatio singulorum ad singula. Sed satis est, inquit, quòd ex eo quòd comiserunt tria, totidem passi sunt. At reuera videtur Apostolus scienter & cogitata ratione, gloriæ quæ Deo subtraxerant, subiecisse contrarium verbum contumeliarum, quas in se ipsi irrogauerunt: & veritati in mendacium commutate supposuisse mutationē veræ voluptatis in falsam et vanam: ac demum verbo probationis, scilicet, quòd non probauerunt, obiecisse traditionem in reprobū sensum. Probare, namque, id est, approbare (vt hic accipitur) & reprobare, contraria sunt. [Sicut nō probauerunt Deū se habere in notitia.] Sermo anceps est. Potest enim Deum actiue legi. Vt sit sensus: Tanta eos licentia et impudentia in omne vitiorum

Idololatria  
& peccatū  
cōtra natu  
rā, co. cna.

S. Thom.

Orig.

genus

genus sese profudisse, vt viderentur credere quòd Deus aut vitæ suæ pessimæ nō haberet notitiam, aut nullam eorum gereret curam. Sed tamē huic lectiōi abest accusatiuus passiuus: quoniam non exprimitur, quid est illud quòd Deus non haberet in notitia, nisi subaudiuntur mores ipsorum. Et ideo iudicio plurimum magis consonat, vt Deum passiuè legatur, hoc modo. Quoniā moribus suis non probauerunt, quòd Deum haberent in notitia. Illo enim crimine meriti sunt, vt qui diuinum lumē in se extinxissent, naturali subinde priuati, reprobæ suæ menti traderentur, hoc est, permitterentur carnalibus flagitiis excæcari, vt reprobanda de rebus haberent iudicia. In Greco nulla est æquiuocatio, vbi legitur *νοῦν*, quod est /mētē. Et ideo /sensus (quod latinæ æquiuocum est) non de exteris hic potentiis, sed de interno mentis oculo enunciatur, qui est, vnde probitas peruersitasque emanat in mores: secundum illud, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: sin autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Neque legēdum est /improbum (vt quibusdam placet) sed reprobum. Quod non solum improbitatē morum, verum firmitatem in malo, mentisque cæcitatem designat.

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parētibus nō obedientes, insipientes, in compositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Igitur (vt partitionem sequamur quam supra præmisimus) postquam patefecit Apostolus, quo pacto fuissent illi mortales, tum in Deum impii, tum in se ipsos impudici, sermonem prosequitur, quo manifestet, postquam iam essent traditi in reprobum sensum, quam fuerint in omnem turpitudinē effusi, quamque in se inuicem inciuiles & iniqui. Construit autem criminum scelerumque acervum ad numerum vigintitrium. Non tamen existimauerim, in animo fuisse Paulo, hæc certam summam significanter cōgerere, sed amplificatione vsu, ea retulisse, oratorum more, quæ dum diuinus impetus durabat, succurrebant, quibus omnium malorum sylua intelligatur. Non sunt tamē temere aut absque ra-

tione & ordine conglomerata: sed prius summo iniquitatis genere designat omnes vitiorum species. Etenim vt iustitia quandoque est generale nomē, complectens omnem virtutē, ita, iniquitas, quæ idem pollet, quod, iniustitia, comprehendit omne vitium. Ait autem Repletos omni iniquitate, ex eo quòd nulla appetitui præscripta linea, quocumque libido vocaret, effrænes ruerent. Vertit /repletos /per accusatiuū, vt referatur ad verbū /tradidit illos. Potuisset tamē nō ineptè transferre per nominatiuū /repleti (nā græcè similis est casus) vt esset suppositū verbi /faciant. At nihil interest. [Malitia] Si vocē respicias, effusissimam significationem habet omnium vitiorū, veluti /iniquitas /vtpote quòd contrapōnatur bonitati, quæ tantundē significat, quantum: virtus /vsurpatur autem pro illa peruersitate, vbi quis data opera sciens & prudens male agit. Vnde in. 4. Tuscu. Cicer. Virtutis, inquit, cōtraria est vitiositas. Nam /malitia /cuiusdā vitii nomē est. Ab hoc ergo nomine exorditur peccata narrare, quæ vocantur cōmissionis, quæ sunt transgressiones prohibitionum negatiuarum, vsque ad illud verbum /superbos / [Fornicatione] non coarctatur hoc loco vox ad simplicem scortationem cum meretricibus in fornicibus prostitutis, sed patet ad quamuis illegitimam venerem infra naturales limites: vti sunt adulterium, incestus, & tales [Auaritia] Fornicationi qua quis peccat in corpus suum, probe supposuit auaritiam, qua peccat in proximos. Quapropter hoc nomine quæuis iniustitia subnotatur, quoties quid quis præter ius suū vsurpat: vt sunt furtum, rapina & quæcumque fraudulenta surreptio: quod verbum græcum *πλεονεξία*, significat à *πλεονεξέω*, quod est plus habere. [Nequitia] Parum ab iniquitate distat. Est enim nomē etiamnum, quod de omni prauitate vsurpatur. Nam inter nequam, & iniquus, non ita multum differt. Quapropter quidam deducunt à nequeo, id est, faciēs quod iure nequit: attamen opponitur frugalitati, quæ significat animorum fœcūditatem. Et ideo /nequitia /significat sterilitatem virtutum, earum maxime quæ versantur in beneficentia erga proximos. [Plenos inuidia] Inuidere idē est quod, nimium videre, eo quòd inuidi animum semper habent intentum in aliorum fortunas. Vnde inuidia idem est, quod dolor alienæ felicitatis: licet nonnunquam de odio prædicetur. Et sicut inuidia diaboli (vt habetur Sap. 2.) mors introiuit in orbem, ita hoc fermē mors

Iniquitas.

Malitia.

Cicero.

Fornicatio.

Auaritia.

Nequitia.

Inuidia.



bo tabescit mortalium charitas, quæ mutua deberet esse: atq; huius soboles sunt & progenies, ea quæ subsequuntur malorum germina

**Homicidium.** [Homicidio] Attegit homicidium inuidiæ, vel propter iucundam affinitatem vocum græcarum, φόνος, φόνος, vel fortè, vt à suprema iniuria initium aucuparetur omnium earū, quas inuidia parturit. Primum enim homicidium inuidia patratum est, qua frater æstuauid in fratrem [Contentione] Proxime ad homicidiū quod est summa iniuria in opere, collocat contentionē: quæ vel designat iurgia & pugnas, vel honorum ambitiones, & conatus quibus plures eandem rem competunt, vel certè verbosam veritatis oppugnationē. Nēpè vbi (vt ait Hieron.) non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur, & vbi iam nō veritas quæritur, sed proximus fatigatur. Cum contentione autem graphice composuit [Dolum] Ex contentione enim doli oriuntur, quibus fratrem circumuenit frater [Malignitas] Sicuti malitia ad bonitatem, ita ad benignitatē refertur malignitas. Et ideo ferè idē est quod nequitia. Nam frugalitas, cui diximus aduersari nequitiam, & benignitas, in idem ferè recidunt. Fertilitas enim, & in terra fructuū, & virtutum in homine, tam benignitas dicitur, q̄ frugalitas: nisi quod nequitia / solū dicit sterilitatem & inutilitatē, malignitas verò asperitatem morum & difficultatem: quemadmodum maligna via dicitur, quæ difficilis est & aspera [Sufurro] Hoc verbum & quod sequitur pertinent ad clandestinas iniurias. Sufurro enim est qui clancularia maledictione discordias disseminat, aut odia in aliquē molitur. In quos sufurrones illud profert Ecclesiasticus 28. Sufurro & bilinguis, maledictus: multos enim conturbauit pacem habentes [DetraCTOR] Manifestam significationem habet. Sunt enim qui alicui honorem & famam, occulto itidem vt sufurro, arrodunt: de quibus scriptum est Ecclesiastici 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit [Deo odibiles] Nō videtur hoc ad nouum pertinere crimen: sed ne quempiā talis cogitatio falleret, quod crimina hæc nominata, quia vel intra animum cogitatione perpetratur, vel saltē nō extra verba, nō sint vsq; adeo graua, quæ possint dirimere amicitiam Dei, ideo subiecit, tales homines à Deo odio haberi: maxime detractores sufurris ferentes discordias. Vnde Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit dominus, & septimū detestatur anima eius. Hic est ille, qui seminat inter fratres

discordias. Etenim cū eiusmodi iniuriæ aperte charitatem proximi, nec quidem leuiter, offendant, consequens fit, vt & diuinā violent. Ioannis enim collectio est, Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quē non videt quomodo potest diligere? Quāuis Cypriani epist. 4. legat / Deo abhorrentes / & alii veritāt / Dei osiores / videlicet qui Deum oderunt [Contumeliosos] Contumelia vel re vel conuittio fit, quæ à detractōne, tum obiecto differt, tum etiam modo. Est enim contumeliosus, qui alios coram maledictis laceffit, vbi maior est contēptus, q̄ in detractōne. Nam qui detrahit, aut reuereri videtur, aut timere eum quem clam remordet. Et ideo contumelia (vt vult Seneca) à contemptu dicitur, quæ proinde honorē lædit. Detractio verò deterrit famam & existimationem eius, cuius malam opinionem in aliorū aures dispergit [Superbus] Accedens ad delicta, quæ sunt præceptorum omissiones, præfigiteorum radicē. Est enim superbia (quod Ecclesiasticus 10. legitur) initiū omnis peccati: ea ex parte qua peccās eximitur à diuina obediētia. Superbire nāq; est superius q̄ ius est ire, [Elatos, inuētores malorum] Associat superbiam suam geminā prolem. Harū prior est elatio: quæ parum diminatur à superbia: nisi quod superbia est habitus appetendi præter ius & æquū excellentiam, vt nullius quis recipere velit leges, sed omnibus aliis ponere. Quæ malorū compluriū est sentina. Elatio autē est qua quis cum aliis se superlacione confert: vt euangelicus ille pharisæus, Non sum sicut ceteri hominū. Superbi ex elatione nouorū inuentiones commiscuntur, quo egregii habeantur. Porro enī coticula dogmatibus examinādis omnī fidissima, est authoritas vetustatis, in his vel maxime, quæ ad Christianā pertinet religionē. Et ideo quæ de repente oboriuntur, suspitione nō carēt. Quā obrē idē est Paulo / Inuētores malorū / quod / inuētores nouorū. Id quod hac imprimis atate pestilētissimū est vitium [Parētib; nō obediētes] Subiungit sex omissiones affirmatiuarū præceptionū, quæ sunt ad proximos, quarū iniquissima est, parētib; nō obtēperare, quibus vitā debemus. Sed parentū nūcupatione maiores oēs, magistrorūq; & magistratus cōplexus videtur, quibus obsequia, fides, honoresq; debentur [Inspiciētes, incōpositos] Duo hæc meditato coniūgit, eò quod græcè simillimo sunt charactere ἀσύνετος & ἀσύνετος. Ceterū ex superbia in insipientiā inuitabile præcipitium est, Sunt qui insipientiā ad obli-

Ioan. 4.

Cypria.

Contumeliosus.

Seneca.

Superbus.

Inuētor malorum.

Antiquitas dogmatum.

Non obediētes.

Inspiciētes.

ad obliuionem & despectum Dei referant. Nam dixit insipientes in corde suo, Nō est Deus. Incompositos eos fortè appellat, qui non sunt morum decentia & venustate externè apppositi, sed cachinnis & reliquis gestibus dissoluti. Quoniam impudicus oculus, teste August. impudici cordis est nuncius [Sine affectione] Affectio & affectus non vnus sunt omnino significatus: quoniam affectus generalenomen est, ad omnes animi motus relatum, tam bonos quàm prauos: affectio autē hic accipitur pro studioso amore in propinquos (id enim sonat σοενη) quem natura mortalibus ad societatem ingenerauit. Quin animalibus brutis insitus à natura est mutuos amor, vt saltem quæ vna sunt specie communi, conciliētur. Diligit enim omne animal sui simile (vt est in Eccle. cap. 13.) & ideo quia vbi abundat iniquitas, refrigerat charitas, recensit aliis iniquitatis vitiiis, subdit / sine affectione. Quæ nequit inter propinquos esse vlla, vbi nulla præfuerit charitas Dei [Absq; fœdere] Nō quod fœdera non inirēt, sed quod pactis non starent, imò conuentorum fidem effringerent. [Absq; misericordia] Per omnes societatis rationes violatas, ac diruptos numeros orationem deduxit, & quibus homines conciliātur, necessitudines & vincula, vt eos omnis ciuilitatis polluta, quin penitus exuta humanitatis reos perageret. Sanè quos neq; innatus cōmunis amor in officio poterat retinere, quo mutuo se pecora amplexantur, nec fides humanorum fœderum, nec deniq; commiseratio vlla miserorum.

Qui cum iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Alludit in hac conclusione ad illa superiora verba / Iustitia Dei in eo reuelatur / & Reuelatur ira Dei de cœlo / Quippe vt colligat, verūq; fuisse lumine naturæ gestibus notum, scilicet & iustorum præmium, & supplicium malefactorum. Litera verò hæc aliter multo habet græce, in his saltem qui circumferuntur modo codicibus, aliumq; sensum præbet. Desunt enim illis quatuor verba, quæ nos legimus. Ea sunt / non intellexerūt / & ex tribus sequētibus relatiuis duo potestrema: nam ita est prorsus. Qui cum iustitiā Dei cognouissent, quoniam (id est eam nimirum) quod qui talia agunt digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam consen-

Ecclesi. 13.

Absq; fœdere.

Absq; misericordia.

Lectionis variatio.

tiunt facientibus. Qui quidē contextus adeo iis probatur, qui hoc aratis traductores prodierunt, vt veteri interpreti notam prauaricationis moliantur impingere. Et quidem ingenuè fateor, optimè sic lucere sensum Pauli. Enimvero litera nostra solum videtur eos ignorantia & inscitia redarguere, vtpote quod qui Deum cognouissent, nō continuo suā ipsius vlticem legem intellexerint. Græca verò eos acrius incusat, nempe quod non ex ignorantia sed meditata industria & negotio tam absurda delicta & flagitia admisisent. Videlicet qui scientes, non solū bonitatem Dei, verum etiam talem esse iustitiam eius, vt qui talia agerent, digni essent morte, nihilominus non solum ea ipsi agerēt, sed vt alii facerent, consentirent. Qua ratione præscindit eis Paulus excusationem ignorantia, tam Dei quàm etiam legis naturalis & punitionis diuinæ. Imò verò inde erant magis improbādi, quod nec amore fuerint allecti, nec cōterriti metu. Quo videtur annuere & Ambrosiana lectio, quæ sic habet, Vsq; adeo iustitiam Dei cognouerunt, vt non negent hæc omnia quæ faciunt pœna esse digna, & morte. Nihilofecius nō est cur vetus trāslatio ita acerbe flagelletur. Nam verisimile est sic Interpretem nostrum in suo codice græco legisse, & audio nunc etiam in aliquo ita reperiri: & potest præterea litera eundem fermè sensum recipere. Nempe quod cū Deum cognouissent, aut moribus suis excæcati non intellexerunt iustitiam eius, aut perinde licenter vivebant, ac si non intellexerent, quod qui talia agunt digni sunt morte, &c. Id autem quod ex loco isto nonnulli sibi videntur scite ratiocinari, videlicet, grauius esse cōsentire vel comprobare aliorum malefacta, q̄ si ipse qui cōsentis eadem committeres, nō adstruit certè hic Paulus, quippè cuius verba hoc duntaxat ponderis haberit, quod non solum te delinquere, peccatū est, sed & peccantibus consentire, quorum aliquam geris curam. Vel, secundum aliam lectionem, quod non satis ipsi habebāt peccare, sed vt impunè id fieret, cōniuebant. Non quod inficias iuerim, quin scelestior sæpe sit, per quem alteri peccare licet, q̄ sit ipse qui impunitate ipsa, licentiaq; abutitur. At ratione est, iudicioq; discernendum. In principe namq; cui incumbit leges, tum ædere, tum defendere, atq; id maxime in ecclesiastico rectore, grauius peccatum esset malefacta publicitus impune permittere, q̄ aliquod quandoq; ipsum tale peccatum admittere.

Consentiētes in aliena peccata.

mittere: & maximè si sciens lege decerneret, malum, bonum: & bonum, malum: aut si quis peccata laudaret, vt ait Chrysof. Attamen non quæcunq; negligentia prælati erga vnũ subditũ, etiã si mortale peccatũ esset, grauior censenda esset, quàm si ipse idem committeret. Quod si quis interroget, quidnam Paulo in m̃tem hic venit, vt de consentiētibus meminere? Facilis est coniectura, quod cum rē hæcenus cum gentibus tractasset, non tãtum de hoc priuatim personas insinuat, quod tãta fuerint morũ peruersitate, sed ipsas præterea respublicas & principes & parētes respectu ad filios increpat, quod impunè ea permitterent: Romanos præsertim, qui orbi tunc ius dicebant. Nam cum totus decalogus sit de iure naturæ, quem propterea nouisse & sanxisse debuissent, multa nihilominus fiebant contra eum facinorosa crimina, quorum nulla in eorum legibus cautio scripta erat. Simplex enim fornicatio, quam liberam venerem appellabant, non habebatur apud eos pro illicita. Quinimò neq; in nefandam spurcitiã legimus scriptum ab illis capitale supplicium, vti par erat. Adde quod præter paucos Romanos & Græcos reliqui gentium sub nullis fermè legibus viuiebant. Neq; verò Romani idololatriam prouinciarum, quæ in suam ditionem venerant, vetabant: etiã si non omnem probarent, sed illa penitus pro criminibus ducebant, quæ essent cum atroci iniuria coniuncta.

### CAPVT SECVN.

**P**ropter quod inexcusabilis es ò homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Cum Ethnicorũ vitã adamussim exegerit, in qua spectare possent, q̃ non fuisset in suis ipsorum meritis, vt in gratiam Dei reciperentur, atq; adeò nihil eis profuisse cognitionem legis naturæ, eandem aduersus Iudæos accusationem aggreditur, scilicet quod cognitio & receptio legis nihil sine ei⁹ custodia profuit. Hæc tribus his capitibus cõtinuat. Tria nãq; cum essent, ex quibus maximè gloriam aucupabantur, quibusq; sua apud Deum collocabant merita, nimirum lex, genus, & circumcisio, singulatim de illis differit. In hoc quidem cap. de lege, cuius susceptio non iustificabat, & de circumcisione, quæ sine legis obseruan-

tia nihil proderat. Et in. 3. de genere, quod nihil ad rem faciebat. Sunt veruntamen huius capitis, veluti superioris, tres partes. Etenim vt ab vno ad alterũ populũ transitum faciat, sermonem ex præfatis deducit cõtra eos qui alienæ sunt vitæ censores & iudices: quæ sermonem illuc vsq; protendit. Non enim auditores legis / vbi incipit secunda pars capituli de insufficientia legis Iudæorũ. Nempè quod legem recepisse nihil est sine operibus, vsq; ad verbũ / Circumcisio. Inde autem succedit tertia de circumcisione. [Propter quod, &c.]

Haud facile quidem est causale hoc relatiũ cũ præcedētibus contexere, quæ satis sit concinna textura. Namq; etsi in comperto sit, esse inexcusabilem, quicunq; committit quod in alio taxauerit, non ita tamen aperte hæcenus extat in supradictis causa, propter quam id verum sit. Neque omnino perspicuum est, cum ait / Inexcusabilis es ò homo / quoniam nam subnotauerit, gentes ne, quibus cum hucusq; sermo illi erat, an, quos iam aggreditur, Iudæos, an verò omnes in vniuersum mortales. Quinimò videtur hoc verbum pugnare cũ eo, quod proxime dixerat, Si enim hoies illi non solum malefaciebãt, sed cõsentiebant malefacientibus, quo pacto verum est, quod iudicabant alios, id est, aliena errata vindicabant, aut reprehendebant, aut carpe-

bant? Est ergo ad intellectum rei huius scopus suprafixus identidem inspectandus. In capite enim enarrationis proloquuti sumus, quod cum inter Christianos Romanos ex vtroq; populo nouitios, similtates esset, Pauli institutum est, ambos exæquare. Et ideo post congeriẽ scelerum gentilium in transitu ad Iudæos, quasi prothema concludens ait, [Propter quod] Et potest vtroq; legi modo, scilicet continuatiuè, & illatiuè [Inexcusabilis es ò homo, omnis qui iudicas] Id est, tam Ethnicus quàm Iudæus, qui alterum obiurgas populum, alienorumq; reprehensione crimina propria cõtegis dissimulasq;. Exprobrabãt enim Iudæi gentibus, quod absq; veri Deinitia athei, exlegesq; vixissent: illi verò contra Iudæis insultabant, quod legem quam veri Dei receperant, minimè seruassent, sed ad eandem idololatriam sæpe defecissent, vt est in diuina pagina frequentissimum. Quocirca Apostolus concludit ex superioribus, quod neutri sunt excusabiles, dum se alterutrũ remordicant. Nempè ex hoc quod vtriq; populo reuelata fuit iustitia Dei: Iudæis scilicet per fidem, gentibus autẽ per ea visibilia, quæ facta

*Distributio in tres partes.*

*Relatiuum causale.*

*Interpretatio.*

facta sunt. Et nihilominus neq; illi scriptam (vt in secunda parte capituli ostensus est) neq; hinc naturalem custodierũt. Est ergo perinde ac si dixisset, Vos philosophi & gentes, qui suæ violatæ legis compellatis Iudæos & accusatis, eodem vos iudicio conuoluitis: nã & eadem facitis, neq; excusationem habetis ab ignorantia. Sed vos nihilominus Iudæi eãdem sententiã, qua damnatis gentes, in vobismetipso pronunciat. Quandoquidem legẽ quã scripto recepisse gloriamini, nihilo fidelius seruastis, q̃ illi naturalem. Qua de re nõ est cur, eorũ contubernia dedignemini. Vnde de Esa. 2. conqueritur Deus, Si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dii, populus verò meus mutauit gloriam meã in idolum. Sunt qui existiment tantũ hic increpari iudices, qui publica fungentes autoritate, ea perpetrant mala, quæ in subditis puniũt, propter allusionem ad verbum præcedens, nõ solum ea faciunt, sed consentiunt facientibus. Sed profecto multo melius quadrat expositio facta de ambobus populis inuicem collatis. Vtroq; enim modo delinquebant, & inter se scilicet, dum alterutrũ sese carperent, & in se singuli, dum suis subditis mala permitterent. Tãmeti nihil vetet, quin eadẽ sententia ad vniuersos iudicãtes extẽdatur. Neq; verò idoneus est hic locus in quo tractetur de iudicio humano, quando sit vel licitum, vel temerarium, de quo fortè aliquid ca. 14. Sed id admonuisse satis fuerit, quod nulla sit hic condemnatio eius iudicii, quod publica exercetur autoritate: tãmeti redarguantur iudices eisdem irretiti vitiis, quæ in subditis viciscuntur. Nam inde redduntur inexcusabiles, quod non possunt ignorantiam sibi præterdere, illa esse peccata, quorum erant & iudices & vindices. Et hoc est quod subdit [Eadẽ enim agis, quæ iudicas] Quo enim quis aliena, vel culpat, vel punit, profitetur esse peccata. Atq; adeò si eadẽ admittit, in seipsum existimatur protulisse sententiam. Vnde Nathan propheta, quo maiore regem David pudore suffunderet, sua ipsum de aliena persona lata sententia condemnauit. Atq; in Verrem Cicero, Legem, inquit, sibi ipsi indicunt innocentia, continentia, virtutumq; omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Et infra, Nõ modo accusator, sed ne obiurgator quidẽ ferendus est is, qui quod in altero vitiũ reprehendit, in eo ipse deprehenditur. Hæc ille. Quo circa pari ratione redduntur inexcusabiles, morum institutores. Et ideo Seneca philoso-

phos qui recta docentes, perditis erant moribus, in suum ait ipsorum conuictum fuisse disertos. Damnatur autem iudicium temerarium: nempè quod vel de cogitationibus, nobis absconditis, concipimus, vel ex fallacibus indiciis de rebus occultis ferimus. Hoc enim nobis illic interdictum est, Nolite iudicare & non iudicabimini. At si iudicium, reprehensioq; via & ordine fiat, quo fratrem seruemus, officium est. Viam autem & rationem præscribit in de serm. Dom. in monte. August. his verbis. Primum cogitemus cum aliquem reprehendere necessitas nos cogit, vtum tale sit vitium, quod nunq̃ habuimus: & tunc cogitemus nos etiam habere potuisse, vel tale, quod habuimus, & non habemus: & tunc tãgat memoriam fragilitas communis, vt illam correctionem, non odium, sed misericordia præcedat. Si autem inuenimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus: sed congemiscamus, & ad pariter conandum inuitemus.

Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt. Quemadmodum ex perditis corruptisq; moribus gentium gradum fecit ad iudicium humanum redarguendum, ita ex humano ad commẽdandum diuinum, quasi per modum parenthesis, progreditur, vnde noua amplificatione accusationem Romanorum instauret. Quã nimirum ansam ex eo nactus videtur, quod dixerat de iudicantibus. In humana enim republica, iudices, præsertim proceres ac principes, exemptos se à iudiciis arbitrantur. Cuius idcirco contrarium statuere hic pergit de iudicio Dei, puta cui nemo non subditur. Neq; sunt illi subditi iudicandi secundum acceptionem personarum, sed æquissima lance secundum opera. Commendat autẽ diuinum iudicium, à quinq; scilicet à veritate, vbi nulla subesse potest fallacia, à necessitate, quia est inuitabile, à longanimitate & beneuolẽtia iudicis, à summa deniq; æquitate & magnitudine retributionis. De primo ergo ait [Scimus enim, quoniam iudicium Dei est secundum veritatem.] Iudicium quidem rerum, ex earundem causis sumendum est: externarum autem actionum radices ac fibrae in pectore internè delitescunt, quousq; solus diuinus intuitus penetrat. Deus ergo solus est, quã vt actionum momenta & pondera ad verum æstimare valet, ita & pro cuiusq; meritis iusta rependere. Ambas enim veritatis partes designat, vbi ait, Iudicium Dei secundum veritatem.

*Iudicium temerarium.*

*August.*

*Esa. 2.*

*Iudicium licitum.*

*2. Reg. 12.*

*Cicero.*

*Seneca.*

*Commẽditio iudicii ex quinq;.*

*Iudicium rerum ex causis.*

*Secundum veritatem.*

*Consentientes.*

*Simplex fornicatio.*

*De tribus Iudæi gloriabatur.*

*Judicium hu-  
manum tri-  
pliciter fal-  
lax.*

*Hiere. 29.  
Cicero.*

ritatem: nempè & cognitionis expansionisq; meritorum: & præterea æquitatis iustitiæ in retributione: de qua paulò inferius fit sermo. Iudicium autem humanum triplici subest fallitatis periculo. Primo quòd non potest homo iudicare de secretis cordiũ, vti Deus qui scrutator eorum est: Secundo (si fiat auctoritate publica) quòd iudicium non fertur, nisi secundum allegata & probata: vbi potest quoq; subesse mendacium, ob fallaciam testium. Deus autem (vt est apud Hieremiam, Imò & apud ethnicum Ciceronẽ) erit iudex & testis. Tertio itaq; quòd non solet semper fieri secundum causæ merita, sed secundum personarum respectum. Quo paulò post rediit oratio.

*Necessitas  
iudicii.*

Existimas autem hoc ò homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? Subiungit secundo loco necessitatem diuini iudicii, quippe quòd nemo potest effugere. Vbi tribus etiã nominibus integrare incipit illorum, imò nostri omnium accusationem, per tres videlicet interrogationes. Existimas, contemnis, ignoras. Primum quòd nihilo plus extimescimus terribile illud iudicium, q̄ si nullum existimas remus factum iri [ò homo]. Emphasin habet, per ironiam, execrandi: nam cū ex eo deberent mortales, tum certius præsentiscere, tum grauius expauescere iudiciũ Dei, quòd alios ipsi iudicant, inde contra ita sint excæcati, vt nullum se existiment subituros iudiciũ ipsius.

*Principes  
& præposi-  
ti.*

Quauis autem hoc in vniuersos iudicatores censoresq; proferatur, singulari tamen ratione in principes, prepositosq; cõpetit. Hi nãq; cum ab omni sint prorsus iudicatu immunes, defuetudine audiendi, non solum vltos superiores iudices, verum & vltos quidem, qui vel leuissime ipsos taxare audeant, aut iudicii diuini obliuiscuntur, aut concipere satis animo nequeunt, quòd sint æquiori multo ipsi, districtioriq; trutina librandi in die illa iræ, quàm ipsi modo suorum subditorum errata persequuntur. Cū tamen tanto sit acerbior in ipsos animaduersio futura, quãto hic sunt magis à terrenis exempti potestatib⁹. Nam quo minus quemq; Deus subiectum esse aliis hominibus voluit, eo plus illi confidit, vt nihil in subditis vindicet, quòd non in se prius ipse corrigat [ò homo]. O vos præsertim monarchæ, & Ecclesiæ maximè rectores, quos legũ suarum custodes reliquit omnipotẽs, & suarum ouium pastores, si iura, quibus subditos

*Ecclesiæ re-  
ctores.*

cogitis, non solum transgredimini, verum & in rem vestram summa licentia peruertitis. Existimatis ne, siue quòd nullum vos fortè maneat iudiciũ Dei, siue quòd vlla supererit declinandi potestas? Sed quo abibitis à spiritu Dei? aut quo à facie eius fugietis? Præsertim vbi is qui primus à CHRISTO Ecclesiæ præfectus est, admonitos nos fecerit, quòd à domo Dei incipiet iudiciũ. Et reges perterrefaciat illic Sapiens, vbi ait, Horrendè & citò apparebit vobis dominus: quoniam iudicium durissimum in his, qui præsumunt, fiet: ex quo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

*1. Pet. 4.  
Sapi. 6.*

An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Tertio loco subnectit clementiam iudicis, eã ob causam tanta benignitate præstolantis iniquorũ relapsentiam, quòd non vult mortem peccatoris, sed vt per pœnitentiam effugiat iudicium. Hic autem secunda ratione stringit Romanorum culpam: ex suo scilicet contemptu & ingratitude. Atqui habet profectò locus hic, tum significationẽ multiugam, tum grauius exaggerationem. Primum quippe causam depromit, cur iudicii diuini nec fides habeatur ab hominibus, nec subinde metus. Causa enim est mora & cunctatio Dei, suarũ procrastinantis iniuriarum vltionem, vnde impunitatẽ sibi impii pollicentur. Id de quo naturales etiã philosophi disputauerunt: vt est apud Plutarchum, sub titulo, de sera numinis vindicta, super dictum illud Euripidis, Cunctatur: talis enim est numinis natura. Quòd enim Deus de criminibus non confestim pœnas deposcat, id (vt ait inibi Patroclus) pro uidentia fidem adimit. Inde nanq; amentia illa verba euomebant illi apud Iob, Circa cœli cardines ambulat, nec nostra considerat, quòd cernebant, homines impuros, flagitiosos, sacrilegos, nefarios & impios impunè viuere. Idem quoq; argumentum fufius tractat David psal. 72. Quàm bon⁹ Israel Deus: Zelauit super iniquos, pacẽ peccatorũ vidẽs: cū hoibus nõ flagellatur. Et ideo tenuit eos superbia, & dixerunt quomò scit Deus, et si est sciẽtia in excelso. Et procul dubio, quibus nõ est fides alterius seculi & inferni, non potest non esse prægrande argumentum, quòd nulla nostri cura Deum tangat. Ob idq; concludit Psaltes, Existimabam vt cognoscerẽ, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum,

*Clementia  
iudicis.*

*Secunda sen-  
tẽtia Pauli.*

*Cunctatio  
Dei.*

*Plutarch.*

*Iob. 22.*

*Psalm. 72.*

rum, id est, in finali iudicio. Et Eccles. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vltio filii hominum perpetrare mala. Et Eccles. 7. Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Vt ergo ad literam, hæc præmeditati, reuertamur, grauisimè eos perstringit de cõtemptu diuinæ clementiæ [An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?]. Singula verba ad cumulum conferunt singularis munificentiæ Dei, atq; ad exaggerandum eorum, imò nostrum contemptum & ingratitude.

*Bonitas.*

*Rectes tra-  
ductores.*

Bonitas nanquẽ Dei idem est, quod benignitas, qua in nos est tam largiter beneficentia verò, qua tam multa nostra scelera & crimina sustinet, quibus sceleratissimi in eum nos ipsi, iniuriisq; atq; impii & sacrilegi existimus: sed longanimitas est, qua non semel aut bis, sed longissimis vitæ spatiis nos perfert. Quare ex ignorantia naturæ rerum recentis isti traductores noua hic verba exquirunt. Græcè est ἀσώτεια, quod non significat bonitatem morum, vt ἀγαθοσύνη, sed bonitatem, quæ est benignitas & beneficentiæ virtus. Isti nostri latini vertunt, Diuitias lenitatis & mansuetudinis. At verò primum, bonitas, tam propria vox est, imò magis huic significationi accommoda, quàm lenitas. Dicimus enim terram bonam, pro eo, quod, fertilem & benignam ac frugiferam. Præterea neque norunt, quòd bonitas, quatenus sui diffusiuæ (vt ait Dionys.) prima in Deo est causa omnium extra se factorum, & donorum potissimum spiritualium. Ex qua proinde ad nostrum modum intelligendi effluit patientia in peccatores. Lenitas autem, qualitas est atq; ornatus bonitatis. Quocirca doctissimè interpres noster primo hic loco transtulit, bonitas, quo nomine primum fontem misericordiam aperiret: infra verò, vbi græcè similis vox est ἀσώτεια, traduxit, benignitas, quod idẽ pollet, ac bonitas. Quocirca de quibusdam mirandum magis est insignibus theologis, quales est doctissimus Caietanus, qui citra vltimum examen & delectum, veluti oracula, summo applausu in vniuersum suscipit istorum annotationes: quas profectò non possumus nõ creberrimè expendere, easdemq; nõ crebro pro exili captu nostro, aliorũ fretus subsidio, refutare. Vbi precor nulla mihi, vel inuidiæ nota, vel alia infamis inuratur, quam, si vlla est Christiano fides, non agnosco: nisi ignorantia, quam syncerè confiteor. Ad rem ex-

*Caietanus.*

gõ redeamus. Origen. quem sequitur August. (vt refertur in gloss.) patientiam ad bonitatem Dei refert, qua non statim peccatos punit, eos scilicet qui studio & superbia peccant: longanimitatem verò, ad eam qua tolerat minus malos, eos videlicet, qui infirmitate, ignorantia ve delinquant. Quasi hos sustineat, illos verò, vti grauiores patienter ferat. Potest tamen fortè vice versa sensus exprimi. Nam longanimitas vastissimam præ se fert animi capacitatem ingentissimæ patientiæ: quæ idcirco ad grauiora scelera videtur respicere, quàm patientia. Tametsi nec desint iam, qui patientia hoc loco, quæ græcè est ἀσώτεια, non ad tolerantiam Dei, sed ad suam referant anthropopathiam, hoc est, ineffabilem charitatem, qua ita compatitur hominibus, vt nostram nimis doleat perditionem. Haud tamen ita spontaneè videtur conuenire sensus. Nequẽ verò simpliciter ait, bonitatem, patientiam, & longanimitatem, sed, Diuitias contemnis bonitatis & patientiæ & longanimitatis. Hebraismus est, vt aliàs diximus. Nam quoniam Hebræi non habent adiectiuum, quo efferebant copiosissimam & amplissimam bonitatem, dicunt copiam bonitatis. Et vehementiori significatione, inquit Paulus, diuitias, quod alio schemate profert Ephes. 2: vbi ait, Qui diues est in misericordia. Collegimus ergo hominum ingratitude, nequẽ illorum tunc tantum Ethnicorum, quam vtinam nostra non transcenderet. Ingratitudinis crimen ille committit (vt nomen sonat) qui contra gratiam alicuius delinquit: gratia verò est beneficium citra debitum collatum: bonitate nos autem Deus sua gratis tum condidit, tum cunctis beneficiis, tam naturalibus, quàm supra naturam ad regnum cœlorum spectantibus cumulauit. Cum primum ergo quis in Deum peccat, ingratus est in eius bonitatem. Sed vbi crimen præmũ, alterius accessiõne, degrauiat, ingratitude est in eius patientiã criminiosior. Cumulatio nanq; est ratio gratiæ in peccatore tolerando (vt cui non solum nihil debeat Deus boni, sed iustissimè etiam repẽdere possit malum) quàm in mundo ex nihilo condendo: quando & si nemo fuerat bene de Deo, neq; tamẽ fuerat vltus malè meritis. At verò cum quis non solum à Deo auersus, sed sensum etiam humanum exutus, quocunquẽ ipsum sua rapit cupiditas, laxatis habenis, licentissimè distrahitur, non solum bonitate & patientia, sed &

*Origen.*

*Humana  
ingratitude.*



*Pro. 18.* sed & immensa Dei longanimitate ingratis-  
mus abutitur: sane quem in profundum malo-  
rum prolapsus (quod est inter proueria) cō-  
temnit.

*Trinū tra-  
didit.* Ignoras quoniam benignitas Dei ad  
pœnitentiam te adducit? Tertia hæc inter-  
rogatio, expositio est causæ, ob quam Deus  
iniquos tanta patientia operitur. Quæ quidē  
ea est, vt sua ineffabili benignitate atq; blan-  
dissima lenitate ad pœnitentiā emolliat ada-  
mantina pectora nostra. Vbi primum diluci-  
dare videtur Paulus trinum illud præfatum/  
tradidit, puta in desideria cordium, in passio-  
nes ignominie, atq; in reprobum sensum. Nā  
etsi (vt illic dicebamus) nihil aliud sit, tradi-  
dit, q̄ permittit, ob idq; nulla possint exinde  
homines suorū malefactorū, vel culpam vel  
causam in Deum refundere, subrepere tamē  
Romanis in animum potuisset aliqua cogi-  
tatio inclementie Dei, quod saltem intendēs  
iporum malum, præcipites eos ire tandiu si-  
uisset. Huic ergo occurrens sinistra cogita-  
tioni, ait, Ignoras quod benignitas Dei ad  
pœnitentiam te adducit? Cuius simile est in  
alio apostolo, Non tardat Deus promissis,  
sed patienter agit propter vos, nolens aliquos  
perire. Et in Esaia, Expectat vos Deus vt  
miseretur vestri. Et cum græce sit partici-  
pium, quod reddi poterat per / ignorans / ta-  
men vehementioris reprehensionis gratia ver-  
tit interpret per verbum. Est enim gradatio  
quædā, & auxesis in his tribus verbis, quibus  
subnotantur tres causæ, quæ nos in peccatis  
remorantur. Etenim existimare nullum fore  
iudicium, tum peccatum est, tum causa pec-  
cadi: grauius verò piaculum & sacrilegiū, cū  
iudiciū Dei subiturū te noueris, exuberantis-  
simā nihilominus eius benignitatē contēne-  
re, differentis ac procrastinatis vltionē. Atq;  
hæc est causa iacendi in peccatis. Longē ta-  
men scelestissima impietas est, causā nihilifa-  
cere suæ benignitatis: quæ est, vt nos lucrifa-  
ciat. Idq; causam accumulatur, nunquam emer-  
gendi ex sordibus peccatorum. Quamobrē  
non ait / ignoras / quasi allegans ignorantiā  
excusantem, Sed, ignoras, ironice, quasi, non  
est cur ignores, sed contemptus benignitatis  
est tibi in causa, cur non consideres quo te si-  
ne expectet. O inenarrabilem, stupendamq;  
ac summa animi veneratione suspiciendam  
bonitatem, longāmitatemq; Dei. Cuius cau-  
sam deprehendere nequeas, nisi in amorem,  
quo se Deus ipse diligit, mentis oculos sustu-

leris. Ecquis enim sibi persuadeat, ex solo a-  
more nostri tam esse Deum cupidum nostræ  
salutis, nisi in suam ipsius gloriam redunda-  
ret, quæ altissima est huius patientiæ ratio: Pri-  
ma namq; Dei intentio in rerum conditione  
(vt cap. superiori præloquebamur) nullum  
fuit extra se bonum, sed suum proprium. Nō  
enim quod vilius indigens esset, sed vt suam  
ipsius deitatem quodam pacto diffunderet  
ac prolataret, suumq; esset profusus glorio-  
sum nomen, & angelum & hominem creare  
proposuit, ac propter hominē, orbem. Quo-  
circa cum vnus hominis culpa totum genus  
nostrum inficiens, eandem intentionem Dei  
frustrasset, ob suam ipsius gloriam instauran-  
dam, filium, qui plenē perfectēq; honori suo  
satisfaceret, ad nos destinauit. Igitur ne diu-  
num suum propositum tamq; ampla benefi-  
cia incassum sibi abierint, obstinationem no-  
stram diutissimē expectat, nolens mortē pec-  
catoris, sed vt conuersus glorificet eius maie-  
statem. Nec tamen ideo minoris æstimandū  
à nobis est donum hoc ineffabile, quod refe-  
ratur in gloriā Dei: imò pluris, quia multo in-  
de excellentissimē sublimata est nostra natu-  
ra, quod ad illam ipsius participationem fue-  
rit recepta. Sed o iterum atq; iterum expau-  
scendam patientiam Dei, cuius non fuerunt  
angeli capaces, sed eodē momento & à Deo  
auerſi sunt, & nullo expectato redemptore,  
nulloq; indulto spatio pœnitendi, & de fasti-  
gio cœlorum præcipitati sunt, & in tartaro-  
rū abyssum obtrusi. Tametsi neq; huius eorū  
miseriæ conditionis desint causæ quas pos-  
simus meditari. Primū quod cum suapte natu-  
ra intellectuales fuerint, nulloq; proinde dis-  
cursu indigentes, sed omnia simul nouerint,  
nullam habebant excusationem deceptionis  
suæ, aut incōsiderationis, sicuti rationalis ho-  
mo: qui cum temporis curriculo rerum peritiam  
conquirat, vt facile potuit decipi, sic in-  
ducias temporis habere debuit, vt resipisce-  
ret. Adde, quod in angelis voluntas suo pro-  
portionatur intellectui: & ideo sicuti quic-  
quid natura sua cognoscunt, perspicuē & im-  
mobiliter apprehendunt, vt nos prima prin-  
cipia, à quibus nulla nos ratio dimouere  
valet, ita post electionem sunt voluntate in-  
flexibiles, nec pœnitere valētes. Quapropter  
angelorum, & boni statim præmiati sunt, &  
mali protinus damnati. In homine verò alia  
est, diuersaq; ratio, vt intellectus, ita & volū-  
tatis. Adhæc, Angelis, natura sua immortalibus,  
nullum potuit certum indici tempus pœ-  
nitendi,

*Cur angeli  
pœnitere  
nequeant.*

*Damas.* nitendi, veluti hominibus destinata est tota  
hęc vitamortalis. Vnde quod nobis est mors,  
illis fuit casus per primum peccatum, vt au-  
thor est Damasc. Iam verò angelorum non  
corrui tota multitudo, vt in vno homine to-  
tum humanum genus: quod ideo nisi fuisset  
redemptum, nullus potiretur homo sine illo  
sempiternæ felicitatis. Postremo cœli, vbi se-  
des est & thronus maiestatis Dei, peccatorū  
molem sustinere nequiverant: quin vel super-  
bos euomerēt, vel ipsi dirumperēt. Merito  
ergo Paulus (vt ad ipsum reuertamur) despe-  
ctores patientiæ & longanimitatis durissimē  
increpat, quæ nunq; angelos Deus, sed nos pe-  
culiariter ad pœnitentiā adducit. Quin vero  
non longanimitatē modo, sed animi infinita-  
tē dixeris, quæ tā multa scelerum genera, tāta  
æquanimitate & silentio perfert: siue leuio-  
ra sint, siue grauiſſima: siue ex ignorantia vel in-  
firmitate, siue ex prauitate admittantur: siue  
in proximos, siue in diuinā ipsam bonitatem.  
Neq; priuatorū tantum crimina, verum præ-  
latorū etiam et principum facinora, in cōmu-  
ne bonum perniciosissima, quibus Deus suā  
fidit Rēpub. atq; animas deniq; suo sanguine  
redemptas. Idq; non tantum per diē, sed per  
pluriū annorum spatia. Nam si statim impios  
morte puniret æterna, breuissimē extingue-  
ret humanū gen<sup>9</sup>. Vnde in li. sen. Prosp. Aug.  
*August.* Nisi Deus primo per misericordiā parceret,  
non inueniret, quos per iudicium coronaret.  
Neq; verò tantū perfert procrastinando vin-  
dictā, sed veluti fidissimus iniquorū honoris  
ac famæ zelator & custos, lenissima diffi-  
mulatione, silentioq; contegit eorū delicta:  
solē suū sine discrimine mittens super bonos  
& malos, suamq; pluuiam super iustos & in-  
iustos: de quo tamen scriptum est, quod in no-  
uissimo manifestē veniet & nō filebit. At qui  
bus non modis obsecro ad pœnitentiā non  
adducit? Illuminando, inspirando, pullando.  
Per tam multa beneficia, tum naturæ, tū gra-  
tiæ alliciendo: preciosissima pollicēdo, terri-  
bilia minitendo: per lectiones, per prædica-  
tiones, per sanctorum exēpla: longam largiē-  
do vitam, repentinam mortē intentando, ni-  
hil vtiq; omittendo, quo possit sitim inextin-  
gibilem significare suam salutis nostræ. Cui  
nihilominus exuberantissimæ ac tot noibus  
demirandæ clementiæ, is in nobis respondet  
beluinus sensus, vt ex his cibus preciosissimis  
beneficiis ac fauoribus infatum nobis, acer-  
bumq; furoris thesaurum conſtemus in die  
iræ. Meritissimō ergo maius gaudiū est in cœ-

*Longanimi-  
tas Dei.*

*August.*

*Psal. 49.*

*Quibus nos  
Deus mo-  
dis addu-  
ad pœnit.*

lo super vno peccatore pœnitentiam agente, *Luc. 15.*  
q̄ super nonaginta nouē iustis, qui non indi- *Maius est  
gaud. super  
vno pecca-  
tore.*  
gent pœnitentiā: non solum propter difficul-  
tatem pœnitēdi, in quam delabitur peccator  
obdurati cordis, & propter periculum vnde  
pœnitens eripitur, verū ob eximiam gratiā,  
nunq; angelis impensam, vt, nonaginta nouē  
ouibus iustis in deserto relictis, quæsitū Deus  
veniret hominē errantem, factus homo. Quā *Gratia pœ-  
nitentium.*  
obrem effulgentior est ratio gratiæ pœniten-  
tium, q̄ innocentium, pro eo quod in peccato  
ribus nō solum nulla est ratio debiti, verum  
vltionis maxima. Quid nobis hic responde-  
ant cæci isti detractores liberi arbitrii? Etenim  
si omnia nobis ex necessitate diuinæ volun-  
tatis prouenirent, quid Deo opus erat assen-  
sum nostrum postulare ac præstolari? Sine-  
ret ne, vt Ecclesiam suam, vel hæretici sic de-  
molirentur, vel præcæti antistites vsq; adeo  
negligerēt, si cogēdæ essent voluntates huma-  
næ: minime gentium. Attamen quia liberum  
arbitrium non coactu pertrahit, sed benigni-  
tate, authore hic Paulo, ad pœnitentiā addu-  
cit, idcirco omni patientia & longanimitate  
affectat liberum nostrum assensionis obse-  
quium. Verum lib. 1. de natu. & grat. prolixē  
disputauimus, vt neminem Deus cogat vel  
ad bonum vel ad malum.

Secundum autem duritiam tuam &  
impœnitens cor thesaurizas tibi irā in  
die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei.  
Subiungit antithesin cordis nostri. Contrapo-  
nit inq; intentioni Dei peruersitatē nostri pe-  
ctoris qui exitiosissimē sua abutentes patientia,  
aliorum indulgentiam suam diuertimus,  
q̄ quo eā ipse dirigit. Procrastinat enim Deus  
vltionē suam, vt nos ad emendationē emol-  
liat, nos autē ex eodē beneficio occasionē nā-  
ciscimur obduratius aceruandi crimina. Hoc  
autem hic cum primis obseruandum est, quod  
supra iam prænotauimus: nempe quod nemi-  
nem Deus intentione sua indurat, sed cuncta  
in bonum nostrum ordinat: nos autem sumus  
qui nosmetipsos induramus. Iuxta dictum  
Iob, Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & il-  
le abutitur eo in superbia. Quinimō inde di-  
citur induratum cor, quod non cedit tangen-  
ti Deo. Nimirum quod neq; tolerantis beni-  
gnitate emollitur, neq; territantis metu, com-  
minantisq; flectitur iracundia. Similitudo est  
Orige. li. 3. de principiis, quod quædam odum *Origen.*  
eadem pluuiā terra bona herbas profert bo-  
nas, mala verò malas, atq; eodem sole, quo li-  
quefit

*Indurare  
quomodo  
dicatur  
Deus.*

E quefit

quefit cara, indurefcit lutum, ita eadem patientia Dei cor aliis emollefcit, aliis vero indu ratur. Vnde Auguft. Quafi inuitus vindicat dominus qui in vitam, non in mortem, a prin cipio conftituit homines. Ipfe enim infert fi bi interitum, qui medentis contempfit confi lium domini. Et Chryfofto. Ille tibi omnia praefitit, ad poenitentiam te euocans, tute au tem inflexus manens colligis tibi iram. Et hoc eft quod ait Paulus, Secundum duritiam tuam, nimirum propriam. Et impoenitēs cor, id eft, impoenitibile (fi ita loqui licet) & poe nitere nescium. [Thefaurizas iram] Graphice profecto & significantiffimē thefauri voce recondita Dei iudicia patefacit, alludens, tū ad Euangeliū. Nolite thefaurizare thefauros vestros fuper terrā, tum praecipue ad id, quod proxime dixerat / diuitias bonitatis. Enimue rō fi thefauri qualitates infpicias, primū qui thefaurizat, non folum aurū, aut preciosos la pillos cōgerit, verum minutiora etiā coacer uat, quā pretiū cumuli poffint augere. Mox non cuiuscūq; temere, fed delecto amico, vel loco concredit, vbi fint recondita: neq; opi bus illis vtitur vsq; ad finē: vt tunc tandē fru ctu thefauri, quos pertulit labores, et parfimo niam recōpenfet. Pari modo thefaurus confi citur honorū operum. Nā etfi iusti in hac vita non adeo magna subsidia videantur ex fuis laboribus recipere, in dietamen reuelationis patefiet, quāti aeftimentur apud Deū eorum obsequia. nimirū, vel duo erogata minuta, & potus aquae frigidae. Qua ratione & thefauro abfcondito cōparatum est regnū cœlorū. Per cōtrariū ergo fumpta metaphora innuit Pau lus, quod ficut poenitentes misericordiā, ita et impoenitentes delictorū fuorū sarcina thesau rizant irā. Cuius simile ait Iacob⁹, Thefauri zatis vobis irā in nouiffimis dieb. Et Deut. 32. de iniquorū vltionibus, Nōne hęc condi ta sunt apud me, & signata in thefauris meis? Vnde Orige. triplicē in fcripturis thefauri fi gnificantiā adnotauit. Est enim thefaurus in terra, in quo prohibet dominus thefaurizari: est thefaurus in cœlo, in quo iubentur fideles fuas opes recondere: est & tertius hic irā the faurus ab Apostolo condemnatus. Thefauri zator primus, animalis est, & stultus, de quo in Euangelio, Stulte hac nocte repetent abs te animā tuam. Secundus vero, fpiritualis & sapiēs: fed tertius, carnalis & faxeus. De quo hic dicitur, Secundum duritiam tuā. Haftenus ille. Et enim qui perditē nunc obftinati tam Dei, q̄ fui ipsorum oblitī, neq; maximorū fce

lerum existimāt se reddituros esse rationem, tunc de minimo quoq; verbo otioso respon debunt, omnia persoluentes vsq; ad minimū quadrantem: atq; adeo qui increduli fuerāt, diuinā illudentes patientiā, suo periculo vi debunt, tam esse Deum iustum in puniendo, quā est in expectādo benignus. Quocirca, qui diuitias spreuerint bonitatis, easdem in irā vehementiam conuerfas experientur. Nā dulcis simul ac rectus dominus, & ita lōgani mis, et multae misericordiā, vt tamē sit postre mō verax & iustus. Et ideo quō abūdantior fuerit ac locupletior expectantis misericor dia, eō erit & amarulentior, & acerbior iudi cantis animaduersio. Quapropter qui lento hic gradu incedebat ad iracundiam, cōcita tiffima illic fœuitia rapiet miseros in peren nes cruces, quibus suā vindicet spretam cle mentiā. Nam etfi misericordia Dei infinita in se fit, facit eam tamē nobiscum, veluti pleraq; omnia, in numero pondere & mēfura, vt hic Origen. tetigit, & nos cap. 12, explicabimus. Aceruus autē nostrorum criminum & ada mantina durities cordiū fines illi praefcribit. Vnde illud est, Nondū cōpleta sunt peccata Amorrhōrū vsq; nūc. Atqui etfi per prophe tā nobis Deus pollicitus sit, quod in quacūq; die resipuerit peccator, suarū amplius iniqui tatum nō recordabitur, & longanimitatē hic Paulus expectātis enunciet, nūq; tamē longā vitam promissit nobis fcriptura, imō verō ad monuit, vt diē postremū, veluti furē noctū, vi gilātiffimē operiremur. Documēto nobis est, tū generalis illa orbis inundatio, quādo Deū poenituit fecisse hoīem, tum Sodomorū cōfla gratio, quē admodum, vt cumulātiffima praecesserit misericordia, ita in maximam iracun diam Dei transformetur. Vnde in Psal. Existi masti iniquē, quod ero tui similis? hoc est, qd̄ simili, qua tu causa delinquis, ego te perfero? hoc est, quod ceu tuis oblectatus delictis, cō niueo? Haud ita falsus existimes. Redarguam enī te & statuā cōtra faciē tuā, vt tua te ipsius crimina reuincāt. Heu q̄ sibi calamitosā me tamorphosin adornāt iniqui obdurātes cor da. In quā scilicet non irā clemētiffima expe ctatio Dei euadat, qui poenitētiā nostrā ac re sipiscētē sitibūd? adeo nos clemēter sustinet, lētiffim⁹ ad irā, vt (si fas esset ita loqui) sui ip sius videatur honoris & existimationis negli gēs? Nā sera ei⁹, morosāq; vī dicta ansam pre buit, vt sint qui existimēt, nō esse, qui hęc no stra cōsideret, Deū vllum. Nos verō contra adeo contēptui habem⁹ eius misericordiā, vt metum

Misericordia Dei.

Gene. 15.

Ezech. 18.

Iniquorum mutatio.

metum etiam deponamus infinitā iustitiā. Quandoquidem inde duriores effcimus, vn de mollescere deberemus. Nam si angelorū nobis praescripta lex esset, nempe vt nullum nobis esset remissibile peccatū, sed confestim delinquentem infernus absorberet, nullā non curam ac diligentiam adhiberemus seruandi nos in gratia Dei. At verō cū clementior hac parte in nos De⁹ sit, quod inducias nobis poe nitendī indulget, quō sapius nos sibi recōci liat, securius nos atq; supinius iacemus in vi tiis. Qua quidem ratione peius impoenitentes pudefaciet vox illa, Ite in ignē aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Non enī eō solum paratus peculiariter diabolo enun ciabitur, quod eius suggestione peccatum in troiuit in orbē, sed ex eo praeterea, quod illis propriē destinatus est, qbus nō est cōcessum poenitentiae tēpus. Hoībus namq; cōminatus est Deus locū illū, non tā vlciscendi animo, q̄ deterredī. Sanē vt metus iustitiā diuitias no bis misericordiā custodiat. Quāobrē hocho mini imperperio dabit, quod poenitere, quod angel⁹ nō potuit, ipse nō voluit. Atqui ex eo Aug. finalem impoenitentia (quam hic aliqui intelligūt voce duritiā cordis) appellauit pec catum in spiritū sanctum, sanē quod opponit ur virtuti spiritus sancti remittendi peccata. Iuxta illud Ioā. 20. Accipite spiritum sanctū. Quorū remiseritis peccata, &c. Veluti et per alterum extremū peccatū desperationis itidē blasphemia in spiritū sanctum dicitur, quoniā eandem bonitatem diuerso modo laedit. Est ergo biformis spiritus sancti blasphemia, sci licet & per obstinationē, et per desperationē. Quam enim bonitatem nimium confidentes in irā peruertunt, eandē desperantes tollunt. Quā idcirco blasphemia neutris remittetur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. [In die irae] Dies finalis iudicii ac perinde cuiuscūq; par ticularis, dies domini solenniter appellatur, vt est sapiēssimē legere apud prophetas: vel quia de die illa nemo scit, nisi CHRISTVS: vt innuitur Ezech. 14. Et erit dies vna quā no ta est domin⁹: vel quod cū nos in hac vita ar bitrio nostro viuere sinat, tunc ipse potestātē suam faciet manifestam, qua reddet vnicuiq; iuxta opera sua, qua maxime die ostendet se vniuersorum dominum cum terrore magno & tremore: vt est Ioel. 2. Magnus dies domi ni, terribilis valde, et quis sustinebit eum? Vel forte dies domini idem est quod, iudiciū do mini: propter claritatem, qua manifestabit abscondita cordium: illo modo loquēdi, Mi

Duplex bla phemia in spiritu sanctum.

Mat. 12. Dies irae.

hi pro minimō est iudicari ab humano die. Hęc autem dubitatio possit hic fortē cuius diam animum pulsare. Cur videlicet extre mae illi diei, irā magis nomen inditum sit, q̄ misericordiā. Ita enim prophetauit Esaias, Ecce dies domini veniet insanabilis furoris & irā. Et Soph. iuxta est dies domini. Et in fra, Dies irā dies illa, dies tribulationis, &c. Ratio dubitandi est hęc. Vtraq; virtus Dei, puta misericordia & iustitia, splendore sum mo manifestabitur illa die, nam misericordia & veritas praecedent faciem suam: in cunctis autem operibus Dei, cui proprium est maxi mē misereri, iustitiam antecedit misericor dia, quā suo pte genere, tum Deum excellen tius commendat, tum nos etiam ille ctat sua uius. Vnde Iacobus, Misericordia superexal tat iudicium: ergo vt homo de facie cogno scitur, ira & dies iudicii, a parte pulcherrima nominanda fuisset, dies misericordiā. Quod si a iustitia debuisset nomen accipere, cū dug illic sint futurā iustitiā functiones, praemiatio porrō honorū & punitio malorū, a digniori debuit nūcupari. Si aliquā hic tamē licet scru tari rationem, forsan hęc fuerit. Tempus mi sericordiā non incipit in futura vita, quippe cum eadem numero, quā tunc rēfulgentius promicabit, nunc exercetur, nō solum in ho nos & iustos, quibus gratia suppedatur, qua gloriam promerentur, sed & in iniquos & prauos, quibus tempus indulgetur poeni tendi. Ira tamen & vltio malorum non inci pit in hac vita, maximē in lege euangelica, per quam nullum temporarium supplicium statutum est in criminosos. Tametsi nonnullē etiam scintilla in hunc mundum iaculerent illius terrifici ignis, ne profus diuina prouidē tia ē mentibus hominum obliteretur. Igitur totum tempus huius vitā, quo arbitrium no bis suppetit & potestas per Dei opem recupe randae salutis, tempus dicitur (vt est in Psal.) miserendi, & tempus poenitentiae & gratiae. Dies autem postrema vniuersalis, vel cuius que particularis, quā poenitentiae vias occlu dit, ac initium est perpetui tēporis, quo rigo re iuris cum iniquis agendum est, videlicet quando calix qui est in manu domini, & nūc propinatur mistus, effundetur merus, vt bi bant oēs peccatores terrā vsq; ad feces, dies irā meritō nūcupatur: quippe in qua sūma ira Dei patēter incipiet crimina vindicare. Por rō autē confinia horū temporū spectans hic Paulus, tēpori benignitati & patientiā ex ad uerso statim obiecit diē irā. Adiuuens tamē

Dubitatio de die irae.

Esa. 13.

Sophon. 2.

Iacob. 2.

Cur dies irae

Psal. 74.

*Orige.* [Et reuelationis iusti iudicii Dei] Orige, quem & Theophyla. sequitur, interserit coniunctionē, legēs, Et reuelationis, & iusti iudicii, vt non intelligatur reuelatio iudicii, sed reuelatio occultorum operum, secundum quæ faciendum est iustum iudicium, vt statim sequitur. Et secundum lectionem communem idem penē sensus est. Nam idem pollet, reuelatio iusti iudicii Dei / puta qui occulta tunc cordium propalabit. Hoc ergo trino verbo mirifica significatione manifestat formam illius iudicii: videlicet ira, misericordiam Dei quodam modo terminante, qua illuc vsq; sustentata est impœnitentium obstinatio. Et reuelatione, qua omnia opera, cuiusnam sint valoris & meriti, ex causis suis omnibus & circumstantibus accidentibus erunt compertissima. Atq; adeo distincta iustitia, quæ omnium merita exactissima proportionem suis cuiusq; retributionib; exæquabit. Atqui vbi ait / iusti / moderatur verbum ira, vt non morbum animi intelligas, perturbātem iustitiam. Et præterea eisdem verbis respondet capitali enunciationi supra propositæ, quam hic præcipuē tractat. Reuelatio ira Dei de cœlo. Quæ pote in Euangelio reuelatur per fidem, & tunc reuelabitur palā oculis. Atq; illos præterea remordet, quos taxauerat, existimare, nō esse futurum iudiciū, aut ignorare clementissimam tolerantiam Dei. Tunc enim reuelabitur & agnosceatur (vt ait Ambros.) quod modo futurum negatur.

*Quarta qualitas iudicii.*

*Æquitatis ratio.*

Qui reddet vnicuiq; secundum opera eius. Tria tam hætenus de diuino iudicio cōstituit, puta infallibilem veritatem, necessitatem ineuitabilem, ac iudicis benignitatem. Quarto itaq; loco de summa eiusdem æquitate continuat orationem. Æquitatis autem ratio hæc est, quod vnicuiq; retribuatur non secundum personarum acceptionem, (quod paulo post concludet) sed secundum vniuscuiusq; opera. Hoc ergo primū in hac assertionem seruandum est, quod de illis tantum intelligitur, qui vsq; ad lucem & vsum liberi arbitrii adolescunt. Nam prima gratia, quæ ante rationis lumen quibusdam, vel ex priuilegio in vtero, vel communi lege per sacramentum confertur, ac perinde quæ illi respondet gloria, non rependitur pro operum præmio, imò est solius per se præmiū passionis CHRIS TI, quæ quidem post gratia in causa est meritorum. Neq; ideo existimādus est Deus exceptor personarū, vt infra loco pro-

prio explanabimus. Pari ratione neq; parua li cum sola decedentes originis labe arcetur ingressu regni cœlorū ob opus propriū, sed ob peccatū Adæ. Vnicuiq; ergo, siue probo siue reprobato, intellige. De illis nanq; legimus Ecclī. 16. Oīs misericordia faciet locū vnicuiq; secundum meritū operū suorū. Et Psal. 27. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum tribue illis. Est enim Pauli sapiētia, eloquētiāq; mirifica. Postquam enim veritatem diuini iudicii proposuit, quod iustorum nemo, neq; iniquorū suffugere valeat, dulcia amaris cōmiscuit, & quæ læta sunt, tristibus. Iudicis, inquam, benignitatem clemētissimam cum iracundiæ truculentia composuit. mox vtrumq; respiciens, subdit, reuelationem iusti iudicii, atq; occultorum manifestationem operum, ob hoc factum iri, vt vnusquisq;, seu bonus, seu prauus recipiat iuxta opera sua. Ex quo maximē æquitas, veritasq; iudicii, quæ enarrandam proposuerat, resplendescet in die illa. Vnde David, Iudicabit, inquit, orbem terræ in æquitate. Quapropter vbi ait / secundū opera sua / illos respicit, quorum occasione sese in sermonem iudicii insinauerat: puta censores at taxatores alienæ vitæ, & potissimū rectores & principes, atq; id genus, quorum personæ in iudiciis captātur humanis, ne æqua lance cū hoībus inferioris classis librētur. Illic enim neq; pauper prece, neq; precioso diues quicq; proficiet. Vnde neq; potentem vis, neq; callidum fraudem, neq; vlla vtiq; sapiētiam, vel prudentiam huius seculi, vel eloquētia valebit eripere. Quoniam vt est in Iob, nemi ni parceret, quasi verbis potentibus & ad deprecandum cōpositis. ¶ En locū alium insistētem, vbi nos Lutherani adoriuntur, denegantes rationē vllam inesse meriti vitæ æternæ in operibus hoīs, q̄libet iam gratis iustificati. Triplicē nāq; litē nobis de operib; excitāt (vt in proloquio dicebamus) scilicet quod ante gratiā, vniuersa sint simpliciter peccata: quod in iustificatione non sunt, præter fidē, necessaria: quod neq; postea sunt æternæ vitæ merita, imò quatenus proles sunt concupiscentiæ, omnia sunt peccata. De aliis alibi, de hoc autem tertio per hoc ipsum, (præter alia complura) testimonium Pauli ita irretiuntur conuincunturq;, vt nequeant, nisi per meras nugas elabi. Quam proinde materiam meriti condigni diffusissimē elucidauimus ac discussimus lib. 3. de natur. & grat. vbi etiā ipsorum cōmentā abūdē profligauimus. At verò

*Ecclī. 16.*

*Psal. 27.*

*Iob. 41.*

*Lutherani cōtra meritū operum.*

*Lib. 3. de nat. & grat. cap. 7. & 8. & 9.*

*Veritas catholica.*

*Lib. 2. de nat. & gra. cap. 18.*

At verò non possumus nō capita generatim in similibus locis, semel saltē delibare. Duos nanq; effodit homo ille pestiferos fontes, ex quibus inter alios errores & hæc etiā abolitio nē meriti deriuauit. Vnus est, quod concupiscentia carnis est, etiam in renatis, peccatum originale. Ex quo elicit, nullis nos nostris operibus implere præcepta Dei, quia omnia promanant ex peccato. Atq; inde continuo fit, nō esse meritoria vitæ æternæ. Nam si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Alter est, quod negauit liberum arbitriū, quod planē ad rationem meriti requisitum est. Horum singula suis propriis locis copiosissimis refutationibus explōsimus, ac demum. 3. lib. rationē meriti condigni pro exilitate nostra constabiliuimus. Sed quod ad rē attinet præsentem, triforimi commento deludere exco-gitarūt hoc atq; huic similia sacra elogia, vt in suo didagmate & in confes. augustana. & in lib. imperatorio, est videre. Primū est hoc, Vitā æternam solū elargitur nobis Deus ob promissionem, quam sola fide apprehendimus. Quoniam gratia nō confertur nobis ex operibus, aliā, authore Paulo, non esset gratia: gloria verò consequitur gratiam: nam si filii, ergo hæredes per CHRIS TVM. Secundum est, Opera iusti sunt fructus fidei. Tertio ex his inferunt, quod possunt eadem opera esse merita accidentariū præmiū, tam in futuro seculo q̄ in præsentī: essentialis verò, minimē. At veritas catholica contra hanc stat ipsorum inscitiam. Etenim quāuis illa vitæ felicitas ex diuinis nobis pollicitationibus obuēniat, tamen quia nusquā nobis promissa legitur, nisi sub cōditionibus operum, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nisi pœnitentiā egeritis, omnes simul peribitis. Si vis ad vitā ingredi, serua mandata, nihil prohibet quin merces vitæ & ob promissiones conferatur nobis, & nihilosecius propter opera nostra. Nēpē dū adultis liberē à Deo per motiones fidei, spei & pœnitentiæ conuersis sic gratia absq; merito harū virtutū confertur, vt tamē non sine eam dispositione. Sanē verò post obtentā gratiā non est cur opera iusti nō sint merita cumulatoris gratiæ et gloriæ. Ex hac vtiq; legitima explanandi ratione colligere mihi videbar lib. 2. de nat. & gra. cap. 18. cū S. Tho. locis illic citatis, quod non solum opera, quæ post tēpore gratiā consequuntur, merita sunt gloriæ, verū & opera illa præparatoria, quatenus gratia eodem instanti, quo infunditur, informantur, merita sunt: non quidē illius

gratiæ, sed profectō gloriæ quæ illi respōdet. Cuius hic veritatis idcirco meminerim, quod ad explicationem huius Paulini loci q̄ plurimum confert. Haud enim intelligendum est, Deum vnicuiq; repensurū in die iudicii secundum ea tantum opera quæ post articulū iustificationis operatur, sed re vera secundum illa etiā quibus preparatur ad gratiā. Nam quantus est motus liberi arbitri per auxilium speciale Dei, est & gradus gratiæ, quo reconciliamur, atq; adeo gloriæ ad quā acceptamur. Exceptus hinc veruntamen censendus ille gradus est gratiæ, qui solius effectus est sacramenti, ac perinde gradus gloriæ, quæ illi respondet. Ex hac eadem veritate elucere tibi, emicareq; palam cernas recōditam sapientiā Pauli. Quæ quidem veritas minus cōsiderata Lutheranos misere fefellit. Vbi cūq; enim de gratia recōciliationis loquitur, opera quidem excludit, quasi merita, vt cap. sequenti & 4. & vbiq; adnotabimus. Nā si gratia esset ex operibus, nō esset gratia, sed merces. At vbiuis sermo illi est de retributione gloriæ, aut supplicii, id iuxta operū merita cōstituit emetiendū nobis à Deo, vt hoc maxime loco facit. Eodē veritatis clypeo lib. 3. de na. & gra. cap. 9. repellebamus Lutheranos n̄ interpretamentū huius nuper citatæ authoritatis, si filii, ergo hæredes per CHRIS TVM. Nulla quippe inde cōsecutione fit, vt si gratia per quam filii constituimur, donū sit gratuitum, nō mereamur gloriā cuius efficimur hæredes. Tum quod postq̄ geniti sumus filii, cōmereri possumus apud patrē ampliorē hereditatis cumulum, tum etiā quod licet motus virtutū, quatenus materiales sunt dispositiōes gratiæ, merita non sint eiusdem, sunt tamē quatenus eodem instanti per gratiam infusasq; virtutes operamur, hereditatis æternæ meritorii. Hac etenim ratione luculentissimē Aug. in epistola. 2. ad Sixtū edisserit, quæ admodum gloria dicatur gratia. Non enim quod nulla sunt iustorum merita: sunt enim, inquit, planē, quia iusti sunt, sed vt iusti fierēt, merita non fuerūt. Et infra, Vnde & ipsa vitā æterna, quæ vtiq; in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostrā sufficiētiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa (scilicet vitā æterna) gratia nuncupatur: non ob aliud nisi quia gratis datur: nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Atq; id explicatissimē repetit lib. de gratia

*Mysterium Pauli, de gratia & gloria.*

*Contra Lutheranos glossema.*

*August.*

*Gratia Dei vitæ æterna.*



libero arbitrio cap. 7. Vbi prudenter ac meditato voces discernit, dum opera iustorum, & dona Dei vocat, vt quæ eius nobis proueniant auxilio, & merita simul nostra, quoniam per nostram etiam fiut liberam voluntatem, per quam nostrarum sumus actio num domini. Perspice ergo quàm isti indigne fidem attollant: periculofissimè de operibus hallucinantes. Nam etsi opera fructus sint fidei, id quod nos vltro confitemur, neutsiquàm tamen per se ipsa fides fructificaret, sed id quidem facit, per liberum assensum atq; obsequium nostrum. Atq; adeò non est ipsa quæ operatur, sed nos per ipsam. Idq; est quod nos Paulus edocet, vbi ait, Necessè est accedentem ad Deum credere, quod est, & quòd remunerator est. Ea enim est meritorum radix: nempe credere quòd remunerator ille est, in cuius fide obsequia nostra collocamus. Et ideo est argumentum sperandarum rerum, quia mittit nos in spem, dirigens intentionem operum. Et idcirco exordiù est atq; initium spiritualis vitæ, vnde spes erigitur nostra, charitasq; erga Deum suscitatur, per quam operamur. Quocirca Paulus nò dicit, quòd fides per se operatur, sed per charitatem. Iam verò si rationem scripturamq; sacram consulamus, quis poterit operum merita ignorare? Est enim meritum, opus quodcunq; liberum, honestum, in vtilitatem, honoremve cuiuspiam impèsum, atq; eidem acceptum. Tale autem est opus virtutis prauia gratia exhibitum, per quam vtiq; potestatem accipimus, tum filios Dei fieri, tum etiam vt filii iam geniti, de patre nostro, eius exequèdo madata, bene mereamur. Iuxta verbum Pauli Heb. 5. Beneficentia & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Cur eni opera eorum, qui filii Dei, teste Ioanne, & nominantur & sunt, nò sint illi accepta. Neq; verò tantum ad minora præmia (vt victi iam Lutheranifitentur) verum & ad vitam ipsam æternam, quam præparauit inquirentibus & diligentiibus se. Namq; si opera apud Deum merita non sunt, nisi virtute prauia gratia, cuiusnam quæso sint potissimum mercedis digna, nisi gloria, cuius gratia est semen? Hunc nobis sensum locus ille exprimit, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et, Qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ecce pari modo vitamq; præmium, tã accidentale q̄ essenziale, proponitur operi in Deu per suam ipsius gratia relato. Cuius simile & illud est

Erasmus fidei.

Ratio meriti.

Heb. 5.

Ioan. 3.

Mat. 19.

ad Timoth. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Quamobrem optimè semper patres consueuerunt diiudicare opus liberi arbitrii, vel secundum substantiam, hoc est, ex parte obiecti: vt pauperi stipem porrigere, aut potum aquæ frigidæ, orare, &c. Et hac ratione, etiam in gratia fiat, non est dignum vita æterna. Quolanè sensu ait Paulus, filiis etiam ipsis Dei, nò esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Alio pacto consideratur idem opus, quatenus à gratia progenitum. Et hac ratione ait alibi, Quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis. Accedit inuictum ineluctabileq; argumentum huiusmodi, Merces relatione dicitur ad meritum. Est enim meritum, opus, quo quis fit mercede dignus. Cum ergo in tam multis sit locis vtriusq; sacri eloqui celebratissima propositio mercedis, vt apud Esaiam, Deus in fortitudine veniet & ecce merces eius cum eo: cui concinit Deus ipse per Ioan. in Apocalypsi, Ecce venio cito & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Et in Euangelio / Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis / quis rogo non palam agnoscat rationem meriti in operibus iusti? Pondera verbum Pauli, Si gratia esset ex operibus, iam non esset gratia, sed merces, merito operum debita. Ergo à contrario sensu, si operibus reconciliari & iusti merces proponitur, palam fit, subesse in ipsis rationem meriti. Sed hac de causa tam multiuga, tamq; protensa disputatione hæc loco citato patefecimus, ne opus hic esset prolixitate. Ad locum ergo præsentem Pauli vt redeamus, animaduertendum est, quo pacto, qui gratiam, qua quis ex iniusto fit iustus, gratis vbiq; prædicat conferri, nihilominus in præsentiarum manifestè affirmat, retributionem factum iri vnicuiq; secundum opera. Vbi vox / secundum / causam planè præ se fert, quæ vtiq; in operibus nequit esse alia, q̄ ratio meriti. Neq; id (vti Lutherani hallucinantur) quicquã derogat gratia CHRISTI, imò verò arrogat virtutis plurimum: nempe quòd per ipsam potest nos faciat mercedem abs se merendi, quæ nobiscum pro sua misericordia pepigit nomine denarii diurni. Et hac de re alibi fidem seruantibus, coronam ait Pau. repositam iustitiæ, quam reddet, inquit, nobis in illa die iustus iudex. Neq; enim vel coronam dixisset, vel iustitiæ,

1. Tim. 2.

Opus nostrum dupliciter consideratum.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

Esa. 40.

Apoc. 22.

Mat. 5.

Discrimen gratie & glorie.

2. Tim. 4.

2. Cor. 9.

2. Cor. 5.

August.

De correptione & gratia cap. 23.

Questio.

stitiæ, vel reddendam à iusto iudice, nisi in hac nostra militia per conflictus cum dæmone, mudo, & carne, bene de ipso mereremur. Eandem ob rem & ad Corint, similitudine currentium in stadio brauium intuendo, militantem Ecclesiam depinxit. Accedit & huc, quòd per idem verbum Apostolus in præsentia vtramq; retributionem, tam honorum q̄ malorum, enunciauit, nimirum secundum opera: atq; in die iudicii, sicuti maledicti (vt iudicis verbis vtamur) in ignem æternum relegandi sunt, ita & benedicti admittendi in regnum, ob suam singulorum merita: nã sicut dicit illis, Quia esuriui, & nò dedistis mihi manducare, ita diciturus est his, Quia esuriui, & dedistis mihi manducare. Non ergo est curistis abnegemus sua bona merita, quando in illis agnoscimus mala. Iam verò qua obsecro alia de causa, teste Paulo, sistendi oēs sunt ante tribunal CHRISTI, vt vnusquisq; referat propria corporis, nisi vt perpenlis meritorum momentis, vnusquibet recipiat prout gessit, seu bonum, seu malum? Sunt ergo, vt suppliciorum, ita & præmiorum merita in operibus nostris. At contrarius forte inquis, videtur Paulus in frã cap. 6. vbi inter hæc duo, puta mortem & vitam æternam, diuersis v oculis dignoscit. Stipendium quippe, inquit, peccati mors: gratia autem Dei, vita æterna. Vbi in morte stipendium nominat, at in vita æterna, nò, nisi gratiam. Ad hoc iam supra citauimus August. ad Six. vbi hunc locum enarrans ait, non ideo hoc dixisse Paulum, quòd vita æterna non sit etiam stipendium iustitiæ, procedentis ex fide, quia sicut merito, inquit, peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tanq̄ stipendium vita æterna. Vnde & merces appellatur plurimis sanctarum scripturarum locis. Sed dicitur gratia, ratione iam dicta, quia merita ipsa non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam. Hæc ille omnia. Qua vtiq; ratione, vt ait ipse de correptione & gratia, misericordia Dei semper adhæret iustis, siue cum conuertuntur, siue cum præliantur, siue cum coronantur. Vbi insinuat gratiam operantem, à qua prouenimur: cooperantem, per quam meremur: & præmians, dum coronamur. Duplex ex his tamen reliquus fit scrupulus. Vnus, quomodo Deus æquitate summa reddat vnicuiq; secundum opera, si ob temporalem, imò sapè momentaneum lapsum perpetuas exigat pœnas. Alter quidnam sibi theologi paradoxo illo comminiscuntur. Præmiare scilicet

Deum vltimam, punire verò citra condignum, si operum trutina perpendenda sunt præmia. Ad priorem August. respondet. 21. de ciuitate in retributione iustitiæ non considerari æqualitatem temporis inter culpam & pœnam. Namq; & in ciuili republica pro breuissima adulterii culpa capite plectitur adultera: atq; adeò perpetuo priuatur viuientium societate. Hæc ille. Est autem id diuinæ retributioni æquissimè cõsentaneum, quòd qui duas creaturas vitæ perpetuæ, angelum inquam & humanum animum in hoc condiderit, vt suæ essent ipsius (vt ait Petrus) consortes naturæ, quibus gratia quoq; subsidia supra naturales vires suffecerit, eisdem, si in officio, vti filii, perseuerent, ad suam secum sempiternam felicitatem admittat. Sin verò quis violata fide, veluti transfuga, in hostilibus castris suas fouerit vsq; ad mortem inimicitias, hunc, ceu firmato odio ab hac militia abscedentem, perpetuis crucibus addicat. Vt tam hostes q̄ filii, iuxta sua cuiusq; merita, æternum sempiterni Dei sui, vel misericordia persruantur, vel perferant iustitiam. Atqui si vtrorumq; opera speculemur, nonnullam infinitatis rationem in vtriusq; cõtemplamur. Quæ admodum enim iustorum officia, quia opera sunt, tum filiorum Dei, (nam tales nominamur & sumus) tum in immensam bonitatem ipsius ac gloriam relata, ac perpetuo vtiq; proposito confirmata, digna sunt vita æterna, ita & iniquorum commissa, quibus ab illo infinito bono perpetua intensione, veluti tenebrarum filii, desciscunt, digna sunt perennis supplicii. Quare re sapienter theologi pœnas damni & sensus ita discernunt, vt illa auersioni à Deo respondeat, hæc verò cõuersioni ad creaturas. Atq; adeò quòd hic ait Paulus, secundum opera, referendum est ad pœnas sensus, vt eadè sit. v. g. proportio inter tormeta Iudæ & alia diuitis epulonis, quæ fuerat inter eorum delicta: iuxta illam legem antiquam, Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Tametsi, vt in scholis olim adnotabã, forsan & pœna ipsa damni inæqualis erit modo quodam. Siquidem non est mera negatio, quæ non recipit plus minusue, sed carètia diuini conspectus, quæ per se acerbius eos affligit, qui maiori odio Deum habet. Idem enim exilium (præter alias pœnas sensus) grauius molestiusq; eo quis ferret, quo à maiori hoste magisq; sibi inuiso iuberetur. Quamq̄ qui putant, pœnam damni omnibus fore æqualem, forsan hæc priuationis molestiam in pœnis sensus reponeret, Ad posteriorè autem quæ

August.

Virtutis vitiatorumq; opera, quomodo infinita.

Pœna damni & pœna sensus.

Deut. 25.

Pœna damni inæqualis.

tionem vt tranſeamus, prius membrum non eſt difficile. Cur ſcilicet dicatur Deus vltra condignum præmiare: Ex eo enim quòd merito noſtra, eius ſunt dona: neq; ex parte obiecti adæquant dignitatem gloriæ, ſed ſolum ratione ſuæ gratiæ, quicquid nobis gloriæ pro quanto cunq; merito rependat, confert vltra condignū. Sanè quòd non per noſtram noſ ſufficiētiam, ſed per ſuam gratiā obtinemus. Quo ſenſu ait Pau. nō eſſe condignas paſſiones huius tēporis ad futurā gloriā, vt illic expoſuimus. At verò quomodo citra cōdignū puniat, non ita eſt intellectu facile. Et ideo citra cōdignū ab aliq; Deus punire dicitur, ex eo quòd cū iuſte nos eodem temporis articulo, quo delinquimus, poſſet in tartara cōiicere, indulget nihilominus nobis pro ſua miſericordia tēpus vitæ, quo poſſim⁹ reſipiſcere. At verò ratio hæc nō conſtaret in angelis, q̄ ſimul & in culpā lapſi ſunt, & ſupplicio traditi. Ob idq; ſecunda poteſt adhiberi expoſitio, quòd quis in inferno ex lege iā poſita ad iuſtum Deus agat cū reprobis, nihilominus quia merito potuiſſet acerbiora in illos ſupplicia ſtatueret, dicitur citra condignū punire.

His quidem qui ſecundum patientiā boni operis, gloriā & honorem & incorruptionem, quærentibus vitam æternam. Quinto deniq; poſtremoq; loco inefabilem magnitudinem præmiorum ac terrificam malorum ſupplicia ſubiungit: nimirum vt quod in genere prædixerat, vnicuiq; ſecundū opera ſpeciatim exponat. Atqui pro dignitate, ordine præfert bonorum remunerationem. In hac verò litera diuerſitas cum primis lectionis eſt inter traductores. Duplex enim poteſt ex Græca lectione, Latina elici. Prior vt quærentibus (quod græce participiū eſt) feratur in tres præcedentes accuſatiuos, gloriā, & honorem, & incorruptionē, accuſatiuus autem vitam æternā referatur ad ſuperius verbū reddet. Vnde ſi participiū exprimitur per relatiuum & verbum, lectio hæc conſtabitur, Qui reddet vnicuiq; & c. his quidē qui ſecundū patientiā boni operis gloriā & honorem, & incorruptionem quærent, vitam æternam, ſcilicet reddet. Poſterior vt quærentibus, regat accuſatiuū proximè ſequentē vitam æternam, tres verò priores ſubdantur verbo reddet. Ita vt participio itidem verſo per verbum, conſtruatur oratio hæc, Qui reddet, & c. His quidem gloriā & honorem, & incorruptionem, qui ſecundum patientiam bo-

ni operis quærent vitam æternam. Priorem lectionem amplexi ſunt doctores Græci, vt Orige. Chry. & Theop. Poſteriorē verò ſuggerit nobis vetus interpres: niſi quòd eius cōtextus, dum relatiuum videtur ſine verbo reliquiſſe, diſſutus apparet. Quocirca vtroq; nomine malè audit apud iſtos recentiores, tum vt ſententiæ peruerſor, tum vtiq; vt barbarus. At verò anteq̄ hominē à barbariſimo defendamus, de ſententiæ reſpondeamus peruerſitate. Primum omnes Latini ſecundum lectionem concorditer ſequuntur. Hierony. enim hoc loco ſic ait, Qui per patientiæ opera quærit vitam æternam, iſta oīa conſequitur. Eandemq; refert ſententiā lib. 18. ſuper Eſaiam. Et Ambro. Dabit ergo eis gloriā & honorem. Et infra, Hi ergo quærent vitam æternam, & c. Atq; eodem modo legit Gregor. ſuper Iob. lib. 28. cap. 13. Quin & Ruſſinus (de quo immeritò inculſat eum Eraſm.) lib. 3. peri. ſic legit, His quidem qui ſecundum patientiam boni operis (ſupple, ſunt) gloriā & incorruptio (ſcilicet reddetur) qui quærent vitam æternam. Adde quòd neq; Iacobus Faber huius temporis interpres, lectionem hanc potuit refutare, ſed ſolum participium mutauit in verbum, ne iaceret relatiuum deſertū: transferens, iſis qui per patientiam boni operis, quærent vitam æternam, gloriā, & c. reddet. Porro autē ſi rationibus in præſentia dandus eſt locus, cum anceps contextus græcus vtrunq; ſuſcipiat ſenſum, noſter profecto eſt & ingenio magnifico Pauli & veritati multo propinquior, q̄ ille quem Origenes ſequitur, & Chryſoſt. quāuis neq; ille ſit proſus abiiciendus. Primum, quia legitima noſtrorū operum intentio, in Deum recta eſſe debet, qui obiectū eſt vitæ æternæ, vbi eſſentia conſiſtit beatitudinis: gloriā autem & honorem, illius ſunt qualitates: non eſt ergo veriſimile, quòd Paulus admoneret homines, vt prius mentis oculum in gloriā deſigerent & honorem, quā in vitam æternam: præſertim Romanos qui (vt ante nos alii adnotarunt) nihil aliud quā illuſtres honoris titulos, glorioſumq; immortalitatis nomen ambire ſoliti, occaſionem inde caperēt, vt in hæc potius bona intenderent, quā in vitam æternam. Contra ergo eos videtur inſtruere, videlicet, quòd ſi nihil, niſi Deum, in quo noſtra occultitur æterna vita, ſpectent, illa conſequentur omnia in quibus ſolebant felicitatem ponere: iuxta verbum domini, Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia

Leſtio interpretis confirmatur auctoritatibus.

Confirmatur & rationibus.

Matt. 7.

omnia adiicientur vobis. Vnde, vbi ait Pſal. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem, enarrantes intelligunt, propter vitam æternam: vtpote cuius obiectum eſt Deus. Hanc quippe propoſuit nobis CHRIS TVS, vbi ait, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Præterea gloriā, honorisq; & incorruptionis cōgeries explicatio eſt ac penè deſcriptio vitæ æternæ: melius ergo rerum ſeruat decorū, ſi dicatur, quòd quærentibus ſubſtantiā rei, reddentur illa, quæ inibi continētur, quā ſi contrario dicatur modo. Appoſitior enim oratio eſt, Quærentibus felicitatem, obueniet incolumitas, honor ac rerum affluentia, quā ſi contraria id figura proferas. Adde, quòd lectioni huic ex arte opponitur quod ſubditur, ira & indignatio. Perinde ac ſi dixiſſet, His reddetur gloriā & honor, illos verò manent cōtraria mala. Eidemq; lectioni gratanter arridet ſubſequens repetitio. Quod enim præmiſerat, Reddet gloriā & honorem, repetēs ſubdit, Gloriā autem & honor, ſupple, erit omni operanti bonum. At verò de ſtuctura orationis inſicias ire nequimus, quin fuſſet perſpicacior ac lenior, ſi participiū vertetur per verbum, quod relatiuo redderetur. Quemadmodū vertit Faber Stapuleniſis, vtpote, Qui reddet, & c. His qui ſecundum patientiam boni operis quærent vitam æternā, gloriā & honorem. At poteſt nihilominus relatiuum optimè defendi, vt iacet. Quemadmodum legit, & Aug. 3. de doct. chriſt. cap. 11. Neq; verò mutilum manet (vt iſti putant) carens verbo, ſupplendū enim eſt verbum ſubſtantiuum. Quinimo phraſis eſt Hebræis frequentiffima. Apud quos adiectiuus carentes, perinde eſt, His qui ſecundum patientiam, ſcilicet fuerint, ac ſi dicas, patientibus. Cuius quidem ſimillima phraſi ſtatim reſpōdenter ſubnectitur, His autem qui ſunt ex contentione, hoc eſt, contentioſis. Non ergo eſt cur iſti tantopere regulis patrocinentur Donati. Nempe cum lectio ſic planè conſtet, His quidem qui ſecundum patientiā boni operis (ſupple fuerint) id eſt, operis laborumq; patientibus, gloriā & honorem, ſcilicet reddet. Ita vt datiuus, quærentibus vitam æternam, appoſitus ſuperiori pronomini, his/hūc ſenſum exhibeat, quòd patientibus laborum illa bona reddentur, eo quòd quærent vitam æternam. Vt ergo interiorē ſenſum literæ penitus perſcruteris, notato, omnem hic Apoſtolum rationem exerere tam meritorū, vbi ait, patientiam, quā præmiorum, vbi ait, gloriā, & c. Igitur patientiæ nomē vix poteſt hic, niſi videnter, uſurpari pro tolerantia Dei, qua nuperrimè dixerat, ſerre noſtra crimina (licet huic videatur ſpectare Ambro.) vt ſit ſenſus, quòd bene illa vtentes quærent vitam æternam: ſed virtutem illam planiffimè ſignificat noſtram, quæ eſt pars fortitudinis ad malorū tolerantiam, vt idem ſit. Secundum patientiam boni operis, quod, Secundum perſeuerantiam in bono opere. Vbi optimè Chryſ. primum adnotauit, nō in ſola fide noſtram collocandam fiduciam. Quandoquidem prætorium Dei, opera etiā ipſa examinabit. Quod ſi hac de cauſa Lutherani Chryſoſtomum in Pelagianos inclinare autumant, id ipſum de Paulo poſſent aſſeuerare. Qui nō tantum ait, ſecundum bonum opus, ſed, ſecundum patientiam, hoc eſt, tolerantiam boni operis. Namq; recte agere, niſi in officio perduraueris vſq; ad mortem, non ſatis eſt. Et conſonat ſuperiori dicto, Iuſtus ex fide viuunt. Nam inde opus eſt nobis patientia, quòd operamur ſpe bonorum, quæ nō videntur. Imò verò patientia non qualem cunq; exprimit perſeuerantiam, ſed illam quæ eſt cum tolerantia & ſuſtinentia incurſionum demonis & carnis. Poteſt enim in re ſuaui & grata eſſe perſeuerantia abſq; patientia. Optima præterea reſonantia ſit, vbi patientiæ Dei ſuppoſuit patientiā noſtrā. Nam ſi culpas ipſe noſtras tā ſerè clementer, vt reſipiamus à malo, cur nos moleſtias non patienter ſufferamus, vt perſeueremus in bono? Neſcio quare hic quidam denegent genitium boni operis, obiectum deſignare patientiæ. Si quidem qua parte bonum opus moleſtiam ſæpenumero ſecum, laborumq; aſſert, & difficultatē, obiectum materiaq; eiufmodi virtutis eſt. Nam fili, ait ille Sapiens, accedens ad ſeruitutem Dei, præparata animam tuam ad tentationem. Atqui, neq; nobis eluctandi qualescunq; ſunt hoſtes, verum, præter carnem & ſanguinem, principes etiam & poteſtates, harumq; reſtores tenēbrarum. Excitat nos ergo vniuerſos, vt neq; vlla nos terrimenta, neq; labores, neq; pericula, ipſius etiam mortis, de officio deiiciant. Excitat inquam delicatos ac molles, ne grauedine ineundi boni operis pigreſcant: deſides verò ac ſocordes, ne continuationis ſatiēte nauſent: ſed debiles & imbecillos, ne tentationum frangantur vehementia. Tri-na quippe hæc poteſtas huius virtutis eſt. Quare optimo quidem iure & merito præ-

E 5 clarè

Vltra citraq; condignum.

Diuerſa lectio.

Patientia

Chryſoſt.

Lutherani.

Structura orationis.

Aug.

Eccles. 2.

Ephes. 6.

Patientia munita.

Sensus literæ.

clare huic fortitudini decernitur meritorum palma. Sanè quæ & pondus belli sustinet, & virtutum omnium opus perficit, & ad brauium nos vsq; perducit. Nam in patientia vestra, ait ipse retributor noster, possidebitis, hoc est, seruabitis animas vestras. Et Iaco. Patientia opus perfectum habet. Et utiq; rursum **CHRISTVS**, Qui perseverauerit vsq; in finem, hic saluus erit. [Gloriam & honorem & incorruptionem.] Affabrè felicitatē illam sempiternæ vitæ suis explicat numeris. Fuit enim semper vel naturali lumine q̄ notissimū, gloriam, consequentem esse ex virtute, atq; honorem eidem deberi. Vnde, i. Ethic. Arist. li, inquit, omnes quorum vita in actione versatur, beatam vitam in honore putant. Nempe quod supremum omnium, quæ præcellentibus exhibemus, honor est, eumq; elegantissimi quicq; præ rebus cunctis ducunt. Tamen si felicitatem huius vitæ in honore non consistere, vel inde probatur, quod qui gloriam & honorem inter mortales consecretantur, id procurant, vt existimationem consequantur, se esse probos: quo fit, vt tam honore q̄ gloria præstantior sit virtus ipsa, in cuius testimonium illa ambiuntur. Ob hanc ergo affinitatem gloriæ & honoris cum virtute, & in sacris fermè eloquiis encomii gratia iustorum cõponuntur: vt Gloria & honore coronasti eum domine. Regi seculorum immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria. Qua hic præsertim ratione Apostolus describit vitam æternam. Enimvero cū **CHRISTVS** legislator noster suæ ferendæ legis inde exordium sumpsisset, vt humanas de felicitate opiniones confutatas prosciberet, scilicet quod, neq; in diuitiis, neq; in honoris ambitione, aut voluptatibus, vt philosophi olim docebant, sed in horum potius contemptu esset beatitudo recondita. Beati enim, inquit, pauperes, beati mites, beati qui lugent, idq; ipsum eius deinde promulgatores prædicare perseverabāt, ne cessè erat mundum admonere, quod fides, naturæ leges non dissolueret, vel abrogaret, sed compleret ac perficeret. Nimirum quod non condemnaret naturalem appetitū gloriæ & honoris, aliorumq; bonorum, quibus homines illectamētis virtutem consecrātur, sed ostenderet, vnde sunt legitima hæc verissimaq; expetenda. Qua de causâ & **CHRISTVS** affluentiam æternæ vitæ significatione conuiuui extulit. Et ego dispono vobis, &c, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Atq; pari ratione hic Paulus gloriosus

Romanis, si caducis honoribus posthabitis, solam æternam vitam conquirent, gloriam & honorem proponit, atq; hæc non qualia eorum philosophi docebant, sed quæ essent cum immortalitate coniuncta. Neq; verò idē sunt prorsus gloria & honor. Gloria quippe, teste Ambrosio, est clara cum laude notitia. Quæ idcirco bifariā hic potest intelligi. Primo gloria Dei, beatis communicata. Notitiā enim sui, quæ gloria eius est, aspectu illo ineffabili impartitur cœlicolis. De qua David, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Qua de re Deum Iacobus patrem luminū vocat. Quinimo si sublimius rem lubet speculari, pater (vt refert Orig.) fons gloriæ est, cuius splendor, vt ait ad Heb. Apostolus, est filius: de quo Psal. In splendoribus sanctorum ante luciferum genui te. Porro autem per **CHRISTVM** glorificatorem nostrum sanctis eadem gloria participatur, nō solum secundum animas, quas iuxta verbum Esaiæ splendoribus implebit, verum etiam secundum corpus. Nam ipse reformabit corpus humilitatis nostræ cõfiguratū corpori claritatis sue. Quapropter fulgebūt, ait, iusti, sicut sol in regno patris eorum. Circumstabunt siquidem in conspectu diuinæ maiestatis, veluti astra (vt innuit alibi Paulus) ante faciem solis, resplendentes suis quisq; fulgore, quo fuerint ab illa pro meritis irradiati. Potest item nihilominus accipi hic gloria pro clara notitia, qua vnusquisq; beatorū erit cū ingēti laude notissimus, cū aliis, tum maxime Deo. Quo significatu opulentiæ dignitatisq; amplitudo, quæ latissime patet, gloria nuncupatur. Vt Gen. 45. Ioseph fratribus ait, Ite & annūciate patri meo oēm gloriam meam. Vnde eos qui vel genere aliaue sunt re præcellsi, illustres clarosq; appellam⁹. Hæc inquā iustorū gloria, quæ hic calamitatum hyeme, aduersitatumq; nubilo occultitur, illic erit, **CHRISTO** authore, spectatissima: porro dum cordiū perspector pondus meritorū publicitus propalabit, laudabitq;. Esuriui enim, inquit, & dedistis mihi māducare, &c. Neq; delictorū sordes, gloriæ quicq; obnubilant illis, quorū fuerit ignominia, per penitentia fructus cõsecta. Honorē verò semper dictitarūt philosophi quicquid alicui in testimoniu excellentiæ alicuius impeditur, ac potissimum virtutis, cuius honor est præmium, quantū ei possunt hoīes persolvere, siue reuerentia id sit, siue palma, aut res alia. Honorat⁹ nanq; tam princeps suo ordine ciues præmiando, q̄ ciues contra principem reuerendo. Quos

Gloria.

Esa. 58.

1. Cor. 15.

Mat. 13.

1. Cor. 15.

Gen. 45.

Honor.

Quocirca, vt gloria, ita & honor, utroq; modo hic vsurpari potest. Primū pro illo inestimabili, quo Deus honestabit felicissimos illos, tam nominibus honorificis, quia non iam seruos, sed amicos appellabit, quā re ipsa: quia filii non tantum (vt ait Ioan.) nominantur, sed verè erunt. De quo miserrimi Sathanæ filii expauescunt turpiterq; pudetes clamabunt, Ecce quos habuimus in derisum, quomodo computati sunt inter filios Dei. O quā sunt nimis honorificati amici tui bone Iesv, quibus prædixeras, eatenus qui tibi ministrassent honorificādos à patre tuo, qui in cœlis est, vt vbiq; tu esses, illic & minister tuus esset. Nam ita tuum nobis disposuisti regnum, vt tibi non solum cuncti circumfederent ad mensam, verum & primores, qui omnia propter te reliquissent, pro tribunali iudices assiderent ad iudicandum duodecim tribus Israel. Cui perinde exultantes sancti in gloria diuinis intonabūt grates illas, Dignus es domine accipere librum & aperire signacula eius, quoniā occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Ecce quo iure, quod Apostolus, Heb. 2. duci nostro tribuit, nempe Gloria & honore coronasti eum / id ipsum canit & de suis athletis Ecclesia, ob singularem patientiam, qua, veluti agni, luporum rabiem sustinentes, de mūdo gloriosissime triumpharūt. Intelligi quoq; et hoc loco ille honor potest, quo se inuicem beati afficiunt, & pro cuiusq; merito & gradu, ad quem singuli per misericordiam Dei euecti fuerint, condecorāt. Etenim (vt cap. superiori contemplantur) in possessione immensi illius pelagi infinitorū bonorum, nulli est inuidiæ locus, qua qui inferiore sunt honore, in superiores exardeant. Quoniam suam vnusquisq; habet mensuram plenam, proq; sua dignitate confertam, & iuxta **CHRISTI** promissum, superfluentē. Vnde cum nihil vlli reliquum fiat, quod cupere amplius possit, non est cur decorum in mutuis deferendis honoribus non summoperè conseruetur. In hac vita non est tanti faciendus honor, qui cum, authore Arist. non sit in honorato, sed in honorante, hoc est, non sit in potestate illius qui honore dignus est, pro suo merito honorari, sed in arbitrio honorantis pro sua, vel voluntate, vel libidine, vnumquemlibet honorare, sit, vt sæpissime iniquè distribuuntur honores. In illa verò factosans

Sap. 5.

Apo. 5.

Honor huius vitæ.

ta Hierusalem, vbi nulla esse voluntas potest, nisi cum summa ratione cõiuncta, nullus est qui, vel proprio possit fraudari honore, vel quemquam suo velit defraudare. Adde honorem illum esse legitimum, plurimiq; habendum, qui ab iis qui prudentia, probitateq; præstant, exhibetur. Quorum vtraq; summa illic est: vbi Deus & visu præsens comprehenditur, & visu amore percolitur. Adiecit [Et incorruptionem] Alii verūt immortalitatem. Sed iam cap. præcedēti in verbo / incorruptibilis / adnotauimus verbum φθίσιμος, non specialem tantum incorruptionem per mortē, sed generaliter significare idē quod, corruppo. Quare nō est cur ἀφθαρσίαν, aphantarismam non traducatur per / incorruptionē. Adiectū id tamen puta, primū (vt ait Chry.) ad aperiendum resurrectionis valuas. Omnes enim resurgemus in incorruptionem. Deinde ad significādū gloriæ & honoris soliditatem ac veritatem. Inde nanq; philosophis tantum exhibuit negotii quæstio illa, Vtrum contingat in vita vera felicitas, an verò requiratur, vt perduret etiam post mortem, quod felicitas secum adfert connexam perpetuitatē, quæ in tanta rerum turbulentia minimè possibile est viuētibus. Nam & defunctis multa quoq; possunt incommoda accidere, honorem huius seculi denigrantia. Illos autem qui diuinæ presentig potuntur, si nostra, vera est, quæ verissima est, fides, quid obsecro potest offendere, quidue attingere eorum quæ fiunt sub sole? Quapropter nomen hic incorruptionis, non hoc tantum præ se fert, quod cœlestia bona nullum habebunt finem, sed quod nulla poterunt ex parte lædi. Quod enim corruptioni nō subditur, omni prorsus alternationi subducitur: vt neq; minui possit, neq; interpolari, alicundeue detrimentum vllum accipere.

His autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Retributioni iustorum contraponit infelicitum damnationem. Exponit autem tria demeritorum membra, suppliciorū verò quatuor. Nempe in hoc textu duo, atq; in proximo, duo altera. Iis, inquit, qui sunt ex contentione, id est, contentiosis, Hebræorum more carentium adiectiuus, sicuti / ii qui sunt ex circuncisione / pro eo quod est, circuncisi. Videari autem cuiuspiam potest, non seruasse decorum antithesis: non enim consonat contrapositione,



litio, eorum qui sunt contentiosi, cum illis qui secundum patientiam, &c. At forsan respexit, resperitq; hoc verbo Romanos de primatu concertantes: ac maximè Iudæos, contēdentes, per fidem euangelicam nō abiici ceremonias legis, de quibus continuo subdit, Qui nō acquiescunt veritati. Quam ob causam contentionem hic potissimū audio pro reluctantia contra fidem. Hæc quippe reluctantia vtramq; comprehendit contentionem, tam contra Deum inquam, reuelatorem fidei, q̄ etiam contra homines, defensores eiusdem. Est enim contentio (vt rhetorum significatū dimittamus) oratio pertinax, hoc est, impugnatō agnitæ veritatis. Quādo quis non ex ignorantia, sed studio, vel veritatem oppugnat, vel doceri non sustinet. Quam peruicaciam Romanis impingit. Cum quo sensu probè consentiunt subsequētia verba, non consentire veritati, sed credere iniquitati. Sunt enim illa illi prioris expressio. Elucetq; præterea concētus contrapositionis. Nam vt patientia & perseverantia fons est & robur bonorum omnium meritorum, ita & contentio cōtra fidem, radix est omnium malorum: ea parte, qua, auctore Greg. 31. Moralium, filia est superbiæ: quæ (vt est in Ecclesi.) initium est omnis peccati [Et qui non acquiescunt veritati, credunt autē iniquitati]. In græco duo sunt simplicia participia, vt priuatio & habitus, opposita. Ac si dicas, Increduli & creduli: seu inobedientes & obedientes. Quocirca neoterici carpunt hic interpretem, quod iucunditatem non seruauerit affinitatis verborum. Sanè vt diceret, Qui non obtemperant veritati, sed obtemperant iniustitiæ. At tamen forsan id fecit, vt diuersa verba mutua se opera elucidarent. Idem enim pollet/acquiescere/quod credere. Nam fides ex obediētia nascitur voluntatis. Est enim contentiosi hominis nō acquiescere veritati. Ambro. hic & Aug. lib. 3. de doct. chri. & interpres Origenis pro non acquiescūt/dicūt, nō diffidūt, sed credūt iniquitati. Apparere item alicui potest præpostera oratio. Aptior enim fuisset & speciosior, si dixisset, Qui non credunt veritati, sed consentiunt iniquitati. Credimus enim veritati & consentimus iniquitati. Quā quidē cœconomiā scitē seruauit. 2. ad Theff. 2. vbi ait, Vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Respondetur autem, illum modo citatum locum, expositionem esse huius, quæ interpretatur. Nempe quod sicut acquiescere, idem est quod cre-

dere, sic veritas idē est quod æquitas: & iniquitas, idem quod falsitas. Quoniā veritas regula est in intellectu Dei suæ ipsius voluntatis, cuius comparatione æquitas constituitur in opere. Et ideo oratio hæc & illa ad Theff. eadem sunt prorsus [Ira & indignatio] Primū Orig. qui piētissimè, vt supra diximus, negotium suscepit differendi, vt nulla nobis mala per intentionē Dei obueniant, sed nobis nosmetipsi cuncta consemus, dignouit hic orationis discriminē: quia cum supra dixisset, Reddet unicuiq; gloriam, &c, hic haud similiter ait, iram & indignationem, ne hæc quoq; referantur ad verbum, reddet, sed ira & indignatio: scilicet erit. Nimirum vt ostenderet, bona quidem diuino iustis beneficio reddi: mala verò iniquis ex illo thesauro obuenire, quem ipsi sibi condiderant. Similis figuræ & illud est. 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo, contemnentes me afficientur ignominia. At verò ais, quod videntur malorum supplicia præfatis bonorum præmiis haud concinnè opponi: puta gloriæ & honori, ira & indignatio. Fortasse Paulum non ita multum agebant huiusmodi consonatiæ, tamen si hic est nonnulla. Sunt enim græcè duæ voces *μῆδος* & *οργή*, quarum prima significat iram primordia, dum ebullire incipit sanguis, altera verò, iram iam adultam & prorumpentem. Quare nonnulli, nec fortè ineptè, permutato ordine, vertūt, indignatio (quod minus videtur) & ira. Quæ quidē vt dictū est, nō significat passionē in deo, sed vindictā. Vt ergo gloriæ & honor ornamenta omnia æternæ vitæ designat, ita ira Dei, non modo concepta, sed effusa, omnium est suppliciorū causa, ac subinde ignominie ac vituperii, quæ gloriæ honorisq; sunt cōtraria. Quocirca secundū hanc expositionē si postponatur indignatio, tunc accipitur pro iracundiæ excādēscētia: qui proprius etiā est eius significatus, vt indignatio/dadat supra irā. Quod si aliam adhuc (quæ legitima etiam est) significationē eiusdem nominis spectemus, nihilo constabit sensus incongruentior. Differt namq; ab inuidia indignatio, quod inuidemus digno bona quæ legitime possidet: indignamur verò, quod indignus fruatur bonis, quæ non meruit. Quo fit, vt indignatio sit etiā quasi dedignatio, dum athlotheta & iudex, cuius est præmia dare, indignū quēpiā reputat præmio. Vnde quē admodū de electis dictū est Sap. 3. Tentauit eos Deus, et inuenit eos indignos se, ita probabit & reprobos, quos adeo publica sententia

Orig.

1. Reg. 2.

Ira &amp; indignatio.

Indignatio.

Sap. 3.

tia pronunciat, se, suoq; cōspectu esse indignos. Quibus proinde (vt est in psal.) iurabit in ira sua, quod nō introibunt in requiem suam. Quæ quidē ignominia, omnium est maxima pœnarum, quas luent miseri. Nempe dum allegantibus in nomine tuo prophetamus, & virtutes multas fecimus, improperanter respondebit iudex, Nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et rogantes fug condemnationis causam, conuincet. Quia esuriui & non dedistis mihi manducare. Nudus fui & non vestistis me. Ite in ignē æternum. Quocirca iuxta hanc interpretationē, Ira significat executionē iustitiæ Dei, Indignatio verò sententiam, vt intelligant, quā dignam suis meritis sumat de ipsis vltionem. Quin verò & ipsi conuicti sibi immet indignati confitebuntur, Errauimus à via veritatis.

Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum, Iudæi primum & Græci. Sūt qui hæc duo/tribulatio et angustia/cōtexūt superioribus/ira & indignatio/Haud tamen ita concinna est oratio, ac si dissoluatur. Primū vt sit respondentia ad subsequens membrum, Gloria autem & honor, &c. Deinde quia necesse est hos nomina tuos ita dispensare, vt duo priores scilicet/ira & indignatio/ respondeant superiori datiuo, iis, reliqui verò duo, accusatiuo/ in oēm animā. Præsertim quod cum duo fuisset prolocutus de æquitate iudicii, videlicet quod retribuendum illic sit, & iuxta opera, & unicuiq; expedita prima parte de operibus, trāsit hic ad explanandum quod dixerat, unicuiq; puta sine vllius exceptione personæ. Atqui doctē S. Thomas inter hæc quatuor discreuit: nempe quod duo priora teneant se ex parte Dei, duo verò hæc ex parte hominis, hoc est, quod priora significant vindictā per modum actiōis Dei modo exposito, hæc verò per modum passionis in reo. Traductores isti neoterici pro sua consueta libidine ad solum florem grammaticæ attendentes, vertunt, afflictio & anxietas: quod certè non facerent, si energiam verborum, consequentiāq; penitus inspicerēt. Tribulatio enim vel à tribula dicitur, qua segetes in area conteruntur, vel à tribulo, seu ferreo, seu spineo, cuius punctione acutissimus incutitur dolor. Quorum perinde vtraq; allusione significantissimè exprimentur perhorrenda damnatorum tormenta. Angustia verò significatus sumi-

Variatio lectionis.

Tribulatio.

tur à breuissimo loco, vbi res aliqua arctissimè constringitur: indeq; transfertur ad presuram animi, nullum habētis per fugium, quod se anxius conferat, vt cruciantes pœnas euadat. Quocirca oculatissimè distinxit Origenes tribulationem iustorum in hac vita à tribulatione iniquorum, videlicet quod priorē illam nulla sequatur angustia, eo quod subsidium Dei, veluti asylum, sibi constituent pii, de qua tribulatione ait Apostolus, Tribulatio patientiam operatur. Et rursus, Tribulationem patimur, sed non angustiamur. Et Dauid, In tribulatione dilatasti me. Qua de causa Deus de sanctis suis, quos habere nouit intra cordis sui domicilium spacia lōge lateq; diffusa, dicit, Habitabo in eis et inambulabo. At verò iniquorum tribulationem angustia subsequitur, quæ cumulum suppliciorum perficit. In quorum angustissima corda diabolus ingreditur, non vt inambulet, sed vt tanquam serpens lateat in cauerna. Hæc ille. Igitur si Dauid quo suum maximè mœrorem angoremq; animi expromeret, Tribulatio, ait, & angustia inueniunt me, multo id significantius Paulus dixerit de miserimis illis ac perditissimis, dum fuerint in tartara coniecti. Illic enim, vt cap. superiori dicebat, amarus, & trucem illum tormentorum aceruum patientur, qui si mortales essent, singulis eos momentis absumeret, & in illis tamen angustis erunt conclusi, à quibus neq; mors eos valeat eruere. Qua de re tribulatione simul & angustia eorū animi afficiantur. Quibus & CHRIS. Mat. 8. s r v s non longè dissimiliter fletum, stridorēq; dentium comminatur. Namq; & tribulatio præsens lachrymas cogit, & metus futura, stridorē dentium. Et Dauid de Ægyptiorum vltione, immisit in eos indignationē & iram & tribulationē per angelos malos. Sequitur ergo [In omnem animam hominis operantis malum] In omnem animam, fortè dixit eo significatu, quo anima in scriptura pro homine frequenter vsurpatur. Nam in secundo statim retributionis membro, personas subiungit/Iudæo & Græco. Quamquā genitius reclamare videtur, quod potius accipiatur pro ipsamet anima, vel quia ante corporū resurrectionem animæ ipsæ interim contorquentur, vbi & hæretici (vt ait Hiero.) confutantur, qui dicebant sola corpora delinquere. Vel quia vt sanctorum gloria et dotes ab anima exundant in corpus, ita & damnatorum supplicia. Eodem accedit quod tribulatio & angustia affectus morbosq; animæ enunciat [operantis] græcè

Orig.

Rom. 5. 2. Cor. 4.

Psal. 4.

Mat. 8.

Psal. 77.

Operantis malum

græcè non est simplex participium, sed compositum: quod reddi poterat/continèter seu perseveranter operantis malum. Id quod optimè ad id respondet, quod similiter de iustis prædixerat/ qui secundum patientiam boni operis, &c. [Iudæi primum & Græci] Traductores recètes vertūt/ Iudæiq; primū ac Græci/contendētes, quod/primū/nō dicat ordinem Iudæi ad Græcum, sed amborū simul populorum ad barbaros. Et miror quod & theologi nōnulli vsq; adeo fuerint istis additi, vt & hęc eorū lectiōne susceperint. Nam cum Paulus (vt cap. superiori adnotauimus) horum populorum descriptione vniuersitatem orbis depingat, nullas hic gētes reliquas facit, cum quibus ambo populi conferantur, sed comparat vnum ad alterum. Et re vera oratio græca hunc sensum facit, Iudæi quidē primū, mox Græci, id est, Gentilis. Non enim strictim accipitur pro sola Græcorum natione. Vnde/primū/dicit, quia minus fuerant Iudæi excusabiles. Nam cū perspicacior explicatiōq; in illis fuisset cognitio Dei, venturūq; Messia quam in gentibus, veluti qui præter lumen naturalis iuris scripta etiam lege fuerant illustrati, promptius, tanquam illis peculiariter promissum, obsequentiūq; debuissent ei auscultare: ob idq; grauiores debebant pœnas, cum aliorum criminum, tum potissimum reiectæ fidei. Vbi & hoc adnotant theologi, quod quauis omnis infidelitū pœna, ratione infidelitatis, atrocior sit, quam illa quæ Christianis infligitur, tamē ob idem peccatum, quod nobis illisq; commune est, vt propter adulterium, vel furtum, ad maiora rapiuntur supplicia Christiani: quasi minorem habentes excusationem ignorantiæ. Seruus enim sciens voluntatem domini sui, & non faciens, dignè plagis vapulabit multis.

Comparatio peccato. in fi. & fid.

LUC. 12.

Pax.

Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Quod nā/ gloria & honor/ significatum importent, explicatum iam supra factis est. Sed vice incorruptionis, quo rem lucidius exponeret, pacis appellationem substituit. Pax etenim pleniorē habet significandi emphasin, quam/ incorruptio/ eō quod nō solum excludat quamcunq; rerum contrarietatem ad corruptionem pugnantium, verum includat summam tranquillitatem ac requiem, tam animi, quam corporis, perpetuis vinculis confirmatā. Hęc enim illa est pax Dei

(vt ait in alio loco) quæ exuperat omnē sensum. De qua in Psalmo, Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum, et posuit fines tuos pacē [Iudæo primum et Græco] Eundem ordinem meritō tenet in premiis, quem in suppliciis enarrandis. Nam Iudæi, qui scriptam legem susceperant, omnes debuissent Ecclesiam prius ingredi, nisi quod (vt infra cap. 11. dicturus est) ex parte cæcitas contigit in Israel, donec intraret plenitudo gentium. Vnde et Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniā repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gētes. Hoc ergo retributionis bonorum ac malorum latissimo, stupendoq; interuallo, quæ nos in die iudicii manet, exterritos nos curauit Paulus, atq; admonitos, vt nobis perspectum esset, quemadmodum sit militia nobis huius vitæ inter spem metumq; proposita, quibus ideo scopus esse deberet, vt seruilem metū diuini iudicii, procedentes de virtute in virtutem, omni conatu excuteremus: neq; studium & vigilantiam prius remitteremus, quam spe firma optatissimum haberemus aduentum iudicis. Hunc enim mihi suggerunt sensum verba illa Apostoli, Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: nō solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.

Documentū Pauli.

Non enim est acceptio personarum apud Deum. Concludit tandem quod de æquitate iudicii proposuerat, scilicet/ Reddet vnicuiq; secundum opera sua. Atqui in græco clarius effulget cōtrapositio vocum. Est enim hæc vnica simplex dictio προσωπολησία, id est, personarum acceptio. Cuius contraria eademq; simplex δικαιοκρισία, hoc est, iustum iudicium. Et ideo cum supra vbi dixit/ reuelatiōis iusti iudicii/ proposuisset hęc secundam, opponit illi modo negationem alterius, quasi concludens, inde constare æquitatem iudicii, quod nullum sit illic habitura locum personarum acceptio. Molestat nos hic etiamnum interpretum varietas, dum alii transferunt/ discrimen personarum/ atq; alii/ respectus personarum. At verò cum nomen hoc cadat à verbo, λαμβάνω, quod per se significat accipio, & ita ipsi consentienter idem verbum transferant ad Galat. 2. Deus personam hominis non accipit/ non est cur in compositione non similiter traducatur acceptio

Acceptio, discrimen, respectus personarum.

Acceptio personarum.

Respectus personarum.

Arist.

ceptio personarum. Sicuti & Act. 10. Non est acceptor personarum Deus. Et Coloff. 3. Et Ephe. 6. Et in veteri testamento Deut. 10. Et quauis Ciceroni priscisq; latinis non fuerit nomen hoc receptum, est tamen à doctoribus catholicis latinitate donatum. Acceptio ergo personarum peccatum est iustitiæ distributiæ contrarium: quod tunc contingit, quando iudex qualitatem respicit personæ, nihil ponderis afferentem ad causam. Vt si quis propter consanguinitatem sacerdotium conferat indigno. Nam si in bonis patrimonialibus distribuendis talem quis habeat respectum, non est cur existimetur personarum acceptor. Rursum quod Deus operum ponderator rationem habeat paupertatis mulierculæ, quæ duo æris minuta contulit in gazophylacium, ratione cuius paupertatis operi accreuit meritum, quodq; personæ dignitatem, vnde grauatur peccatum, consideret, vt si qui crimen commisit, persona erat publica, quæ scandalum dedit, nullus est personarum respectus: quando quidem huiusmodi qualitates, & officium adaugent, & vitium. Inuectum ergo est verbum hoc ab Apostolo propter discrimen inter Iudæos et Græcos: nempe vt significaret has generis qualitates, alias id genus nihil in bilancibus Dei momentum inclinare, quippe quibus sola librentur opera. Ita tamen probatam censeas nominationem acceptionis personarum, vt minimè aliam, puta respectus personarum inficiaris. Nam, προσωπον, & personam significat, & faciem. Item, λαμβάνω, & accipere, & in compositione, respicere. Quapropter respicere personam iudex prohibetur, id est, faciem, ne hominis qualitate, puta sexu, ætate, patria, genere, opibus, aut pauperie, idq; genus reliquis, quæ extra rem & causam sunt, affectus animus iudicium corrumpat. Vnde Leuit. 19. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Et de Socrate legitur quod neq; vxorem neq; liberos in iudicium voluit adducere ad excitandam commiserationem. Et 1. Rhetoricorum Aristot. partem illam oratoris condemnat, quæ ad commouendos affectus exposita est: Areopagum Atheniensium hac maximè ratione commendans, quod actor in causa id lege vetaretur facere. De quibus Areopagitis & Lucianus refert in Hermotimo, ideo noctu & in tenebris iudicare fuisse solitos, ne ad dicentes respicere possent, sed ad ea quæ di-

cerentur. Sed est operæpretium tantisper diuertere ad quendam, qui hoc tempore Chrysofomi scholiasticè prodiit, quem capite superiori in verbo/ prædestinatus/ subnotauimus. Hic inquā tria scholia appendit Chrysof. in presentiarū, à quibus si abstinuisset, multo esset ab illo melius lectori consultum. Primo super proximo illo verbo/ Iudæo primum & Græco/ adnotauit ex illa oratione Pauli, qua tanta paritate adæquat Iudæos & Græcos, elici, circuncisionem, nihil attulisse momenti illi populo ad reconciliationis gratiam. Non solum quod circuncisio non illam conferret, veluti nunc baptismus tanquam instrumentum passionis CHRISTI (nam hoc etiam sanctus Thomas cum multis theologis probè censuit) sed quod nulla illic fiebat reconciliatio à peccato originali, ita vt circuncisi pueri aliquam inde gratiam Dei retulissent. Nam tunc, inquit, quomodo esset par ratio apud Deum Iudæi & Græci absquē vilo discrimine, vt hic Paulus explicatisimè differit, concludens capite tertio, An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Imò & Gentium, &c. Quinimo plus gratiæ possiderent, ait, tunc masculi Iudæorum, quam femellæ. Et 1. ad Corinth. 7. expressè ait, Circuncisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quo fit, inquit, vt nulla ante CHRISTI aduentum conferretur gratia vulgo & publicè, scilicet per sacrificium, licet fortè priuatim & occultè adultis quibusdam. Ecce qua isti ratione existimant, merum esse commentum scholasticorum, quod in circuncisione conferretur gratia. Hęc autem catholica veritatis gratiæ circuncisionis infra cap. quarto constabit ex verbis Pauli, vbi ait, quod Abraham accepit signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Nam quid obsecro aliud est signaculum iustitiæ fidei, quam indicium & protestatio illius fidei, per quam iustificabantur qui illam recipiebant: vt palam ait Augustinus ad Valerium contra Iulianum. Cuius verba illic recitabimus cum aliis locis, ex quibus hæc constabitur veritas: adeo vt contraria opinio, error sit non ferendus. Quippe ex quo protinus fiat consequens, vel quod nullum est peccatum originale, quod est hæreticum, vel quod vniuersi, qui ante rationis vsum obibant mortem, deperibant absq; remedio reconciliationis, quod planè est

Digressio ob quorundam opiniones.

Circuncisio an conferret gratiā.

Aug.

est impiū. Sed inde isti in hęc dogmata col-  
labuntur, quod scholasticos ab indicibus li-  
brorum salutant. Nullus enim vnquam theo-  
logorum asseruit, gratiam conferri in circun-  
cisione, qui non illico subiungeret, per aliud  
etiam remediū prospexisse Deum gentibus  
omni seculo in lege naturæ: puta per aliquā  
formam sacrificii, quo possent paruuli mun-  
dari ab originali: quod lib. 2. de nat. & grat.  
tractauimus. Insignem enim notam inureret  
clemētissimo Deo, quicumq; diceret, vlla vn-  
quam ætate destitutum fuisse humanum ge-  
nus omni subsidio, quo minus possent aliqua  
fidei protestatione in gratiam eius homines  
cuiusq; ætatis restitui: quod quidem remediū  
perdurauit in populo Israel in scemellis, &  
ante octauum diem in masculis. Genuinus er-  
go syncerusq; intellectus Pauli, patribus Ec-  
clesiæ celebratissimus, est, in hoc pares fuisse  
Iudæos & Græcos, quod ante CHRISTI ad-  
uentum, quicumq; vti vnquam fuissent libero  
arbitrio, sine discretionem circuncisionis aut  
præputii, iudicandi erant secundum opera  
propria: quoniam tunc gentes non teneban-  
tur circuncidi, sed poterāt in lege naturæ per  
speciale auxilium Dei salui fieri: quod nunc  
nemo potest sine baptismo. Pro paruulis ve-  
rò prouisum erat vtriusq; populo. Quod autem  
masculis Iudæorum peculiaris esset indicta  
reconciliationis cerimonia, quā gratiā alię na-  
tiōes, vel in eodē populo alter sexus alia via  
poterāt adipisci, neq; turbat æqualitatem, de  
qua hic loquitur Paulus, neq; quicquam de-  
rogat diuinæ iustitiæ. ¶ Secundum autem sub-  
iiciunt isti commētum super hoc verbo. Nō  
enim est acceptio personarum apud Deum/  
vtpote ex quo sibi inferunt, neminem à Deo  
prædestinatū, nisi ob propria eiusdem præ-  
uisa opera. Et quod se planius explicent, aiunt,  
futura vtriusq; opera, quę eius cōspectui erāt  
in sua æternitate presentia, causam fuisse, cur  
Iacob admisit in gratiam suā, Esau verò re-  
puli. Nam defendere alia ratione nesciunt,  
quin personarum fuisset respector. At vide  
obsecro, quo isti literatores præcipitantur, eō  
nimirum vt denegent, vllō vnquam seculo-  
rum ante CHRISTVM passum, quempiam  
ante rationis vsum iustificatū fuisse, vel dam-  
natum: ideo quod in tali ætate nemo habere  
potest proprię voluntatis opus, quoniā neq;  
hoc quidem admittunt, quod ob solum Adę  
peccatum condemnatur, vel infans, vel adul-  
tus. Ex quo manifestum fit, quod in peccato  
originali veram rationem culpæ non agnos-

Sensu ger-  
manus Pau-  
li.

Secundus  
error.

cunt, neq; antiquum vllum sacramētum, quo  
paruuli iustificarentur. Quod si ab his scisci-  
teris, quid ergo de paruulis sentiant immatu-  
rē vita defunctis, respondet hic bonus pater,  
cuius scholia recitamus in tertio subsequenti  
scholio, quod si fingere liceat transmigratio-  
nem Pythagoricā, aia decedentis ante ratio-  
nis lucem, demigrat in aliud corpus, vbi vi-  
uat quo ad propria efficiat opera, secundum  
quę iudicetur. Et quamuis id nō audeat vsq;  
adeo indubiē affirmare, ait nihilominus ful-  
ciri posse sacris eloquiis. Veluti his Pauli,  
Qui reddet vnicuiq; secundum opera sua:  
quod in vniuersum de omnibus cuiusq; æta-  
tis isti intelligunt. Et, Non est acceptio perso-  
narum apud Deum, horumq; similibus. Ecce  
quā fuerit nobis digressio hęc necessaria,  
tum vt lectorem cauere iubere, tum vt  
scriptores huiusmodi, aliās catholicos, obse-  
crare, vt alias deligerent humiliores ma-  
terias, in quibus suas linguas, & cum minori  
periculo, & quidem feliciter perpolirent. Hęc  
enim generalissima istorū intelligentia, quod  
Deus neminem prædestinat, nisi propter pro-  
pria opera, quæ sunt prædestinationis causa:  
atq; adeo nemini reddendum sit, siue præmi-  
um, siue supplicium, nisi secundum opera pro-  
pria, multorum protinus emittit errorum sen-  
tes. Et quidem de prædestinatione Dei, cui-  
us causam à nostris operibus pendere hallu-  
cinantur (quem errorem superiori cap. per-  
functoriē attigimus) cap. 9. plenius dicturi su-  
mus. Vbi demonstrabitur, ex diuina præde-  
stinatione, licet merè gratis absq; operū cau-  
sa fuerit, nullum effingi posse argumentum,  
quod vlla inibi fuerit personarum acceptio.  
Atq; simul explicatius patebit, quemadmo-  
dum adultorum opera sint quidē æterni præ-  
mii meritum & causa, prædestinationis verò,  
nō item. Nunc verò, quā hęc quæ de infan-  
tibus philosophantur, sint & creditu impossi-  
bilia, & quæ affirmantur absurda, dicere est  
operæpretium. Illam primum omnium deri-  
diculā metempsychosin Pythagoricorū certē  
nec effingere Philosopho licuit, quanto verò  
minus theologo, & in re sacra. Etenim præ-  
terquam quod inter philosophos opinio illa  
nunquam aliter, quā ludibrio fuerit habita,  
argumēta contra ipsam adauget Christiano-  
rum schola. Deus quippe naturā ditauit, sub-  
leuauitq; per gratiam, non autem demutauit.  
Si ergo anima suapte natura, quia actus est  
corporis phisici, proprium sibi corpus vendi-  
cat, ita vt singulis in indiuiduo politis dispo-

Pythagori-  
ca transmi-  
gratio ani-  
marum.

Pythago-  
ræ metem-  
psychosis.

sitionibus singulæ coaptentur animæ, inopi-  
nabile est, vt Deus ratione operum hanc mu-  
tasset naturam in paruulis, quam non mutat  
in adultis, vt scilicet duntaxat animę oberra-  
rent per corpora. Quarum quidem alia cen-  
tum percurrerēt corpora, si tot ante rationis  
discerniculum obirent homines, alia tantum  
duo. Adde quod si animæ nunc paruulorū in  
gratia baptismali decedentium non commi-  
grant, siquidem iam sunt in gratia, cur ante  
CHRISTVM natum? Præterea fac hoc tem-  
poris momento mille paruulos vita decede-  
re in toto orbe, vis ne totidem, ne vno qui-  
dem minus, simul gigni, in quorum corpora  
continuo summittantur illorum animæ? An  
verò extra corpora censes operiri aliorum  
geniturā, quo ad vsq; se valeant in noua con-  
ferre corpuscula? Deridiculum sanē vtrunq;  
est. Imò verò quomodo fieri tūc posset vni-  
uersalis omnium resurrectionis mortalium in  
die iudicii? Necessè enim profecto esset, ani-  
mam tunc vnā plurima resumere cadaue-  
ra. Est ergo non tantum ludicrum commen-  
tum, sed error perniciosus in fidem. Hac igitur  
abiecta repulsaq; fictione in diuerticu-  
lum reuertamur, vt istos reuincamus adeo  
vniuersaliter audientes, quod Deus reddet  
vnicuiq; iuxta opera sua, vt nec de paruulis  
aliter sentiant. Respondeant enim nobis de  
infantibus vniuersis, qui ante CHRISTVM  
natum mortui sunt sine propriis operibus.  
Enimverò primum diffiteri nequibunt origi-  
nis labem veram esse culpam, quin protinus  
Pelagianorum contagio inficiantur. Omnes  
enim in Adam peccauimus, & sumus natura  
filii ire. Aliās neq; CHRISTVS fuisset natu-  
ræ redemptor ab originali, neq; vllius fieret  
culpe condonatio per paruulorum baptis-  
mata. Nam vbi nulla est culpa, nulla esse po-  
test, vel redemptio, vel remissio: de quo arti-  
culo latè cōtra Zuinglium disputauimus lib.  
2. de na. & gra. Si autem eandem maculam,  
vt catholici, confiteantur, cum nullum ad-  
mittant sacramentum paruulorum, aut for-  
mam sacrificii reconciliationis, non solum  
in lege naturæ, verum neq; in scripta Mosi,  
necessariò vel charybdi absorbentur, vel im-  
mergentur in Scylla. Si enim miseros infan-  
tes ante libertatis tempus defunctos, omnes  
absq; vllō remedio regno cœlorum ablegēt,  
primum iam victi fatentur, illos absq; pro-  
priis operibus exilio cōdemnari propter de-  
lictum Adæ: & præterea Deo insignem  
crudelitatis notam inscribunt, qui numero-

simam animarum multitudinem tot secu-  
lis omni remedio destituerit. Sin verò quos-  
piam eorum seruos agnoscant, tunc pari-  
ter concedere conuincuntur, illos non pro-  
pter propria opera, sed ob CHRISTI sola  
merita saluos fuisse. Et præterea respondere  
tenentur, quo pacto reconciliationis gratiam  
obtinuerint, si non per sacramentum aut sa-  
cificii formā fides illis CHRISTI fuerit ap-  
plicata. Vide delirium illud ac vesaniam Py-  
thagoricorum quā seriò gerebant isti in pe-  
ctore, licet id cunctanter proferebant. Nam  
videbant aliās, neutiquam sustineri posse in-  
terpretamentum suum vsquequaq; vniuersa-  
liter, quod vnicuiq; penes propria opera sit  
reddendum. Sed enim, vt de paruulorum in-  
terim vetusto sacramento taceamus, in ex-  
emplis Hieremiæ & Baptiste Ioannis, qui, te-  
ste scriptura, ante rationis lumē in vtero sunt  
gratia infusi, & præ omnibus in sanctissima  
virgine, nunquid manifestissimum est, in gra-  
tiam & amicitiam Dei repositos fuisse paruu-  
los ante CHRISTVM natum, in qua, si de hac  
luce demigrassent, gloria potirentur, non se-  
cundum propria opera? Quin age hunc tan-  
dem locum absoluamus. Infantes iam modo,  
qui CHRISTO per baptismum regenerati vita  
defunguntur, nonne recipient in patria non  
secundū propria opera? necessè ergo est, sen-  
tentiam apostolicam non vsq; adeo vniuersi-  
sim audire, quin aliqua fiat exceptio. Cur igitur  
non itidem cōfiteamur, in fide olim ven-  
turi saluos fuisse q̄ plurimos? Hęc ego nō  
ob istos equidem auctores tantopere statu-  
sem vrgere, nisi & corruptela huius ætatis in-  
metum me adegisset, ne huiusmodi opinio-  
nes latius serperent. Igitur vt ad textus expo-  
sitionem redeamus, quod ait Apostolus, vni-  
cuiq; reddendum à Deo iuxta opera sua, de  
iudice Deo intelligito, dum iis, qui rationis iu-  
diciū ingressi, mortem obierint, præmia di-  
stribuet. Paruuli verò in omni æuo sine pro-  
priis operibus, partim ob meritum fidemq;  
CHRISTI aliquo sacramento applicitam, vel  
in lege naturæ aliquo sacrificio, recipiebantur  
in regnum: partim verò (vt qui tale sacri-  
ficiū vel sacramētū nō receperūt) ob pec-  
catum Adæ, inde exulabūt: absq; pœnarū ve-  
rò sensu: quod lib. 2. de nat. & gra. disputaba-  
mus. Vnde cōstat, nullā hic subesse acceptio-  
nem personarū. Quoniā acceptio personarū  
vitiū est, iustitiæ distributiæ contrariū: iusti-  
tiæ verò ratio nulla est, vbi nō est ratio debi-  
ti, ac proinde neq; ibidē subest personarū re-

Expositio  
mētis Pau-  
li.

Acceptio  
persona-  
rum.



spēctus. In prædestinatione autem longè minor ratio est debiti, sed est summa misericordia: & ideo neq; illic acceptio personarū locum habet, eo quòd Iacob dilexerit, Esau autem odio habuerit: neq; verò vllam eius causam perscrutatur Paulus, vt cap. 9. adnotabimus, sed admiratione pauēfactus in clamat, O altitudo diuitiarum, &c. Effectus autem, vel reprobationis, vel prædestinationis, neq; par uulis post delictum Adæ adueniunt sine meritis. Enimvero oēs in ipso deliquimus, omnesq; è diuerso meruimus in CHRISTO, quibus eius applicatur fides. Quocirca vti reprobi ob parētis noxam, sententiā exilii perferūt, ita & prædestinati ob merita CHRISTI, sempiternæ potiuntur hæreditatis. Attamen in adultis iudicādis, de quibus hic propriè agit Paulus, acceptio esset personarū, nisi secundū cuiusq; opera Deus illis rependeret. Quoniā etsi nostris officiis nulla per se inesse possit ratio debiti, diuina tamen præeunte & cooperante gratia, tanquā obsequiis filiorum Dei debentur æternæ vitæ præmia ex ipsius stipulatione, qua seruantibus mandata vitam illam repromisit: vt lib. tertio de nat. & grat. fusius à nobis discussum est. In angelis verò nulla apparuit acceptionis nota: porro quos Deus absque discrimine omnes ante propria ipsorum merita, sua dignatus est gratia, quemadmodum & nostros primos parentes.

Quicumq; enim sine lege peccauerūt, sine lege peribunt: & quicumq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

SECUNDA PARS CAPITULI. Textus hic ita causam cōtexit superioris sententiæ, vt initiū quoq; præbeat secundo principali membro huius capituli. Præfati enim sumus in eius exordio, idem velle commostrare Paulum in hoc capite de Iudæis, quod de Gentibus patefecerat. Nempe notitiam susceptionemq; legis nihil absq; operibus prodesse, neq; verò circumcissionem aut genus: & hoc vsq; ad verbum illud. 3. cap. Quia ex operibus legis, &c. Vbi incipit tractare quòd nequè opera satis sint ad iustificationē, nisi præeunte diuina gratia. Sed tamen oratio hæc præhabita de iudicio Dei, parēthesis fuit, quæ hucusq; protelauit primarium propositū, ad quod iam nunc in hac secunda parte regreditur: ita tamen, vt dictio minimè abrumptur, sed sit pendula ex præcedēti. Defendit nāq; vt non sit acceptio personarum apud Deum, respondens occulte obiectioni, tum Genti-

lium, tum maxime Iudæorum. Nam de retributione fortè bonorum non metuebat Paulus illos reclamatorios. Hoc enim erat fauorabile, vt qui bona egissent, bona iidem essent recepturi. Attamen contra retributionē malorū poterat vterq; populus aliquid causari. Ethnici quidem, quòd cum nulla à Deo fuissent lege instructi, nullum haberent transgressionis opus, de quo deberent plecti. Iudæi verò, quòd cum illi peculiariter scriptā legem, veluti familiares Dei recepissent, non deberet illos Deus, veluti gentes, proscribere, vllisue supplicis afficere. His ergo obuiās Paulus ait, absq; vllō personarum respectu, & illos qui sine lege peccauerūt (puta Gentes sine scripta) perituros, eos verò qui in lege peccassent (scilicet Iudæos) secundum legem fore iudicandos. Hæc autem verborum diuersitas in errorem quosdam coniecit, qui dicerent, eos, qui suscepta fide & lege deliquissent, iudicādos quidem fore & castigandos, non autem regno detrudendos in perpetua supplicia, cum de solis ex legibus pronunciet Paulus quòd sint perituri: de aliis verò, id duntaxat, quòd sint iudicandi. Est veruntamen hæc, hæresis apertissima. Nam quòd Iudæi, legis antiquæ professores, condemnandi sint, ac prorsus perituri, eo quòd fidem CHRISTI non susceperunt, admonet CHRISTVS, vbi ait, tolerabilius fore Sodomæ in die iudicii, quàm illis. Imò quòd Christiani quoq; professores Euangelii, perituri sint ob legis transgressionē, docemur tum crebrò in Euangelio, tum illo verbo CHRISTI, Seruus qui nouit voluntatem domini sui, & nō fecit, plagis vapulabit multis. Sensus ergo huius loci exprimitur ex doctrina Gregorii super illud Iob. 36. Iudicium pauperibus tribuit, vbi ait, quòd in futuro iudicio, impii, qui sine lege & fide Dei vixerunt, sine iudicio peribunt, id est, sine discussione operum: iuxta verbum Psalmistæ, Non resurgent impii in iudicio, & Ioan. 5. Qui non credit iam iudicatus est. Illi verò, qui fidem professi, legem fregerunt, iudicabuntur discussionis iudicio, vt secundum cuiusq; merita, vel pereant, vel absoluantur. Instar ciuilibus Reip. vbi hostes regni & exteri, qui nunquam fidem præstiterūt, in dicta causa exterminantur: ciues verò, non nisi examinati secundum leges, pœnas soluant. Quòd si hic quispiam opponat, Gentes quoq; non sine lege, sed in lege naturæ peccasse, respondetur, id Paulum hic non incicias ire. Nam cum peccatum esse nequeat,

Quorum dā error.

Mat. 10.

Luc. 12.

Greg.

Obiectio.

queat, nisi contra legem (quia vbi non est, inquit, lex, nec præuaricatio) nō peccassent, si nullam habuissent legem. De qua supra dixerat, Deus illis reuelauit: & paulò hic inferius, Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Sed tamen quia in illis duobus populis iudicii formam instituerat delineare, & Iudæi de lege maxime gloriabantur, nomine hic legis intelligit scriptam, sanè vt ostenderet, nihilo minus puniendos, qui in lege illa peccauerunt, quàm Ethnicos. *Questio.* At maior aliquanto est causa ambigendi hæc. Cum olim ante CHRISTVM passum exteræ nationes non tenerentur Mosaica lege, sed poterant lege naturæ saluari, non apparet discriminis ratio, cur illi tanquam hostes, in dicta causa, essent perituri, & non potius iudicandi, veluti Iudæi: vt pariter secundū merita, vel præmia reciperēt, vel supplicia. Hoc enim ætatis quādo vnica lex euangelica vniuerso orbi est necessaria, facile est intellectu, quemadmodum qui foris sunt, nō sint discussione iudicandi, sed abigendi tanquam publici hostes. Attamen in antiquitate non erat par ratio. Respondetur ergo, quòd quanuis Paulus ratione iam dicta discreuerit inter Iudæos factores scriptæ legis, & gentes, qui nullam diuinitus de scripto audierant, haud tamen adeo coarctare rem cogitauit, sed Iudæorum tantum supercilia subseruere: qui putabant propterea nullam malè actorum reddituros fore rationem, quòd legem Dei recepissent. Et ideo ait in vniuersum omnes esse iudicandos penes legis præceptiones. At nihilominus Ethnici, qui lumine naturalis iuris vivebant, pari ratione erant iudicandi, atq; adeo secundū opera cōdemnādi, vel remunerādi. Si qui verò Barbari (vt Orig. adnotauit) ea fuissent morum feritate, quibus oblitterata esset atq; abolita lex etiam naturæ, illi quidem erant sine lege perituri: sicuti iam modo quotquot euangelicam fidem nō susceperint.

Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Explicatissimam iam hic profert conclusionem, quam demonstrare statuerat, scilicet, quòd audiuisse legem nihil vnq; contulerit nisi ei prorsus, qui legi operam dederit. Id quod Iudæis propriè inculcat, quasi rationē subscribens eius quod dixerat, illos qui in lege peccassent nihilo plus, imò multo minus excusationis habere: & idcirco ad legis

normam fore exigēdos. Nam audire, inquit, legem non sufficit ad iustitiam, sed requiritur, legis opera moribus exhibere. Secundum illam CHRISTI doctrinam, Qui audit *Mat. 7.* verba mea hæc & non facit ea, similis est viro stulto: qui autem audit & facit, similis est sapienti. Et Iacobus, Estote factores verbi, *Iacob. 1.* & non auditores tantum: quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, &c. Quocirca nullum imminet periculum ab amphibologia, vt factores hic legis existimētur illi, qui leges condunt: quandoquidem vel oratio ipsa præcedens admo- neat, quòd audire legem, idem sit, quòd, recipere: facere verò, idem quòd, implere. Quam quidem phrasi vtitur & Iacobus, vbi modo citatus est, Estote factores verbi, & non auditores tantū. Vnde CHRISTVS redemptor noster inter conditorem factoremq; legis distinguit, dicens, Nonne Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem. Subest tamen scrupulus in hac Pauli sententiā, eo quòd non videatur sibi ipse constare: statim enim cap. 3. ac per totā fermè epistolam constituturus est, non ex operibus, sed gratis diuinitus obuenire nobis iustitiam: hic verò ait, factores legis iustificari. Quæ quidem contradictionis imago non parum negotii enarratoribus exhibuit. Atqui Ambrosius, *Ambro.* Hoc inquit dicit Paulus, quia non hi iusti sunt, qui audiunt legem, sed qui credunt in CHRISTVM, quem lex promisit: & hoc est, facere legem. At verò quanquam ita res habeat, vt nulla lex sine fide CHRISTI satis sit ad salutem, non tamen apparet, quòd facere legem, accipiatur pro eo quòd est, credere in CHRISTVM, sed pro eo quòd est, viuere ad præscriptum legis. Enimvero quòd gentes fuerat criminatus, scilicet reuelatione legis naturæ nihil eos fuisse adiutos, eo quòd turpissimis eam moribus contaminassent, id iam nunc exprobrat Iudæis. Necessè ergo est indagare, quo pacto legis opera iustificēt. *Aug.* Aug. lib. de spir. & lit. duobus aliis intellectibus hunc locum interpretatur. Prior est, vt iustificationē non intelligamus effectum esse impletionis legis, sed causam potius: vt sciamus, inquit, aliter eos non esse factores legis, nisi iustificētur: vt nō iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat. Hæc veruntamen nō tā apparet legitima expositio, quā est vera sententiā. Nam etsi opera non sint Deo accepta prius quā gratuita iustificatio antecesserit, tamen Paulus non videtur

hic nobis suggerere iustificationē illam, quæ causa est iustorū operum, sed aliā cuius opera sint causa. Est enim sensus, quòd, audire legē, non est sufficiens causa vel comparandę vel augendę iustitię, sed legem officiis designare: ergo operari est causa iustitię. Ob idq; alteram adhibet expositionem: nempe quòd dictum sit, Factores legis iustificabuntur, pro eo quòd est, iusti habebuntur, iustiq; reputabuntur. At verò caue ne eo sensu intelligas, habebuntur, & reputabuntur, quo hæc verba excipiunt Lutherani. Videlicet quòd iusti nō sint verē iusti, sed quòd tales deputantur: eo quòd Deus peccatum quòd habent, eis non imputat. Aiunt enim, quòd iustificari quempiam apud Deum, est iustum ab eo pronunciari: sicuti cap. 1. in tertio vsu huius verbi dicebam. Ita tamen quòd sicut nonnunq̄ iudex in foro secundum allegata et probata absoluit reum, qui re vera reus est, perinde vsu veniat apud Deum. Caue inquam ita sentias, quando quidē blasphemia sit dicere, quòd Deus, quē nihil latere potest, non imputat peccatum ei, qui re vera est in peccato. Quod lib. 1. & 2. de na. & gra. fecimus manifestum: haud enim iniquitas vlla est, quam Deus non odio habeat. Et ideo neminē Deus in iudicio iustificabit, hoc est, pronuntiabit iustum, nisi quē re vera iustū inuenerit per diuinā suā gratiā. Qui quidem iustus si vsus fuerit libero arbitrio, faciendo legis opera, iustificabitur, hoc est, accessionem indies incrementaq; faciet ad priorē iustitiam: vt in secunda iustificationis vsurpatione supra dicebamus. Hæc autē augmenta per gratiā Dei fiunt nobiscum cooperantem. Quemadmodum ait Iacobus, Videtis quoniā ex operibus iustificatur homo. Itaq; interpretatio Augustini est, quòd factores legis non per opera antecedentiā gratiam efficiuntur iusti, sed per opera subsequentiā habebuntur iusti, veluti augentes iustitiam per vsu gratiæ. Attamen quòd perspectior hic fiat locus, prænosse hic conuenit iustitię diuisionem, quam in calce subsequenti capitulo præ se fert Apostolus. Est enim iustitia, altera quidem operum, altera verò fidei. Iustitia operum est operis reconditio: sanē quòd fit propter honestum, quando, & vbi oportet. Idq; si naturaliter solo generali Dei auxilio fiat, non quidem est simpliciter virtus, sed tamen opus moraliter bonum: eo quòd ciuilem humanamq; induat honestatem. Dicitur autem iustitia operum, tum quòd est secundum naturam rationalis operis, tum quòd

sua natura tantum opus iustificet: vt officium fortitudinis aut temperantię: non autem gratam Deo exhibeat personam. Iustitia verò fidei (vt illam angelorum mittamus) est reconditio quæ est à fide, hoc est reconciliatio hominis cum Deo per fidem, ex qua deinceps promanantia opera, in Deum, vt in finem supernaturalem, relata, placita ei sunt, eademq; accepta ad vitam æternam. Vnde hæc est differentia formalis ex parte causæ inter iustitiam legis & iustitiam fidei, quam Apostolus infra cap. 10. discernit, quòd illa consistit in operando, hæc autem in credendo: quantum spectat ad primam receptionem iustitię. Dicere ergo congruenter possumus, quòd loquitur hic Paulus de iustitia operum, non quidem præcendendo fidem, sed in genere. Quod est dicere, Non exactē docet quid omnino sufficiat ad veram iustitiam supernaturalem: sed hoc tantum in genere præfatur, quòd audire, seu recipere legem, nulla est pars iustitię, nisi accesserint opera: quia lex est propter opera. Loquitur enim hic de adultorum iustitia, perseuerans in enarratione illius loci, Qui reddet unicuiq; secundum opera sua. Quocirca factores legis iustificari apud Deum, non excludit necessitatem fidei, sed hoc reponit dilucidandum infra cap. 3. & 4. vbi liquebit, quòd iustitia, si tantum sit ex operibus, habebit humanam laudem, id est, erit humana iustitia: attamen vt laudem habeat apud Deum, necessum est, ex fide diuināq; opere proficisci. Atqui optimus hic locus est, quòd manifestum sit, solam fidem non esse fatis ad salutem. Quippe cum audire legem, idem polleat, quòd, legem atq; adeo fidem suscipere, in quo ait Paulus, neminem iustificari antequam moribus legem obseruet. Quod vt luculentius pateat, recogitanda hic veritas illa est, cuius identidem meminimus, scilicet quòd non solum necessē iustificato sit, factorem esse legis, vt cumulum exaugeat iustitię, sed quòd neq; ad primam iustificationem, seu reconciliationē satis adulto sit fides, nisi assensum præbeat, atq; adeo faciēda curet, quæ fides præcipit ad culparum remissionem. Quæ sunt sperare, poenitere, &c. Hęc etenim opera, licet nō sint iustificationis merita, sunt tamē præparamēta necessaria. Quam nimirū ratione ad vtrunq; iustificationis genus protenditur veritas hæc in adulto, quòd non auditores tantū, sed factores legis iustificabuntur apud Deum.

Cum

*Differentia inter iustitiam legis & iustitiam fidei.*

*Contra Lutheranos.*

*Non sola fides iustificat.*

*Contra Iudeos.*

Cum enim gētes quę legē nō habēt, naturaliter ea quæ legis sunt faciūt: cuius modi legē nō habētes, ipsi sibi sunt lex.

Textus hic bifariam assui potest. Primum illi membro, Quicūq; sine lege peccauerūt, &c. Cum enim iste, qui proximē expositus est, rationē tradiderit, cur qui in lege peccauerint, per eandem sint iudicandi (vt expositum à nobis est) hic præsens exponit illud, quòd latebat in priori membro: videlicet quòd quē admodum qui sine lege peccauerint (scilicet scripta) sine lege peribunt, ita qui sine audita eadē lege, legis mandata faciunt, iustā quoq; reportabunt mercedem: nempe si faciūt mandata quo ad substantiā operum, reportabunt humanam laudem, si verò per Dei auxilium, quo ad intentionē præcipientis, reportabunt mercedē à Deo, vt infra exponetur. Vel forte congruentius atexitur proximē præcedenti. Est enim non solum expositio, sed exaggeratio illius. Perinde ac si dixisset, Adeo audientia legis scriptæ, nisi operam illi impenderis, nō sufficit ad iustitiam, vt neq; audire eandem legē sit requisitum, sed qui sine lege veteri, natura duce, naturalia præcepta custodiunt, iusti reputentur vel apud Deū eius opere, vel citra illam, apud homines, vt patebit super verbo naturaliter. Quibus etiam verbis succidit Iudæorū cristas, erroremq; illis eximit, in quo forsitan sub tempus aduentus Christi versabantur, sanē quòd extra illam, quam à Deo, scripto susceperant legem, non patebat hominibus salus. Vnde cū in ethnicos super præta acri fuisset accusatione inuectus, nunc vicissim eorundem honorem reuertit, quippe qui legē quam solo naturali dictamine sculptam gerebant in mente, nihilo segnus seruatuerint, q̄ Iudæi illam, quam receperāt expressam in tabulis. Ait ergo, quòd cū gentes quę legem nō habent, per sensorium auditum scilicet à Deo (qua de causa à Iudæis exleges censēbatur) naturaliter quæ legis sunt faciūt, non illa intelligas legis opera, seu iudicialia, seu ceremonialia, quæ super naturam Deus illi populo peculiariter reuelauerat, iuxta dictum Psal. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: ad quorum perinde obseruantiam soli Iudæi astricti erāt, secundum illud Deut. 33. Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Iacob, sed præcepta intellige decalogi ac moralia reliqua, quibus vniuersum humanum genus natura ipsa, tum instituit, tum etiā obligauit.

Qui, inquit, hæc naturaliter faciunt, ipsi sibi sunt lex, id est, in se ipsis eiusmodi gerunt impressam legem. Quam legem iam pridem dixerat à Deo illis quoq; reuelatā per ea quæ facta sunt, ne Iudæi superbirent, quòd præter suam, nulla esset alia lex diuinitus reuelata. Tamen si hæc quoq; moralia expressius Iudæis per legem scriptam illustrauerit, q̄ gentibus per lumen naturæ. At verò assertio hæc Pauli scrupulum inde offert, quòd fauoris esse videtur Pelagianorum, docentiū, posse impleri ab homine naturaliter mandata legis. Hunc scrupulū possumus nobis abstergere, dicentes, id solum hic adstruere Paulū, quòd possit naturaliter homo legē implere, quantum ad substantiam operum, quæ sint moraliter bona, nō tamen quantum ad intentionē præcipientis, vt sint coram Deo prætorialia: Iud enim vires naturæ non exuperat, prout lib. 1. de nat. & gra. disputauimus. Vbi etiā denarrauimus, quemadmodū primi parētes, natura integra, hoc est, parte sensitua per iustitiam originalem rationi subdita, poterant naturaliter implere præcepta oīa quo ad substantiam operis: nos verò in natura lapsa nō omnia, sed tamē aliqua. Licet tamē illi, q̄ nos nequimus absq; gratia vllū meritorie implere. Et idcirco non ait hic gentes naturaliter omnia, sed aliqua quę legis sunt facere. Hanc equidem expositionem adeo arbitror nō reprobendam, vt sanē intellectam, necessariā existimem. Quam & Aug. quoq; agnouit in de spir. & lit. cap. 28. vbi ait, quòd neq; in malis adeo est detrita imago Dei, quin in sua pietate aliqua legis opera faciant. Attamen (quò illam examinemus) videtur nō esse ex mēte Pauli, qui cum superiori textu præfatus fuerit de factoribus legis, qui iusti sunt apud Deum, præ se fert hic etiam de impletione legis orationem perpetuare, quæ fit secundum intentionem præcipientis: nam alia non est iustitia apud Deum. Quamobrem idem ipse Aug. lib. eodē in priori expositione de opere Deo grato sentit hæc literam, vbi ait Paulus. Gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt. Sed exponit naturaliter non vt contraponitur auxilio gratiæ, sed vt naturæ significat inclinationem, per gratiam sanatā. Ex qua etiam naturali inclinatione operamur opera gratiæ. Et hæc prima est hic S. Thomæ expositio. Veruntamen ista ratione non adeo fit perspicuū discrimen inter Gentes & Iudæos. Nam hoc significatu Iudæi etiam naturaliter benefaciebant eadē mandata legis, quini-

F 3 mo

*Questio.*

*Lib. 1. de na. & gra. cap. 20.*

*Aug.*

*Aug.*

*Authentici.*

*Lib. 1. de na. & gra. cap. 11. & lib. 2. cap. 39.*

*Iustitia operum & iustitia fidei.*

mo & Christiani modo in gratia existentes naturaliter seruant legem. Paulus verò hic peculiariter discernit inter Gentes ac Iudæos. Imò tantum comparat cognitionē ad cognitionem: lumē inquam naturę legis, quod supra dixerat Deū illis reuelasse, ad notitiā scriptę. Ob idq; altera expositio est S. Tho. (quo spectat & Chryl.) vt naturaliter, referatur tantum ad cognitionem. Nempe quòd idem præstitisset olim gentibus lumen naturę, quod Iudęis lex, scilicet ad diiudicandum inter rectum & prauum, licet in lege scripta explicatiora essent præcepta, q̄ in lege naturę. Vnde colligit S. Thomas, quòd cognitio naturalis sufficiens erat Gentibus, ad ostendendum quid agendū: iuxta illud Psal. Quis ostendit nobis bona. Signatum est lumen vultus tui super nos. Et ad ostendendum Deum quatenus est, & remunerator est: quam quidē cognitionem naturalem satis fuisse videtur sentire ad salutem cum speciali auxilio Dei mouentis affectum. Et hanc ego expositionem probabiliorē existimabam lib. 2. de na. & gra. Sed tamen quia, vt cap. 1. dicebam, nō adeo iam tutum censeo adseuerare, naturalem cognitionem, sufficientem vllō fuisse seculo ad salutem, priorem expositionē præferrem: in hoc tamen sensu, quòd naturaliter quę legis sunt facere potuerant, id est, præcepta facere quo ad substantiam operum, Et ideo non dixit, naturaliter legem complent, sed quę legis sunt faciunt: quę si fecissent, vel si faciebant, Deus tunc succurrebat illis per auxilium speciale, illustrando eorum mētes altiori lumine, quo possent in Dei amicitiam recipi.

Qui ostendūt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundū Euangelium meum: per Iesum Christum. Exponit quod dixerat, Ipsi sibi sunt lex, id est, vice legis. Quoniā ostendunt opus legis, puta morale præceptum, scriptum, id est, scriptum. Habet enim gręcę vim potius nois, q̄ participii. Veluti iurisperiti dignoscunt inter ius scriptum & ius non scriptum. Continet namq; ius scriptum firmiorē stabilitatem, maiusq; autoritatis pōdus, q̄ quod solo vsu tenetur [in cordibus suis] Modo loquendi scripturę. Vt Prou. 3. Describe eam in tabulis cor-

dis tui. Aug. de spi. & lit. quæstionē ex his verbis mouet huiusmodi. Cum inter nouum veterusq; testamentum ita Paulus discriminet, vt vetus in tabulis, nouum verò in cordibus inscripserit: de quo vaticinatus fuerat Hiere. Dabo legē meā in visceribus eorū, & in corde eorum superscribā eam. Et Apost. 2. Cor. 3. Epistola estis CHRISTI ministrata à nobis, scripta, nō atramento, sed spiritu Dei viui, nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, et nūc simili figura de Gentium lege loquatur, nullum reliquū fit interuallum inter Gentes olim & nos modo euangelicos. Hoc ergo argumento concludit, Apostolum hoc intelligere de Gentibus ad nostrā cōuersis fidem. At verò vt nihil Augustinianę auctoritati depereat, vero similis est, fortē (vt ipse quoq; paulò inferius, et lib. 2. de ser. do. docet) versari semper Apostolum in statu Gentium ante susceptā legē, de quibus dixerat, Qui sine lege peccauerunt, & naturaliter quę legis sunt faciunt: nempe qui habebāt legē naturę cōplantatā in cordibus suis, id est, (interprete Orig.) in rationali parte anime. Quòd autē lex euangelica in visceribus spiritu Dei viui scripta sit, aliorum spectat: puta ad charitatē, quā CHRISTVS infudit in nos abundē. Veruntamen non ait, In mente, sed in corde. Est quippe hoc membrū, in cuius cellulis spiritus vitales, motoresq; ingenerantur: atq; hac ratione transfertur nomē cordis in sacris, ad significandum voluntatē, quę omnium est potentiarum motrix: quare & tota mente & toto corde iubemur Deū diligere. Vnde quia notitia naturalis iuris non est merè speculatiua, sed practica, quę cōiunctā habet animi propensionē in opus, idcirco ait, in cordibus suis. Qua quidē figura ait Psal. Inclina cor meū Deus in testimonia tua. Et ita forsan accipitur cor, vbi ait CHRISTVS, De corde exeūt cogitationes. Nā quales sunt voluntatis affectus, tales constant cogitatus. Quemadmodū verò ostendant gentes scriptā in cordibus legem, explicat [Testimoniū reddēte illis conscientia ipsorū.] Conscientia est applicatio scientiæ ad opus particulare, qua iudicatur, rectum ne sit, an prauum. Et quia iudiciū sumitur collatione facta ad legē, quę est actionū norma, (secundū illud cap. sequentis, Per legē cognitio peccati) fit, vt testimoniū conscientiæ sit manifestum iudicium legis, quę scripta est in mente. Est ergo sensus, quòd cū Gentes in lumine naturali conscientia habeāt, vnum esse colendū summū rerum opificē, eaq; à nobis præ-

Aug.

Hier. 31.

In corde.

Psal. 118.

Conscientia.

Immerito  
laceratur  
interpret.

standa aliis officia, quę nobis metipsis optamus, per id ostendunt scriptitiam gestare legem in cordibus? [Et inter se inuicē cogitationū accusantium, aut etiā defendētū] Bone Deus q̄ isti gręcissimi dilacerāt hoc loco auctoritatē veteris interpretis, quamq; aiunt oscitāter, quini mo ignoranter peruertisse hunc locum. Sunt enim gręcę ambę dictiones / conscientia, et cogitationum, in genitiuo, quarū vtraq; importare videtur vim ablatiui. Cū ergo transtulit, conscientia, in ablatiuo, eodē casu debuisset, inquit, traducere / cogitationibus. Et quidē confitendum est, quòd luculētior fuisset versio, testimonium reddente cōscientia ipsorū, & inter se inuicē cogitationibus accusantium, & c. vt / cogitationibus / esset appositio & quasi diffinitio conscientiæ. Et ita plurimi legunt authores latini. Imò verò sunt qui genitiuum / cogitationum / vsurpēt phrasi gręca loco ablatiui: id quod nō apparet qua ratione fecisset interpret. Ob idq; dixerim potius, optimē sustineri genitiuum, qui regatur à noie / conscientia / iterum post coniunctionē subintellecto. In hoc videlicet sensu, Testimonium reddente conscientia ipsorū, & conscientia cogitationū accusantium, & c. Hic tamē sensus potest esse duplex, alter vt / cogitationū / sit obiectū cōscientiæ, quia esse homo potest cōscius cogitationū suarū, sicuti externorū operum, atq; hoc pacto tuentur cōplures veterē interpretē. Ego verò facilius possem credere, vt / cogitationū / sit expressio materię, ex qua cōstat conscientia, vt quod dictum fuerat, conscientia ipsorū, exprimat oratio subsequēs, conscientia cogitationū, hoc est, quę constat ex cogitationibus, accusantium aut etiā defendentibus. Nā illa est conscientia, dum ancipiti aīo vtrinq; ratio cogitationes adfert, iustum ne sit opus, an verò iniustum: honestū, an turpe: vnde quandoq; rectam fert, quandoq; corruptam sententiā, siue accusando se, siue defendendo. Multi enim suę iniquitati ignorantia prætexentes conuincuntur in die iudicii à cogitatione, quę accusabat, tale opus esse peccatum. Multi contra excusabuntur inuincibili ignorantia, quibus cogitatio, bona fide, persuasabat licitum esse, quod faciebant [In die quæ iudicabit Deus occulta cordiū] Nō intelligas accusandos nos, aut defendendos, in die iudicii cogitationibus, quę tunc erūt. Etenim quando oīm corda erunt patētissima, vel ad gloriam & laudem honorum, vel ad dedecus, & cruciatus malorum, nulla futura est vacillans conscientia. Sed cogitationes ipsę, quę

nos modo, vel cōsolantur, vel identidē compungunt, superstitēs quidē tunc, vel secundū approbationē, vel secundum reatum, testimonium manifestum perhibebunt, quo vel iusti absoluantur, vel qui rei fuerint, condemnentur. Et est pulcherrima allusio ad illud, quod supra dixerat, Qui sine lege peccauerūt, sine lege peribunt. Etenim sicut factores legis iudicabuntur per legē, quę ostendebat eis, quid sequi, quidq; deberent effugere, ita et gentes: quinimo oēs peccantes in ius naturę, iudicabuntur per suas cogitationes, id ipsum proclamantes. Redarguet enim tunc vnumquęq; Deus (vt nobis per Psal. comminatur) et ante suā ipsiusmet faciem statuet, vt iuxta verbū Esa. agnitio vultus eorum respōdeat eis, vnde vel cōfusione quisq; obruatur, vel perfundatur sempiterna gloria. Ecce quemadmodum conscientia & in hoc seculo fiducia parit, et in futuro gloriā, dicente Ioan. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiducia habemus ad Deū. Et Pau. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostrę [secundū Euangelium meū] Aliter supra vocauerat Euangelium Dei, aliter hic, suum. Est enim Dei auctoritas & reuelatoris: sed ait suum / tanq; ministri / id est, secundum quod euangelizare / docereq; soleo vos. Neq; veritus est dicere, Euangelium quod prædicabat esse suum, quanuis. 1. Corint. 1. baptismum, quo baptizabat renuat suum appellare. Quoniam cum baptismus & gratiam conferat, & professio sit fidei, non potest propriè nuncupari / nisi CHRISTI, per cuius vnā gratiam & fidem iustificamur. Euangelium verò non aliter sanctificationem operatur, quam mouendo audientium animos, quod ministris suo quoq; modo conuenit [Per Iesum Christum] Non ad Euangelium, sed ad verbum iudicabit / appositum est. Nam pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Sanè cui, tanquam redemptori, vniuersale competit iudicium.

Si autē tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatē eius, & probas vttiliora instructus per legē. Hic tandē peculiaritè in Iudęis cōmonstrat, quod superiori cap. præmonstrauerat in gētibus. Videlicet notitiā legis absq; operibus euandā esse. Et quāuis nō tā scdę infandęq; vitiositatis hos, q̄ illos insimulet, tamē ex alia parte excusationē prægrauat: nimirum quòd cum tot fauoribus

Psal. 49.

Esa. 3.

1. Ioan. 3.

2. Cor. 1.

Euangelium  
Pauli.Iudæorum  
crimina.



fuisse præ gentibus à Deo cumulati, usque adeo ut se orbis doctores profiterentur, eadem ipsi delicta patraissent, quorum reprehenses venditabant sese. Vbi & ad illa prima verba huius capituli respicit. Inexcusabilis es omnis qui iudicas. Et præterea amplificat quod dixerat, non auditores, sed factores æstimari apud Deum, utpote quod non solum facientes naturaliter legem sine auditu, iusti olim habebantur, verum quod auditores contra absque opere, peiores sint existimandi. Igitur cum in tertia persona locutus fuisset cum gentibus, apostrophe iam vitur in secunda ad Iudæos, quæ vehementiorem habet insultandi acrimoniam. Quidam græcorum codicum habent *id est*, quod est, Ecce, quidam verò *id est*, si tu autem Iudæus, & c. ut traductio habet nostra. In hac autem suggillatione Iudæorum magnificum ingenium Pauli refulget, ubi mirifica eloquentia eorum fastum retundit. Honestat quippe eos prius quinque prærogatiuis, quibus præcellere se reliquis mortalibus arbitrabantur, mox quinque actiones subiungit, quas in alios usurpabant, ut inde tertio deiicere eos possit maiori cum rubore & contumelia. Exorditur ergo à generis ac nominis claritudine [*Si autem tu Iudæus cognominaris*] Triplex erat Iudæis honorificentia nomen, ut scitè hic notavit Ambrosius à tribus patriarchis deductum. Gloriabantur enim filios se fuisse Abraham ob fidei meritum, ut patet Ioan. 8. Nuncupabantur & honoris gratia Israelitæ à Iacob, qui propter auctam in ipso eandem fidem, appellatus est Israel. Vnde inter alia eorum honestameta ait Paulus, Israelitæ sunt: & ego. Tertio dicti sunt Iudæi, non à Iuda Machabæo, sed à Iuda patriarcha, tunc propter historiam, quod facta diuisione tribuum, in tribu Iuda & Benjamin, cuius caput erat Iudas, perpetuo durauit lex & cultus Dei: tum maxime propter significationem Christi, inde descendens. In cuius figuram benedixit ei pater suus dicens, Iuda te laudabunt fratres tui, & c. Et in Psal. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Gentibus autem, Græcis maxime & Romanis hoc potissimum nomine celebrabatur populus ille. At non, inquit, Iudæus es, sed Iudæus cognominaris. Vbi etiam vellicat eorum arrogantiam, non concedens illis rem, sed tantum nomen Iudæorum, ut de quibus concludere meditabatur, quod non est æstimandus verè Iudæus, qui in manifesto circumcissionem gestat in carne, sed is qui in spiritu circumcissus est corde. At medi-

tatò hic præterea opus est, quod verbum Iudæus. Nō auditores legis, & c. quod hic exponitur, inductum supra fuit ad confirmationem alterius, scilicet, quod Deus non sit personarum acceptor: & ideo acutissimè hic perseuerat propalare personarum qualitates, quæ nihil habentur apud Deum. Non enim propterea quod Iudæus quispiam sit, aut cuiusuis illustri profapiæ, meliori loco est apud ipsum. [*Et requiescis in lege*] Existimanda est artificiosissima gradatio. A genere ascendit ad legem. Requiescis, inquit, in lege. Orig. interpretando addit, Omnem tibi requiem in legis littera collocas. Quasi dicat, De hoc tibi placeas, in hoc quiescis, quod legem receperis, per quam citra negotium philosophiæ, quæ agi debeant certò cognoueris. Et ideo nihil mente vacillas, sed firmum habens intellectum, requiescis, id est, nihil tibi amplius ad salutem deesse arbitraris/præter legem [*Et gloriaris in Deo*] A lege assurgit ad Deum, id est, hoc tibi ad gloriam satis habes, quod sis peculiaris populus Dei. Nempe de quibus scriptum erat, Te elegit dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Ob quorum salutem fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Non tamen eos commendat à vera gloria, de qua ait alibi, Qui gloriatur, in domino gloriatur: sed subnotat potius de vana, videlicet, quod inde insolesceret, quod essent à Deo gentibus prælati. Quinimo præposterè, ut ait Aug. de spi. & lit. de Deo gloriabantur, non eo modo quo postulat gratia, quæ non operum meritis, sed gratuito donatur: at ita gloriabantur in Deo, velut qui soli meruissent legem eius accipere, quam sua iustitia arbitrabantur implere. [*Et nosti uoluntatem eius*] Quartus ascensionis gradus est, nosse uoluntatem Dei: quod munus est legis. Nā manifestauit (ut est in psal.) uerbum suum Iacob, iustitias et iudicia sua Israel. Nec fecit taliter omni nationi [*Et probas utiliora*] Explicatio est agnitæ uoluntatis Dei, quia scilicet nosti per legem, non solum bonum & malum, sed bonum & melius. Spectas fortasse ad illud Esa. 48. Ego dominus doces te utilia. Vel forsitan est auxesis. Nosti, non solum præcepta moralia, uti gentes per lumen naturæ, uerum et ipsa eadem multo perspectius quantum ad Dei amorem pertinent et proximi, quod erat maximum mandatū in lege, & in super alia eximia (ut legit Chrysostomus) Et alludit fortè ad ceremonialia & legalia, per quæ (si fiebant ex gratia) cumulatior fiebat iustitia. Vel suggerit

Orig.

Dent. 7.

1. Corin. 2.

Aug.

Psal. 147.

consilia, quæ adhibita erant præceptis. Et ideo addit, Instructus per legem. Neque uero ait, factis uoluntatem Dei, aut utiliora: sed, nosti, & probas, ut in omnibus his quinque descriptionibus intelligas qualitates personarum, quas Deus non respicit, quia in his non consistit iustitia: imò cum eiusmodi priuilegia, beneficia potius essent diuina, quam ipsorum merita, inde eos magis pudefacit, redarguitque uigentius ingratitude.

Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumē eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium habentem formam scientiæ & ueritatis in lege. Subscribit quinque continuo munera superioribus priuilegiis respondentia, quæ pertinent ad ignorantium eruditionem, quæ itidem præstare se gloriabantur exteris nationibus. Et alludit hic Paulus, tum ad profelytos, quos ad se uenientes catechizabant, eruditosque recipiebant in contubernium legis, tum ad iurgia Romanorum. Quoniam conuersi ex Iudaismo usurpabant sibi magistrum in alios. Hæc pariter quinque gradatim effert per omnes ignorantia disciplinamque numeros. Prima enim incitiæ causa est, cum quis caret potentia: seu visu, dico, mentis, seu lumine. Qui orbi enim sunt oculis non possunt doceri uiam, sed tantum duci. Et ideo ait, [*Confidis te ipsum esse ducem cæcorum.*] Non inquit, es, (nam hoc, officium esset) Sed confidis, ut iactantiam eorum exulceret. Atque hoc respondet primæ dignitati, qua dixerat, Iudæus: quasi inde posset tanquam uidentem (quoniam notus in Iudæa Deus) cæcos gentiles ducere. Qui autem visu pollent, luminis præterea egent. Ob idque subdit, [*Lumen eorum, qui in tenebris sunt.*] Qui gradus respondet superiori, Quiescis in lege, sanè quæ lumē est. Vnde lex domini (inquit Psal.) immaculata, conuertens animas: præceptum domini, lucidum, illuminans oculos. Illi autem qui uisum habent & intellectus lumen, eruditione nihilominus indigent, vel consummationis sapientiæ, uel primorum rudimentorum: propter priores ait, [*Eruditorem insipientium.*] Et refertur ad tertium suprapositum gradum, gloriaris in Deo. Nā nulla est alia sapientia, quam nosse Deum. Propter posteriores uero subdit, [*Magistrum infantium.*] Qui est effectus notitiæ uoluntatis Dei, quarto loco supra nominatæ. Secundum hanc etenim subiicienda sunt prima religionis rudimenta. Concludit denique, Habentem

Psal. 118.

formam scientiæ & ueritatis in lege. Formam scilicet, non rem. Sicuti concluderat in superiori ordine. Probas utiliora instructus per legem. Veluti ait Chrysostomus. Formam, id est, imaginem & exemplar ueritatis, quam opere non imitaris: cum gentes sine tam expresso exemplari ductum naturæ sequuntur.

Chrysost.

Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuersionem legis, Deum inhonoras? Nomen enim Dei per uos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est. Chrysostomus interroganter legit, Et habet uim quandam, maioremque uehementiam obiurgandi. Sed potest & remissius legi assertiuè. Estque superiorum conclusio, quinque pariter membrorum. Primum namque concludit in genere [*Qui ergo alium doces te ipsum non doces?*] Quo opprobrio illos respersit comparatione ad laudem supra memoratam gentium, qui legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Quasi dicat, illi absque lege instituunt sese, uos autem per eam, qua alios profitemini instituere, nequaquam erudimini. Exauget enim iugiter eorum crimen, sanè quod non solum auditores legis non facerent, quæ gentes sine auditione faciebant, sed quod cum legis se quoque doctores uenditarent, non agerent, quæ docebant. Mox in specie id subdit explicatius per duo crimina in proximos, perque duo sacrilegia in Deum. [*Qui prædicas non furandum, furaris?*] Hoc furatum Origene & Ambrosius mysticè interpretantur, sicuti & mœchiam. Nempe quod aduentum CHRISTI manifestum furabantur, id est cælabant, & relicta lege euangelica, adulterium faciebant cum synagoga. Sensus autem literalis non est, nisi quod Iudæi per legem oculatius nouerant, atque ideo prædicabant grauitatem furti, & grauitatem adulterii, ac pari ratione totius decalogi, quam gentes, & tamen nihilo sanctius eadem obseruabant. Vnde idem pollet quod addit. [*Qui prædicas non mœchandum, mœcharis?*] Extabant enim ambo præcepta hæc in decalogo tanquam lethalia crimina, cum explicatissima prohibitionem, non modo operis, sed cordis. Non concupisces domum proximi tui. Non desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non alinum, Et pro uino boue quinque re-

Origene.

Exod. 20.

petebantur, pro vna ouicula, oues quatuor. Sed & de adulterio, cuius moxcho, neq; non & adulteræ decretum erat capitale supplicium, Gentibus autem neq; erat tam lucida notitia, neq; tã districta animaduersio. Ob idq; maiori erant Iudæi vituperio digni. *[Qui abominaris idola, sacrilegium facis!]* Subdit primum impietatis crimen in Deum, atq; adeo imprimis depudendum idololatriæ. Quæ præcunctis aliis erat in lege abominabilis. Nihil enim ita erat frequenter, verbisq; tam vrgentibus cautum, q̄, Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigatis, neq; insignè lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Ego enim sum dominus Deus vester. Et Deut. 7. Præcipiebantur aras idolorum subuertere, confringere statuas, lucosq; succidere, & sculptilia comburere. Et tãdem, Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema. Quali spurcitiã detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est. Adeo erat execrabilis idololatria, vt nec tangere illis liceret idolothyta. Et hoc est quod ait, Abominaris, scilicet per professionem legis. Et tamen sæpissimè, atq; adeo fœdissimè illa polluti fuerunt impietissima abominatione: vt ab initio statim receptæ legis constat, quando aurum conflarunt in execrandū vitulum, & historiis, tum Salomonis, tum sacris aliis compluribus scriptum est. At idololatriam vocat hic sacrilegium, quod est sacrorum violatio ac contaminatio *[Qui in lege gloriaris, per prauaricationem legis Deum in honoras?]* Cum lex diuinitus posita, regula sit diuinæ voluntatis, neq; nisi diuino munere obseruetur, obseruantia eius & obedientia natura sua cedit in gloriam Dei. Iuxta illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est. Vice versa nulla re magis periclitatur diuinus honor apud exterarum nationes, q̄ cum populus, qui imaginem gerit peculiaris familiæ Dei, cuiusq; curam ipse propriè fert, legem cõtemnit, quam profitetur. Nanq; ob corruptos mores protinus blasphematur doctrina fidei, vt author est Apostolus. 1. Tim. 6. deinde nomen ipsum Dei, vt propheta deplorant, quibus locis hic citatur ab Apostolo, vbi ait, sicut scriptum est, Esai. 52. Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomē meum blasphematur. Et Ezech. 36. Polluerūt nomen sanctum meum, cū diceretur de eis, Populus domini iste est,

& de terra eius egressi sunt. Et, Peperci nomen sancto meo, non propter vos, sed propter nomen sanctum meū, quod polluitis in Gentibus, ad quas intrastis. Potest præterea hoc etiã in sensu literali referri ad tēporis articulum aduentus CHRIS TI. Nam cum in hoc potissimum lex illa data fuisset, vt populus de eodem aduentu Messia instrueretur, (de quo ipsi gloriabantur) inde præsertim fiebat gentibus mysteriū illud creditu difficile, quod populus tot annorū centuriis illam edoctus legem, suū aduenientē Messia non agnosceret. Et ideo non solum per se ipsi blasphemabāt CHRIS TVM, cui improperabāt, quod in Beelzebub principe dæmoniorum eiceret dæmonia, verū ob ipsorummet incredulitatem blasphemabatur ab Ethnicis, negatibus eius deitatis. Et cū ait, inhonoras, antithesi & contrapositione vtitur. Ac si dixisset, cū te tam eximii honoris iam recēsis titulis Deus honestauerit, tu cõtra, eū turpiter dehonestas. Sed vtinam ad nostra hæc turbulenta, luctuosaq; tempora non tam appositè accõmadari posset hic idē locus. Nam si tunc idcirco despiciabilis ac deridicula erat Gentibus lex Iudæorum, quod qui professores prædicabant sese venturi Dei, eisdem vitiis contaminatos cernebant quibus & nationes alias: nos modo Christiani, qui Deum pro nobis è caelo delapsū, & in carne pertulisse mortem crucis, profiteremur, quam putas inquinatissimis nostris moribus ansam offerimus infidelibus exprobandi, & subsannadi, ceu commentitiam, legem nostram, blasphemandiq; subinde nomen Dei nostri? Quin verò hanc hæresum quam patimur truculentam pestem inde compertissimum est fuisse subortã, indeq; nutritam, quod qui ex nobis prodierunt, videntes iuxta verbū Esaiæ, Dominatores nostros iniquè agere, legesq; pessundare, leges ipsas cõperere nihili pèdere, Ecclesiæ auctoritatem denegare, prælatos conculcare, ac deniq; sugillare doctrinam fidei.

Circūcisio quidē prodest, si legē obserues, si autē prauaricator legis sis, circūcisio tua præputiū facta est. Quod de lege hætenus constituit, id de circūcisione in hac tertia parte huius capitis prosequitur. Nèpè quod quæadmodū, recepisse legē, nullius erat laudis apud Deum, ita neq; circūcisam gestare carnē, nisi legē seruassent: atq; adeo incircūcisos Ethnicos nō minoris esse existimatiōis, si eadē præcepta naturæ cõpleuissent.

Tempora  
nostra.

Esai. 52.

TERTIA  
PARS CAP  
PITVLL

78

vt aqua constaret ratio totius humani generis. Ambro. quem nonnulli sectantur, nomine circūcisionis non intelligit, nisi genus illud, populumq; Abrahæ, per quem fuit recepta circūcisio, veluti nomine præputii designatur gentilitas. Et secundum hanc glossam nihil sibi vellet noui Paulus hoc loco, sed in eadem re perseueraret: confirmās, nihil profuisse legis receptionem, quia neq; proderat esse illius familiæ, nisi legem custodientibus. *Circūcisio.* Origen. autem intelligit hic spirituales Christianorum circūcisionem. Haud tamen dubium est (vt reliquis existimat doctorū cõtus) quin de ipso sacramento circūcisionis ineatur hic sermo, quem cap. 4. late prosequitur. Nã de vtraq; gloriabatur, scilicet de lege & circūcisione. Quapropter ne reclamaret, nihili Apostolum circūcisionē æstimare, præuenit eorum querimoniam; dicens, circūcisionem prodesse, nimirum ad delendam originalem culpam. De cuius quidem vsu atq; effectu nō nihil paulò ante prælibauimus, sed plenè cap. 4. dicendi sumus. Quod verò ad rē modo spectat, est, circūcisionem illis penitus profuisse, qui legem obseruassent. Erat enim protestatio quædam legis, sicuti nunc baptisimus, vbi populus ille nomina dabat, addicebatq; sese legi, iuxta verbū Pauli, Testificor omni circūcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Et idcirco paruuli circūcisi qui in prima infantia morentur, absq; alio legis officio per illam professionē fidei seruabantur, tamen qui vsq; ad discretionem boni & praui vixissent, si legem præuaricabantur, à gratia decidebant circūcisionis. Et hoc est quod subdit, Si autem prauaricator legis sis, circūcisio tua præputium facta est, id est, perinde habes, ac si non fuisses circūcisus, sed mansisses præputiatus. Vnde Hierem. Omnes gentes præputium habent, domus autem Israel incircūcisi sunt corde. Quinimò non modo circūcisio iam inde frustranea erat, verum & peior ex eo fiebat Iudæi conditio, quod fidem promissi abnegasset. Nam displicet Deo (vt est in Ecclē) Infidelis & stulta promissio. Intelligitur autem circūcisio profuisse ante euulgatum Euangelium. Nam de hoc nostro tempore ait eodem loco ad Galat 5. Si circūcidimini, CHRIS TVS vobis nihil proderit. Et perspice quàm oratio hæc superiori coaptetur. Circūcidi enim nihil aliud erat, quàm audire, quod est, recipere legem. Vnde sicut non auditores, sed factores legis iusti reputantur apud Deū,

Circūcisio.

Origen.

Gal. 5.

Hierem. 4.

Ecclē. 5.

ita neq; circūcisi, nisi legem rebus gestis designent.

Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circūcisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est præputium, legē consummans, te qui per literam & circūcisionē præuaricator legis es? Quæ admodum supra ad demonstrandum, quod non auditores, sed factores legis iustificantur, induxit Ethnicos factores legis, quã non audierant, ita & nunc eosdem adducit incircūcisos, implentes nihilominus legem. Si igitur præputium, id est, præputiata gentilitas, iustitias legis, id est, moralia præcepta custodiat, nōne præputium illius in circūcisionē reputabitur? id est, perinde erit eis apud Deum, ac si fuissent circūcisi? Huius autem ratio est, quod ad circūcisionem non tenebatur, nisi Iudæi. Secus enim loqueretur de lege euangelica, extra quam non sufficit impleri totum ius naturæ. Et iudicabit, id est, accusabit seu condemnabit, id quod ex natura est præputium, id est, gentilitas: legem consummans, hoc est, implens legem naturæ. Te, qui per literam, puta per approbationem scriptæ legis, & circūcisionem, præuaricator es legis? Non quod circūcisio causa esset præuaricandi, sed quod existens circūcisus præuaricaris legem. Quapropter non ait, præputiū iudicabit circūcisionem, sed, te. Id quod ex natura est præputium, periphraasis est, & illustratio præputii gentilium, quod non erat eis voluntaria culpa (eo quod non tenerentur illud rescindere) sed res naturalis. Ad differentiam præputii, quod si aliquis Iudæus haberet, esset illi voluntarium crimen. Et ideo licet legem impleat, nihil ei prodesset. Iudicabit autem perinde est, atq; illud Euangelii, Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Et Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.

Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neq; quæ in manifesto in carne, est circūcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circūcisio, cordis in spiritu, non litera. Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Subscribit tandem assignatq; rationem factæ æquiparationis inter Iudæos & Græcos, Nempè quod apud Deum diuersa sit ratio tam Iudæi q̄ Græci, ab illa

Mat. 12.

illa

illa quæ est apud homines. Etenim apud ipsum, non qui in manifesto (scilicet habet characterem Iudæi) Iudæus est. Sunt enim orationes istæ mutilæ, sed nihilo habentes minus venustatis in sua eclipse. Neque quæ in manifesto in carne (videlicet facta est) illa est vera circūcisio: sed qui in abscondito, puta in animo Iudæus sit, ille verè Iudæus est, & circūcisio cordis in spiritu, illa est vera: non litera, hoc est, non autem illa, quæ tantum est secundum literam. Vnde Phil. 3. Nos sumus circūcisio qui in spiritu Deo seruimus. Iudæus in abscondito, hoc est in animo, nõ dicitur propterea, quòd ad iustificationem necessarium esset Gentibus votum circūcisionis, sicuti nunc est baptismi, sed propterea quòd cum foris in carne non haberent signaculum Iudaismi, seruari nihilominus morales præceptiones legis. Pari modo intelligitur circūcisio cordis. Habet enim pudèda illa particula, quæ abscissione pelliculæ detegitur, nonnullam imaginem cordis. Et ideo per similitudinem illius dixit Moses, Circūcidite duritiam cordis vestri. Et Hierem. Circūcidimini in domino & auferte præputia cordium vestrorum, id est, euellite idololatriam, quæ præputium est gentium, ex pectore vestro. Atque ad eundem modum vocat in præsentia circūcisionem cordis in spiritu, puritatem mentis. Iubebantur namque (vt est in Genesi) circūcidere carnem præputii in signum fœderis: quo abrupto, circūcisio reddebatur infrugifera [Cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.] Bellissima est conclusio: relatiuum enim / cuius / Iudæum refert, & est sensus, quòd ratio hæc Iudæi, circūcisionisque veritas, nõ est æstimaanda ex probatione & commendatione humana, quæ reconditas rerum causas non penetrat, sed ex Deo, cordium inspectore. Cuius enim ope verus Iudæus, fit quicumque talis est, eius solius iudicio perpenditur.

### CAP. TERTIVM.

**Q**uid ergo amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circūcisionis? Multum per omnem modum, primū quidem: quia credita sunt illis eloquia Dei. Primarium propositum Pauli in his quatuor capitulis (vt in primo dicebamus) est necessitatem asserere gratiæ CHRISTI, vt pote sine qua nullius opera legis, efficacia esse possunt salutis. Ad cuius demonstratio-

nem hanc hætenus constituit parem rationem inter Iudæos & Græcos, quòd habere cognitionem legis, siue naturalis, siue scriptæ, nullius pretii est apud Deum, sed qui faciunt opera legis, grati sunt Deo, iustique habentur: neque verò Iudæis circūcisionem absque legis custodia frugis extitisse. In hoc autem capite duo sunt præcipua membra. In primo namque demonstrat, quòd neque genus neque aliud personale priuilegium eosdem Iudæos iustificabat, neque in his præstantiores erant Græci: sed vniuersos ait mortales æqua sorte complicatos fuisse delictis: ob idque omnes egere diuina ope & fauore. In secundo autem membro, cuius initium est, Quia ex operibus legis, exorditur differere hominis reconciliationem, nõ ex operibus, sed ex fide & gratia Dei fieri: quæ ideo fides & gratia necessariae prius sunt, quæ legis opera iusta habeantur apud Deum. Discutit ergo in hoc priori membro interrogationes, seu quæstiones duas. Enimvero cum eousque visus fuerit deiecisisse Iudæos, vt nullum eis præ Gentibus reliquerit priuilegium, concludens, nullam esse apud Deum discrepantiam, sed solum illum qui in abscondito est Iudæus, & illam, quæ cordis est spiritualis circūcisio, ab eo reputari, illico emergit inde quæstio prior de Iudæis [Quid ergo amplius Iudæo est?] Hoc generosum nomen, præter legem & circūcisionem, erat, quòd maximum ducebant gloriosum. Aliqui transferunt, Quid igitur habet, in quo præcellit Iudæus, sed profecto ineptè: quia hic non est de excellentia meritorum sermo, (quinimò subdit paulò post, nihilo Iudæos præcellere gentibus) sed de iis priuilegiis, quibus propriè Deus Iudæos, tanquam suum peculium, honestauerat. [Aut quæ utilitas circūcisionis?] Quasi dicat, Nunquid audisse auribus legem & carnali insigniri circūcisionis caractere, quo internotus erat populus ille in toto orbe, selectusque in singularem cultum Dei, nihil erat? Respondet, multum, & id quidem per omnem modum. Quidam textus Græci habent, multa, scilicet utilitas: sed parum refert. Est enim prudentia Pauli inter Iudæos ac Græcos sic arbitrari, vt runque populum eatenus laudare, quatenus nequeat extollentiæ ansam arripere, ac neutrum eousque deprimere, vt ius alterius violet, [Primum quidem, & c.] Incipit enarrare priuilegia. Quorum primum est, quòd credita sunt illis eloquia Dei. Quamquam Origen. primum non refert ad ordinem priuilegiorum, sed ad verbum credita, videlicet,

*Par ratio Iudæi & Græci.*

*Distributio.*

*Interrogatio prima.*

*Iudæus.*

*Variatio traductio.*

*Priuilegia Iudæorum.*

*Origen.*

et, quòd quauis post fuerint etiam Gentibus eloquia credita, prius tamen fuerunt recepta Iudæis. At quia non dicit, Quòd primū credita sunt: sed, primū quòd credita sunt / primū / videtur referri ad ordinem prærogatiuarum. Et ait / primū / quia per totam ferè epistolam denarrat eorum priuilegia: ob idque dixit, multum per omnem modum. Sed conspice, vt nõ enarret aliquod rectè factum Iudæorum, sed solum Dei beneficia. Quorum hoc planè maximum fuit, quòd inter omnes mortales disquisiisset Deus Abraham, quin potius dignum fecisset, cui in aurem loqueretur, cuique arcana cõcederet vturi Messia: atque adeo accepta dataque fide, & Deus mittendum filium promitteret, & Abraham vicissim obedientiam. Ac deinde per Mosem legem verbo tradidisset. Vnde Dauid, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et Moses, Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante ex die, qua creauit dominus hominem super faciem terræ, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem domini loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti, & c. Non enim tanti celsitudo mysterii euulganda extemplo erat per totum orbem, ne margarita conculcaretur inter porcos, sed selectæ familiæ erat cõmittenda, quoad usque mundus adoleceret in virum idoneum, cui promissus mitteretur. Quare non modo sanctis patribus (vt bene agnouit Chrys.) sed toti Iudæorum genti credita sunt oracula. Quorum illos idcirco illico reprehendit, qui non crediderunt.

*Deut. 4.*

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Occurrit hac interrogatione illis Paulus, qui possent in hac vita aduersus ipsum insurgere. Quauis populo illi concrediderit Deus oracula sua, suumque fuerit pollicitus filium, illi tamen vice versa non credentes Deo, irritam fecerunt fidem eius, causaque extiterunt, ne obligatam illis fidem serualet. Aduertit inquam Apostolus eos, quos sic prospiciebat argumentaturos: respondens, quòd incredulitas eorum non euacuauit fidem Dei. Et est verborum resonantia, dum dixerat, Cre-

dita sunt eis eloquia Dei: & subdit / quidam illorum non crediderunt. Hic locus est, quæ, ni fallor, illustrissimum existimo, ad explicandum, tum Iudæorum errorem, tum præcipuè veritatem, quam Paulo in hac epistola propositum est adstruere, vt in prologo adnotauimus. Dubitare hic nãque quis potest, quibus hic velit Paulus respondere, vtum Gentibus, volentibus hac argumentatione labefactare dignitatem Iudæorum, eò quòd non crediderunt: an verò Iudæis, plus nimio illa superbientibus dignitate, quòd credita sunt eis eloquia Dei. Et fortasse, in omnia perspicuus & intentus, vtisque respondet, nihilominus potissimum Iudæis. Coniecturam enim hoc loco nobis facit Paulus, ita desipuisse Iudæos, vt crederent, promissum sibi fuisse saluatore, quasi stipulatione quadam, nempe si ipsi vicissim credentes Deo fidem seruassent & legem. Et idcirco postea, tanquam illis debitum, aiebant aduenisse. Quò accedit, vt illic dicebam, quòd Iudæi arbitrabantur, operibus legis promereri diuinam gratiam: de quo errore redarguit eos Paulus in hac epistola: cum ergo notissimum esset, CHRISTVM aduenisse tanquam authorem gratiæ & salutis, consequens fit, vt vnã cogitarent, se promeruisse eidem operibus aduentum eius. Paulus verò contra inaudit docere, quòd promissio venturi Dei non fuit facta sub conditione aliqua, dependente ex hominum fide, vel voluntate, vel operibus. Ob idque sicut CHRISTVS gratis sponsum fuit, ita non venit ob aliquod debitum, sed vt Deus suam liberaret fidem, promissionem implens. Et ideo ait, quòd licet quidam eorum non crediderunt, incredulitas illorum non euacuauit, id est, imminuit, vel infirmauit fidem Dei. Quocirca (quãtum mea fert existimatio) nõ dixit peculiariter, Quidam eorum, vt innueret, quòd quorundam perfidia non debuit officere aliorum fidei, ob quorum meritum & dignitatem venit. Non enim ait, nisi quòd incredulitas hominum non euacuauit fidem Dei, suggerens quòd quauis (vt Chrysost. sentire videtur) nemo credidisset, nec legi nauasset operam, nihilofecius venisset ad persoluendam promissionis fidem. Sed ait, Quidam eorum, quoniam multi ex patribus crediderunt. Hoc verum tamen fatendum est, quòd aduentus non fuit efficax nisi credulis: sanè quibus solis CHRISTI redemptio, & passionis eius participatur effectus. Quocirca nõ accipitur hic / fides / pro fide humana, qua credimus Deo, sed pro fidelitate, puta pro firmitate

*Iudæorum error.*

*Coniectura de promissio Messia.*

*Quidam eorum.*

*Fides.*

*Significatio pelliculæ circūcisio.*

*Deut. 10.*



mitate, stabilitate & constantia veritatis Dei. De qua alibi Paulus, Fidelis est qui repromissit [Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax] Abscissum hoc est ex Psal. 115. Vbi habetur, Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Verax hic non solum significat, vel actum, vel consuetudinem dicendi veritatē, sed negationem potentia mentiendi, sicut, mendax, potentiam dicit ac morem metiendi. Ac si dixisset, Mendacium hominis nihil vel detraxit vel detriuit diuinæ fidei. Quoniam nullus est homo, qui non metiatur: Deus autem mentiri nescit. *Causa falsitatis.* Causa enim falsitatis in dictis cuiuspiam altera duarum est, nēpē quod habet, vel mentem falsam, vel prauam voluntatem. Primum homini inde accidit, quod veritatem a rebus sumit, vt, quia res ita sunt, taliter iudicat: in quo proinde sapē decipitur, Deus autem non accipit veritatem ex rebus, sed causa ipse potius est rerum. Etenim quales res fore iudicat, tales efficit. Et ideo nequit inde falli. Voluntate autē ex eo potest homo habere prauā, vt studio mentiat, quod cū nō sit ipsamet bonitas, nec veritatis regula, potest ab illa discordare, Deus autem, cuius voluntas & veritatis regula idē sunt, non potest distortam habere a veritate voluntatem, vt aliud nobis enunciet, quam mente habeat. Et hic est sensus Pauli, Deus fidelis est, negare seipsum non potest. Nempe quod cum per se ille sit ipsissima veritas, si veritatē declinaret, seipsum negaret. Quod si contra obiicias illud Ionæ. 3. Adhuc quadraginta dies et Ninive subuertetur. Et. 4. Reg. 20. ad regem Ezechiam, Morieris tu & non viues. Quæ prophetiæ non sunt completæ. Respondetur, duo esse genera prophetiæ: Alterū comminationis, quod nō prædicatur, quasi sit omnino futurum, sed secundum præsentia hominum merita, si non mutentur. Iuxta illud Hierem. 18. Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum: vt eradicem & destruam, & disperdam, & dissipem illud: Si poenitentiam egerit gens illa, &c. Agam & ego poenitentiam super malo, &c. Alterum genus est prophetiæ prædestinationis, quæ ceu simpliciter implenda, profertur, Illud Ionæ est prioris generis: promissio verò Christianæ salutis posterioris, quæ nihil a nobis dependet. Promissio inquam venturi CHRISTI, quoniam applicatio passionis eius singularitatem ad membrorum salutem, & a sacramento pendet quidē in paruulis: & in adultis a peculiari cuiusq; fide & assensione. Quo-

niam nemo, nisi qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Sed neq; hoc modo cuiuspiam incredulitas fidem Dei euacuat. Etenim cum nō fuerit pollicitus saluare, nisi credentem, non frangit fidem, dum incredulum non seruat. De Iudæorum autem incredulitate latissimè patēt scripturæ testimonia. Neq; enim olim vel Deo vel prophetis, neq; demū CHRISTO præstiterunt fidem. Et vtramq; hic vellicat eorum incredulitatem. Ait enim Dauid, Non crediderunt verbo eius. Et CHRISTVS ipse, Si veritatē dico vobis, quare vos non creditis mihi? Et causa quare non crediderunt CHRISTO, fuit, quia non crediderunt Moysi, quantum ad verum futurorum intellectū. Vnde si credidissetis, inquit, Moysi, utiq; & mihi credidissetis. [Sicut scriptum est, ut iustificeris, &c.] Congeminat & alterum testimonium ex Psal. 50. eidem sententiæ accomodatissimum. Vbi enim Dauid tanta animi angustia & mœrore veniam deprecatur flagitii scelerisq; sui, nulla propria merita ante oculos Dei ponit, sed ipsius fidem, pollicitis veniam confessis crimina. Et ideo ait, Tibi soli peccaui (quoniam peccatum nō esset, nisi quia cōtra legem tuam) miserere mei, vt iustificeris: hoc est iustus habeatis atq; censuris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, id est, cum te homines iudicauerint, hoc est, tecum exposulauerint in extremo iudicio, an promissa constanter persolueris & ipsis quoq; perfidis, qui fidem tibi promissam defregimus. Et alludit ad promissionem sibi a Deo factam de semine suo, sub his verbis, Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum, &c. Misericordiam autem meā non auferam ab eo. 2. Reg. 7. Et de particularibus repromissionibus Leuit. 26. Orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei. Et Deut. 30. Si ductus poenitudine cordis reuersus fueris ad Deum reducet te ac miserabitur tibi. Et Ezech. 18. Si impius egerit poenitentiam, &c. Quapropter vbi Deus per prophetam Esa. 43. Criminationem præuaricantis populi proposuit, mox subdit, Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. Quib; verbis dies iudicii extremi designatur, vbi nō solum Iudæorum, verum nemo omnium existet, qui si dem non fregerit Deo, ipse verò solus iustificabitur, qui promissorum fidem, nec minima ex parte cassauerit. Nulla ergo Iudæis reliqua sit occasio, vnde possint gloriā sibi arrogare

Iudæorum incredulitas.

Psal. 105.

Ioan. 8.

Psal. 50.

2. Reg. 7.

Fundamentū Pauli.

Mat. 15.

Euacuauit.

Blasphemia.

Blasphemia Pauli.

gare, quandoquidē non propter eorū merita Deus stetit promissioni suæ: sed propter suā ipsius fidem. Et est considerandum, hanc sibi Paulum præstruxisse veritatem, vt viam sterneret ad principalem cōclusionem, quod non ex operibus legis, sed ex fide CHRISTI iustificamur. Quod si Gētilis ex hinc colligeret, nullam ergo fuisse Iudæorum prærogatiuam, quod facta illis fuerit promissio, & illis quoq; respondet Paulus, quod licet non fuerit eorum meritum, fuit tamen diuinum beneficium, quod præ cæteris Gētilibus illis propriè pollicitus est Deus, quē erat vniuersalē redemptorem missurus: iuxta suū ipsius verbū, Non sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel. Quidam non in præterito, euacuauit, sed in futuro, euacuabit, legunt. Sed nihil ad sententiam refert. Sicuti nihil interest, seu dicas, sit autem Deus verax, seu, est, seu, fiat optatiuè, vt ait Orige. Est enim græcè γινέσθω, in imperatiuo, & fortè interpres vertit/ esto/ & vitio librorum deperit litera, o. Si autem iniquitas nostra iustitiā Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? Secundum hominē dico. Absit, alioquin quomodo Deus iudicabit hunc mundum? Intentio hic Pauli perspicua est, omnibusq; expositoribus cōpertissima, litera tamen, nō ita lucida: quoniā variis modis, licet eodem tendentibus, induci potest. Cum enim inde fidem, iustitiāq; Dei meritissimè extulisset, quod etiā infidis fidelis est, & iniquis iustus, quidam nequam homines, ac veritatis irrisores ex inde colligebāt, per iniustitiam nostrā atq; perfidiam directè commendari, hoc est illustrari & magnificari iustitiam & veritatē Dei. Quare duas subinde ratiocinationes extruebant. Priorem sic, Si iniquitas nostra iustitiam Dei cōmendat, fit, vt ex nostra peccantium iniquitate accrescat illi gloria & honor: atq; adeo non sit digna, quæ dicatur iniquitas. Quinimō Deus dū nobis peccantibus irascitur, iniquus est potius: iniquus quippe haberetur rex, qui illos supplicio afficeret, qui suā ipsius gloriā magnificarent. Hæc blasphemā delusionem recutit hoc loco Paulus, atq; posteriorem in subsequēti textu. Quod verò ad phrasin & literæ inductionem attinet, anceps oratio est. Haud enim satis constat, an Paulus intēdat negare antecedens hypotheticæ consequentiæ: scilicet, iniquitas nostra iustitiā Dei cōmendat, an verò, illo cōcesso, ne-

gare cōsequentiā: ergo iniquus est Deus. Alii qui (vt S. Tho.) meditantur, occasionē arguendi falsos illos hoīes sumpsisse ex illa proxima coniūctione/ vt iustificeris/ sinistrè intellecta in sensu causali, quasi Dauid eo proposito peccasset, vt Deus iustificaretur eiusq; commendaretur iustitia: & ideo neq; illum, neq; alios peccatores esse dignos ira Dei. Ob idq; Paulus velit ostendere, quod illa coniūctio non est causalis, sed consecutiua. Itaq; licet ex peccatis cōsequitur gloria Dei remittentis, non tamen fuit illa voluntate, Secundum quam expositionē alicui videretur Apostolus negare antecedens præfacta rationis, scilicet quod iniquitas nostra commendat iustitiā Dei, quia nemo illo sine delinquit. At verò fortasse (licet perparū distet) alia potest esse verborū explicatio, vt non intēdat negare antecedens, sed consequentiā. Nā primum coniūctio illa/ vt iustificeris/ apud Psal. forsan refertur non ad verbū proximū/ tibi soli peccaui, sed ad primū, Miserere mei vt sit sensus, Miserere, vt iustificeris. Et quantum referretur ad/ tibi soli peccaui/ nemo esset adeo hebes, qui suspicaretur significare, causam esse, & intentionē peccantis, vt Deus constitueretur iustus, cū sit sole clarius, nō designare nisi consecutionē & euentū, scilicet, ex eo quod peccata sunt materia diuinæ misericordiæ: quæ promissa est peccatoribus, cōmendari iustitiā & fidē diuinarū promissionū. Quare Paulus fortè non tractat, an coniūctio sit causalis, nec ne: sed esto nō sit nisi cō-

Vt iustificeris.

Vera explicatio.

magnif.

magnificante exaltantēq; eius iustitiam? [Secundum hominem dico.] Impietatem utiq; & absurditatem verbi supposita correptione mitigat. Ac si dixisset, Ut ita secundum argu-  
tiam illorum hominum loquar. Vel, si sic more humano, de Deo, salua eius reuerentia, lo-  
qui fas est. Quauis Orige. reperisse quosdā autumet, qui legebant, aduersus hominem, vt esset vna oratio, Qui infert iram aduersus hominem. Sed lectio hæc non recipitur. [Absit.] Scilicet, vt consequentiam vllō pacto done-  
mus. Est enim negatio exhorrentis affirmati-  
onem. Et causam subiungens ait [Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?] Quod est, Si iniquitas esset, punire errata nostra, nō illi legitime competeret iudicium orbis: vt potē qui quod bonum est, tanquā malum puniret, & prauis contra præmia decerneret. Si enim iniquitas nostra, bona esset, contra-  
ria virtus, esset praua. Subintelligenda ergo est reuersio illationis hoc pacto, Deo autem iure suo competit sedere mundi iudicem, nō ergo est iniquus. Quod si tibi Paulus non appareat dubitationem totam exhaurire, quippe qui non aperit vitium consequentiæ, sed tantum negat consequens, puta Deum esse iniquum, respondetur, id tanquā apertissimum præmittere. Iniquitas enim nostra non directē suapte natura, tāquā bonum opus, impulsu Dei factum, commendat eius iustitiam, uti est illud Euangelii, Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum: vel perinde atq; fabrica mundi manifestat eius potentiam & sapientiam: vel tanquā bona causa quæ illi profit, ceu prudentia consiliarii iustitiam clarificat principis: sed tanquā malum, cuius remissio & iustificatio eximiā eius declarat misericordiā. Et ideo nō fit cōsequens, vt iniquus sit Deus, dum infert iram iniquis. Imō verò vtrāq; ratione iustissimus est, & dum induratam iniquitatē vlciscitur, & dum pœnitentia emollitam remittit. Quo fit, vt peccata sub diuersa figura materia sint & iustitiæ & misericordiæ Dei, in qua vtrāq; eius virtus præfulget ad ipsius gloriam.

Peccata,  
materia  
iustitiæ, &  
misericordiæ.

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquā peccator iudicor, & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. Quasi repetitio est superioris rationis, tamen si paulo diuersa. Duas enim vir-

tutes Dei supra manifestauerat ex vitio nostro prælucere, scilicet fidem, quam incredulitas nostra non euacuauit, eò quod Deus verax sit, omnis autem homo mendax, & iustitiam, ex iniquitate nostra excellentius effulgentem. Ex hoc secundo membro peruersiores illi, ac deformatores veritatis commentantur superiorem rationē, & ex priori, hanc secundā. Qua ratione duo absurda colligebant, hoc pacto, Si ex mendacio nostro, id est, si dei violatione veritas Dei extollitur, eiusq; gloria sit splendidiior, primū sequitur, quod homo, q; Deo fidē abnegat, nō est iudicandus peccator. Quinimō ampli⁹ præterea subsequitur, quod deberemus facere mala, vt inde euenirent bona, puta remissiones & condonationes peccatorū plurimæ, quæ in gloriam Dei cederent. Efformat autem rationem per apostrophen in propria persona, humilitatis gratia, suam cōfessus pristinam incredulitatem. De qua alibi, Erasmus & aliquando nos insipientes & increduli. Et ad Timoth. Quoniā prius fui blasphemus & persecutor & contumeliosus. Ait ergo, Si veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius (quod antecedens tanquā confessum legēdum est) quid adhuc & ego tanquā peccator iudicor? Quasi dicat, Nulla apparet ratio. Et non [Sicut blasphemamur, &c.] Nulla est eclipsis (vt quidā putant) vt aliquo opus sit supplemento verbi, sed hoc pacto constat plena oratio. Quid adhuc & ego tanquā peccator iudicor? Et cur non faciamus mala, vt veniant bona? & in parenthesi (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) hostes enim Euangelii (quorum forsā meminit Petrus, vbi ait, indoctos & instabiles deprauare epistolas Pauli) cum audirent prædicantes apostolos, per fidem, hoc est, non ex meritis præcedentium operum salutem esse mortalibus propositam, diuinamq; misericordiam inde extolentes, quod peccatorum multitudinem & grauitatem iniquis condonaret: atq; adeo quò essent cumulatio, eò patētior esset gratia Dei: ac deniq; legem subintrasse, vt abundaret delictum, ac subinde gratia (vt cap. 5. videbimus) talem prædicationem ludibrio ac deridiculo vertebant, interpretantes, nihil aliud esse, quā persuasionem, vt homines effusissimè patrarent mala, ex quibus beneficium remissionis reportarent. Quæ quidem non solum erat maledicentia in homines, sed blasphemia in Deum. Ob idq; non solum ait, maledicimur (quod notauit Orige.) seu male

Duo absurda.

Non sunt  
facienda  
mala.

Concil.  
Tole.

Consulere  
minus ma-  
lum.

le audimus, sed blasphemamur. Haud tibi tamen videatur Apostolus argumentum infortunum reliquisse. Nam vel verbum superius, /absit/ huc etiam referēdum est ad negādam hanc secundam rationem, vel eam refutat, subdens. [Quorum damnatio iusta est.] Relatiuum enim non intelligatur referre eos, qui faciunt mala, vt veniant bona (quanquā & illi damnabiles quoque sint) sed blasphemos illos impostores perinde de Deo paralogizantes, ac si quis de viro iusto argueret, Patientia viri iusti inde refulget, quod iniurias perfert condonatq; ergo irrogandæ sunt illi iniuriæ, quæ quidem argutia, sordidissima est. Hic non est locus tractandi paradoxum hoc, Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, sed hoc duntaxat adnotandum, quod intelligitur de malis culpæ. Est enim peccatum, idem, quod res illicita: quare nullo pacto prætextuue honestatis admitendum est. Manifestaria siquidem contradictio est, vt peccatū, hoc est, res illicita, quo pacto liceat. Atqui eadem ratione nec licet facere malum minus ad euitandum maius. Neq; verò obstat verbum concilii Tolentani dist. 13. vbi habetur, quod duo mala, licet omnino cautissimè sint præcauenda, tamen si periculi necessitas vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligari. Id enim præcisè illic admonemur, vt patet in subiuncto exemplo, quod in male promissis, etiam iure iurando firmatis, rescindamus fidem: vt qui iurauit hominem occidere, potius frangat iuramentum, quā occidat: quoniam frangere non est tunc peccatum, sed fecisse iuramentum. Consulere autem minus malum, quando alia via nullatenus possumus amicum arcere ab eo crimine, quod est perniciosius, crediderim esse licitum. Quemadmodum enim meretrices ad vitanda adulteria permittuntur, ita qui amicum nulla alia ratione abducere ab adulterio valeret, non esset absurdus, si consuleret, vt fornicatione simplicitius libidinem expleret. Quia consilium, nō ad malum, sed ad bonū potius refertur: puta ad cauendum quod peius est. Quare consulens non elegit minus malum, sed alter qui facit. Id quod colligitur ex D. Gregorio eadem dist. cap. Nerui.

Quid ergo: præcellimus eos? Nequaquā. Causati enim sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse, sicut scriptum

est, Quia non est iustus quispiam, non est intelligens aut requirens Deū, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguineta, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non agnouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Mirifica est oculatissimi Pauli eloquētia, ex solutione vnus quæstionis, alteram mouentis. Enim verò cum in calce superioris capituli Iudæis Græcos exæquasset, illico interrogauit, num abundantius quicquam Iudæis esset præ Gentibus? id autem vbi affirmasset, ex exemplo sciscitatur, an propterea Iudæi quoquo pacto illis præstent? Et respondet negāter. Quorum concordia responsionum hæc est in glossa ordinaria, quod supra loquebatur de Iudæis sub lege Moysi à Gentibus, quando circuncisione & lege præferēbatur Gentilibus. Nunc verò loquitur de Iudæis conuersis ad fidem, vbi vnum est baptisma omnibus cōmune. At profectò Paulus perseuerāter huc vsq; loquitur de Iudæis & Gentibus ante aduentum CHRISTI, quos omnes pariter concludit sub peccato, vt doceat vniuersos indigere gratia Dei. Igitur superius loquebatur de beneficiis diuinis, quibus Iudæi fuerunt propriè donati: hic autem de propriis operum meritis. Et ideo diuersis est vsus verbis. Supra enim non dixit, Iudæum præcellere, sed aliquid amplius habuisse, id est, recepisse: hic autem adimit eis excellentiam: sanè quæ ad virtutem propriam & merita refertur. Ob idq; in priori mēbro, vbi aliquid laudis videbatur tribuere Iudæis, in tertia persona id protulit: vbi verò hic eorum crimina refricat, humilitatis causa in prima persona ait, Quid ergo? præcellimus nos Iudæi eos? scilicet, Paganos. Nequaquam, Causati enim sumus, &c. id est, iam enim supra allatis causis commōstrauimus, Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Vbi loqui censeatur de solis peccatis actualibus. Nam de originali nihil hætenus meminit, sed de Gentibus id profus ostendit, quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt:

Concordia  
responsio-  
num.

de Iudæis quod cum prædicarent non furandum, furarentur, &c. Atque adeo neque illos sua philosophia, neque hos legis cognitione quicquam promouisse [Sicut scriptum est] Apostolis non erat necessarium scripturis suam prædicationem contestari, sicut neque Deo, cuius erant organa. Utuntur autem, perinde atque CHRISTVS ipse dominus noster eiusmodi testimoniis, ad elucidandum consonantiam vtriusque legis. Apud illum potissimum incredulum populū, qui nihil præter suam legem recipiebat. At qui Origen. prudenter hic admonuit, quod in nonnullis exemplaribus Latinoꝝ in 13. psal. consequenter ex integro posita inueniuntur hæc omnia testimonia: in Græcis autem penè omnibus non amplius in 13. psal. scriptum est, quæ vsque ad illum versiculū, Non est qui faciat bonum. Quocirca non abs re nonnulli coniecturam faciunt, alique quem forsitan scriptorem inseruisse tres reliquos: quintum scilicet, qui incipit / Sepulchrum patens / & sextum & septimum. In de nimirum deceptum, quod credidit Paulum hæc omnia elogia ex eodem consequenter psalmo citasse. Cum tamen qui animaduertit psalmum, 52. qui idem est prorsus, qui 13. eiusdem tribus versiculis carere, vehementer suspicabitur, adiectionis esse ex Paulo in psal. 13. Vtque tamē hæc res habeat, Paulus non dixit, sicut scriptū est in psalmo, sed sicut scriptū est: tum in psalmis, tum in Esaia, vel alibi. [Nō est iustus quisquam] Hoc nō est expressum in psalmo, nisi eliciatur ex eo quod subditur, Non est qui faciat bonū. Cum autē illud in propria forma seorsum citet, forsitan est vero similis, quod hoc primum sit de promptum ex illo Ecclēs. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Vel ex Michæa, cuius in cap. 7. verba sunt, Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Et arbitror, loqui de iniustitia actuali, tum propter rationem à nobis paulo superius adductam, tum quia in subsequentibus de actualibus delictis loquitur. Quanquam & de originali, quod omnes comprehendit mortales, omniumque causa fuit actualium, non malè intelligi possit. Neque intelligit iniustitiam, vt opponitur speciali virtuti, sed vitiositatem in genere. Exorditur enim à genere, vnde ad particularia crimina speciatim descendat. Atqui si iniustitia hic ad originalem vsque protenderetur,

Orige. de  
hac Pauli  
citatione.

Ecclēs. 7.

manifestum est, quod omnes nascimur filii iræ. Si verò de sola actuali sit sermo, intelligendum est de adultis, eo modo, quo ait Ioannes, Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Tamen nonnulli nihil aliud cogitent, Paulum enunciasse, quam quod nullus sit per se iustus, sed per gratiam Dei: secundum illud Exod. 34. Nullus apud te dominator domine per se innocens est: sed tamen auferens iniquitatem atque peccata. Et (Origene interprete) id tantum vult, quod hominum, si comparentur Deo, nemo est iustus. Attamen primus sensus est genuinus Pauli volentis, constituere omnes sub peccato. Et ideo in specie subiūgit quinque omissionum genera, quatuor autem commissionum in verbo, atque in opere totidem. Enimverò quoniam primus qui ad iustitiam supponitur lapis, est cognitio Dei, cui officia sunt cuncta referenda, neque verò cognitio quæcumque, sed practica, quæ in opus dirigit, ait. [Non est intelligens, non est requirens Deum.] Et est zeugma, vbi idem accusatiuus amobus subiicitur participiis, Tertio subinde ponit [Omnes declinauerunt] id est, absque discrimine Iudæi & Græci defecerunt à veritatis tramite & scopo, quem non intellexerunt: puta animo quisque suo obsequentes, ac detortos iniquitatis anfractus pererrantes. [Simul inutiles facti sunt] Voculam simul, siue antecedenti orationi, siue huic coniungas, perparū differt, si aduerbium modo est. Nam forsitan officium habet coniunctionis ad superiora. Inutiles autem censentur, qui finem non assequuntur suum. Vnde cum rationalis homo ad imaginem Dei expressus, atque eius capax, à ratione deuius sit, ipsiusque caret amore, ne quicquam & in vanum accipit animam suam. [Non est qui faciat bonum] Eodem modo intelligitur, quo / Non est iustus quisquam. Atqui hæc omissiones quinque in psalmo habentur. 13. perinde atque in 52. in quo tamen non legitur, non est vsque ad vnum: & ideo non desunt qui arbitrentur redundare in psalm. 13. Tamen non solum Latini, verum & Origenes & alii Græci ita legant. Et potest sensum exhibere, vel exclusorium, qui est, non est qui faciat bonum præter vnū CHRISTVM, vel inclusiuum / Non est qui faciat bonum, scilicet, perfectè ita vt nunquam deficiat, neque vnus quidem ex puris hominibus. Nulla est hic altercatio, si ex priuilegio fuerit incolumis sanctissima virgo. [Sepul-

Tredem  
Genera pu  
catorum.

Inutiles.

Beatissimi  
virgo.

Sepulchrū.

Matt. 23.

Apoca. 9.

Hier. 9.

Prouer. 14.

[Sepulchrum patens est guttur eorum.] Transiitum facit ad peccata, quæ committuntur verbo: eademque gradatione quadam graphice depingit. Imprimis enim obreptatoris os, atque maledici, hianti sepulchro adsimilat. Sepulchrum enim occlusum homines significat, qui lethalia crimina specie bonæ vitæ extrinsecus contegunt. De quibus CHRISTVS dominus noster, Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, &c. Patens verò sepulchrum est, homo, quem nullus, vel metus, vel pudor cohibet, sed in publicum scelerum factorem expirat. Vel lætatus cum malè fecerit, vel pestifer, vt mala persuadeat, vel certè maledicus, vt alienum honorem famamque deterat. Quin multo est sepulchro pestilentior obreptator homo, & conuitiator. Sepulchrum etenim neminem occidit, sed excipiens mortuorum cadaueribus patet: maledici autem fatiscens guttur adeo est deuorandæ alienæ famæ cupiens, vt viuentes absorbeat. De cuius ore, vt est in Apocalypsi, procedit ignis & fumus & sulphur. Nam & famam exurit, & obnubilat gloriam, & putorem emittit, sapientium naribus intolerabilem. Ex hac maledicendi appetentia protinus exiit dolus in lingua, iuxta verbum Hieremæ, Sagitta vulnerans lingua eorum: dolum locuta est. Atque hæc duo elogia secundum Origenis sententiam, non ex 13. psalmo, sed ex quinto adscita sunt: quemadmodum & quod sequitur / Venenū aspidum sub labiis eorum / desumptum est ex psalmo. 139. cuius versiculus est, Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Et Deuter. 32. Fel draconum, vinum eorum, & venenū aspidum insanabile. Dignissimi profecto sunt & exitiosissimi denigratores alienæ famæ, qui cum monstriferis his beluis ac serpentibus componantur. [Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.] Hoc ex psalmo. 9. allegatum est. Sed vide quanta accessione adaugetur detractorum vitium: sanè quorum os, ait, esse apertum, dolosum, venenicū, ac denique maledictione & amarulentia oppletum. Qui idcirco rabidi canes, hominibus inuisissimi, & ingratiissimi, tanquam publica perniciēs, deberent de Republica exterminari. Sunt enim (vt est in Prouerbio Salomonis) abominatio hominum, detractores, cum quibus commisceri vetamus. [Væ

locos pedes eorum ad effundendum sanguinem] Sub delictis oris ponit ea, quæ opere patrantur. Et sicut in illis orsus est à promptitudine obloquendi, scilicet quod haberent os hiantissimum, ita & in his inchoat à promptitudine malè agendi, quæ pedum velocitate designatur. Pedes enim & gressus, spiritualiter, sunt voluntatis adfectus. Porro autem in summa iniuria, puta in homicidio, reliquas omnes complectitur. Hunc versiculum cum duobus sequentibus ab Esaia cap. 59. vt illic adnotauit Hieronymus mutuatus est. Quamquam hic proximè subsequens, etiam Prouerb. 1. Extet. [Contritio & infelicitas in uitis eorum] Hoc vel actiue potest intelligi: quoniam tribulationem aliis incutiunt, & infelicitate de iure suo deturbant. Vel forsitan passiuè delineatur hic perditorum vita, qui suis malis cupiditatibus iactati, infelicissime opprimuntur. Etenim lassati in via iniquitatis, viasque ambulantes difficiles (vt proprio ipsi ore confitentur Sapien. 5.) ad aliam properant sempiternam contritionem, & infelicitatem. Hoc est ad pœnam sensus de qua Esaia, Commineantur, sicut conteritur lagena figuli. Et ad pœnam damni, quæ est priuatio æternæ felicitatis. Quapropter merito de miseris illis pronuntiatur Sapien. 12. Infelices sunt, & inter mortuos spes eorum. Et huic sensui consonat antithesis, & contrapositio subsequens [Viam pacis non cognouerunt.] Nam lex CHRISTI onus leue est, & iugum suauē, & viæ eius, viæ pacis, & in hac vita & futura. Vnde, Venite ad me, inquit, qui laboratis & onerati estis, & inuenietis requiem animabus vestris. Animabus scilicet, quarum requies verissima est, atque omni tranquillitate sempiterna [Non est timor Dei ante oculos eorum] Hoc ex psalmo. 35. ascitum est, vbi legitur, Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius. Nam sicut initium sapientiæ timor domini, ita & præcipitium omnium malorum est, abiicere timorem domini. Et ideo tantundem est, ac si concludisset hoc modo, In summa, in omne se vitiorum genus præcipites dedunt, ac si nullus esset, quem vererentur, Deus. Et est emphasis. Vehementiorem enim habet significationem, quam si dixisset, Non habent timorem domini. Nam res ipsæ sensuales, quibus carnales homines oblectantur, metum iniiciunt futuræ vindictæ, quam sanè

Sap. 5.

Esa. 30.

Sap. 12.

Matt. 11.

Psal. 35.



ante oculos representant, nisi essent homines excaecati.

Scimus autem quoniam quaecunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Optima periodo concludit hoc membrum, quo statuerat demonstrare, neque philosophiam Gentibus, neque legis cognitionem Iudaeis quicquam profuisse, ut Deo essent placentes, sed omnes pariter concidisse, eiusque egere adiutrice ope, & iustificante fide, de qua properat sermonem ingredi. Est enim haec prolepsis, id est, praecipua exceptio, qua se poterat Iudaei protegere, videlicet, quod maledicta illa prophetarum non essent in se iactata, sed aduersus Gentes. Praescidit ergo eis exceptionem hanc, dicens, quod quaecunque lex loquitur, iis qui in lege sunt, id est, quibus lex posita est, loquitur. Lex autem non erat, Paganis, sed Iudaeis adita. Haud quidem omnino negat, quo minus multa sint in lege aduersus Gentes peculiariter inscripta. Ut illud Esai. 13. Onus Babylonis quod vidit Esaias filius Amos, Et multa similia. Sed tamen tunc Gentes ipsae exprimentur, de quibus est sermo. Quaecunque autem absque speciali nominatione extant in lege reprehensiones (quales sunt istae allegatae) populo ipsi Israel intelliguntur obiectae. Sed est praeterea animaduertendum, quod vetus testamentum in tria nonnunquam dissectum legimus, scilicet in lege, psalmos & prophetas. Ut Luc. ultimo, Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moyse (quod est, in Pentateucho) & prophetis & psalmis de me. Quandoque vero in duo, ut Matth. 22. In his duobus mandatis praedat omnis lex & propheta: ut psalterium quoque prophetiae nomine comprehendatur. Nonnunquam vero generatim tota scriptura vetus legis appellatione designatur. ut Io. 1. Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Et hoc modo usurpatur in praesentia nomen legis. [Ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.] Ut non solum illatiua est, ac indicatiua conclusionis, quae ex praedictis colligitur, verum etiam causalis. Suggestit enim, duplicifine per scripturam reos fieri Iudaeos, tantorumque eos criminum damnari, altero proximo, altero vero supremo. Proximus quidem, ut omne os obstruatur, supremus, ut subditus fiat omnis mundus Deo. Hanc ob

causam Origenes, ubi supra dictum est, Scimus quod quaecunque lex loquitur, &c. de lege naturae intelligit, quae uniuersos mortales omni seculo erudiuit, quid esset peccatum. Alias si lege, inquit, Moysi proprie intelligeretur, non fieret consequens, ut omne os obstrueretur, & fieret omnis mundus subditus Deo. At re vera cum post testimonia Mosaicae legis continuo subiungat, quod lex his qui in lege sunt loquitur, verisimilius fit de eadem prorsus lege orationem subtexere, ad elidendam (ut diximus) Iudaeorum excusationem. Ergo aliter cum aliis patribus sentiamus, Nempè quod retusa per suae legis oracula Iudaeorum insolentia, tum omne os reddebatur obstruendum, tum totus mundus Deo subditus. Quandoquidem gentes neque ita se insolenter iactabant, neque habebant quod suae patentissimae idololatriae ac morum peruersitati obtenderent. Ecce finem & scopum Pauli in hac priori parte huius capituli, imò in toto haecenus tractatu ab initio illo statim narrationis, Reuelatur ira Dei. Haecenus inquam tam Gentes de violata naturae lege, quam Iudaeos de scripta interpelauit, ambosque populos omni vitiorum genere obrutos defordatosque monstrauit, ut omni eos defensione nudaret, illisque perinde ora compelleret. Et est allusio ad forum iudiciale, ubi reus, si quid habet, quod se possit purgare, tempus respondendi postulat, sin minus, silens condemnationem expectat. Sunt qui pro subditus / reus, transferant: sed re vera non est mens Pauli meminisse reatus poenae, sed concludere, quod omnis mundus conuictus culpa, subditus fiat Deo, id est, humilis ac supplex prosternat se ante Deum, propriamque confessus fragilitatem atque inopiam, eius postulet subsidium, ut in cuius potestate & arbitrio posita est nostra salus. Quocirca parum refert, si transferas / obnoxius / cum graece sit ὑποδύομαι. Ille quippe obnoxius est alteri (auctore Chrysostomo) qui sibi ipsi ad defensionem non sufficit, sed alterius opus habet auxilio.

Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Hic more suo Paulus ita concludit membrum prius huius capituli, ut eodem loco initium faciat posterioris. Reuocanda enim huc sub oculos est partitio, quam cap. 1. super verbo Reuelatur ira Dei praemisimus. Tali enim ordine (ut illic dicebamus) necessitas fidei ac gratiae

Origenes.

Scopus Pauli.

Subditus.

SECVNDI SECTIO HVIVS CAPITVLI

Duplex modus iustificationis.

Conclusio Pauli.

Chrysostomus.

Origenes.

gratiae CHRISTI in hisce prioribus quatuor capitulis adstruitur ab Apostolo, ut ex illo loco hucusque praemonstrare sategerit, quod audisse recepissetque, seu naturalem, seu scriptam legem, nihili penditur ad salutem, nisi cura accesserit eidem obtemperandi legi. Neque vero Iudaei vllam praeter Graecis sortiti sunt hac parte praecellentiam, vel a circumcisione, vel a genere, sed in hoc oes pares fuerunt, quod uniuersi illaqueati erant delictorum reatibus. Hinc autem deinceps pergit elucidare, in hoc etiam nunc pares fuisse omnes cuiuscunque, vel generis, vel sortis homines, quod primam iustitiam, hoc est cum Deo reconciliationem, sine qua nulli esse possunt legitimi factores legis apud ipsum, nemo assequi vnquam potuit, poteritve in posterum merito suorum operum, sed per fidem & gratiam vnus IESVS CHRISTI domini nostri. Ex quibus confectum erit, omnem iustitiam nostram, siue dum initur, siue dum augetur, diuinae gratiae esse referendam, ut puta vel praueinienti, vel deinceps promouenti arbitrium nostrum. Horum enim duorum identidem opus est, meminisse modorum iustificationis. At cum duorum haecenus mentionem fecerit, puta legis & circumcisionis, quemadmodum demonstrauit, neutrius receptionem absque operibus satis fuisse, ut quis rationis lucem ingressus habeatur iustus apud Deum, ita modo constituitur prosequitur, quod neque legis opera, neque vero circumcisio causa per se vnquam fuerunt humanae salutis, sed vna fides & gratia IESVS CHRISTI. Secundum hoc membrum de circumcisione tractat capite subsequenti: de priori autem statuit in huius residuo hanc bimembrem conclusionem. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Hoc igitur praesenti textu proponit partem negatiuam, rationem vna subiiciens proximi textus. Ait siquidem, ex eo omne os obstruendum, totumque subdendum mundum Deo, quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram ipso. Tametsi Chrysostomus silenter praeterierit hunc textum. Non quod vllò fuerit modo dubius, hanc esse orthodoxam veritatem, sed cum forsitan non ita legeretur in eo, quem ipse habebat codice, putauit, quoniam idem mox eodem tenore subiicitur, redundantem esse hoc loco. Legit igitur. Et subditus fiat omnis mundus Deo: per legem enim cognitio peccati. De qua lectione paulo post dicemus. Origenes vero & consentienter Latini uniuersi citra

controuersiam interlegunt. Quia ex operibus, &c. Perpende ergo cum haecenus de iustitia operum sermonem habuerit, quam se ex arte gnauiter in legitimam causam iustificationis, hoc est, reconciliatio nostra. Vbi hoc cum primis animaduertendum nobis est, quod prudenter non ait, ex lege, sed ex operibus legis. Vbi enim supra dixit, non auditores legis, sed factores iustificari apud Deum, illic nos habuit admonitos, solam legem, hoc est, notitiam legis de se non sufficere ad iustitiam, sed quia dixerat, factores legis iustificari, ne quis inde fallus crederet opera antecedentia fidem, meritoria esse iustitiae, ait nunc, neque ex operibus legis eiusmodi iustitiam emanare. Exoritur hic autem nonnulla dubitatio, de qua hic lege, naturali ne, an scripta, aut si mauius, de quibus legis operibus sententia haec Pauli audienda nobis sit. Sentire namque verba haec quis forte posset dicta, vel de legis obseruationibus, & cerimoniis, quae figura olim erant atque vmbra futurorum, uti erat circumcisio & reliquae id genus obseruantiae, vel de legis quoque moralibus praecipis, quae in iure naturae sunt. Et quod de solis intelligantur ceremonialibus, argumentum primum est, quod non est ita de Paulo existimandum, ut neget iustitiam inesse apud Deum mandatis illis, quae ad ipsius cultum pertinent, fraternamque inter mortales charitatem fouent, atque adeo quibus proposita est vita aeterna, sed solis illis quae iam obsoleuerunt cerimoniis. Eadem enim erant in lege veteri mandata, de quibus ait in Euangelio CHRISTVS, Si vis ad vitam ingredi serua mandata: & de quibus Paulus aiebat supra, non auditores sed factores legis iustificari apud Deum. Praeterea sententiam hanc statim capite proximo, vel inde maxime corroborat, quod Abraham ante circumcisionem in praepotio, ut puta in statu naturae legis iustificatus est, circumcisio vero inter cerimonias continerabatur: easdem ergo hic denotat cerimonias appellatione legis, ubi ait, ex operibus legis neminem iustificari. Id quod praecipue conuicitur ex loco illo Gal. 2. Vbi inter reprehendum Petrum, eisdem, quibus hic, vtitur verbis. Nos enim, inquit, natura Iudaei, scientes quod non iustificabitur homo ex operibus legis, &c. Illic namque solum redarguebat Petrum, quod nimius esset cerimoniarum obseruator: cerimoniarum ergo duntaxat esse videntur, ex quibus

Ex operibus legis.

Dubitatio praecipua de operibus legis.

Matth. 19.

Gal. 2.

bus negat Apostolus iustificari hominē: iuxta illud ipsius verbum. 1. Cor. 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Hæc veruntamen argumenta nihil obstant, quominus sancti omnes enarratores (& cum primis Aug. de spiri. & lit. cap. 14.) consentiant, præceptiones hic etiamnum subnotari morales, nempe decalogum ipsum, cuius opera per se non iustificat: id quod dilucidum apud Paulum fit, vel ex verbis ipsis proximè subiunctis. Per eandem quippe legem, ex quibus operibus non iustificamur, subdit, fieri cognitionē peccati, lex autem per quam nobis innotescit peccatum, est præceptio ipsa moralis, morumq; regula. De qua lege ait infra cap. 7. concupiscētiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces, quæ quidem prohibitio in Decalogo scripta est. Concinit & huic veritati collatio illa. 2. Corin. 3. Literæ antiquæ legis ad spiritum non ut. Epistola enim, inquit, estis CHRIS TI ministrata à nobis, & scripta, non atramento, sed spiritu Dei vivit: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Acti dixisset, Lex illa decem præceptorū scripta in tabulis Moysi non vos iustificabat, sed gratia & fides digito Dei sculpta in cordib; vestris. De quibus subinde tabularum lege & spiritu paulò post inquit, Litera occidit, spiritus autem vivificat. Vnde perspectè illic August. adnotavit non solum cerimoniarum literam (qualis erat præceptio sabbati) verum opera cuncta Decalogi per se occidere. Nempe quòd nil per se quicquam valebant, quàm peccatū facere manifestū: vnde nostra excitatur appetentia. Vti infra in verbo/lex iram operatur/enarrabimus. Hanc ergo figamus in præsentiarum vniuersalem regulam, quæ sit ad intelligentiam Pauli in subsequentibus constitutissima, quòd vbiq; adstruit, neminē ex operibus legis iustitiam assequi, & vbiuis legem confert cum gratia, moralia etiam opera complectitur: haud tamen illa præcisa, verum (vt per argumenta secundo loco supra facta reor euinci) vniuersa cuiuscunq; generis officia, siue naturæ, siue scriptæ legis, vel in veteri testamento, vel in nouo, tam moralia, quàm cerimonialia. Tamen cum bona pars antiquæ legis, imò prima & præcipua Decalogum, & reliquum ius naturæ continebat, non opus erat naturalem vel aliam exprimere legem, sed legis nomine, quo speciatim scriptam subindicat, omnes comprehendere. Nullum ergo hic facit discerniculum

Responsio.

2. Cor. 3.

August.

Regula ad notanda.

inter legem naturalem Gentium, & veterem Iudæorum, & nostram euangelicam, si modo opera per se ipsa nunc nostra moralia spectes, sed inter opera cuiusvis legis & fidem cum gratia CHRIS TI: hoc nimirum constituens, quòd nulla est lex cuius per nos operibus, hoc est, viribus naturæ nostræ reconciliari possimus cum Deo, eiusq; inire iustitiam, nisi prius præuia fide & ope subnixi. At verò quia illo tempore soli erant Iudæi, qui legi suæ munus hoc adscribebant, illā specialiter excludit cum suis cunctis operibus, tam moralibus, quàm cerimonialibus, vt perspectius patebit in subsequentibus. Quocirca inter confirmandum paradoxum hoc iustificationis, aliquando de tota lege generatim loquitur, quandoq; verò (vt supra priori loco argumētabamur) speciatim de cerimoniis, que multo minus iustificabant. Haud tamen est cur hinc Lutherani insultantes opera nostra prorsus abiiciant, tanquàm nihil sint habenda, vel ad reconciliationis opus, vel ad meritum hæreditatis æternæ. Sola enim hic Pelagianorum blasphemia cõtunditur, atq; adeò constituitur, merito præcedentium operum neminē fieri iustum: vt paulò hic post aperitissimè dilucidabitur. Orige. in verbo/omnis caro/adnotauit, idcirco dictum esse, quia ad eos qui in carne sunt, opera legis spectant. Ita enim putat intelligendum esse, ex operibus legis non iustificari omnem carnem, quia omnis qui caro est, puta qui secundum carnem viuit, ille non potest iustificari ex lege Dei. Quia qui in carne sunt (vt ait alibi idem Apostolus) Deo placere non possunt. At profectò (salua egregia autoritate Origenis) aliorum, altiusq; spectat Paulus. Hic enim sensus nemini poterat non esse compertissimus. Vult ergo legis infirmitatem aperire. Nempe quòd quauis quispiam summis naturæ neruis incumbat, vt faciat officia legis, nequit absq; fide præuia numinisq; suppetiis veram obtinere iustitiam. Quapropter appellatione carnis, homines intelligit, secundum vires naturæ, spiritus diuini auxiliis destitutos. Igitur vt ad argumēta superius cõtra obiecta non nihil respondeamus, qui factores sunt legis decalogi, ceterarumq; præceptionū moralium, si id quidem sola facultate naturali præstent, iustitiam tunc exhibent operum, hoc est (vti antehac dicebamus) opera faciunt honesta naturali ciuiliq; æquitate, qua deniq; iustitia iusti sunt coram hominibus. Eademq; scitè appellat hic Ambro, temporalem iustitiam, sanè

Constitutū Pauli.

Lutherani.

Orige.

Rom. 8.

Caro.

Factores legis.

sanè quæ ad ciuilem statum & tranquillitatē attinet. Sed non tamē, illa officia sunt quæ sufficiunt iustificare personā, nempe amicitia nos iungere cum Deo, quæ est æterna iustitia. Qui verò gratis per fidē reconciliatus, eadē postmodum adiutus cooperatrice gratia, mādāta seruat, dignus is est vita æterna. Quod infra explicatius aliquāto repetendū nobis est.

Per legem enim cognitio peccati. Verbum hoc vtriusq; sententiæ causam designare potest, & illius, videlicet proximæ. Quia ex operibus legis & alterius superioris / Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo / veluti Chryso. legit. Imò verò quauis interfitus sit textus, Quia ex operibus, (prout legitima habet lectio) potest nihilo incongruentius illuc spectare textus hic. Nempe vt sit sensus, ex eo omne os hominibus cuiuscunq; gentis obstruendum esse, ne possint suis delictis aliquam ab ignorātia excusationem obtendere, quòd abundè, cum Græci per legē naturæ, tum præcipuè Iudæi per suam scriptam fuerint edocti discrimen boni & mali. At verò si hoc membrum per legem enim cognitio peccati / cum altero cõponas, quod proximè subsequitur, scilicet, Nunc autem sine lege iustitia, venustius ambo coaptantur proximæ sententiæ / Quia ex operibus legis. Tunc tamen legenda est præfens litera cum præcisione in sensu exclusiuo. In hoc videlicet, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro: ex eo quòd lex nihil de se maius præstet, quàm vt per ipsam nobis innotescat peccatum: cum tamen necessaria præterea sit vis & facultas eo pacto faciendi officia legis, quò Deo placita sint, grata, & accepta. Id quod solus Deus nobis elargiri valet. Et hoc est quod subdit / Nunc autem sine lege iustitia. Quòd autem per legem nobis cognitio fiat peccati, vel ex ipsa liquet ratione legis. Nam etsi lex Latinis à legendo (vt aiunt) dicta sit, eò quòd publicitus legitur, dum promulgatur, est tamen norma & rationis regula, ostendens nobis viam, quibus officiis in legitimum scopum dirigamur. Quæ proinde Græcis nomos appellatur. Et quauis apud iuris prudentes, leges dicantur, iussa principum, est tamen lex splendor & regula diuini intellectus, quæ nos in diuinam dirigit voluntatem. Id quod non modo antiqui patres, qui ab ore Dei legem per Moysen audierunt, & nostri, qui eadem præcepta moralia per CHRIS TVM legislatorem nostrū suscepimus, verum & ipsi inter Gen-

Altera lectio.

Per legem cognitio peccati.

tes philosophi agnouerunt. Definit quippe legem Cicero, quòd sit certa ratio, è mente diuina manans, quæ recta suadeat, prohibeatq; contraria. Qua quidem ratione lux meritissimò censenda est, diuinitus emicans, cum primum ratio naturalis illuxerit: iuxta illud, Signatum est super nos lumen vultus tui domine: tamen si scripta lex longè clarius effulgeat. Quare & præceptum domini illuminas oculos. Et Prouerb. 6. Mandatum lucerna est: & lex, lux, & via vitæ. Hoc tamen fusius etiamnum tractabitur cap. 7. vbi ait Paulus, Concupiscētiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. At verò quòd nulli per se legi facultas sit aut potestas in gratiam nos Dei transmittendi, duabus diuersisq; causis astruximus lib. 1. de nat. & grat. Quarum altera iis peculiaris est, qui peccati labe inquinati sunt, altera verò illis etiam communis, si qui effingerentur homines in sua mera natura progeniti. Est etenim iustitia apud Deū, idem quod amicitia cum ipso, atq; acceptatio ad vitam æternam. Cum ergo vita illa, supernaturalis sit, nempe ordinem creatæ naturæ præcellēs, fit, vt eiusmodi amicitia munus etiam sit supernaturale. Quo palàm fit, vt tãetsi quis æderetur præter legem homo absque vlla, vel culpa, vel gratia, nullis suis tamen officiis posset hoc dignitatis pertingere. Quin verò neq; Adam in statu innocentia, si gratiam semoueat, id quidem potuisset. At verò eius posteri, vt qui omnes nati sumus filii iræ, hac rursum secunda de causa nequimus nostris operibus gratiā reconciliationis promereri: quòd neutiquam Deo possunt nostra officia placere, vt qui odio eidē sumus. Quàm obrem officia hæc nequeunt nobis peccata remittere. Quo deniq; consequēs fit, vt hæc legis virtus, ea sit prorsus quæ est, peccati rationem pandere: atque adeò nec remittere valet delicta, nec regni hæreditatem commereri.

Legis diffinitio.

Psal. 4.

Psal. 12. Prou. 6.

Lib. 1. de natura & grat. cap. 4.

Nunc autē sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Ecce iam post repulsam legem, quæ iustitiam Dei non operatur, ad veram iustitiæ causam, gradum facit, præstituens primum, quæ admodum se habeat vera iustitia ad legem, idq; duabus cõparationibus. Prior est, quòd vt lex ante incarnatum CHRIS TVM virtute carebat iustificandi, ita nūc iustitia per CHRIS TVM eiusq; ministros manifestata est absque lege. Non equidem poterat significan-

tius exprimi, quemadmodum, salus nostra non dependeat à lege, quàm demonstrando, quòd non solum lex per se non præsaret iustitiam, verum quòd sine legis adminiculo sit per Euangelium manifestata. Et dicitur iustitia Dei, tum quòd beneficium est misericordiae Dei (secundum Ambro.) de promissione originem habens. Nam cum quod promissit Deus, reddit, iustitia eius dicitur. Tum etià quia credentes nos, & per obedientiam ad se confugientes suscipit. Suscipere enim, iustitia dicitur. Quia non suscipere confugientem, iniquitas est. Hæc Ambro. August. autem li. 1. de gratia CHRISTI, & rursus lib. de spirit. & lite. non ita legit hanc literam, vt sit sensus, Sine lege manifestata, sed vt intercedat sic punctum. Nunc autem iustitia sine lege, id est, quæ sine legis ope fit, manifestata est. Nam quomodo, inquit, sine lege manifestata est, si per legem est testificata? Huiusmodi autem lectio inde in mentem venit August. quòd idem illi pollebat, manifestata, quòd, testificata: cum tamen secundum alios doctores non ita res habeat. Sed quòd Paulino sensui magis accommodum est, manifestata intelligitur per CHRISTVM sine lege, testificata verò per legem. Itaque iustitia Dei non modo fit sine lege veteri, verum & sine ipsa manifestatur per Euangelium. Quin verò quantum interfit discriminis inter manifesta & testificata, quàm primū subiiciam. Dicit autē meditatio sine lege manifestata & nō, sine lege effecta, aut instituta, ne suspicionem alicui iniiceret, quòd tunc primum tempore CHRISTI fuisset creata iustitia, cum tamen ab orbe vsq; condito patuerit salus credentibus in CHRISTVM, fide saltem obscura, & sub nubilo implicita. Id quòd Apostolus ipse ad Hebræos longa patrum seriè patefacit. Sed illa tamen quæ prius fuerat obuelata, per euāgelicam prædicationem reuelata est. Origeni, non nihil exhibet etià negotii ambiguitas hæc, an eandem omni loco debeamus intelligere legem, vbi ait, per legem agnosci peccatum, & sine lege manifestari iustitiā, & per legē testificari. Atqui in ambobus prioribus locis intelligit legem naturæ, in postremo verò legem Mosaicam. Quam illi opinionem eadem ratio suggestit, quæ fuit postea August. Nempe, quòd idem sint, manifestata, & testificata, quæ idcirco de eadem lege nō possunt negari, & rursus affirmari. Attamen indubiè existimauerim, ab illo loco quia ex operibus legis continentur in his etiam sub-

sequentibus de eadem lege sermonē haberi. Nam aliàs dissuta & nimium anceps esset oratio. Loquitur in quā specialiter de lege veteri, sed tamen in illa ambit quoq; naturalē. Et quòd neutrius ministerio fuerit per Euangelium manifestata iustitia, sic accipe, Quamam fuit prædicatio Euangelii? Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et, Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem remittere peccata. Et, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Et, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suū vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eū non pereat, sed habeat vitam æternam. Et, Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriat, qui credit in me, nō sitiet in æternum. Et, Ego sū via veritas & vita, Et, Ego sū ostiū. Per me si quis introierit, saluabitur. Atq; id genus plurima, quibus edoctus est mundus, per vnā fidem IESV CHRISTI, condonari delicta nostra, aditumq; patere ad cœlestem felicitatem. Hæc verò per legem naturæ manifestari nequiverant: quippe quæ lumine naturali non dilucescant. Neq; verò per legem veterem manifestata sunt, hoc est explicata, hoc enim sonat manifestari. Attamē fuit nihilominus iustitia hæc per legem illam testificata, hoc est, adumbrata, suisq; delineata figuris. Atq; hoc est quòd subditur, [Testificata à lege & prophetis.] Id est, testimoniis legis comprobata. Enimverò cum legem explorasset, vt per quam iustitia Dei nec fuerit exhibitā, neq; verò manifestata, ne omnino illam videretur, veluti futilem ac superuacaneam proiecisse, subdit, non omnino fuisse inutile. Porro quòd in hoc, illā Deus promulgasset, vt esset testimonium iustitiæ per CHRISTVM manifestandæ. Testificari ergo minus est, quàm manifestari. Est enim Euangelium manifestatio, hoc est, expositio & elucidatio iustitiæ, quæ antiquæ legis inuolucris latebat: illa verò lex, testificatio eiusdem iustitiæ quæ diluxit in noua. Vnde Paul. Col. 1. Secundum dispensationem, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum Dei, mysterium quòd absconditum fuit à seculis, & à generationibus, nunc autem manifestum est sanctis eius. Et ad Gal. 3. Priusquā veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Quò idem pertinere autumat Paulus. 2. Cor. 3. Velamen Moysi legem promulgantis: quòd quidē velamen ait, vsq; in hodiernū diem (scilicet redemptionis) in lectione veteris testamēti manere non reuelatum

Euangelica  
prædicatio.

Mat. 1.  
Ioan. 19.

A lege &  
prophe.

Lex vetus  
theatrum.

1. Cor. 10.

2. Pet. 1.

Testificari  
& manifestare.

Col. 1.

Gal. 3.

2. Cor. 3.

latum, quoniam in CHRISTO euacuatur. Vtraq; ergo ratione apostoli & euangelistæ testimonia ex veteri testamento asciscunt. Porro vt vicaria opera, & nouum instrumentum veteris autoritate corroboretur, & vetus noui illustratione pateat. Veluti est illud Mat. Hoc autē totū factum est, vt adimpleretur quòd dictum est à dño per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filiū. Et illud Ioan. Facta sunt hæc vt scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo. Consulto autem ac meditatio dixit, A lege & prophetis. Nam cui iustitiæ prophetæ verbo attestati sunt, eandem & lex re ipsa, hoc est, ritibus ac sacrificiis repræsentalat. Vnde quauis lex pro tota hic lege accipiat, non tamen secundum omnes sui partes præfigurabat venturum CHRISTVM, sed secundum eam, quæ in cerimoniis & neomeniis erat collocata. Nam moralia præcepta in eundem erant illis vsus edicta, in quem nobis. Dicitur autem res tota id facere, quòd secundum quandā sui partem facit. Nihil enim aliud existimanda est tota illa prisca lex, quæ vaticinium CHRISTI: atq; adeo theatrum quoddam, quo futurorum comœdiam in conspectu mundi Deus exhibebat, et quo CHRISTI mysteria cerimoniis, prodigiis, ac rebus gestis adumbrabat, et quo demū humanū genus, quasi puerū, neq; idoneum cui palam rudes reuelaretur, sub legis (vt ait Paulus) paedagogia educabat, vsq; dum in virum iam adultum (quòd ipse vocat plenitudinē temporis) maturum esset, cui detectam tandem veritatem manifestaret. Vnde. 1. Cor. 10. Omnes in nube & in mari baptizati sunt: quia omnia in figura contingebat illis. De prophetis autē non est quòd multū morem, quan doquidē ob hoc fuerint prorsus numine pleni, quo venturum prædicerent Saluatorem. Vnde ad Iudæos Petrus apostolus, De qua salute (scilicet animarum vestrarum) exquisierunt, atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerūt. Adeo vt Esaiam Hieronymus, vti Euangelistam æstimauerit. Et CHRISTVS ipse redemptor noster Davidico vaticinio fidem suæ diuinitatis adstruxerit. In summa, si crederetis, inquit, Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

Iustitia autē Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credūt in eum. Accommodatissima hæc est expli-

catio, si ad primam Pauli propositionē mentem reuocet. Quòd enim primo statim capite proposuerat, dicēs, Iustitia enim Dei in eo (scilicet Euāgelio) reuelatur ex fide in fidē, idem modo ipsum eisdem penè verbis pandit. Ait enim, iam nunc sine lege esse manifestatā. Qualis autē fuerit manifestatio, id quòd dem docet. Sanè quòd huiusmodi iustitia, fit per fidē vnus IESV CHRISTI. Nempe quæ in legis vmbraculis delituit, per quam legem testificata est, & in Euangelio manifestata præfulget. Atqui hæc est secunda pars, videlicet affirmatiua cōclusionis Pauli: quæ enunciat, quòd non ex operibus, sed per fidem iustificamur. Ex hoc autem limpidissimo fonte Lutherani, quem tanquam limphatici homines totum conturbant, putida sua dogmata hauserūt de iustificatione. Nam iustitiam Dei non ex operibus, sed per fidem existere, quidnam aliud est, inquit, quàm sola nos fide iustificari? & vsq; adeo sola, vt opera nostra, neq; præparamenta sint iustificatricis gratiæ? En primum eorum assertum. Rursus si dum iusti efficiamur, in filios vnā, ac subinde hæredes (vt infra ait Pau.) adoptamur, longius eadē absunt opera, quàm vt vltimo sint pacto æternæ vitæ merita. Hæc autem nos, atq; alia eorum in eandē sententiā commenta. 2. lib. de na. & gra. diffusissimè trastrauimus. Haud tamen hic grauabimur in epilogum, ea quæ satis sint, contrahere. Primum ergo, non est hic nomen fidei eo detorquendū, vt non pro actu vel habitu intellectus vsurpetur, sed pro Euangelio, vt distinguitur à lege veteri. Sic enim quidam arbitrantur expediri hunc locū, scilicet quòd Paul. nihil aliud constituat, quàm quòd per opera legis veteris non iustificamur, sed per Euangelium, in quo & fides & spes & charitas & penitentia cum reliquis virtutibus prædicantur. Etenim quòd hoc non sit apostolicum propositum, palam est. Quoniam non distinguit hic inter legem veterem & nouam, sed inter opera naturalia hominis, & fidem redemptoris CHRISTI. Et hoc patet ex his, quæ paulo superius dicebamus. Nam si appellatione operum, vniuersa cuiusq; legis moralia opera comprehenduntur (quæ in Euangelio quoq; scripta sunt) & fidem operibus è regione contraponit, fit, vt fides non accipiatur singulariter pro Euangelio includente eadem opera. Et præterea id patebit cap. quarto, vbi Abraham constituitur pater omnium credentium per fidem, quam habuit ante Euangelium &

Secunda  
pars cō-  
clusionis.

Lutherani.

Fides hic  
nō accipi-  
tur pro  
Euange-  
lio.



legem. Accipitur ergo pro fide, quæ est mentis assensio, qua credimus (vt ait alibi Paul.) quod Deus est & remunerator est. Sed vt ad citatum lib. nostrum reuertamur, duos significatus in hoc nomine, fides, agnoscebamus illic cap. 6. Significat enim veritatem & constantiam, quæ in dictis seu affirmantis quidpiam, seu pollicentis inesse debet, quæ dicitur moralis virtus: in qua significatione hic paulo ante dictum est, Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? id est, constantiam illam, qua ipse fidelis est. Significat præterea & intellectualem virtutem, puta assensum, quæ denunciati, promittentiu nobis aliquid præbimus. Atq; in hoc significatu accipitur hoc loco præsentis. Huiusmodi enim assensus, quæ habemus dictis Dei, & quo potissimum in CHRISTVM credimus, primum est nostræ salutis initium ac fundamentum, vt lib. citato cap. 11. per amplè cõmonstrauimus: iuxta verbum Pauli, Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentẽ enim ad Deum oportet credere quia est, & quia remunerator est. Enim uerò cum Deus per CHRISTVM sit author salutis nostræ, primum nostrũ obsequium esse debet, fidẽ illi adhibere, reuelanti sese nobis, suamq; pollicenti gratiam. Neq; deest inter homines exemplum accommodatissimum. Etenim quemadmodum cum fidei ussor pro debitore exoluerit, necessè est, debitore ratã habere solutionẽ, vt sibi applicetur, hoc est, vt debito ipse absoluat, & fidei ussori deinceps acceptũ referat, ipsiq; se debitore agnoscat, simili modo cũ CHRISTVS suo nos beneficio liberauerit, non ante suum sanguinis precium nobis imputabitur, q̃ per fidem tanti mysterii eum credamus liberatorem fuisse nostrũ, cui vicissim nos ipsos addicamus seruos. Adde quod cum finis ille noster, ad quẽ destinati sumus, ita nostram exuperet facultatem, vt neq; ipsum cognoscere naturaliter valeamus, neq; verò, nisi præmonstrato scopo, actiones illuc nostras possimus intẽdere, necessarium nobis fuit lumen fidei, quod spem nostram erigeret, & in laborum nos patientia sustentaret, animaretq; atq; in officio retineret. Quo sensu dictũ illud interpretati sumus, Iustus ex fide uiuit: nempe quod spe eorum, quæ fides nobis pollicetur, perdurat in cultura iustitiæ. Atq; hoc pacto intelligendus est, & sanctorũ ille catalogus, quo magnificè demonstrat Paul. quemadmodũ fide Abel obtulit Deo, & fide Enoch translatus est, &c. Fuit enim hæc fides per omnia secula neces-

saria: cuius spe fieret quodcunq; opus Deo erat probandum. Ob id quicquid operum sub lege nature, vel in quacunq; alia extruxerit quis, nisi hoc fidei præstruxerit fundamentum, esse quidem potest ciuilitate, & (quod aiunt) moraliter bonũ, haud tamen Deo gratum. Sed est meditandum præterea (vt in lib. 1. cap. 15. disputabamus) quod Deus haud nos veluti pecudes aut inanime organũ trahit, sed (quæ nostra natura est) liberè, hoc est, illuminando, dirigendo, alliciendo, pulsando, & instigando. Nam etsi illã libertatẽ primus parens perdidit per peccatũ, vt sine nouo Dei auxilio, ope & fauore nequeamus in eius gratiã redire, iuxta verbum Aug. in Enchir. cap. 30. Libero arbitrio malè vtens homo & se perdidit & ipsum: tamẽ ea libertas, quæ homini naturalis est, vt liberè Deo assentiat, si velit, assentireq; renuat, si nolit, superstes est homini, quãmdiu fuerit rationis capax, Exclamãte eodẽ Augustino cõtra duas epistolas Pelag. lib. 1. cap. 2. Quis nostrũ dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidẽ perit per peccatũ: sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiã, propter quod natura humana, diuina indiget gratia. Et in de ecclesiast. dog. cap. 1. Postquam verò seductione serpẽtis per Æuam cecidit Adam, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrii: non tamẽ electionem, ne non esset suum quod euitaret peccatum, nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaq; ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, & inuitate ad salutẽ, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis: hoc est, inspiratione Dei. Et infra, Sicut ergo initium salutis nostræ, Deo miserante, & inspirante habere nos credimus, ita arbitrium naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspirationis liberè confitemur. Confecimus ergo, ita vt id neq; pertinacissimus cæcus non videat, fidẽ ita esse donũ Dei præuenientis, illuminantisq; ac præmouẽtis liberum nostrũ arbitriũ, vt tamen sit etiã nostra liberè assentientium ipsius aspirationi & nutui. Id quod latissimè idẽ Aug. in lib. de prædest. sanct. cõstituit, & cõfirmavit. Atq; id quidẽ ibidẽ vbi cõtra Pelagiũ differebat, quod neq; initium fidei esset à nobis: cuius cõtrario errore tenebatur aliquando & Augustinus ipse. Illic inquam demonstrãs, quẽadmodũ Deus est, qui nobis prior ad ostiũ pulsat, nihilominus cõfite-

Fides assensio nostra fit.

Aug.

Aug.

De eccles. dog.

setur,

setur, quod tam fides ipsa, q̃ quod subsequitur bonum opus, & Dei est & nostrum. Vtrunq; etenim ait nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & vtrunq; tamẽ datũ est per spiritum fidei & charitatis. Quam sententiam alibi sæpenumero, tum potissimum lib. retractationum repetendo probat. Quoniam credere, inquit, est cum assensione cogitare: assensio verò libertatẽ præ se fert. Vnde vbi dicit Paulus, quod nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, moderatur cõtinuò verbũ, adiiciens, Quasi ex nobis. Nempè quod quanuis liber noster assensus necessarius sit, nisi nos tamẽ prius Deus irradiauerit ac tetigerit, nihil per nos ipsi possumus, ob idq; sufficientia nostra ex Deo est, cui perinde referenda est gloria. De hoc enim penitus damnatus fuit Pelagius, dicens, Deum à nobis præueniri. Quamobrem qui auxiliũ Dei imprecantes clamamus, Deus virtutum conuertere nos, vicissim ab illo cõmonemur, Conuertimini ad me in toto corde vestro. Et vbi ait CHRISTVS, Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum, statim subdit, Omnis qui audit à patre & didicit, venit ad me: nempe quod conuersio sic opus sit trahentis Dei, vt sit etiam nostrum liberè venientium. Sed quia ipse præuenit, non ait, duxerit, sed, traxerit: vt author est Aug. cõtra duas epistolas Pelagianorũ lib. 1. cap. 19. Vbi et hoc item addit, quod nemo venit, nisi velit. Nam homines, fieri nõ potest vt nolentes credant, sed Deus, inquit, facit, vt ex nolentibus sint volentes, hoc est, liberè assentientes. Vnde in enarratione Psal. 144. illam elicit celebrem sententiam, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Hanc nostræ spontaneæ assensionis necessitatem eo vsq; hic confirmauerim, quo ad satis sit, ad demonstrandũ, ita nos per fidem iustificari, vt tamen eadem fides, quatenus opus nostrũ est, liberè sequentium diuinum appulsum, sit dispositio necessaria, quam nos numine attacki asserimus ad iustificationem: quod ipsi magnopere respue-re prætendũt. Atq; hæc vna causa est, cur inter creaturas sola illa quæ intellectualis est, vt angelus, vel rationalis, vt homo, capax sit diuinæ gratiæ & gloriæ: nempe solum libertatis arbitrium. Vnde in opusculo de libero arbitrio Bernardus, Tolle, inquit, liberum arbitrium, & non erit quod saluetur. Tolle gratiã, & non erit vnde saluetur. Et paulò post, Quod ergo à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu esse non potest

Credere.

Pelagius.

Ioan. 6.

Aug.

Bern.

accipientis, quã absq; gratia dantis. Et ita gratiæ operati salutem, liberum arbitrium dicitur cooperari, dum consentit, hoc est, dum saluatur. Proinde irrationalis spiritus salutẽ minimè capit, eò quod illi volũtarius consensus desit, quò Deo saluanti placidè obtemperet: siue iubenti acquiescendo, siue pollicenti credendo, siue reddenti, gratias agendo. Hactenus Bernard. Accedit & huc, quod nisi vltro nea assensio nostra ante iustificationẽ vllò pacto esset requisita, certè opus conuersionis non esset opus laudabile. Nam propter illa quæ nobis præter voluntatẽ nostram accidunt, nec laudamur, nec vituperamur. Et Paul. 1. Cor. 9. Si volens hoc facio, mercedem habeo. Imò verò neq; munus esset obedientiæ: atq; adeo iniquum esset præceptum suscipiendæ fidei. Vt illud, Creditis in Deum, & in me credite. Neq; fidẽ non suscipere de ore prædicantium, esset peccatum: quoniam peccatũ (vt ait in de vera relig. Aug.) adeo voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatũ, si nõ sit voluntariũ. Vnde ad Damasum Hiero. Liberũ arbitriũ dedit Deus homini, vt viueret vnusquisq; nõ ex imperio Dei, sed obsequio suo: id est, nõ necessitate, sed ex voluntate. Vt virtus haberet locũ, et à cæteris animantibus distaret, dum ad exẽplum Dei, permissum est nobis facere quod velimus. Postremò nisi venire ad fidem liberum nobis esset, sed coactu nos Deus pertraheret, cũ (vt est in Apocal.) ad ostium sit semper & pulset, quidnam esse posset in causa, cur non vnũuersos ad se inuitos permoueret, veluti cœlestes orbes, quos nunquã cessat circumagere? Quorsum demum admonitiones illæ creberrimæ nihil aliud quã nostram libertatem voluntatẽ allicientes, Venite ad me omnes qui laboratis. Et, Si quis vult post me venire abneget semetipsum. Et, Qui potest capere capiat, qui non potest, abscedat. Et, Noli negligere legẽ Dei. Et, Quoties volui congregare filios tuos, vt gallina pullos (nempe blandè vocãdo) & noluiisti. Ac deniq; Qui crediderit ac baptizatus fuerit, saluus erit. Profecto nihil in his ac huiusmodi elogiis perspectius nobis esse potest, quã nostrum assensum exigi ad iustificationem, tanquam dispositionẽ necessariam. Atqui ex his perquam facilis ac planissima erit via ad euincendum, non solam fidem esse, quæ iustificat, sed alios insuper habere comites, in eis qui vsu pollent liberi arbitrii, puta spem & charitatem, seu delictorum penitentiam, quibus Deum

Ioan. 14.

Aug.

Hiero.

Nõ sola fides.

Deum

Duo significatus fidei.

Heb. 11.

Exemplum

2. Regio.

Heb. 10.

Heb. 11.

Deum habemus offensum. Viam enim hanc primū ipsa nobis sternit ratio fidei. Est enim (vt dicebamus) actus intellectus, quo assentimur Deo. Nempe quo certō credim⁹, veracem esse ac fidelem, tum in aliis suis asseritis, tum maximē in suis pollicitationibus: cognitio autē hęc nulla est, nisi in illam nos transmittat obedientiam voluntatis, quam nobis ostendit esse necessariam, spemq; nostrā erigat, atq; accendat charitatem. Et quemadmodum voluntas est, qua sola (vt author est Aug.) delinquitur, ita duritiē eius emolliat, vt peccata amara detestatiōe abiciat. Quoniam (quæ verba sunt Augustini) nemo potest vitam nouam inchoare, nisi quem præteritæ pœnituerit. Quocirca non solum fidei in scriptura, sed aliis etiam virtutibus iustificatio adscribitur. Vt enim hic habetur, per fidē nos iustificari, legimus quoq; & de pœnitentia, Nisi pœnitentiā egeritis, omnes simul peribitis. Et in Ecclesiastico, Altissim⁹ odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Et in alio capite infra, Pœnitētib; dedit viā iustitiæ. Et apud Ezechielem, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet. Neq; solus Ioannes angelus CHRIS TI per pœnitentiā patere aiebat fores regni cœlorū, verū & Petrus illis qui ad baptismum anhelabant, pœnitentiam vt agerent, prædicabat, vt pœnitentes baptizarentur in nomine IESV CHRISTI. Sed & de spe ait infra Paulus, Spe salui facti sumus. Et Ioan. Omnis qui habet hanc spem in eo (scilicet quoniam videbimus Deum sicuti est) sanctificat se, sicut & ille sanctus est. At verò de charitate obuia sunt, patentiaq; in hanc sententiā eloquia sacra. Ait enim Paulus, quod plenitudo legis est dilectio. Et perspicuē Ioan. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Et, Qui non diligit, manet in mortē. Et CHRIS TVS vtq; seruator noster, Qui diligit me, diligetur à patre meo. Non ergo sola fide, sed spe & charitate (cuius actus pœnitentia est) fundata est, facta, & tecta salus nostra. Neq; fides tota est machina, sed pietatis exordium, & fundamentum Christiani ædificii. Vt author est Aug. lib. 1. de prædest. sanct. Spes autem, murus: ac deniq; charitas (authore Paulo) vinculum perfectionis, atq; adeo præparamentum proximum ad gratiam, veluti nexus, quo cum Deo copulamur. Atq; vt semel omnia dicamus, fides iustificans non est ociosus intellectus actus, sed actiuosa illa fides & officiosa

quæ per charitatem operatur. Iuxta verbum Apostoli ad Gal. 5. In CHRIS TIES VNE quæ circumcisio aliquid valet, neq; præputiū, sed fides quæ per charitatem operatur. Quapropter, quod ait ad Ephe. habitare CHRIS TVM per fidem in cordibus nostris, de hac sola intelligi potest, cū (teste Ioāne) Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. En statum, punctumq; controuersia, quæ nobis cū Lutheranis est de iustificatione. Conuenimus enim hoc verbo, quod iustificamur fide per charitatem operante, rem tamen ipsi palam abnegant. Docent siquidem iustitiā Dei apprehendi sola fide, quia apprehendere iustitiam, id est, iustificari, nihil aliud illis est, quàm adhibere fidem pollicēti Deo, hoc est, fidenter credere veras sanctissimasq; esse diuinas promissiones. Quod ad solum pertinet intellectus assensum. Atqui hoc se pacto explicat Lutherus in de libertate Christiana, vbi ait, Quod cum verbum sola fide per intellectum apprehendatur, ille solus assensus apprehendit misericordiam, quam postea consequitur charitas, ac subinde opera. Perspice duo hic potissimū quàm absurdissima. Primum quod iustitia solo actu intellectus apprehendatur. Intellectus namq; apprehensio, nihil aliud quàm cognitio, vel iudiciū est. Apprehendere autem iustitiam, hoc est, iustum fieri, recipiendo iustitiam, ad voluntatem certē persinet, cuius consensu committitur peccatum. Apprehendo enim per intellectum, hoc est, iudico & credo, quod qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, & quod si iniquus, fide instructus, spe veniæ egerit pœnitentiam, vita viuet (huiusmodi enim sunt pollicitationes diuinæ) at verò promissam iustitiam nō suscipiam, antequam eo me pacto accommodem diuino nutui, quo me fides docet. Altera istorum hallucinatio pestilens est, quod non cernunt quemadmodum soli per se fidei et non illi, quæ per charitatem operatur, adscribunt causam esse iustitiæ. Quandoquidem solo actu intellectus, aiunt, iustitiam suscipi. Iustificatū verò (vt dicunt) per talem actum, consequitur deinceps actus spei & charitatis. At consequuntur, aiunt, tamen naturali consecutione. Re vera hoc est falsissimum & contra sensum hominis, quem praua modo affectio non excæcauerit prorsus: vt lib. 2. de na. & gra. cap. 7. differebamus. Enimuerò ratio & essentia fidei non solum alia est à ratione charitatis, verū & natura sua prior, neq; ab illa dependens, quippe quæ

Gal. 5.

Status controuersia.

Alter error.

Lib. 2. de na. &amp; gra. cap. 7.

in intellectu consistit. Atq; adeo fides, etiam mortua, Christianum potest hominem efficere absq; charitate. Iuxta verbum Pauli, Si habuerō fidem ita vt montes transferam, charitatem autem nō habeam, nihil sum. Et Christianis loquebatur Ioan. vbi aiebat, Qui non diligit, manet in morte. Conspectus enim ille Dei, quo felices animæ perfruuntur, vbi nullus est fœcordiæ locus, nullum prorsus cum carne luctamen, nō potest illas non protinus in amorem rapere, perpetuoq; amoris nodo cum Deo habere coniunctas. Fides autē, quæ obscura hic est cognitio, & cum carne colluctatur, non adeo efficax est & ferax, vt charitatem, quam de se parturit, vbiq; pariat. Igitur Patres à primordiis vsq; Ecclesiæ hoc pacto explicant rationē iustificationis: eorum, inquā, quibus lumē rationis effulserit (namq; paruuli sacramento fidei abluti, iustitiam assequuntur, nempe quod Deus nullis nostris præcūtib; meritis fores nostri pectoris præpulsat, corda irradiat, ad se alliciens, vt nos trahat & conuertat: cui si nos assentiētes annuimus, vt veniamus & conuertamur, tunc nos ad se permouet, motu primū fidei, mox spei, tandem charitatis in detestationem peccatorum. Instar illius qui cum auersum haberet vultum à sole, in illum se conuerti permitteret, vt lumen reciperet. Istos verò præparatorios motus, qua parte iustificationis gratiā antecedunt, negamus meritorios esse gratiæ, contra quàm nobis tanquam Pelagianis Lutherani imponunt. Nam gratia, si esset ex meritis (vt ait Paul.) non esset gratia, sed meritissimò vocamus dispositiones, quibus nos spontaneos ad se Deus cōuertit, vt eius suscipiamus iustitiam. Quatenus verò iam opera sunt iustorum à diuina gratia, infusaq; charitate profluentia, audenter fatemur, merita esse, tum glorię, tum augmenti gratiæ: vt iam supra super verbo, Qui reddet vnicuiq; & c. adnotauimus, & cap. sequēti repetemus. Per hæc igitur perspicuissimus factus est sensus diuinæ huius Pauli doctrinæ: vtriusq; scilicet membri, & quod non ex operibus, & quod per fidem CHRIS TI iustificamur. Negatio quippe hæc solum refellit opera præcedentia diuinam gratiam, vt cuius negantur esse merita. Hoc enim erat prorsus, quod Iudæorum error continebat, scilicet, quod per suæ legis opera merebantur apud Deum iustitiæ præmia. Et ideo hoc duntaxat refutat hic Paul. Haud tamen inficias ire cogitauit, quin fides dum iustificat, secū habeat alias virtutes co-

1. Cor. 13.

2. Ioan. 3.

Explicatio rationis iustificationis

Sensus Pauli per speciem

mites. Siquidem non iustificat, nisi dum, modo iam explicito, per charitatem operatur. Quamobrem nec asserit, per fidem nos iustificari, eo quod ipsa sola sit causa: sed quia primum fundamentum est, sine quo nulla opera cuiuscunq; legis efficacia sunt comparandæ saluti: quod Iudæorum superbia non agnoscebat. Atqui hunc sensum, tum sacra per se elogia efferunt, tum maximē Patrum testimonia perspicuē affirmant. Quorum aliqua hæc à nobis ascita sunt, plurima verò. 2. lib. de na. & gra. congesta. Vnde Aug. in enarratione Psal. 31. exponens illud, Ei qui non operatur, credēti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiā, ait, nō quod absq; nostra cooperatione, sola fides iustificet, sed non operanti, inquit, id est, impio iacenti in peccato, atq; adeo non bene operanti: hoc est, nihil meriti adserēti ad suam iustificationem: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur illi ad iustitiam. Sed quæ fides, illa scilicet, quæ per charitatem operatur. Et de fide & oper. cap. 14. cum dicit, inquit, Apostolus, arbitrari se hominem iustificari per fidem sine operibus legis, non hoc agit, vt præcepta, ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisq; per fidem posse iustificari, etiam si legis opera non præcesserint: sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Neq; negat in puncto iustificationis simul alias dispositiones cum fide concurrere. Nam subdit, quod vbi ait Paul. fide nos iustificari, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeq; euangelicam definiuit, quæ per dilectionem operatur. Ait verò quod opera sequuntur iustificatum, quatenus merita sunt, & rationem habent absolutæ virtutis. Et lib. 83. quæst. q. 76. Vbi hanc materiam ex professo dilucidat, concilians Paulum, dicentem, fide hominem sine operibus iustificari, cum Iacobo, dicente, fidem cooperari operibus, ait, primum loqui de operibus præcedentibus fidem: alterum verò de subsequētibus. Et lib. de prædest. sanct. cap. 7. (vbi comparat fidē, & opera, quæ inde nascuntur, Israeli, & Iudæ, qui ex Israele genitus est) ex fide, inquit, ideo dicit Paul. iustificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iustē viuunt. Nota quod fides non est sola, sed prima: cur autem prima? quia ex ipsa impetrantur cætera. Quomodo autem ex ipsa alia impetrantur, luculenter edisserit lib. de spir.

Aug.

Aug. spir. & lite. potissimum cap. 13. ubi hanc constituit inter legem operum & legem fidei distantiam, ut quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Credendo, id est, dum per eam cognoscimus, a quo debeamus auxilium petere. Vnde subdit, Ac per hoc lege operum, dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei, dicitur Deo, da quod iubes. Ideo enim iubet lex, ut admoneat quid faciat fides: id est, cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat. Et quando illa Aug. non adnotasset, expressè hoc docet Paul. ubi ait, Fidem esse argumentum rerum sperandarum, nempe indicans nobis, quò debeamus officia nostra referre. Et ideo accedentem ad Deum oportet credere, illum esse unum remuneratorem, cuius fide & spe erectus iustus, viuat in officiis charitatis. Fides ergo non sola, sed prima est causa iustificationis. At qui cum principiū (ut est apud philosophos) virtute contineat subsequentes effectus, securus dicit hac ratione Paul. per fidem nos iustificari. Nam nisi nostra obsisteret libertas, carnis illecebris compressa, fides suo ingenio ferax est omnium bonorum: genitrix quidem spei, ac charitatis parēs. In summa Non ex operibus, idem pollet, quòd non viribus nostris naturalibus, sed gratis per auxilium Dei. Quapropter quod hic & Gal. 2. & saepe ait, Non ex operibus, idem pollet quod Ephe. 2. inquit, Non ex vobis, sed donum Dei est. Et Timo. 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam. Cessent ergo nos Lutherani maledictis proscindere, atque in familiam Pelagianorum obtrudere. Nos enim potius illos inde reuincimus, quòd doctrina hæc Pauli nullum præ se alium fert intellectum, quam quem Ecclesia ante tot annorum centurias, contra Pelagium de hac re Ecclesia definiuit (ut apud Augustinum in epistola ad Paulinum, & in concilio ipso Mileuitano cernimus) est, gratiam non secundum merita nostra dari, neque per liberum arbitrium sine Dei auxilio aliquid nos per nos ipsos facere operis, quod Deo gratum sit & acceptum. Atque adeo victoriam nostram non ex libero nostro arbitrio, sed ex Dei esse adiutorio. Ergo error Iudæorum quem hic Paul. reprehendit is ipse erat, quem Ecclesia contra Pelagium condemnauit: atque adeo veritas Paulini sensus, eadem, quam Ecclesia definiuit. Quin verò sibi ipsi caueant, vtrum

Non ex operibus.

Ecclesia contra Pelagianos.

Error Iudæorum & Pelagianorum, idem.

ad se illud pertineat, quod lib. de fide & operibus cap. 14. commonet August. sanè quòd sententia hæc, sola nos fide iustificari, pessimè audit apud apostolos Petrum, & Iacobum, tanquam ex verbis deprauatis Pauli violenter exorta. Nam propter hanc inde exortam hæresim, ait, reliquos apostolos suas adidisse epistolas: cuius authores Petr. deprauatores appellat epistolarum Pauli. Et Iacobus (inquit August.) vehementer infestus est eis, qui sapiunt, fidem sine operibus valere ad salutem, vsque adeo ut illos etiam dæmonibus comparet: dicens, quòd etiā dæmones credunt & contremiscunt. Nescio an plus satis, & cum legentium tædio: existimo autem non sine operæ precio hæsisse nos in explicando, quidnam sit, iustitiam Dei nobis obuenire, non ex operibus legis, sed per fidem IESU CHRISTI. [In omnes & super omnes qui credunt in eum,] Dilatio est vniuersalis causæ, hoc est, explicatio iustitiæ fidei, quam longè ac latè pateat. Perseuerat quippe in collatione fidei cum lege. Non enim solis illis, quibus data est lex, nempe Iudæis, exhibita est postea per CHRISTVM salus: sed omnibus in vniuersum credentibus in CHRISTVM. Quandoquidem non merito legis, sed fidei beneficio obuenit humano generi. In omnes ergo amplitudinem fidei significat. Super omnes verò, eminentiam: sanè quòd non virtute legis aut naturæ vi, sed excellentiori causa atque vtrique præcellente prouenerit.

Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Causam vtriusque subscribit, scilicet, & generalitatis, & præminentiam fidei. Causa verò ea est, quòd nullum est inter Iudæos & Græcos interstitium, sed omnes peccauerunt. Quare ut Græci nullam sibi possunt arrogare gloriam à sua naturali lege, ita neque à sua sibi scripta, Iudæi. Quandoquidè ut vtraque suos docuit subditos quid persequi, quidque deberent in moribus fugere, tamen neutra præstitit auxilium aut originalem maculam delendi, aut cauendi actualium. Ob idque omnes egent gloria Dei. Sunt aliqui textus qui pro gloria, habent, gratia. Attamen licet nonnumquam authores sancti videantur legere, gratia, longè tamen frequentius legunt, gloria, & ita est græcè δόξα. Vnde sensus est, quòd cum nihil à nobis

Gloria.

bis

bis meriti adferatur ad iustitiam, sed ex sola diuina clementia nobis obtingat, omnes indigent diuina glorificatione, id est, illa gratia, vnde gloria Dei effulget. Quo fit, ut per parui referat, gratia ne, an gloria, legas, sanè quòd in eundem sensum vtrunque coeat. Est enim scripturæ mos, vbi cunque insigne aliud quod facinus memoratur, illam numinis presentiam, gloriam domini appellare. Ut Exo. 24. Ascendente Mose in montem, Et habitauit, inquit, gloria domini super Sinai. Et. 1. Reg. 4. sublata arca domini, clamabat vxor illa Phinees, Translata est gloria de Israel, eò quòd capta sit arca. Nisi fortè gloria Dei actiue audias in hoc sensu, Omnes egent gloria vera, quæ est à Deo. Ac si dixisset, posunt homines ex operibus legis gloriam inter homines venari: apud Deum verò non, nisi per fidem. Quemadmodum ait in initio sequentis capituli, Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Arrogantiam demum & hic deiicit Iudæorum, quibus nullum propter legem priuilegium relinquit in assequenda iustitia, sanè quos nullo interiecto discrimine pares facit cum gentibus.

Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Huic quod dixerat, per fidem IESU CHRISTI, explicationem attexit. Eò enim fides basis est, ac fundamentum christianæ salutis, ac diuinæ fundamentum iustitiæ, quòd iustificati sumus gratis per gratiam ipsius. Relatiuum quippe ipsius CHRISTVM refert, per quem Deus promissa compleuit sua, cui mundus prestiterat fidem. At verò, gratis, et, per gratiam ipsius, sunt qui eodem referunt, nisi quòd per emphasin congemmatum putant verbum, Crediderim ego verò (nisi mea fuerit ignorantia) per gratiam ipsius, speciosissimam illius esse diffinitionem, quod præstiterat, gratis. Enimvero gratis alio nobis pacto condonare poterat Deus delicta nostra, utpote si absque redemptore villo, nullaque iustitiæ ratione habita, ignouisset humano generi, tam quod in primo parente, quam quod per se quisque deliquisset. Cum enim contra illum duntaxat peccatum fuerat, quomodocunque ipse nobis condonasset crimina nostra, in gratiam eius rediissemus. At verò non ita fuit consilium eius, sed ut gratia cumulatissima, ita æquissima iustitia usus est, dum præ nimia in nos dilectione gratis nobis dedit filium suum, qui, cum persona

Gratis per gratiam ipsi?

esset infinitæ potentiam, infinitumque amica, grataque & accepta Deo patri, per mortem, eandemque acerrimam, quam in carne pertulit, ad iustum exolueret eidem patri debita nostra. Ut qui sua ipsius efficeremur membra, suam iidem iustitiā adferremus ante tribunal suum, secundum mensuram donationis eiusdem: hoc est, prout quisque assensione sua & cooperatione usus fuerit ope & gratia ipsius CHRISTI. Nam reddet (ait Pau.) vnicuique secundum opera sua. Attamen quia non modo gratis donatus est CHRISTVS, sed gratis quoque conceditur & nobis, ut eius efficiamur membra, ait, gratis per gratiam ipsius, hoc est per talem gratiam, in qua summa fuit iustitia. Quo fit, ut cum dixerit, per gratiam ipsius, et addiderit [per redemptionem quæ est in CHRISTO IESU] non modo nulla sit repugnantia, verum perspicua eademque appositissima dilucidatio. Est enim redemptio (ut meminit Orig.) illud precium, quod hostibus solet pro captiuorum liberatione pendere. Gratia ergo summumque beneficium, quod in nos contulit CHRISTVS, fuit, quòd se ipsum pro nobis tradidit. Illic enim (ut ipse author est Apostolus Col. 2.) Donauit nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Nec verò (quod Hiero. adnotauit) dixit, per emptionem (nam iam antea sui eramus per naturæ creationem) sed, per redemptionem: consonans Esaiæ vaticinio, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Namque ut peccatis nos gratis ipsi tradimus, nullum inde reportantes emolumentum, ita sine villo nostro precio, preciosissimo sanguine illius, qui nullum fecit peccatum, redempti sumus. Fuit enim ineffabiliter iudicium mortis permutatum. Cum enim peccator homo placare Deum non poterat, factus est Deus homo, qui non suis, sed alienis peccatis mortuus, à nostris nos propriis erueret. Atque adeo iustitia ipsius, nostra efficeretur: secundum verbum Pauli. 2. Cor. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Vt ergo ad literam reuertamur, eadem CHRISTI redemptionem, sicut opus iustitiæ fuit, quod patri persoluit, tum etiam gratiæ, quam in nos effudit, Absit enim tam ingens vesania, ut quis dicat persoluisse diabolo. Nā iniquo tyranno quid homo

Redemptio.

Col. 2.

Esai. 52.

Permutatum iudicium mortis.

Non persoluit diabolo.

homo



homo debuisset? Imò verò quid opus erat Deo cum iniquissimo dæmone rationem illam inire iustitiæ? Sed satisfecit patri, quem iuxta verbum proximè subsequens, nobis fecit propitium. Et sic utiq; humanum genus à seruitute peccati liberavit, cui sua se sponte dederat. Nam ut est Ioan. 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Et 2. Pet. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Nullum tamen exinde ius diabolus in nos habebat, quod illi esset reddendum, sed exercebat tyrannidē. Atqui eo pacto satisfecit pro nobis, quo nulla poterat creatura. Id quod lib. 3. de na. & gra. cap. 6. meditabar. Enimvero quòd ait D. Aug. 13. de trinitate, haud de fuisse Deo alium modum liberandi humanū genus, non eo sensu excipiendum est, quòd fuisset alius modus possibilis perfectæ redemptionis, absolutæq; & consummatæ satisfactionis. Sed quòd potuit (vt proximè dicebamus) delicta vniuersa merè omnino gratis nobis condonare, absq; ratione vlla, vel redemptionis, vel satisfactionis. Potuit item fortè creaturā aliquam eo secum gradu amicitiae gratis copulare, vt eius mortem in precium acceptaret pro toto humano debito. Hæc autem nō fuisset perfecta satisfactio (vt probè author est S. Tho. in 3. parte q. 1.) cuius causa palam fit ex ratione ipsa satisfactionis. Est enim perfecta satisfactio, solutio debiti, que nulla ex parte à creditore, sed tota à debitore proficiscitur. Si enim ego à creditore meo argentum dono susciperem, quo debitū illi perolverem, esset quidem satisfactio, sed quæ ex dono esset parta creditoris. Talisq; esset illa creaturæ satisfactio. CHRISTVS verò, licet ex sua misericordia factus est homo, tamen quia suppositum erat diuinum æquale patri, quanuis nulla esset alia donatus creatura gratia, opera ipsius (nam opera, non naturæ sunt, sed suppositorum) infiniti essent valoris & precii. Ob idq; de se ad iustum satisfecit. Neq; enim existimauerim hoc incomprehensibile incarnationis munus sine summa ratione & causa, ne dixerim, necessitate, collatum nobis à Deo esse. De quo proinde innumeris illi debemus gratias. Et hoc perspicenter hic S. Tho. adnotauit super hoc verbo / Quæ est in CHRISTO IESV / dicens, Quæ si dicat in alio non poterat nobis esse redemptio. Atqui meditatio non dixit / per CHRISTVM / sed / in CHRISTO. Quoniam non per aliud exterum precium, sed per mortem nos redemit, quam pertulit in seipso. Apposuit ve

Satisfactio Christi.

Aug.

ro / IESV / eò quòd sit saluatoris nomen, atq; adeò redemptoris.

Quem proposuit Deus propitiatorē per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ. Mirificè connexa à Paulo hæc est explicationum catena, vt articulim subsequens membrum præcedentis mysterium aperiat. Annectit, inquam, rationem, cur redemptio CHRISTI per mortem suam, iustificatio fuerit nostra. Ratio quippe est, quòd proposuit eum Deus, vt se ipsum Deum nobis propitiaretur. Nempe quòd cū in enarranda illa misericordia reconciliatio nis, nihil diuinæ iustitiæ debuisset adimere, quo minus fieret æquissima satisfactio, absolutissimaq; redemptio, id quòd nulla creatura (vt modo dicebamus) præstare poterat, proposuit, hoc est, (Origene interprete, quo etiam & Chrysost. alludit, & Ambro.) ante secula in sua æternitate disposuit: vel (secundum Hieronymum) in promptu ob oculos omnium posuit filium suum propitiatorem, vt quicumq; per saluificam fidem eum susciperent, eius sanguine redempti Deum haberent propitiū. Haud enim otiosè repetit / per fidem / sed appositisimè composuit redemptionem CHRISTI & fidem nostram. Sanè vt admoneret, quòd vana fuisset redemptio, nisi nobis per fidem, eam ratam habentibus applicaretur, vt paulò superius exponebamus. Quo fit, vt per gratiam, per redemptionem, per fidem, tres ex ordine causas nostræ salutis præ se ferat, vtpote gratuitam Dei voluntatem, que prima est, æquissimam iustitiā CHRISTI, & vtriusq; ad nos applicationē. Vbi nos legimus, propitiatorem, græcè est ἰλασθίου, quæ vox, sine articulo, vti iacet, anceps est. Potest enim esse accusatiuus neutrius generis, & tunc significat propitiatorium (vt legit Orig. & Theophyl.) vel potest esse masculini generis, & tunc idem est (vt vertit interpret noster) quòd, propitiatorem. Quare hoc adnotauit Orig. quòd cū CHRISTVS, & propitiatoriū fuerit, & pontifex, & hostia, vno eodemq; sensu, apostoli propitiatoriū, vel propitiationem, vel, vt frequētius, inquit, in latinis codicibus inuenitur, propitiatorē, eum nominant. Sed nihil interest, siue propitiator, siue propitiatoriū, siue propitiatio scriptum sit. Hæc Orig. Haud tamen audiendi sunt qui legunt reconciliatorem, vel aliam quamlibet id genus vocem. Est enim allusio venustissima veritatis ad figuram: scilicet quòd

Tres causas salutis.

Propitiatorum.

Orig.

Contra nos interpretes.

quòd antiquum propitiatorium, quòd Exo. 25. de auro mundissimo extrui iussum est, imponendum arcæ testamenti, CHRISTI fuerat figura: qui corpus ex mundissima ac purissima carne, munere spiritus sancti indutus, Ecclesiæ erat præficiendus. Expurgatio itidem peccatorum, quam in sanguine hircorum & vitulorum pontifex, sancta olim ingressus, celebrabat quotannis, sacrificium CHRISTI in cruce effigiabat, vt ipse Apostolus ad Heb. 9. vbi ait, Quòd CHRISTVS assistens pontifex futurorum honorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Ille quippe vitulorum sanguis, quia non erat causa vniuersalis redemptionis, sed signum indulgentiæ particularium, identidem erat vna, ac subinde altera vice fundendus: sanguis verò CHRISTI semel effusus æternè fuit precii redemptionis. Eodem præterea loco Paulus & CHRISTI corpus tabernaculo comparat, & CHRISTVM ipsum, tum pontifici, tum etiam hostiæ. De qua ait Ioan. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qua de causa mortem hic CHRISTI non proprio nomine, sed sanguinis effusione designat. Nempe vt ex integro constaret allusio. Ea quippe tunc pontifex significatione, hostiarum sanguinem contra propitiatorium pro peccatis aspergebat, vti legitur Levit. 16. quòd sola tunc fide huius effundendi in cruce cruoris abstergebatur delicta. Ob idq; ingrediens in mundum dicebat CHRISTVS, Hostiam & oblationem nolui, corpus autem adaptasti mihi. Tametsi & respicere hic quoq; Paul. potuit ad sanguinem agni, quo deliniti sunt Iudæorū postes in exitu de Ægypto.

Ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi. Perstitit in illo illustrando primo proposito. Iustitia enim Dei in eo reuelatur, cui videlicet consonant verba hæc, Ad ostensionem, &c. In quibus binus latet intellectus. Aut enim iustitia hic fidem Dei significat, seruatam & constantissimè persolutam, dum quem vnigenitum promiserat mundo, fidelissimè miserit: qua ipse iustitia iustus est,

Exo. 25.

Leuit. 16.

Heb. 9.

Ioan. 1.

Heb. 10.

Duplex intellectus.

vt paulò post ait Apostolus, velut æquissimus in suis promissionibus. Et talis tunc sensus affuitur præcedenti sententiæ / Quem proposuit, &c / veluti fuerat pollicitus. Aut loquitur de iustitia, qua nos iustos constituit, scilicet, vel qua nos perfudit, vel fortè quam in se CHRISTVS stupendam pro nobis obtulit. Quem igitur locus hic non nimis quam vehementer perterrefaciat, qui secum cogitando reputet, quòd filio suo pro nobis non pepercit? Perplexum me, sanè habet, vtram præ altera demirer, misericordiam ne Dei, an iustitiam. Nam cum seruari integram iustitiam haud aliter iudicauerit, quam per filium suum vnigenitum, eiusdemq; secum substantiæ, carne assumpta, crucifixum, sic nihilo secius dilexerit mundum, vt nobis eum dederit propitiatorem in sanguine suo: vbi, quàm sit iustitia eius extimescenda, sit manifestum. Quæ nam ergo putandū est imminere nobis supplicia à iustitia Dei, qui immensam hanc misericordiā effusi pro nobis sanguinis eius, vsq; adeo negligimus, vt non modo non rependamus ei vitam, verum neq; vllam geramus curā seruandi animas nostras. Ianti precio sanguinis redemptas? Qui tamē inde vel maximè extimescere scelera nostra debemus, ac perpendere, quàm dira sint ab iniquis exigenda supplicia neglectæ misericordiæ, quòd non nisi tam tremenda interueniente iustitia Dei deletum fuerit chirographum, quòd contra nos erat inscriptum. Hic autem sensus manifestatæ iustitiæ Dei apprimè quadrat cum suppositis continuò verbis. [Propter remissionem præcedentium delictorum.] Inde enim iustitia Dei fit manifesta, hoc est, solum illum posse iustificare, quòd non modo futura post delicta, verum vniuersa simul à mundi primordio patrata, siue sub lege naturæ, siue sub lege scripta, quæ videri Iudæis poterant per legem esse abolita, vsq; ad donatum nobis CHRISTVM non fuerunt proferus remissa, sed tunc primū per eius iustitiā. Huius simile extat testimoniū. Ioan. 2. vbi ait de CHRISTO, Quòd ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Id quòd & frequentissimis antiquitatis de CHRISTO vaticiniis prædictum fuerat, qualia sunt, Cópia apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Et, Rorate celi desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet saluatorem. Et Micheæ vltimo, Deponet iniquitates

Misericordia & iustitia.

Vaticinia Christi. Psal. 129.

Esa. 45.

H tates

tates nostras, & proiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Quare senex ille letabundus excipiens vnius redemptorem, nunc, inquit, dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Neque adeo refert, vtrum/præcedentium/adiacere putes genituo, delictorum, an verò præcedentium, hominum, subaudias. Persequitur nanque Paulus principale argumentum suum de Iudæis & Græcis. Quorum neutros sua potuit lex à noxia seruare, sed omnes per CHRISTI mortem salui facti sunt. Fuit quippe fructus sanguinis CHRISTI, vniuersalis redemptio totius humani generis. Quoniam non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Ne quis verò hæsitare queat, an omnia in vniuersum priscorum crimina fuerint morte CHRISTI condonata: imò verò quomodo illorum Patrum errata, qui iam pridem in gratia & amicitia Dei ab hac luce demigrarunt, non fuerint vsque ad tempus illud CHRISTI dimissa, præsto occurrit ac subdit [In sustentatione Dei] Est fortè hebraismus supplemento egens relatiui, hoc est, que quidem peccata fuerunt in sustentatione Dei. Ac si dixisset, Haud quidem cuncta remissa sunt, at illorum omnino, qui in gratia, qualis tunc erat, defuncti sunt. Eorum etenim peccata qui vel per sacramentum, vel per poenitentiam participes fiebant effundendi sanguinis CHRISTI, per eius fidem tolerabantur à Deo, vt morte eius remitterentur. Sanguinis quippe virtus per fidem operatur ac diffunditur, & eandem nobiscum sortiti sunt fidem antiqui, iuxta illud. 2. Corinth. 4. Habentes eundem spiritum fidei credimus. Scilicet illi expectantes venturum, nos verò contentes venisse. Quocirca, tametsi diffidendum non sit, ante CHRISTI aduentum veram fuisse gratiam & amicitiam Dei, non solum in Patribus veteris testamenti, vt in Abraham & prophetis, verum in lege naturæ, vt in Noe, Melchisedech & Iob, & aliis, quos scriptura commemorat, modo rectos, modo iustos, modo inuenisse gratiam in oculis domini, tamen ad gradum illum amicitia, vt digni essent ad eunda hæreditate, & conspectu Dei, qui debetur amicis, & filiis, illa olim gratia non pertinebat. Et ideo Patres sustinebantur in limbo suo, quoadusq; precium redemptionis

CHRISTVS solueret. Sustentari enim ac tolerari non nihil deterit, ac diminuit de flore gratia & amicitia. Nam qui tolerantur, nondum ad omnes amicitia numeros peruenerunt. Perinde res tunc habebat, ac si modo princeps reos quospiam & sibi offensos, neq; ad suum omnino conspectum admittere vellet, neq; verò omnino condemnare, sed precibus victus, abstinere lege agere in illos, & velut in deposito custodiret, quoadusq; fieret iniuriarum compensatio per alium, à quo certò sciebat satisfactum iri. Atqui forsan in hoc sensu de suo Baptista pronunciauit CHRISTVS, Qui minor est in regno cælorum, maior est illo. Conferebat enim illic gratiam familiaria euangelicæ, cum illa Patrum antiquæ legis, dicens, quòd summa illorum, puta gratia Ioannis, qui fuit omnium maximus, non adæquabat gratiam baptismi: quæ cum sit minima in regno cælorum, hoc est, in Christianismo, tamen cæli fores continuò pandit. Huic consonat & verbum Pauli. 2. Corinth. 4. Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus. Loquitur enim, ac si vna esset Ecclesia à tempore Abraham, quando credere cœpit orbis pollicenti Deo salutem, vsque ad CHRISTVM, quando facta est [Ad ostensionem iustitie eius in hoc tempore] Repetitio hæc/Ad ostensionem, &c./minimè redundat, fuit nanque accommoda & necessaria ad explanandum, cur Deus tam diu sustentauerit priscorum delicta: causa enim fuit, vt hoc præfinito tempore suam patefaceret iustitiam. Quòd si quis percontetur, cur qui diues est in misericordia, non statim postquam Sathan in mundum grassatus, omnia oppleuit sceleribus, hanc operatus est redemptionem, per quam aditus pateret cunctis ad regnum ab Abel iusto vsq; ad Ioan. Baptistam. Egregiã certè respondēt Patres rationē, scilicet ob superbiam edomandã humani generis. Siquidē cū protoparentes nostri præ superbia lapsi fuissent, ex re nostra erat, hominē prius in lege nature arbitrio suo permitti, vt tenuitatem naturalis luminis, ac defectum scientie per absurdissimos philosophorū errores cognosceret: ac deinde sub ampliori luce legis scriptæ exerceri, vt imbecillitatē naturalium virium, defectumq; potentie, crescente cum cognitione peccati, libidine, experiretur: atque adeo

Exemplum

Qui minor est in reg. cœ.

Rom. ix.

Dubitatio

tam

Dignitas adu. Cbristi.

tam legi, quàm naturæ diffusus, ad Deū idem idem manus attolleret, cuius diu expectatum auxilium pluris idcirco æstimaret. Præterquam quòd dignitas ipsa venturi, hoc etiam postulabat, vt diu ipsum mundus præstolaretur. Erat enim mundus aliquot seculis (vt iam ante dicebamus) infantior, ac rudior, quàm qui posset tantum beneficium agnoscere, quoadusq; venit plenitudo temporis. Non autem hic est locus hæc discutendi. Nam si morosus quispiam pressius rem vrgeat, quòd alio forsan tempore si venisset, plures salui fuissent, id quod CHRISTVS ipse de Tyro & Sydone pronunciat, non audeat August. in lib. de perseuerantia aliter respondere, quàm quòd non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei [Vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide IESV CHRISTI] Finis est totius periodi. Quod enim præfatus est, proposuisse Deum propitiatorem filium suum, ad ostensionem iustitie suæ, id aptius concludit. Nempe quòd hoc fecit, vt sit ipse iustus. Non quidem iustificatus, vt nos per susceptam iustitiam (de quibus dixerat, Iustificati gratis) sed sua natura iustus, & ideo seruans promissam suam fidem iustificandi, non quidem promiscuè ac temerè vniuersos, sed eos prorsus, qui sunt ex fide IESV CHRISTI, hoc est, qui ex fide nascuntur & coalescunt in corpus CHRISTI. Nam deicit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius. Et, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō intrabit in regnum cælorum.

Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim, iustificari hominē per fidem sine operibus legis. Ex hac demum manifestatione iustitie Dei per sanguinem IESV CHRISTI concludit id, quod ab initio epistolæ fuerat eius propositum, puta deprimere Iudæorum superbiam, oraq; obturare, & obsepire, qui gloriam sibi suæ iustitie arrogabant, illosq; Gentibus adæquare, ac deniq; omnium iustitiam Deo transcribere, vt illi soli adscribatur gloria. Vtitur autem interrogatione, vt vis sit, vehementiaq; in verbis maior. Et quanuis Gentes quoque attingat interrogatio, qui neq; à lege sua naturali gloriam sibi poterant vllam attribuere, peculiariter tamē inuehitur in Iudæos, quibus superiori ca-

pite inter cætera improbrat, quòd gloriarentur in lege. Et quanquam in Græcis nonnullis codicibus non extet/tua/sententia tamen eadem est. Neq; verò solum Latini, verum et Orige. Legit & Theophyl. August. quidem lib. de spir. & lite. cap. 10. non vno sensu hanc gloriationem exponit. Ait enim, posse hic intelligi gloriationem laudabilem, quæ in domino est. Quæ quidē per iustitiam CHRISTI exclusa est, hoc est, expressa, & (vt dictum est) ostensa. Vnde & exclusores, inquit, dicuntur quidam artifices argentarii. Hæc autem vera gloria, dicitur Iudæorum, quia non deberent nisi in domino gloriari. Sed tamen legitimus sensus ac genuinus Pauli est, de vitiosa gloriatione, quæ de supercilii Iudæorum descendebat. Quam comonstrauit esse exclusam, id est, depulsam, non per legem factorum, sed per legem fidei. Quoniam etsi gloriatio ex operibus legis promanans, in personas refundatur, illa tamen quæ nascitur ex fide, Deo debetur. Non autem ait simpliciter, per fidem, sed venustius, per legem fidei/vt lex vna, per legem aliam, appareat electa. Cum enim lex sit vis ac norma operum, quicquid eiusmodi vim habet, translata lex dicitur. Quare & infra cap. 7. legem mentis, appellat vim mentis ad optima deprecantem, legem autem membrorum, carnis illecebram & cupidinem: fides ergo nos, nostraq; officia reificans, lex probè nuncupatur. Neq; verò dixit (vt notat Chry.) Perit gloriatio tua, id est, quam à lege aucuparis, aut cessauit, aut quid simile, sed significantissimè, exclusa est, id est, repulsa per ostensionem iustitie fidei. Huc quoq; spectat quòd ait Ioan. lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. Nempe gratia iustificationis & figurarum veritas. Vel gratia & iustitia. Deus enim per Moysen legem duntaxat dedit, qua doceret populum: at quicquid gratia ac iustitie ab orbe condito largitus est post peccatum, id per CHRISTVM factum est. (Est veruntamen spectatius hæc consideranda discretio inter legem factorum & legem fidei. Inprimis lex factorum non hic censetur, præcisã illa portio legis veteris, que posita erat in ceremoniis & neomeniis (vt sapienter Aug. adnotauit de spi. & lit.) sed lex vniuersa quæ mores instituit: vt iam supra plenius disputauimus super verbo, Quia ex operibus legis. Eandem enim legē ex cuius operibus non iustifi-

Aug.

Lex.

Exclusa.

Ioan. 1.

Discrimen inter legē factorū &amp; legē fidei.

Aug.

camur, cognominat hic pari ratione legem factorum. Ob idq; neq; constituit hic differentiam inter totam legem euangelicam, & legem veterem, de qua dicturi sumus in calce huius capituli. Nam & in Euangelio sunt eadem moralia præcepta, quæ erant in veteri, quorum officia per se non iustificat. Et quemadmodum in lege illa sua erant sacrificia & cerimonie, quibus fidem CHRISTI Patres profitebantur, ita sunt & in nostra. In summa, sicut nos tenemur lege, id est, præcepto fidei, similiter obligabantur & illi. Nam illud, Accedentem ad Deum necessè est credere, vniuersos ab exordio mundi comprehendit mortales. Vnde Ecclês. 2. Qui timeatis Deum, credite illi. Et, Credidi, inquit Dauid, propter quod locutus sum. Quare lex illa non erat tota posita in externo cultu, sed potissimum eius fundamentum, sicuti & nostra, erat interna fides, per quam cultores legis iustificabantur. Discerniculum ergo hoc (vt author est loco citato August.) illud est prorsus, quod Apostolus constituit inter epistolam scriptam spiritu Dei viui penitus in cordibus, & illam quæ scribitur in tabulis lapideis, & quod est inter literam occidentem, & spiritum viuificantem. Atqui vt perspicacius dicam, legem factorum appellat Apostolus legem quamlibet, seu externè scriptam, seu internè naturali lumine reuelatam, quæ vim tantum habet docendi, dirigendi, & imperandi ac prohibendi quæuis opera, siue moralia sint, siue cerimonialia: nulla tamen pollet facultate remittendi cõmissa peccata, neq; efficiendi ea opera, quæ per se Deo placeant. Et ideo (vt infra patebit) dicitur occidens litera. Lex verò fidei est lumen supernè à Deo impressum penitissimè mentibus nostris, qua ratione nos instituit, ac dirigit, vnde debeamus fauorè petere, & opem, qua à peccatis liberati, Deoq; reconciliati, possimus officia illa, quæ per legem docemur & iubemur, taliter perficere, vt in oculis eius grata sint & accepta. Et hoc est, quod ait ibidem Aug. scilicet, Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, Non concupisces: ista dicit, Cum sci. em quia nemo esse potest continens, nisi Deus det, adii dominum, & deprecatus sum. Quod est dicere, Lex obligare quidè potest præuaricatores ad pœnam, ne utiquam tamen ad iustitiam satis adiuuare. Quocirca sub lege factorum, legem etiam Gentium complexus est. Lex autem fidei est

de qua infra. 8. Lex spiritus vitæ quæ est in CHRISTO IESU. Et de qua prædixerat Hier. cap. 31. Hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas. Atqui ex hoc legum intervallo innascitur & discrimen inter iustitiam operum, & iustitiam fidei, cuius iam supra meminimus. Iustitia enim operum est humana rectitudo, quæ per naturalem facultatem in moribus est, secundum legis normam. Iustitia verò fidei, peccatorum remissio, ac sanctitas apud Deum. Quòd autem hæc fuerit mens Pauli, apertissimum ex subiunctis verbis fit. Etenim vt paulò antea confirmauit, ex operibus legis non iustificari omnem carnem, eò quòd per legem nihil aliud præstitum est, quàm cognitio peccati, ita & nunc viceuersa comprobatur, per legem factorum non excludi gloriationem personarum, hoc est, non esse adscribendam legi iustificationem, quia [Arbitramur, inquit, iustificari hominem per fidem, sine operibus legis] Est enim resumptio præcipuè hic propositæ conclusionis, cuius vtrunq; membrum, scilicet, & quomodo non ex operibus legis, & qualiter per fidem parta sit nobis iustitia, iam satis in superioribus enucleatum est. Haud enim abiecta simpliciter sunt opera legis, sed ab hac præcisa ratione iustificandi, quæ est, reuocare hominè in gratiam Dei, quòd opera præcedentia diuinum subsidium efficere non possunt. Sunt tamen deinceps necessaria ad cultum incrementumq; iustitiæ. Id quod Orig. optimè declarat eorum exemplis, qui de improviso sunt iustificati absq; præcedentibus operibus, puta exemplo latronis, quem sua fides saluum fecit. Et exemplo Magdalene. Haud tamen est cur ex hac Origenis autoritate Lutherani exultent, ac si docuerit, sola eos fide iustificatos. Nā verba latronis, Memèto mei, spem ac pœnitentiā & charitatem demonstrant, quibus fuit vnà cū motu fidei à Deo tractus. Et in Magdalena apertius id indicauit tum fletus, tum & CHRISTI testimonium. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

An Iudæorum Deus tantum? Nōne & Gentium? Imò & Gentium: quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisione ex fide, & præputiū per fidem. Hic intueor excelsum Pauli ingenium attolli ad causam altissimam ac principem, puta

Iustitia operum & iustitia fidei.

Causa breuiter manet creationis.

Argumentum Pauli.

Gal. 5.

Orig.

Iudæorum Deus.

fontalem & efficientem, cur Deus quantum ad sufficientiam, omnium in vniuersum mortalium salutem fuerit operatus. Nam hæcenus à causa materiali argumentum sumpsit, rat, quam itidem demonstrauit, generalem, scilicet, ex eo quòd omnes tam Iudæi, quàm Græci peccauerunt, indignisse gloria iustificantis Dei. At verò ex huiusmodi indigentia non tam extruitur solidum argumentum, quòd essent seruandi, quàm ex benignitate causæ agentis. Videtur ergo mihi Paul. à primo fonte rem deducere. Hæc enim vnà fuit Deo causa condendi humanum genus, (quod antehac dicebamus) vt nobiscum suam communicaret effusissimā deitatem. Ob idq; proprium ipsius munus est, aberrantes ab illo scopo in viam reducere, id quòd naturalem exuperat facultatem nostram. Quo fit, vt prima causa nostræ salutis sit Deus, qua ratione bonus est. Est ergo argumentum huiusmodi, Deo proprium est, eos iustificare, quorum est Deus: non tantum Deus est Iudæorum, sed etiam Gentium: iustificat ergo cum Iudæis pariter & Gentes. Et idcirco vnà esse debet causa communis, per quam omnes iustificentur, sicuti vnus est & Deus qui iustificat: hæc non poterat esse lex, quæ non participabatur Gentibus: fit ergo, vt qui vnus est omnium Deus, per vnā ipsius fidem iustificet tam circumcisionem quàm præputium, hoc est, vtrunq; populum, tam recutitum illum ac circumcisum, quàm præputiatum. Similiter ait Galat. 5. In CHRISTO IESU neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Quod ait/ex fide/ & /per fidem/ forsan idem est, vt aiunt Hierony. & August. Nisi quis fortè hoc mysterii meditetur, quòd/ex/ significet remotiorè causam/per/ verò, propriorem. Iudæi enim à fidei fundamento exorsi, per legem tum postea coluerunt Deum. Gentes verò primū ad prædicationem CHRISTI per fidem iustificati sunt. Et huc forsan spectat Orig. qui de re hac longam orditur homiliam. At non absque mysterio phrasi hac interrogandi vitur, An Iudæorum Deus tantum? Namq; id quoq; Iudæi adstruebant. Nempe quòd propter susceptam legem Deus verus, Deus Hebræorum nuncuparetur, & Deus Abraham, & Deus Iacob, & c. Vt Exod. 5. & alibi crebrò videre est. Atq; ideo putabant sibi propriè aduenisse Messiam. Igitur de hoc errore illos hæc

deicit sciscitatione. Nam etsi, ob peculiarem Dei cultum inter alias nationes, notus in Iudæa Deus diceretur, erat nihilominus (vt est in Psal.) Rex omnis terræ Deus. Vnde Hier. 10. Quis non timebit te, ò rex Gentium?

Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus. In fine tandem & calce capituli, hoc est, collationis fidei cum lege, lenit sedatq; Iudæorum animos, quos grauiter inde perturbare poterat, & consternare, quòd visus semper est adeo fidem in sublime tollere, legemq; suppressere, ac si fides aduersa esset legi, eamq; vt prauam & exitiosam cum idololatria Gentium auersaretur. Prosequitur autem eundem rogationis impetum, Nunquid ergo legem per fidem destruimus? hoc est, abrogamus, euacuamus, & proiciamus? Absit. Abhorrentis est. Sed legem statuimus, hoc est, constabilimus, & obfirmamus, scilicet, per fidem.

At obiectat sese hic confestim Apostolo sua ipsius doctrina. 2. ad Corin. 3. vbi docet, Gloriam vultus Moysis promulgatis legem, eiusq; ministrationem, ac subinde legem euacuari per gloriam ac lumen CHRISTI. Id quòd ad Heb. 8. & 9. confirmat, commonens, anti-quatam esse legem. Nam translato, inquit, sacerdotio, & legis quoq; necessè est translationem fieri. Hæc autem, quæ videtur, nulla est dissensio. Legem enim veterem bifariam est considerare, scilicet, qua parte cerimonias & iudicia continebat, & qua, moralia amplectebatur etiam præcepta. Vel si mauis, qua ratione figura venturæ erat euangelicæ, vel qua officia imperabat, quæ ad mores diuinumq; cultum pertinebant. Et neutro modo infirmata est per fidem, sed vtroq; dilucidata & asserta. Porro quātum ad vim operum inde potissimè corroborabatur, quòd opera illa per se Deo placere non poterant, nisi quatenus fide nitebatur. Fides ergo, præterquam quòd peccata remittebat, id quòd lex nequibat, causa etiamnum erat, vt opera legis, quæ fierent ex gratia, tam cerimonialia, q̄ moralia accepta essent Deo, & apud ipsum meritoria. Et ideo lex quæ per se tantum valebat peccatum monstrare, vigorem accepit ac vim operandi per fidem. Sed & quatenus figura erat, per fidem est quoque illustrata & firmata, nempe demonstrantem, quàm fuerit verax in suis vaticiniis, figurisq; & oraculis, quorum veritas pa-

Argumentum contra.

Heb. 7.

Lex vetus.



telcit in Euangelio. Ob idq; dignitatem legis per hoc fides illustrat, quod maximè ostendit fuisse operaprecium tanquam Euangelii testem. Quapropter dixit/testificata à lege. At verò quoniam qua parte prænunciata erat CHRISTI, ipso veniente, perfuncta iam est officio suo, hac ratione fides illam non quidem abrogauit, sed declarauit, cessasse. Et hic intimus est omnium sensus sententiæ i. Iulius CHRISTI, Non veni soluere legem, sed adimplere. Quod est, Non abrogo legem, neq; tollo, sed quia non fuit ædita nisi vq; ad me, per me impletum est tempus illius, vt iam deinceps abolita censeatur. Atq; hoc est, quod ait locis citatis Paul. euacuata esse legem, & antiquatam, & translatam per CHRISTVM. Veruntamen neq; isto modo fides CHRISTI destruxit legem, imò explicuit ipsius munera & officia: quæ erant, tum peccata patefacere, tum legem prænunciare nostram: atq; hoc nomine fuisse utilis simam suo tempore, tanquam pædagogum (vt ait alibi idem Apostolus) quoad usq; veniret plenitudo temporis. Euacuauit ergo fides legem, eo solum tropo loquendi, qui est ad Corinthios, Cum autè venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. At verò quoniam hucusq; solum inter legem quamcunq; & fidem CHRISTI diximus, Paulum discriminatum esse, non autem inter legem totam euangelicam et antiquam, superesse existimo, vt ad plenioram prædictorum intelligentiam, veluti colophonem adhibentes, vtcunq; discrepantiam inter eadem duo testamenta attingamus. Id quod sermonis perpetuitas hætenus non permisit. Igitur primùm omnium inter nouum, vetusq; instrumentum sic nimirum conuenit, vt vtrobq; necessaria sit fides ad iustitiam, absque quo fundamento nulla fieri tunc poterant, neq; verò modo possunt opera, quæ digna sint æterna remuneratione, neq; adeo legitimo virtutis nomine: qua tamen præuia fide ac diuina ope, sicuti nunc, ita & tunc temporis omnia opera, siue moralia, siue ceremonialia, nomen habebant ac rem quidem simpliciter virtutis ac meriti apud Deum. Pertinebant enim tunc ceremonialia ad obsequium & cultum Dei, veluti & modo nostræ. Discrepantiæ verò sunt potissimum tres. Prima, quòd nūc explicatior fides est, quam tunc. Qui enim tunc credebatur venturus, venisse iam creditur. Secunda, quòd lex illa non erat adeo vniuersalis, atq; nostra. Pote-

Mat. 5.

Gal. 4.

1. Cor. 13.

Discrimen inter vetus ac nouum testamentum

rant enim tunc extra illam legem Gentes saluari, quod nunc absq; nostræ professione nequeunt. Tertia, quòd mysterium salutis, quod in illa sperabatur, in nostra exhibitum est. Quæ de causa lex euangelica dicitur lex gratiæ, sanè quòd (vt paulò ante dicebamus) nunc CHRISTVS operatus salutem, ianuam patefecit regni. Quamobrem & nostra septem sacramenta, veluti instrumenta passionis eius, gratiam conferunt, quod Paulus antiquis denegat: appellans illa infirma & egena elementa, quæ facultate vacabant iustificandi. Tameñ (vt statim dicturi sumus) in circuncisione, gratia impendebatur originalem detergens labem, tanquam sub signo professæ fidei CHRISTI. Abundantior tamè fortè sit per nostrum baptismum.

Lex gratiæ.

CAP. QVARTVM.

**Q**uid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Scopus quem sibi Paulus in his potissimum quatuor capitulis proposuerat (vt initio dicebamus) is est, vt ostendat, non nisi per vnam fidem IESV CHRISTI oblatam esse nobis à Deo iustitiam. Atque hoc præcipuè contra Iudæos, quos de contrario errore deiicere satagit, atq; Gentibus æquales in hac parte facere. Eam autem Iudæi iustificandi virtutem duobus tribuere poterant, scilicet legi, & circuncisioni. Quorum priori membro expedito, scilicet quòd per opera legis non obtinetur iustitia Dei, pergit & de circuncisione, cuius iam supra cap. 2. sermonem iniiit, idem cõmonstrare, si per se consideretur. In quo totum hoc quartum caput influmit. Et quanuis non adeo necessaria esset huiusmodi partitio, possumus ipsum tamen in quatuor articulos distribuere. Primùm enim ostendit, Abraham non ex circuncisione, sed ex fide fuisse iustificatum. Mox inde, vbi ait, Et signum accepit/apertit causam & finem, cur acceperit circuncisionis religionem. Tertio ab illo loco, Non enim per legem/edocet, quòd nec promissio futuræ redemptionis facta illi est per legem. Namq; tam circuncisio, quam promissio legem multo tempore antecesserunt. Quarto deniq; ex illo verbo / Cui credidisti / vsq; ad finem, multa effert commendatione fidei Abraham. Proponit igitur statim in fronte quæstionem. [Quid ergo dicemus inuenisse Abraham?] Simili enim oratione exorsus est caput

Diuisio.

caput præcedens. Quid amplius Iudæo est, aut quæ utilitas circuncisionis? Et est velut Iudæorum obiectio, qua aduersus illa vltima verba, quibus constituit, exclusam ademptamq; fuisse Iudæis omnem gloriationis ansam, per fidem CHRISTI. Poterant enim Apostolo reclamare, incassum tunc se obseruasse circuncisionis religionem, quam tamen Deus sanctissimo fœdere imperauerat Abraham. Meditatio enim in causa circuncisionis, Abraham meminit, quoniam circuncisio non pertinebat ad legem Moysi, hoc est, non erat per ipsum mandata, sed Abraham multò antea dum promissionem redemptoris fide suscepit, iustus fuit cum sua posteritate illo caractere discerni ab orbe reliquo. Erat enim condecens, fide venturi aliquandiu populum institui, antequam lege operum instrueretur. Primùm vt antequam legem audiret, finem doceretur, ad quem scilicet, per ipsam erat perducendus. Nam in omni officio, cognitio finis prima basis est. Vnde illud existit Pauli, Accedentem ad Deum oportet credere. Deinde maximè vt spem salutis non in operibus legis, per quæ peccata remitti nequibant, sed in fide CHRISTI homines collocarent. Quocirca accommodatissimum hinc Paulus extruit argumentum, nulla legis opera ponenda esse in causa iustificationis, quòd Abrahamus non solum ante legem Moysi, sed ante circuncisionem legitur, quia credit, affecutus iustitiam. Concludit ergo quasi ex prædictis, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Adiectionem / secundum carnem / sunt qui applicent verbo / inuenisse / (vt Ambro.) & sunt qui cum verbo / patrem nostrum / coniungant, vt Orig. & alii authores Græci & August. Secundum Ambrosium sensus erit, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham, hoc est, meruisse, vel fortè dono Dei acquisiuisse, per illam carnis circuncisionem? Et in hoc sensu videretur mihi Paulus, opposuisse circuncisionem in carne, circuncisioni cordis in spiritu, vt fecerat in fine secundi capitis. At verò secundum alios, nulla insinuat hic nominatio circuncisionis, vsq; ad subsequentiã, sed subintelligitur in genere sic, Quid dicemus inuenisse Abraham, qui secundum carnem pater est noster, scilicet per opera legis, qualis fuit circuncisio. Atqui præpositio / secundum / huic lectioni plus fauet. Nam aliàs dixisset, per carnem. Arridet

Circuncisio.

Secundum carnem.

& eidem sensui, quod paulò post colligit, Abraham, patrem fuisse secundum spiritum omnium credentium. De quibus ait CHRISTVS, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Vt ostendat hanc veram esse paternitatem apud Deum: non autem illam, quam hic proponit secundum carnem. At non ita multum refert, vtram amplectamur lectionem. Dixit, patrem nostrum, non eò solum, quòd & ipse proles etiam esset Abraham, sed quia in more hanc habet humilitatem, vt vbi humiliare cogitat Iudæos, se vnà connumeret.

Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Respondet ad quæstionem, haud quidem exprimendo conclusionem, sed syllogismum, vnde colligitur. Respondet enim prius, quid non inuenit per opera legis. Hoc est, quòd non inuenit iustitiam. Deinde in secunda sectione capituli, quid inuenit. Quia signaculum accepit iustitiæ. Syllogismus ergo Pauli est destructorius. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habuit gloriam, hoc est, nactus est inde gloriam (puta apud homines) sed non apud Deum: habuit autem gloriam apud Deum, ergo aliter de quam ex operibus iustificatus est. In priori præmissa subnotat discrimen inter iustitiam fidei, quæ sola existimatur iustitia apud Deum, & iustitiam operum. Non solum operum legis scriptæ, sed etiam naturalis. De illis enim loquitur hic etiam Paulus. Nam ex operibus legis scriptæ, quæ longè post Abraham ædita fuit, indubitatum erat non fuisse iustificatum. Hæc autem operum iustitia duplici ratione dicitur iustitia apud homines. Vno modo, quòd cum ad veram iustitiam, etiam moralem & civilem, non sufficiat opera fieri iuxta præceptionem legis, nisi resecta etiam intentione, & homines non intueantur corda, sæpenumero opera, sinistra mente exhibita, falsò existimantur ab hominibus iusta. Sed in alio sensu iustitia quoq; operum, iustitia est suo modo apud homines, vt sapius antea diximus, & in fine lib. 2. de nat. & grat. latissimè discussimus. Nempe quòd opera, quæ facultate nature, secundum legem, intentione honesti, nequè alia adiuncta circumstantia praua, fiunt, quantum non sint iustitia apud Deum, vt per quæ, nec peccatum remittitur, vt reconciliatio fiat cum Deo, atq; adeo neq; re, neq; nomine

Syllogismus.

Iustitia apud homines.

sint absolutæ virtutes, sunt tamen virtutes suo modo, hoc est, civiles & morales, eademque apud homines verè dignæ præmio, hoc est, honore, qui humanis legibus decreta virtuti est. Atque hunc arbitror etiam secundum sensum significatū esse hic ab Apostolo.

Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Proposita primū quæstione, subiunctoque deinde responsorio syllogismo, subiungit tertio loco, probationem secundæ præmissæ, quam non explicitè posuerat, scilicet, quod Abraham habuit gloriā apud Deum, et id quidem non per opera, sed per fidem. Probationem autem adsciscit à testimonio scripturæ, Gen. 15. Existimo locū hunc Pauli postremo capitulo lib. 2. de nat. & grat. ita à nobis esse expositum, ut nullum hinc prorsus argumentum Lutherani, vnde validissimum putant, adferre valeant, ad confirmandum, quod iustificatio, hoc est, reconciliatio, solo fiat actu fidei. Etenim (quod satis mirari nequeo, eos non animaduertisse) illo temporis articulo, quo Gen. 15. facta est Abrahamæ promissio progignendi seminis, quando Deo credidit, non fuit primū iustificatus. Nam, ut Orig. perspicè adnotauit, iam ante multa eius officia, ceu viri iusti, Deo fuerant probata & grata, sanè cū iussu Dei iam obediens (ut ait Heb. 11. Paul.) fide exierat de terra sua, & de cognatione patris sui. Et apud conuallē Mambræ edificauerat in Hebron altare domino.

Luth.

Ac denique benedictione Melchisedech comprobatus fuerat iustus apud Deum, cuius significatione, panem ei obtulit & vinū. Quin verò nemini ambigendum arbitror, quo minus statim à puero Deo fuerit gratissimus, scilicet protestatione illa fidei, qua erat in iure naturæ ab originali labe mundatus, veluti Abel, Enoch, Noe, & reliqui eius maiores. Adparabat enim ipsum Deus, efformabatque secundum cor suum, ut cui mysteria fidei decerneret reuelare. Elogium ergo hoc nulla apparentia significat, quod per illum tunc actum credendi iustificatus est, id est, ex iniusto iustus constitutus, sed hoc prorsus, quod actus ille fuit actus iustitiæ & obediētiæ, atque adeo Deo acceptus. Sicuti si quis modo iustus probaret, susciperetque aliquem articulum fidei, quem antea à se ignoratum, Ecclesiam nunc expromeret ex Euangelio. Et sicut legitur Ioan. 2. de apostolis, quod post resur-

Gen. 15

rectionem crediderunt sermonem, quem prædixerat Iesus de excitatione templi, sensum habuisse de ipsius corpore. Haud enim per illam fidem fuerunt primū iustificati, sed fuit illis virtus iustitiæ. Ita enim expressè habent verba, credidit Abraham Deo, & hoc ipsum credere/reputatum est ei ad iustitiam, id est, probatum à Deo est, veluti officium iustitiæ. Eadem enim phrasi legitur, Mach. cap. 2. quod Abraham in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est illi ad iustitiam. Qui absque dubio sermo non significat primam iustitiam. At verò redarguis contra, Quale ergo hinc Paulus comminiscitur argumentum pro fide contra opera legis? Re vera per quā egregium, ad vtrancque conclusionis partem, tam negatiuam operum legis, quā affirmatiuam fidei. Primū enim probat neque ex legis Mosaicæ operibus, neque verò ex circumcisione, vbi credebant Iudæi, remissam fuisse primū originis culpam, vnde lo fuisse pacto pendētem iustitiam apud Deum: si quidem ante legem & circumcisionem, virtutē præstitisset Abrahamus iustitiæ, per quam, consecutus est gloriā apud Deum. Secundò per illud officium credendi Abrahamæ, quo sub figura suæ prolis credidit donandum à Deo nobis redemptorem, commonstrare vult remissionem peccatorum, non nisi per eandē fidem factam vnquam fuisse, quæ itidem subnixi operati sunt, quicunque vel in lege naturæ, vel scripta, opera iusta fecerunt, quæ Deo essent accepta. Ut magnificè denarrat Heb. vbi ait, quod fide plurimam hostiam Abel, quā Cain obtulit Deo: non enim suggerit, quod sola fide iustificatus est, sed quod fide se exercuit in operibus iustitiæ. Et fide, inquit, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem.

Dubitatio.

Syllogismus Pauli.

Heb. 11.

Duce antith.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei. Quarto loco supponit Apostolus explicationem illius quod dixerat/reputatum ad iustitiam. Ut exinde per amplius dilucescat, quidnam sit iustificari citra legis opera. Et sunt hic discretè annotandæ duæ antitheses, inter quatuor verba. Contraponit enim operanti, eum qui non operans credit,

&amp; in

& deinde gratiam, debitæ mercedi. Operantem autem appellat illum, qui aliquo opere meretur, hoc est, debitam sibi facit mercedē. Quapropter huiusmodi operarii, mercenarii dicuntur. Et re vera eos hic intelligit operantes, quos supra nuncupauerat factores legis. Sanè qui legis cultura & officiis præmia eiusdem legis promerentur. Atque contrario sensu non operans est, qui nulla prius præstitit legis opera, sed fides, quam habet pollicenti, primum fundamentum est assequendi beneficium. Sunt ergo verba hæc in formam talis syllogismi construenda. Si quis obtineret iustitiam apud Deum, tanquam operans secundum legem, talis iustitia non conferretur ei quasi gratia, sed retribueretur tanquam iusta merces, quæ debetur operanti. Si autem impenditur nunquam antea operanti, ob hoc quod credit iustificatori pollicenti, illi certè non redditur tanquam debita, sed confertur gratis ob solum propositum, hoc est, gratuitam voluntatem pollicentis: hoc autem secundo modo fit iustificatio impii, ergo fit gratis per fidem, & non redditur tanquam operibus debita. Sciscitaris autem, quid hoc pertinet ad expositionem præcedentis authoritatis, imò quomodo hanc probat subiunctam præmissam? Profectò scientissimè. Haud tamen sic, ut sentiat Abraham illo loco fuisse ex impio in iustitiam primū constitutū (id enim iam conclusimus) & ideo hic minimè illius meminit, sed est locus à simili. Fuit enim illic Abrahamæ facta promissio prolis supra naturam propagandæ, nempe quod senibus per emortua corpora procreanda esset. Quæ de causa (ut in fine capituli ait Paulus) reputata est fides eius ad iustitiam, scilicet supernaturalem. Nam si des illa non potuit esse naturalis. Constat ergo inde analogia, quod quemadmodum tunc Abraham nullius exhibuit opus legis, aut naturalis, aut scriptæ, sed obedientia illa supernaturalis fidei accepta fuit illi, tanquam iustitiæ opus, ita & in impii iustificatione vsu venit, scilicet quod non operanti, videlicet (expositore August. in præfatione psalm. 39.) iacenti in peccato, atque ideo non bene operanti, neque quicquam meriti adferenti ad suā iustificationem: credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur ad iustitiam: fides autem illa, quæ per charitatem operatur. Quocirca consultò Paulus non dicit credenti ei qui iustificat, sed credenti in eum. Quæ phrasis voluntatis affectum designat comitē fidei, quo affectu ferimur in Deum. Ut autem plenius,

manifestiusque diluceat, quomodo non operanti fides reputatur ad iustitiam, mediteris oportet, quatuor illorum gradus, qui iustificatur, quos. 2. lib. de nat. & grat. singulatim discere uimus. Paruulis enim ante rationis lucem sola fides per sacramentum applicata, ut in lege veteri, seu per sacramentum ipsum fidei, ut in noua, reputatur & sufficit ad iustitiam, per quod paruulus sacramentum, ea quidem ratione credere censetur, quod re vera obligatur voluntate parētum, fidem ad mortē vsque sustinere, ac legi obsequi CHRISTI, cui damus illic nomina. Illi verò qui iam per aetatem cōpotes sunt rationis, si qui fortè essent cum sola macula originali, solo actu fidei baptismum suscipientes, salui fierent. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Illa enim fides Dei, quod remunerator est, spem secum affert, atque intinctio ipsa baptismalis charitatem & obedientiam: quæ illi sufficeret absque vlla pœnitentia. Verum qui vnā cū natiua illa labe, aliis esset delictis, propria voluntate commaculatus, huic certè haud satis esset actus fidei, tametsi primus sit omnium necessarius, sed requiritur cum spe veniæ, per aliquam forsitan in genere pœnitentiam obiectam illū, qui gratiæ obstat, amouere, vel omnino saltem praua affectione semota, baptismum suscipere in remissionem peccatorum. At verò qui de gratia baptismali dilabuntur, illi quidem, nisi interueniat cum fide & spe singularis quoque charitatis pœnitentia, nunquam recuperabunt salutem. Est ergo merum & inane commentum Lutheranorum, qui, ut mordicus retineant, sola nos fide iustificari, aut, idē esse, fide iustificari, & gratis iustificari. Nam etsi ambo vera sint, non tamen sunt vnum. Gratis enim iustificari, hoc est, quod nullis præcedentibus meritis. Fide autem, est, quod in ventibus libero arbitrio, ille sit primus actus, aliorumque fundamentum & basis. Ut autem ad literam contextum reuertamur, sciēs ac prudens non dixit, quod credere est iustitia, sed quod reputatū est illi ad iustitiā. Sanè ut perseveraret in discerniculo iustitiæ fidei, & iustitiæ operum. Etenim militis. v.g. labores, qui stipendia facit, & cuiusvis suam locatis operam, non solum reputantur, sed sunt per se iusta opera, si comparentur ad mercedem. Et pariter legis officia moralia, si ad civile præmium referantur. Qui verò ex impietate iniquitate sua resipiscēs adsciscitur ad iustitiam Dei, illius, quia non adfert meritum vllum, merito fides non dicitur iustitia, sed

Non operanti.

Quatuor iustificatio- rum gradus.

Luth.

Reputatū ad iustitiā.

H 5 reputa

reputari, hoc est, ex gratuita voluntate Dei acceptari ad iustitiam. Quod si post partam gratis iustitiam iustus iam iuste agat, sicuti in illo actu credendi contigit Abraham, & illud quod opus ex eo dicitur reputari ad iustitiam, quod ratio meriti non ex naturali virtute arbitrii nostri, sed Dei munere existit. Quocirca in illo priori membro / ei autem qui operatur / & c. Suggestit nobis Paulus, id in iustitia regni celorum quodam pacto accidere, quod in civili. Dignoscit enim inter eum, qui iam in iustitia constitutus per gratiam Dei operatur, atque eum, qui reconciliatur. Nam et si nihil hic quidem operans sit, quod sit meritum gratiae, quam ob causam huiusmodi praeueniens gratia, operans nuncupatur, tamen qui gratis iam iustus est, ille sane operans est, utpote cuius opera per cooperantem Dei gratiam sunt meritoria. Quae ideo (ut ait in lib. de gra. & libe. arbi. Augu.) tum dona Dei sunt, ut sine cuius favore, nec cogitare aliquid a nobis possumus, tum etiam merita nostra, propter liberum nostrum assensum. Particula illa finalis. Secundum propositum gratiae Dei in nonnullis codicibus Graecis non scribitur. Quare nec Graeci enarratores illius meminerunt. Legit eam tamen interpretaturque Hieronymus, cui & Ambrosius subscribit, qui ait / propositum / idem valere quod decretum, quo Deus statuit, ut cessante lege, fidem posceret ad salutem, leguntque etiam Latini alii. Quare credendum est, veterem interpretem tali fuisse usum exemplari. Atqui liquidum est, per eam plurimum lucis ad perspicuitatem literae adferri, tantum abest, ut vel minimum in sententia demutetur.

Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Accersit & Psalmista quoque in testem eiusdem sententiae ex psalm. 37. Vbi nulla praemissa operum significatione, beatum vocat hominem, cui Deus non imputat peccatum. Et primo depromit sententiam Psalmi, quae est, hoc vno agi beatitudinem hominis, si Deus illi accepto fert iustitiam sine operibus. Versionem istam interpretis nostri iuniores non vno modo taxant, neque ita multum pudenter. Etenim ubi supra dictum est, Reputatum est illi, Et, Merces non imputatur, Et, Reputatur fides, Et hic ubi ait / Accepto fert, vna est graece, eademque dictio λογισθηται. Increpant ergo primum affectationem copiae, velut puerilem, quod idem verbum

diuersis efferat. Deinde, quod alicui accepto ferre, non est Latinum, sed, acceptum ferre. Primum ad / reputare, & / imputare, respondeamus. Vt cumque isti impense latinitati patrocinentur, inficias ire tamen nequeunt, quominus / reputare / in bona partem accipiatur. Imputare vero, in malam. Illorum enim duorum, qui cum CHRISTO latrones crucifixi sunt, alterius confessio in laudem quidem & gloriam deputata est & reputata, alterius vero blasphemia imputata ad culpam. Neque diceret quis apte, negationem Petri reputari ad infidelitatem, sed certe imputari: sicuti & fletus poenitentis, non est imputatus, sed reputatus pro iustitia. Vnde in psalmo statim, Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Cum ergo vox Graeca, amphibola sit, variasque huiusmodi versiones ferat, ubi res ad perfectionem spectabat, vertit interpretes, reputatum est illi ad iustitiam: sed quia prauitas est, operibus iniqui aliquid reputari ut debitum, non dixit secundo loco, quod merces non reputatur, sed non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum. Tertio vero loco probe repetiuit, Reputatur fides ad iustitiam. At, accepto ferre, quoniam sint qui simpliciter exponant, per hoc quod est, gratis dare, veruntamen non nihil amplius praese fert mysterii, quod penitus est animaduertendum. Latinae namque phrasae sunt, acceptum alicui referre, & acceptum ferre. Dicitur enim quis acceptum quidpiam referre alteri, cum confitetur se id ab eodem accepisse. Veluti dum oeconomicus aliquid a domino in expensas recepit, dicitur id domino acceptum referre, quod cum expenderit, dicitur & eidem expensum ferre. Qua nos ratione gratiam & gloriam, quin & dotes naturales Deo in vniuersum acceptas referimus, ut de cuius manu suscepimus vniuersas. At acceptum ferre (quod ad praesentem attinet expositionem) remissionem significat debitorum. Cum enim creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre. Vnde verbum iuris dimanauit, acceptilatio. Vbi scilicet debitor qui non est soluendo, interrogat suum creditorem, vtrum acceptum habeat quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto & soluto deputet. Tunc enim si creditor respondeat, habeo quidem, acceptumque tibi fero, remissio illa & condonatio, dicitur acceptilatio: quae est regione opponitur iustae solutioni. Pulcherrima ergo hic accommodatissimaque oratione explicat Paulus, tum id quod dixerat, Reputatur fides ad iustitiam

Reputare & impu.

Acceptum referre & ferre.

Acceptilatio.

Optima expli.

Ei qui operatur.

August.

Secundum propositum & c.

Psalm. 37.

Noti interpret.

iustitiam, tum clarissime rationem nostrae iustificacionis. Cum enim nos soluendo non sumus Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, id est, pro accepto ducit, si modo illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca perspicacior esset, fateor, versio, Cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus, hoc est, sine debiti solutione. Neque mirum si interpret ita verterit, & librariorum vitio fuerit mutatum. Attamen potest fortasse / accepto / ad uerbialis esse datius, qui in eandem veniat sententiam. Assertur ex quibusdam quale quale exemplum, ut cum dicimus, Do tibi hanc rem pignori, seu locato, id est, in pignus, seu pro pignore, vel in locatum. Quo pacto & Deus fert iustitiam nobis accepto, id est, deputat in acceptam, seu pro accepta. At dum sensus patefcit, nihil se angat dictio.

Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum. Subnectit iam verba ipsa psalmi, in quibus, tamen si expresse non fiat exclusio operum, tamen simul tria haec verba / remissa / tecta / & / non imputare / tantumdem significant. Idem enim est, acceptum ferre alicui debitum, quod remittere, & absque solutione condonare. Id quod alius propheta dixerat, Sine argento redimemini. Et ad Titum Paul. Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos. Vocat hanc autem beatitudinem, hoc nimirum seculo in spe, post vero futuro, in re. Quoniam nullus illuc, post Adae peccatum, patet nobis aditus, nisi per gratuitam huiusmodi condonationem peccaminum. Et videtur spectare ad vulgatum loquendi modum. Cum enim quis absque ullo labore, & dispendio, in aliquem subuectus est honoris gradum, beatum talem acclamamus. Addit [Et quorum tecta sunt peccata.] Id est, perinde remissa, ac si prorsus essent obliuioni tradita. De qua re alius vates, Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Dicitur enim Deus recordari iustitiae nostrae, quando praemia largitur: iniquitatis vero, quando infert supplicia. Sed nunquid non in die illa vniuersalis iudicii, omnium conspectui palam sient vniuersa iustorum criminata? Fient sane. Nam referet vnusquisque ante tribunal CHRISTI (ut ait alibi Paulus) propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum: nimirum ut non solum in reproborum vindicta, iustitia resurgat Dei, verum & in retributione iustorum, tam eadem patefcant iusti-

Esai. 53.

Ezech. 18.

Quaestio quomodo tecta peccata.

tia in laude bonorum operum, quam summa misericordia in delictorum remissione. Quod si hic haesites, quomodo fieri tunc poterit, ut sua iustos peccamina non pudefaciant? eos cum primis, qui sceleratissima hic facinora, depudendaque admiserunt flagitia, ob quae impossibile esset, correctissimos in hoc seculo, & emendatissimos quosque, non summo pudore suffundi? En tibi, quod hic humana ratio excogitare non valet, respondet David, dum ait, Quorum tecta sunt peccata. Patebit enim tunc propalam iustorum errata, nihil tamen confusionis a conspectu illius vniuersitatis contrahent. Tanta erit contegentis Dei misericordia, tantaque poenitentiae per fauorem eius virtus & gloria, tanta utique charitas multitudinem operiens peccatorum. [Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum.] Repetitio ferme eiusdem rei est. Nisi quod, ut remissio causa est, qua peccatum tegatur, ac caelestis, ita caelatio ratio est, cur non imputetur. Etenim quia peccatum remittitur, deletur de memoria Dei, ob idque non imputatur ad supplicium. Ut remissio referatur ad ablationem culpae, tectio vero, ad obliuionem praeteriti actus, sed non imputatio ad condonationem poenae. Quae quidem tria cum plenissime in martyrio fiant, interpretati nonnulli sunt (referente Hierony.) peccamina per baptismum remitti, tegi laboribus poenitentiae, non imputari per martyrium. At nihilominus ad remissionem omnium cuiusuis peccatorum etiam extenduntur. Tamen si hunc trinitatis ordinem aliter Origenes, aliter Ambrosius, atque alii aliter exponant. At quam ex hoc verbo Lutherani sinistrum sensum extorqueant, lib. 1. & 2. de nat. & gra. copiose disputauimus. Haud enim nescio, vnde in hanc mentem fuerit illis istorum parens delapsus, qui docuerit, nullam fieri vnquam veram remissionem peccati, seu originalis, seu actualis, ita ut ratio ipsa culpe omnino tollatur, sed sic prorsus, ut quae perpetuo permanet, non imputetur a Deo. Et ita interpretatur, tum tegi, tum non imputari peccatum, ac denique, fidem reputari ad iustitiam. Quapropter, quod in humano tribunali saepe assolent, puta reum secundum testes absolui, qui tamen vere est in crimine, id & de sanctissimo Dei iudicio cogitare audet. At quis tantam aequissimo Deo impingere absurditatem ausit, ut scilicet quempiam absoluat, qui non sit, vel potius quem non perficiat ipse, ut vere sit iustus? Iniquitas enim quoadiu manet in homine, non potest non odio haberi Deo.

Lutheran. Lib. 1. de nat. & gra. cap. 10. & lib. 2. ca. 19.



Deo: sanè qui, teste Dauid, viam iniquam, iniquitatem & iniquum, vt qui contra suã sunt voluntatem, iugiter odio habet: quæ autem odio habet, non remittit: ergo vel nulla est iniusto iniquitatis ratio, vel non remittitur, remittitur autem: ergo non remanet, sed verè tollitur: iuxta Ioan. testimonium, Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Adde quòd cum peccatū id profus polleat, quod offensa in Deum, si ipse iniquo parcat, quænam, quæso, excogitari potest ratio culpæ, quæ in ipso fiat reliqua? Haud ergo est cur in dubiū cuiquam veniat quin remittere / cõtere gere / ac / nõ imputare peccata / idè sit, quod profus condonare, abstergere, ac radicatus conuelleret & tollere. Aliàs fictio esset, & nõ veritas, contra illud ipsissimæ veritatis verbum, Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Et, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Verba sunt Augu. con. Epi. Pela. lib. 1. cap. 13. Dicimus baptisma, omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: neq; peccatorum radices in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resuscanda peccata. Et ad propositum luculentissimè in lib. de perfectione iustitiæ, Certè iustus est Deus: negare se ipsum non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum: quia neq; peccatum est, quicquid non imputabitur in peccatum. Hæc ille, Eadem vtique ratio vbi ait, reputatur fides ad iustitiam, verbum / reputatur / nihil detrahit veræ iustitiæ. Quinimò quemcunq; Deus iustum reputat, idem verissimè est iustus per spiritum sanctum, quem effundit in nos abundè.

Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahamæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. In hac tandem postrema particula huius primæ sectionis dictorum conclusionè colligit. Nempè quòd beatitudo hæc, & iustificationis felicitas non fuit facta per circuncisionem, quã ante ipsam susceptam de præputiato Abraham fuerit memoria proditi, reputatam fuisse eius fidem ad iustitiam. Atq; id quod de ipso legimus, de vniuerso quoq; tunc humano genere sentiendum nobis est. Quam enim ipse in lege naturæ per fidem assecutus est iustitiam, eandem quoq; & olim

poterant Gentes assequi, per eandem fidem, & posteri etiam nunc Christiani, sine circuncisionis caractere. Conficere enim aduersus Iudæos perseuerat, nõ esse suscipientibus Evangelium circuncisionem necessariam. Persistit autem in sua interrogandi figura, quæ certam designat fiduciam constabilitæ sententiæ. In Græco non est aduerbium / tantum / neq; verbum / manet / sed sic legitur, Beatitudo hæc in circuncisione est / an etiam in præputio? Est tamen omnino eadem sententia, quam, cum alii sic reddant, In circuncisione cadit? alii verò, In circuncisione venit? Licuit pari iure interpreti dicere, In circuncisione manet? Et exclusionis aduerbium / tantum / non ociosum fuit, vt cui responderent subsequentes particula / an etiã. Trunca enim fuisset oratio, In circuncisione manet? an etiã in præputio? Verba responsionis per se ipsa patefcunt.

Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Secundum iam hoc membrum est huius capituli, in quo postquã demonstrauit, quòd per circuncisionem non inierit Abrahamus gratiam cum Deo, neq; fuerit ascitus ad iustitiam eius, constituere profequitur, in quemnam vsu, honorem ve, aut dignitatem illo fuerit caractere insignitus. Atqui primū definit circuncisionis ingenium & naturam. Sanè quæ non tam fuit data vt res, quàm vt rei signum: ac deinde subiungit ipsius finem & propositum: quod fuit, vt esset Abraham credentium pater. Igitur postquã in Dei, inquit, iustitiam, per fidem constitutus est, [Signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio.] Haud ita legeris, vt, / signum / accommodes genitiuo iustitiæ, sed / signum circuncisionis / idem est, quod signum, quod est circuncisio. Sanè quæ signum fuit istius fœderis inter Deum & Abraham, cum prole & posteritate eius. Ita enim legimus Gen. 17. Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circuncidetur carnem præputii vestri, vt sit in signū fœderis inter me & vos. Quod autem subsequitur / Signaculum iustitiæ fidei / definitio est & elucidatio præcedētis verbi. Fœdus enim illud, quod Deus cum Abrahamo iunxit, ita constituit, vt quia Deus illi amplissimā pollicitus fuerat prolem, per quam CHRISTVS erat venturus, cuiusq; perinde fide iustificatus fuit, ab illo vicissim hoc obsequiū repolcere statuit, vt se, suamq; familiam

Tantum manet.

Nota Abrahamæ historiã

SECUNDA PARS CAPITULI

Gen. 17.

familiam perpetuò circuncideret, vt in membro illo, generationis ministro sigillationem gestaret promissæ prolis. Quo circa signum illud recitæ carnis signaculum fuit iustitiæ, quam fuerat per fidem consecutus. Meditator ergo circuncisionem, nõ appellat, vel causam, vel augmentum iustitiæ, sed signaculum penitus, ne inde Iudæi exultarent, dicentes, à circuncisione pendere iustitiã. Ob idq; adiecit / In præputio / hoc est, iustitiæ, quæ per fidem fuit in præputio, puta antequàm circuncisionem susciperet. Cernere enim mihi videor diuinitatem quãdam in historia Abrahamæ, quem Deus in patrem omnium credentium instituebat. Enimvero quẽadmodum in omni negotio finis primū & scopus præfigendus est, quo referantur post media, sic Deus sub imagine temporalium, æterna bona pollicitus est Abrahamæ, per ipsumq; vniuerso humano generi. Primū, inquam, omnium, Gen. 12. Iussit eum egredi de terra & cognatione sua in terram, quam illi esset monstraturus: vbi cœlestem patriam sub vmbra pollicebatur, tum ipsi, tum genti, cuius erat per fidem futurus pater: & ideo (teste ad Hebr. Paulo) fide exiuit. Mox quia sempiterna illa hæreditatis felicitas, nemini, nisi per fidem CHRISTI, obtingere potest, pollicitus est illi Gen. 15. proprium legitimumq; hæredem, ex cuius vastissima propagine, creãdus esset naturalis Dei filius, per cuius iustitiam fidei, adeunda erat promissa prius cœlestis hæreditas. Quem proinde Paulus locū, ad hoc propositū citauit, videlicet, quòd credidit Abraham Deo, &c. Hæc veruntamen omnia ante circuncisionem peracta sunt, ne quis crederet, ob iustitiam illius obedientiæ, vel fuisse tunc iustificatū Abraham, vel quẽpiam in posterum iustificatum iri. Tandem quòd populus ille secretus esset à reliquis Gētibus, insignisq; inter omnes haberetur nationes, iussus est caractere illo circuncisionis signari. Qua de causa Iosue, 5. iussus est populus antequàm Gentibus commisceretur præputia rescindere / quæ in deserto nutriuerant.

Vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis, non iis tantum, qui sunt ex circuncisione, sed iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abraham. Apponit statim finem dati illius signi. Is nãq; fuit, vt esset pater omnium credentium per

præputium. Parui refert, vtrū intelligas, pater per præputium, hoc est, qui dum erat in præputio, constitutus est pater omnium credentium, an verò legas, credentium per præputium, hoc est, omnium qui crediderint, etiam præputiatorum. Mens enim Pauli hoc loco est secundum binam circuncisionem, duplicemq; Iudæum, cuius meminit, cap. 2. duas pariter dignoscere paternitates Abrahamæ, spirituales scilicet, per fidem, quæ in vniuersum est omnium credentium, cuiuscunq; sint gentis: alteram carnalem per illam membri recisionem, quæ peculiaris erat illius, quæ ab ipso deriuata est, posteritatis. Hoc quippe dignatus est Deus noīe Abrahamū, vt qui primus fuit, cū quo de futura salute voce pactus est: ac primus qui hanc sibi fidem expressiorem adhibuit, pater nuncuparetur omnium fidelium. Quæ quidem paternitas in infinitū præstantior erat illa carnali. Id quod Ioan. Bap. Mat. 3. Iudæis obiicit. Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham (illa enim carnis propago, nihili ducitur apud Deum) sed potens est ipse de lapidibus (hoc est incredulis Gentibus) suscitare filios Abrahamæ, hoc est, fide regenerare Abrahamo filios: non in illam literalem terræ, Iebusæorum, & Amoræorum, sed in æternā hæreditatem [vt reputetur & illis ad iustitiam, & sit pater circuncisionis] Explicatius pandit rationem istius filiationis spiritualis: sanè quæ in hoc collocatur, vt quemadmodum illi, ita & cunctis suis per fidem regentis filii reputetur fides ad iustitiam. Qua nimirum ratione sit ipse pater circuncisionis, illius videlicet spiritualis, quã supra dixerat fieri absconditè in corde. Pater facit etiamnum amplitudinem ac generalitatem paternitatis dicens. [Non iis tantum, qui sunt ex circuncisione, &c.] Opponit, inquam, circuncisioni spirituali, carnalem, vt demonstraret huiusmodi propagationis modum. Non enim illis tantum factus est pater, qui filii eius sunt, per circuncisæ carnis generationem, [Sed iis qui sectantur vestigia fidei] Hoc est, qui per imitationem fidei, hoc adeunt filiorū munus. In textu Græco negatio non præcedit articulū, sed sequitur: hoc modo, iis qui non tantum ex circuncisione sunt, sed iis qui sectantur vestigia fidei. Et ideo aiunt neoterici traductores, non id affirmare hoc textu Paulum, quòd Abraham non tantum Iudæorum, verum etiam gentium fuerit pater, sed hoc præcisè, quòd non sit verus Iudæorum pater, ob præcisam pelliculam, nisi sectentur vestigia

Mens Pauli.

Abrahæ dignitas.

Mat. 3.

Noti interpret.

vestigia fidei. Quo & Chryso. applaudit. At qui, si in secundo membro non repeteretur græcè articulus, optimè constaret lectio, in hoc sensu, his qui non tantum ex circumcisiōne sunt, sed qui sectantur, &c. Cum tamen articulus sicuti latinè pronome, repetatur, quasi duo ex æquo membra distungens, profectò vero simile est, vel quòd in antiquo codice negatio præponebatur articulo, vel quod etiam si postponatur, eundem reddat sensum. Ob idq; Theophyla. indiuiduus aliàs Chryso. solum affecla, nobiscum legit, & expressè Hierony. scripturæ obseruantissimus: & vbi libet August. Quinimò & Ambro. quem tamen illi iniquè pro se adferunt. Nam licet in textu negatione præferat pronomini, subiungit tamen in cōmentario hæc verba, Hoc dicit, quia credens Abraham, primus factus est pater circumcisiōnis, sed cordis, non tantum eorum qui sunt ex eius origine, sed eorum qui similiter credunt ex Gentibus. Secundum carnem enim Iudæorum pater est, secundum fidem verò omnium credentium. At verò quāuis sit qui ita autemet, vt Paulus his verbis solum Iudæos admoneat, non satis eis fuisse, vt filii essent Abraham, incisione illa carnis insigniri, nisi insigne quoq; fidei in corde gererent, tamen pro indubitato habendū est & confitendum, ab illo loco, Vt sit pater omnium credentium, id constituere Paulum, quòd Abraham per fidem, quam Deo habuerit in præputio, pater fuerit institutus, non solum Iudæorum, sed & Gentium, hoc est, omnium corde circumcisorum. Imò neq; circumcisorum spiritualem esse patrem, nisi eorum, qui fidem sequuntur. Quam ego ob rem hoc sensu legerem, his qui non tantū circumcisi sint, sed iis, hoc est, vniuersis, tam circumcisis, quàm incircuncisis, qui sectantur vestigia fidei, vt non duo populi disiuncti, sed vnus per fidem ex vtroq; cōfiatus adnotetur. Iuxta verbum CHRISTI, Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, vt fiat vnus ouile & vnus pastor: & ideo vnus grex. Quòd autem se ita res habeat, infra expresso illo testimonio Genes. confirmat, Quia patrem multarum gentium constitui t. Eademq; de causa in constitutione huius periodi, cum dixisset, patrem esse eorum, qui sectantur vestigia fidei, annexit. [Quæ est in præputio patris nostri Abraham.] Id est, qua, dū esset in præputio, iustus effectus est. Artificiose etenim eloquentia verbo respondet, quo fuerat sermonem exorsus. Pro-

posuerat enim, Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Et concludens ait, Patris nostri secundum spiritum. Huc & illud attinet Ioan. 8. quod CHRISTVS Iudæis obiecit, iactantibus se filios fuisse Abraham. Scio enim, inquit, quia filii Abraham estis, (scilicet, secundum carnem) sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Quod est, Sed non estis filii legitimi. Quippè qui sermonem meum non capitis, vt ille, patris mei. Ob idq; tanta ab illo intercapedine distatis, vt cū fide ipse filium proprium occidere statuerit, in obsequium Dei, vos me contra, filium Dei, præ infidelitate vestra, occidere molimini. Et infra, Si filii Abraham estis, opera Abraham facite. Sicuti ait hic Paulus, eos esse filios Abraham, qui sectantur vestigia fidei. ¶ Congruit hic veruntamen aliquāto penitius, quæstionem illam discutere, quam supra cap. 2. de circumcisiōne tetigimus. An circumcisiō condonatio, sub illa cerimonia, fieret originalis culpæ. Non tantum enim Bucerus super verbo. 3. cap. Quid amplius Iudæo est, cum Lutheranorum familia, verum & catholici nonnulli, quos supra notabamus, minimè verentur negare, vllam illis fuisse factam remissionem, propterea quòd Paulus pares omnino & æquales constituit, respectu gratiæ, Iudæos & Gentes, neque opera scriptæ legis vllò gradu præfert legi naturæ. Neq; profectò desunt à parte hac sua negatiua probabilia argumenta. Quale illud præcipuè extat Pauli Gala. 2. Si ex lege est iustitia, CHRISTVS gratia mortuus est. Vnde & cap. 4. eos pudefacit, quòd iterum conuertantur ad infirma & egena elementa. Et præterea ex hoc præsentis loco non exilis sit coniectura, vbi tantopere contendit Apostolus demonstrare, vt ante circumcisiōnem iustitia fuerit in orbe apud Deum, cuius circumcisiō nihil aliud est, quàm signaculum. Qua de re Abrahamum, patrem demonstrat esse omnium spiritualem per fidem, non per circumcisiōnem. Ac denique mirandum est, quòd cum originis labe in vtrunq; effunderetur sexum, peculiaris esset instituta cerimonia, per quam solis remitteretur masculis, idq; non ante octauum diem. Existimant ergo isti, inuentum esse scholasticorum, vllius factam olim remissionem culpæ, in circumcisiōne. Contra quos nihilo contentantius retinenda nobis est catholica conclusio, cuius negatio enormis error est, quippe quam sancti Patres de media scriptura sa-

Ioan. 8.

An in circumcisiōne remissio fuerat originalis.

Luthe.

Gala.

Conclus. catho.

cra

Circumcisiō signaculum triplex.

cra elicita semper probauerunt, scilicet, quòd in circumcisiōne abstergebatur natiua illa macula, quam à primo parète cōtrahimus. Quæ propter circumcisiō signaculum fuit rei triplicis, scilicet præteritæ promissionis, præsentis tunc remissionis, futuræq; ablutionis, circumcisiōnisq; cordium per baptismum CHRISTI. Atq; his omnibus competens erat, vt in illa parte corporis fieret. Quandoquidem & signum erat, vt paulò ante dicebamus, propagandi per illud organum, promissum semen, & signum quoque remissionis culpæ, quæ per eiusdem concupiscentiam contrahitur. Quæ quidem concupiscentia, nudatione illa (vt fertur) mitigabatur. Ac tertio denudatio illius particulæ figuram habentis cordis, specimen ferebat futuræ per CHRISTVM cordium circumcisiōnis in baptismo, vbi veterè exuimus carnem hominem. Cuius figura illa fuit circumcisiō in deserto, petrinis cultris facta. Petra enim erat CHRISTVS. Ob idq; præsentia baptismi circumcisiōnem abegit. Gal. 5. Iuxta illud Gal. 5. Si circumcidimini, CHRISTVS nihil vobis proderit. Quinimò & futuram etiamnum designabat expoliationem corporum, in resurrectione ab omni passibilitate & mortalitate. Qua etiam de causa, præter eam quæ de infantis teneritate veniebat: octauo die præcepta fuit, qui mysterium significat resurrectionis. Aliis verò, quæ nemini non sunt confessa, prætermittis, quòd in circumcisiōne deleteret originale, primum argumentum est, quòd negare nullus potest, nisi vel hæreticus, qui originale culpam non agnouerit, vel blasphemus, qui in diuinā extiterit misericordiā iniurius, omni seculo prouisum infantibus à Deo fuisse, per aliquam formam sacrificii, qua fides remuneratoris Dei applicaretur, vt ante vsum rationis possent ab originis culpa emundari. Haud enim consentaneum esse videtur, vt qui in culpa erant, quam propria voluntate non admiserant, omni destituti præsidio, quotquot ante rationis vsum hac vita defungerentur, deperirent. Hac enim de causa, ne hoc scilicet crudelitatis Deo adscriberetur, indultus à CHRISTO per apostolos est paruulis euangelicis baptismus. Nisi forsitan quis diceret, quòd omnes tunc indiscriminatim, absq; aliqua applicatione fidei seruabantur, quòd absq; vlla prorsus probabilitate cōcederetur. Huic fundamento sententia hæc Pauli adhibita, appellantis circumcisiōnem signaculum iustitiæ fidei, facillimè rem comprobat. Nam cum

Gal. 5.

Octaua die.

nemo absq; sibi applicata fide CHRISTI iustificari nequeat, quia sine fide impossibile est placere Deo, & paruuli credere actu intellectus nequeant, cōsequens fit, vt semper fuerit aliqua sacrificii forma, per quod fides applicaretur illis, talis autè erat circumcisiō, diuinitus instituta: quæ cū (authore hic Paulo) esset signaculum iustitiæ, quam per fidem consecutus est Abraham, certissimum eadè esset signum, vt quicumq; eam reciperet, iustificaretur, per applicatam illi fidem: aliàs non erat, cur teneri paruuli ante rationis vsum iuberentur circumcidi. Accedit huc, quòd circumcisiō erat quedam protestatio & professio fidei, per quam paruuli obligabantur legi, sicuti est modò baptismus, testificante ad Galat. Paulo, Omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Qua tunc obligationis ratione paruuli credere dicebantur, dum circumcidebantur, sicuti nunc nostri infantes dum baptizantur. Hac enim consideratione libro secundo de natura & gratia sustentabamus vniuersalis illius sententiæ veritatem, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, & in paruulis, qui aliquo modo credunt. Non quòd vllum habeant actum fidei, vt incredibilis Lutheri, deridiculaq; continet opinio: nec solum propter infusum habitum, sed propter obligationem, qua ad dicuntur fidei & legi. Qua quidem de causa decernuntur illis ab Ecclesia susceptores, qui eorum nomine interrogati respondeant, Credo. Equissimum ergo erat, vt qui per obligationem fidei CHRISTI subdebantur legi, per eandem liberarentur ab illa innata culpa, cuius ipse erat futurus redemptor. Quem idcirco sensum meritissimò Patres agnouerunt in verbis legis, Masculus cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meū irritum fecit. Significatur enim ob culpam aliquam, delendam fore animam incircuncisi, quæ culpa in infantulo, nulla esse, nisi originalis poterat. Huc præterea pertinet collatio illa Pauli circumcisiōnis cum baptismo Coloss. 2. aduersus Iudæos obtrudere connitentes cum Euangelio circumcisiōnem. Vbi ait, Circuncisi estis, circumcisiōne non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcisiōne CHRISTI, consepulti ei in baptismo. Vbi videtur sentire, id quòd modò facit baptismus, fieri iunc olim in circumcisiōne.

Paruuli dñi baptizantur, credit aliquo mō.

Gen. 17.

Col. 2.

Discrepan. tia.

Nisi

Nisi quod circumcisio tunc non erat instrumentum passionis, quæ nondum erat exhibitæ, quæ illa modo sunt sacramenta nostra, sed tantum signaculum fidei, ut hic dicit Paulus. Quod circa illa non iustificabat, sed fides. Quum tamen nunc baptismus, ut instrumentalis virtus CHRISTI, gratiam conferat, iuxta verbum Apostoli, ad Titum, 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Et eadem de causa, circumcisio non aperiebat regnum, licet gratia illic inibatur cum Deo. Ad stipulantur & huic veritati, apertis testimoniis sancti Patres. Extat enim in hunc locum glossa Bedæ hæc, Idem salutare curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus præbebat, quod baptismus agere tempore reuelatæ gratiæ cõlueuit. Et Grego. in moralibus. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis, sola fides, vel pro maioribus, virtus sacrificii, vel pro iis, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Non quod in lege naturæ non esset aliqua saltem oblatio paruulorum, qua parentes fidem protestarentur pueri coram Deo, sed non erat certum diuinitus institutum sacrificium, quia nulla erat secretio tunc populi peculiaris Dei. Et contra Iulianum August. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei iustitiæ ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis, veterisq; peccati: sicut etiam baptismus ex illo cepit valere tempore ad inuouationem hominis, ex quo institutus est. Ea verò, quæ obtendebant argumenta, nihil deincunt. Quod enim ait Paulus, Si ex lege est iustitia, CHRISTVS gratis est mortuus, hoc solum præ se fert, quod per merita operum non acquiritur iustitia, ut cap. præc. expositum est: circumcisio autem non iustificabat per modum meriti: neq; verò per se tanquam opus legis, sed fides illic applicata. Appellat ergo cerimonias illas, infirma elementa, quia per se nihil efficiebant, sed erant umbra & veluti puerorū rudimēta, quibus erudiebantur ac præparabantur suscipiēdo Euāgelio. Ad alia verò argumēta, videlicet, quod ante circumcisionē erat iustitia, & de scemellis, et ante octauū diē de masculis, ca. 2. responsum est, quod in lege naturæ non deerat remedium etiā pro paruulis: quod quidē durauit sub lege scripta tam pro sceminis, quā pro paruulis ante diem octauum.

TERTIA  
PARTIS  
CA  
PITVL.

Non enim per legē promissio Abrahæ, aut semini eius, ut hæres esset mun-

di, sed per iustitiam fidei. Hæc, tertia est sectio huius capituli, ubi ad maiorem rei propositæ confirmationem, pergit demonstrare promissionem, quæ facta est Abrahæ, non esse impletam per legem, sed per iustitiam fidei. Haud enim sic audienda est hæc oratio. Non enim per legem promissio, ac si velit proponere, promissionem non esse factam per legem: id quippe nequiquam poterat in quæstionem incidere: non eo solum, quod promissio res est à legis præceptionibus diuersissima, verum quod antea etiam fuit à Deo facta, quàm lex data. Vbi ergo ait, Non per legem promissio Abrahæ, intelligendum est, constat, seu completa est, [Vt hæres esset mundi.] Sub his quidem verbis nullibi facta legitur promissio, sed tamen tantundem illud est Gene. 12. In te benedicentur vniuersæ nationes terræ. Hic autem locus est inter alios, per quem id confirmatur, quod à prologo vsq; identidem cõsiderauimus. Videlicet, quod promissiones illas factas Abrahæ Gene. 12. vastissimæ possidēdæ terræ, in quam Deus hæreditatem, eum esset missurus, & quod in ipso benedicentur vniuersæ nationes terræ, (sub cuius figura promittebatur credentibus cœlestis hæreditas) & Gene. 15. quod Ismael non esset eius hæres futurus, sed ille qui egredieretur de utero suo, (qui umbra erat CHRISTI) illas, inquam, promissiones conuersi ex Iudaismo interpretabatur, factas esse ad modum stipulationis, hoc est, si legem, quam circumcisio Abrahæ profitebantur, custodirent. Et exinde illam colligebant blasphemiam, quam per hanc fermè totam epistolam expugnat Apostolus, nimirum per circumcisionem, & reliqua opera legis se iustificatos, ac perinde commeros fuisse ingressum æternæ hæreditatis: quod hic secundum membrum peculiariter videtur confutare. Atq; ideo (si quid nostra valet coniectura) censebant, propter meritum eiusdem seruatiæ à se legis, CHRISTVM aduenisse. Nam planè fatebantur, quod venturus esset Messias tanquam redemptor, qui traditurus eis esset hæreditatē Abrahæ promissam. Inde enim modo in eam delapsi sunt cæcitate, ut Messiam præstolentur, qui regna sit eis amplissima traditurus. Per hanc igitur cõsiderationem aperitur loci huius intelligentia. Cõfirmat enim Paulus, Abraham per fidem in præputio constitutum fuisse patrem omnium credentium, acutissime ex propriis rei causis, per hoc scilicet, quod promissio facta Abrahæ & semini eius, quod hæres mundi,

Nota Inde  
orsum erro-  
rem.

di, non est per legem impleta, hoc est, per hoc, quod Iudæi legis opera seruassent, quasi impletio promissionis ex legis impletione penderet, sed per iustitiam fidei: nam per hoc quod credidit, constitutus est credentiū pater, quibus debetur hæreditas cœlestis, illic prænuntiata. Vnde infra. 8. cap. Hæredes quidē Dei, cohæredes autem CHRISTI. Vt pote quem Heb. 1. ait constitutum à Deo fuisse hæredem vniuersorum. Et Galat. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus: quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo qui est CHRISTVS. Intendit ergo hic Paulus hoc uti syllogismo, Si non per fidem, sed per legem procreati sunt Abrahamo filii, per legem & non per fidem in hæreditatem mitterentur (siquidem filiorum titulus, idem est, qui & ius hæreditatis) non autem per legem, sed per fidem adiri potest hæreditas, ergo per fidem & non per legem cõstituti sunt ei filii.

Heb. 1.

Syllogif-  
mus Pauli.

Si enim qui ex lege, hæredes sunt, ex inanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Commonstrat specialius vtramq; partem. Primum autē negatiuam (scilicet quod promissio non constat neq; impleta est ex lege) duobus argumētis. Locus prioris est ab illatione absurdi. [Si enim, inquit, qui ex lege, hæredes sunt.] Hebraismus est Paulo peculiaris. Eiusmodi, Si illi qui ex lege, scilicet, sunt (hic enim est cæsura) id est, factores legis, ex legis operibus sibi faciunt hæreditatis, tunc exinanita est fides, hoc est, exclusa est ab omni virtute & vigore, & perinde est, ac si nulla fuisset. Hoc & de fide Abrahæ, quam Deo præstitit, intelligi potest, & de fide Dei pollicentis. Et hoc secundo modo idem est. Exinanita est fides, quod Abolita est promissio. Vt talem suggerat sensum, Tunc neque promissio Dei suum habuit cõplementum, neq; suā ipse fidē liberauit, quippe cum ius hæreditatis non ex promissione acquisitū est, sed ex legis operibus. Si verò intelligas de fide Abrahæ, quam ad iustitiam reputatam ubique contraponit operibus legis, tunc duo sunt distincta membra. Et sensus est, quod non fides Abrahæ, sed opera legis reputata essent ei ad iustitiam, ac perinde promissio fuisset inanis. Sed infirmabit hanc quispiam forte argumentationē, quod non fit consequens, si hæreditas nobis ratione promissionis obuēniat, nullo pacto

Dubitatio.

obuenire ex operibus legis. Atq; argumentum est quod à parte Iudæorum paulò antè informabamus. Nam promissio, dicerent illi, fuit quædam stipulatio & pactum, scilicet quod Messias mitteretur, si illi modò legem sustinerent. At verò exceptio hæc & cauillatio iam multis modis repulsa est ab Aposto. Io. Primum ex eo quod in verbis promissionis nulla est inserta mentio legis, nec facta est sub conditione, sed simplici absolutaq; forma. Deinde quod promissio multò antea celebrata fuit, quàm lex posita. Et quàmuis Gene. 22. appareat promissam esse benedictionem gentium in semine, Abrahæ ob ipsius meritum (Sic enim habetur, Quia fecisti hæc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & c.) illa tamen obedientia processit ex priori fide, quam antea dederat Deo, gratis eandem benedictionem pollicenti. Et præterea argumentum Pauli euidentissimum est. Nam si ex operibus oriretur iustitia, iusq; constaretur hæreditatis, id quidem fieret ex natura & æquitate operum, quare nihil restaret, quod deberetur promissioni, atque adeò abolita esset & explosa. Ad hæc, idcirco hæcenus tantopere nixus est prodere, quomodo fuissent, tam Iudæi, quā Græci præuaricatores, factoresq; legis, ne ansam illis relinqueret vllam huius commentitiæ exceptionis, scilicet, quod pacta illis fuerit, collata hæreditas propter opera legis. [Lex enim iram operatur.] Secunda ratio sumitur ex infirmitate legis, quinimò ex contrario eius ingenio. Est enim argumentatio hæc. Lex iram operatur, hoc est, vindictam & supplicium transgressoribus: ira autem potius in causa est exhæredationis, quā admissionis ad hæreditatem: & per consequens per legem non est impleta hæreditatis promissio. Dum ergo ait Paulus, quod lex iram operatur, non intelligas nomine iræ, quod occasione accepta peccatura per mandatum operatur in nobis omnem concupiscentiam. Hæc enim alia res est, illic tractanda. Hic autem iram appellat vindictā ipsam malefactorum. Etenim quoniam officium legis, ut supra dixerat, est, ut per ipsam fiat cognitio peccati, inde fit, ut per eandē eripiantur delictoribus excusationis occasio, atque adeò ipsa sit causa, ut veniant merito plectēdi: non quidem directa causa, sed per occasionem. Etenim legislatoris intentio, non est, nisi ut per legem (ut est. 2. Ethic.) bonos faciat

Contra erro-  
rorem Iu-  
deorum.

Nomen  
iræ.

I ciues,



ciues, quos ad felicitatem perducatur. At praua nostra voluntas causam prabet, cur lex indigne iram operetur. Et hoc est quod in eadem sententiam ait Gala. 3. Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et est alta mente hoc discrimen fidei & legis considerandum: scilicet, quod malorum supplicium non a beneficentissimo Deo directa intentione infligitur, sed lex est quae illos punit. Deus enim nihil in eos agit, nisi secundum legem, quam tamen posuit intentione premiandi. Praemium vero & corona iustorum, non legi debetur, sed diuinae misericordiae per fidem: iuxta illud Osee. 13. Osee, Perditio, tua Israel ex me tantum auxiliium tuum. Quod quidem discrimen inde nascitur, quod lex praecipit quidem, non autem adiuuat. Sed quod lex iubet, fides CHRISTI implet, qui (ut infra. 8. cap. audiemus) adiuuat infirmitatem nostram. Causa vero cur lex iram operatur, subsequitur [Vbi enim non est lex, nec prauaricatio] Scilicet, est, ac si dicat, Ira & supplicium solis debentur prauaricatoribus, & transgressoribus: prauaricatio autem esse nequit, ubi nulla est lex, ergo ira & supplicium ex lege dimanant. Continenter hic nomine legis, uti ubique supra, naturalis quoque comprehenditur. Nam etsi nulla fuisset scripta, in nihil secius violatio naturalis iuris, quod insculptum est mentibus nostris, delictum esset. Quamquam lex scripta, quo explicatior, eo & minorem permittat excusationem, & idcirco iram operetur sauiorem.

**Dubium.** Attamen dubitatio hinc, quamuis exigua, resultat, quod prima peccati radix non exinde innascitur quod sit contra legem, sed quod contra venimus voluntati superioris, cui parere tenemur. Si enim per impossibile (ut impietas absit, & blasphemia verbo) nullus esset nobis superior, neque Deus quidem, qui iure creationis subditum habet humanum genus, & nihilominus homo suapte natura, rationis vi polleret, certe facere contra, quam ratio dicitur, licet peccatum quidem esset naturale, rationem tamen verae culpae nullam haberet. Quoniam peccatum omne, inobedientia quaedam est: inobedientia vero, veluti obsequium, non nisi respectu domini, aut praefecti est, cuius iure tenemur. Ob idque David inquit, Tibi soli peccaui. Vnde & Theologi (ut S. Thom. 2.2.) colligunt, quod omnis lex praesupponit subiectionem suscipientis legem

Adnotatio insignis de lege & fide.

Osee. 13.

Dubium.

ad dantem. Non ergo legis prauaricatio, sed violatio diuinae voluntatis iram demeretur. Facillimum est tamen responsum, quod Paulus nihil horum denegat. Sed quoniam lex omnis, tam naturalis quam scripta, index & linea est voluntatis Dei, ideo prauaricationem legis delictum censet, voluntati Dei aduersum, dignumque proinde illius irae, quam comminatur lex. Vnde August. tam legem, quam Deum complexus, Peccatum, inquit, est dictum, & c. contra legem Dei.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahamae, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te. Post negationis demonstrationem, videlicet, Non ex lege hereditas, subnequit affirmationis causam, Ideo scilicet ex fide obuenisse filiis Abrahamae hereditatem, ut secundum gratiam firma, certa, & constantissima esset promissio omni semini. Namque si ex legis per se operibus fuisset pendula, non haberet certitudinem: quoniam legis opera, quae homo facit, non habent firmitatem, sed lubrica sunt, & varietati subdita. Neque si operibus scriptae legis (ut Iudaei contendebant) fuisset alligata, tunc omni semini Abrahamae, puta Gentibus ad fidei vestigia ingressus pareret. Cum autem ex fide pendeat promissio, quae ideo gratis impletur, non potest huiusmodi impletio non esse tam firma, quam est Deus verax, neque non ad omnes gentes suo ingenio extendi, quarum est Deus. Potes & hic fidem quoque Dei intelligere, quae causa fuit efficiens exoluendi promissi. Vel intelligitur fides Abrahamae, quae reputata est ei ad iustitiam, & praefuit operibus legis. Vna enim ratione Paulus utramque fidem, & Dei scilicet, qui suae stetit promissioni, & credentis Abrahamae, ubique opponit operibus legis, ut puta, quod per alteram effecta est, impenitentia iustitia, per alteram vero, suscepta. Quamobrem Aug. in lib. de praedestinatione sanctorum, verbum hoc ad praedestinationem refert. Ait enim, ideo ex fide firmam esse promissionem, quia non de nostra voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promissit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant quae praecipit, non illi faciunt, ut ipse

August.

Mens altissima Pauli.

Simus Abrahamae.

Gal. 3.

Non interpretare.

Lutherani.

ipse faciat quod promissit. Alioqui ut Dei promissum compleatur, non in Dei, sed in hominum esset potestate. Haec August. dixerat, Et semini eius, repetit ergo eiusdem seminis numerositatem. [Non, inquit, ei, qui ex lege est solum, sed ei qui ex fide est Abrahamae.] Ad uerbum solum, vel non adiacet verbo proximè praecedenti, sed apponendum est, pro nomini ei in hoc sensu, Non ei tantummodo certa sit promissio, qui circumcisus est carne, sed ei etiam Gentili, qui per fidem filius constitutus est Abrahamae, vel si adiacet verbo, est, puta, qui ex lege est tantum, tunc legendum in eo sensu est, quod illic supra adnotauimus, iis qui non tantum ex circumcisione. Huic enim sensui ad stipulatur subiunctum testimonium legis. Sequitur enim, [Qui pater est omnium nostrum.] Hoc est, creditum, siue Iudaeorum, siue Gentilium. [Sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium constitui te.] Praeteritum, constitui, de more prophetarum fungitur vice futuri, ob certitudinis firmitatem. Id est, non illius populi tantum, sed vniuersorum, qui fidem tecum mihi dederint. Quocirca iustorum omnium locus in Euangelio sinus Abrahamae nuncupatur. Luc. 16. Et Matth. 8. Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno caelorum: filii autem regni, hoc est, qui ob circumcisionem tales venditabant, eiciuntur foras. Simile ad hoc propositum argumentum adfert Galat. 3. Scilicet, quod qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahamae. Prouidens enim, inquit, scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, praenunciavit Abrahamae, quia benedicentur in te omnes gentes. Et concludit, igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham. Recentes traductores geminum illud relatum qui, more suo carpunt. Nempè quod deberet esse neutrius generis, referens vocem semini. At vero graece non est relatum, sed articulus datiuus casus, qui optimè reddi poterat per relatum masculini generis, quod quidem referat, non vocem semini, sed eius significatum, puta hominem. Accipitur enim pro quouis hominum credentium. Locus hic praesens est, vnde Lutherani suam illam extruunt controuersiam de certitudine fidei. Duo enim hinc aestimant, omni oculo asylo, contra nos conficere. Primum quod sola fide iustificamur, de quo iam illis abundè supra respondi-mus. Alterum quod ex eo, quod fide solum iustificamur, sit palam consequens, vnumquodlibet iustorum certum esse gratiae suae & ami-

citiae apud Deum. Hoc quippe, inquit, est argumentum Pauli. Quoniam ex fide & non ex operibus iustificamur, firma, certa, & sit promissio. Inferunt ipsi, ergo cuiuscunque praesentanti Deo talem fidem certitudo adnascitur ab eadem fide, quod obtinuerit promissionem. De re ipsa satis superque lib. 3. de natu. & gratia disputauimus, quam postea disputationem, inter respondendum cuidam reuerendo Episcopo explicatius dilucidauimus. Quibus tractatibus existimo, ni fallor, demonstratum esse, neminem lege communi, hoc est, absque speciali reuelatione, certum fieri posse per certitudinem fidei, in quo statu sit apud Deum. Vbi & hunc locum exposuimus, qui profecto nullus est, cui innitantur. Primum utique literam detruncant. Non enim ex eo quod ex fide impleatur promissio, infert hic Paulus, quod fiat firma & certa, sed, quod fiat per gratiam & non ex operibus firma omni semini. Arguit, inquam, quod cum promissio ex fide sit completa, non fuit firmata ex debito operum, sed per gratiam. Neque vero fides & gratia eadem sunt res prorsus, ut supra dicebamus. Tametsi & fides ipsa, gratia quaedam sit, hoc est, donum Dei. Communitia ergo est illorum collectio, & ab hac Paulina longo interuallo discrepans. Ex fide sit promissio, ergo ex sola fide sit firma & certa. Praeterea sensus hic duplex esse potest. Etenim aut de impleta promissione in genere redemptoris faciendae, redemptione, aut de applicatione ad singulos. Si priore intelligatur modo, tunc fatemur, quod, quia promissio illa ex nullis pendebat legis operibus, sola Dei constantissima fide pollicentis sanctissime fuit impleta. Imò etiam si per impossibile nemo credidisset (ut initio praecedentis capituli dicebamus) Deus suo satisfecisset promisso. Ideoque hanc promissionem esse completam, firmissima nobis est, & certissima fide tenendum. Et hunc forsitan hic etiam Paulus praetendit sensum contra Iudaeos, qui contra existimabant, ob meritum legis datum fuisse Saluatorem. At vero si sermo hic Pauli intelligatur (ut praese quoque fert) de applicatione ad singulos, puta quod promissa salus in omne esset effundenda semen Abrahamae, hoc est, in omnes fide credentes, tunc quamuis concedamus idem esse, per gratiam, certam fieri promissionem, quod, per fidem (ut Origenes sentit) tamen quia fides haec, illa est, quae per charitatem operatur, nemo communi

Lib. 3. de natu. & gratia cap. 10.

Sensus duplex.

lege esse potest certus, quod tali vigeat fides, quia non potest esse tutus, an habeat charitatem. At ille solus, qui infantem baptizat, certus est certitudine fidei, in gratiam illum tunc Dei esse ab originali restitutum. Sed quam sit etiam pulchra, alia Lutheranos interpretum observatio in eum locum / vt haeres esset mundi / non est silentio praeterendum. Na huc vsq; continuatio Paulini textus non fuit id meminisse. Inde nimirum sibi colligunt, quod credentes, non solum caeli, verum et huius quoque mundi constituentur haereses. Ob idque nihil esse prorsus omnium rerum, quas Deus in humanos condidit usus, nempe vestium, ciborum, potus, auri: nihil inquam esse tam delicatum, quo non viri sancti pie et feliciter uti queant, atque hac ratione illos qui ista interdiciunt (institutores scilicet religionum) aiunt alium spiritum esse sequutos, qui CHRISTI. Pari argutia colligere possunt, quod liceat viris sanctis omnium dominium usurpare. Vide quodnam isti solent fulcire stabilimentum suorum dogmatum, nimirum non solum spiritum Pauli ad terra demittere, sed eundem etiam vocare spiritum CHRISTI, qui versatur in cibo et potu. Euidetius per se est et confirmatius, quod vt istis respondere teneamur, fide (iuxta verba hic Pauli) per charitatem operante, tantum homines constitui haereses terrenorum vero, non item. Imo quo parcius illis utantur, longiusque ab illis vixerint abdicati, gloriosius de mundo triumphant: sic enim nihil habentes, omnia possident, imo pessundant propiusque ad CHRISTI paupertatem accedunt, cautius pericula cauent, quae a rebus istis caducis nobis imminet, tutius denique ad eius felicitatem incidunt, quae pauperibus et fletibus proposita est: apostolorum exemplo, qui omnia relinquentes, secuti sunt CHRISTVM. Neque vero vllus vnquam fuit religionum patronus, qui coactu praepcepto ve homines addigeret ad religiones, compelleret ve alia seruare, quam praepcepit CHRISTVS, sed tamen eius instructi exemplo, vltro neos atque spontaneos commonefaciunt, si velint esse perfecti, vt venditis quae habent, expeditius eundem sequantur CHRISTVM. Quod vero quisque sua se sponte Deo consecratum velit, addictumque et voto obligatum eius consiliis, non solum hic locus, verum nullus alius in vniuersa scriptura prohibet: admonent vero multi, quos huc accersere operosum esset, et superuacaneum. Quod hic autem altius dentem figunt in Ecclesiam, quae Christianum populum stans te-

Lutherani. Vt haeres esset mundi.

Contra Luther.

Encomium religionis.

poribus esu carniū cohibet, commentario- rum ratio non permittit, vt fusius hoc loco disputetur. Non enim superstitione illorum, id facit, quos notauit ad Timoth. Paulus, prohibentes nubere, et abstinere a cibis, quos Deus creauit, sed vt carnis maceratione paratior sit spiritus obsequentiorque Deo. At de his satis. Regrediamur ad literam.

Delectus cibo.

Ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos, et vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Haec iam quarta est, postremaque sectio huius capituli, quae tota est in comium fidei Abrahamae, quinque sexve particulis articulatam. Voculas illas / ante Deum / sunt qui ad eloquium illud ex Genesi citatum referant. Non quod sint illic tanquam perpetua oratio Dei, sed quod Paulus eas adhibuerit interpretamenti gratia. Huc videtur Orige. respicere, qui statim recitata autoritate, subdit, Et recte addidit ex sua interpretatione Apostolus, Ante eum, cui credidit Deum. Sequitur et S. Thom. et forsitan ita res habet. At facilius crediderim perpetuationem esse Pauli ipsius orationis: ita vt assuedum hoc sit ad superiorem sententiam / Qui pater est omnium nostrum / tanquam illius pars. Hoc est, Qui pater est omnium nostrum ante Deum. Peculiaris enim est Paulo, autoritate, quam citat interiecta, orationem propriam et clausulam dissuere. Quod hic eo praecipue fecit, vt cum voce / ante Deum / eam postmodum, quae subsequitur orationem, / Cui credidisti. Qui vocat ea quae non sunt, et c. / continuo colligaret. Adiecit autem / ante Deum / vel ad differentiam illius paternitatis, quae cognitione circūcisae carnis propagatur: illa siquidem coram hominibus est, quae autem fide coalescit, coram Deo: cuius vice interpret transulit / Ante Deum / vel forte / Ante Deum / idem valet, quod, in praesentia Dei. Nam licet proles Abrahamae non erat praesens, sed futura in re, tamen erat aeternitati Dei praesens. In quo sensu S. Thom. putat / Ante Deum / moderamen esse illius praeteriti verbi, constitui te, seu posui te. Quoniam apud Deum, futura perinde sunt, vt praeterita, et praesentia. Et haec videtur interpretatio textui perquam germane adherere. Nam licet sit (vt dicebamus) adiectio ad superiora verba Pauli, potest nihilominus facta esse ad exponendum verbum allati testimonii. Tamen si Chrysostr. ac Theop. glossema non est cur displiciat, scilicet vt / ante Deum / idem sit, quod, Ad exemplum Dei. Vt quem-

QUARTA PARS CAPITULI

Orige.

Qui vocat ea quae non sunt.

S. Tho.

Chrysostr.

admo-

admodum Deus non est partialis Deus, sed omnium vniuersalis pater, sic et Abraham. Et iterum, Quemadmodum non secundum naturalem cognationem pater est Deus, sed iuxta fidei familiaritatem, Sic et Abraham. Verba sunt Chrysostr. Quinimodo et in ea, quae secundum carnem est, paternitate non nihil meditari possumus similitudinis. Enimvero quemadmodum res Deus super naturam de nihilo, addidit, ita et Abraham ex senili iam corpore, atque in emortuo Sarae vtero super naturam procreauit sobolem [Cui credidisti] Orige. et Chrysostr. et August. legunt in tertia persona / Cui credidit. Et ita plerumque reperitur in codicibus graecis. Videturque oratio concinnior, utpote quae de Abraham in tertia persona haecenus decurrebat. Est tamen credendum, interpretem nactum fuisse codicem, ubi erat secunda persona. Ita enim habent antiquissima Latina exemplaria. Atque ita legit Hieronym. et ex professo Ambro. Is autem apostrophem, non ad Abraham, sed ad Gentilitatem refert. Nam cum ex diuino elogio praemississet, patrem gentium constitutum Abraham, quo gentium nomen maiori emphasi commendaret, rationemque eius filiationis expromeret, ad Gentilem versus, ait, credidisse eum eidem Deo, ante quem Abraham constitutus est omnium pariter, vt per eandem fidem adoptarentur ei in filios, nullaque esset distantia inter Iudaeum et Graecum. Neque vero improbabilis est glossa haec. Quamuis alii ferunt Latini, et forsitan sensatius Paulum credant hic ad Abrahamum sermonem conuertere. [Qui uiuificat mortuos, et uocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt.] Encomium, quo fides Abrahamae commendatur, in duobus positum est: nempe quod de illis rebus Deo fide adhibuit, quae non modo multis post seculis futurae erant, verum excelebant etiam naturae ordinem. Videlicet, quod aetate iam confectus ex emortuo vtero Sarae suum propagaturus esset semen super stellas caeli, ubi et supernaturalis gratuitaque adoptio Gentium per CHRISTVM aperiiebatur. Ob idque duo responderent de Deo enunciat praedicata, quae eandem ipsi fidem arrogant et confirmant, ita vt meritissimo ipsum Abrahamus auscultauerit. Non enim erat cur cunctaretur Deo credere, quod seni sibi anilique Sarae corpori, virtutem, quae demortua erat, generandi esset instauraturus, quum ab eo crederet mortuos etiam posse ad vitam euocari. Nec id quidem quod in longum auum promissio esset protelandam,

Encomium fidei Abrahamae.

quicquid eius fide debilitabat, eo quod perinde Deus vocat ea quae non sunt, atque ea, quae sunt, hoc est, eandem habet vtrorumque potestatem. Et ideo de constituendis Habramo filiis ait de praeterito, constitui. Nisi mauis vt posterius membrum non referatur ad dilationem promissionis, sed sit prioris diffinitio. Hoc est, explicatio omnipotentiae in viuificandis mortuis. Non enim illi opus est alio molimine, quam nutu et voce, vt adesse faciat ea quae non sunt: adeo illi praesto sunt vniuersa. Dixit enim, Fiat lux, et facta est lux. Et dixit, Fiat firmamentum, et factum est firmamentum. Quo circa non ait, intelligit, aut, nouit (qui sunt immanentes actus) sed / vocat / quod respectum importat ad exterum opus. Neque vero ait, adducit, aut, facit, quasi aliunde accersat res, vel alio opus habeat instrumento, quam sola uocatione, qua vniuersa de nihilo etiam educit, quae illi ad nutum pareant. Quamobrem / per ea quae non sunt / non ea tantum intelligit Paulus, quae non sunt in rerum natura, sed illa quae neque sunt in potentia et virtute naturali, sicut Sarae sub id aetatis genitum esse Isaac, per quem multiplicatum fuit Abrahamae carnale semen: ac subinde CHRISTVM genitum fuisse in carne, per quem tam ex Iudaeis, quam ex Gentibus adoptati sunt ei in spiritualem sobolem. Perseuerat enim in illo aperiendo loco, quod Deus constituerit ipsum patrem multarum gentium. Hanc ob rem, quod ait / Viuificat mortuos / non ad solam resuscitationem mortuorum referendum est, sed ad omne illud, quod quoquo pacto recipit, vel vitam, vel vitalem virtutem. Nam literalis sensus est, quae statim exponit Paulus de emortuis corporibus. Abrahamae et uxoris eius. Atque hinc facile colligatur, quae sint interpretes nonnulli inepti, quae eleganter causa vertunt, Qui vitam restituit mortuos. Na etsi sermo Graecus vtraque permittat versionem, latine tamen patet / Viuificat mortuos / ob idque significatius hic a nostro interprete translatum est. Mortuum enim appellat quicquid non est viuens, etiam si nunquam habuisset vitam. Vnde si cut Adae non restituit Deus vitam, sed dedit nouam, sicuti et cunctis, qui in hanc lucem eductur, ita ad spirituale sensum huius loci per gratiam viuificat omnes, qui nascuntur filii irae, quibus tamen non restituit vitam, quam nunquam habuerint. In secundo quoque membro nescio quid isti noui traductores moluntur. Aiunt enim non esse graecum, Qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, sed, Qui vocat ea quae non sunt, tanquam sunt, seu perinde ac sint.

Nutui Dei parat via.

Ea quae non sunt.

Nouum interpret.

At reuera, quamuis nonnulla videatur discrepantia, eò quòd priori oratione comparatio fit inter res, quæ non sunt, & res quæ sunt, in secunda verò, inter res, dum non sunt, & easdem quando sunt, facillimè tamè in eundem coeunt sensum. Primùm enim, græcè participia sunt, quæ ad literam sic trāsferuntur, Qui vocat non entia, tanquam entia: seu non existentia, tanquam existentia. Et profectò tanquam existentia, vtranq; exhibet intelligentiam, scilicet & tanquam ea quæ sunt, & tanq; sint. Præterea idem est dicere, quòd res dum non sunt, eodem modo obsequuntur Deo, ac si essent, & quòd perinde illi obtemperant, atq; illæ, quæ sunt. Vnde August. super illum versiculum psal. 104. Vocauit famem de terra, ait, quòd vocauit famem, quæ non erat, ille qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint. Sed tamen in lib. de natura boni, ca. 26. Et in Enchiridio cap. 29. legit cum vetere interprete, tanquã ea quæ non sunt. Et ita legit Ambro. & Orige. qui per ea quæ non sunt, illos spiritualiter intelligit, qui mortui sunt delictis & peccatis, iuxta illud, Si charitatem non habuerò, nihil sum. Per ea verò quæ sunt, illos qui esse habent filiorum Dei. Quocirca August. super psal. 118. Non ad temporalem vocationem verbum accommodat, de qua ait Apostolus. Quos prædestinauit, hos & vocauit, sed ad æternã dispositionem, de qua ait ad Eph. 1. Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem. Et infra hic. 9. cap. Cum nondum nati essent & c. Vnde sicut supra dixit, vocatus apostolus, id est, diuina vocatione apostolus, ita hic docet, eos qui non dum in hanc lucem prodierunt, vocationis gratia filios Dei fieri. Potest & verbum / vocat / referri ad simplicia nomina rerum, quæ sunt in æterna dispositione. Enimuerò sicut de naturalibus habetur Eccl. 6. Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur, quòd homo sit, ita & prædestinatorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Ecce prima particula laudatæ fidei Abrahamæ, qui Deo credidit potenti demortuam eius virtutem viuificare, veluti is, qui vocat ea quæ non sunt, tanq; ea quæ sunt.

Qui cõtra spem, in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium secundum quòd dictum est ei: sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli & arena maris. Secunda particula est, superioris explicatoria. Nempè quòd contra spem in spem credit. Pulchra est paranomasia, id est, agno-

minatio duorum contra se positorum nominum, qua fides maximè Abrahamæ commendatur. Alii vertunt / præter spem in spe / vel / sub spe /. Et quidè / præter bene habet, si ea modo significatione vsurpetur, quæ est / contra. At verò / in spe / non tam accommodum est, quam / in spem / Nam à fide, quæ est substantia sperandarum rerum, assurgitur in spem. Quæ quidem progressio aptius profertur per accusatiuum, vt dicamur, in spem credere. Est autem sententia Pauli hæc. Quòd cum Abraham omni naturæ vigore ad generandum destitutus, Saram quoq; contemplatus, non solum in sua iuuentute sterilem, verum legitimam iam ætatè supergressam, nullam inde spem prolis naturaliter posset concipere, contra hanc spem, id est, contra huiusmodi desperationis naturales causas credit Deo in spem, hoc est, fidem illi habuit, ex qua supernaturali fide perductus est in spem sobolis, quam abnegabat natura. Historia est Gene. 15. Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis. Et ecce vernaculus meus hæres meus erit. Hoc ob desperatã naturalem facultatem generandi dicebat. Cum autem protinus audiuit sermonem domini. Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, nihilo cunctatius credidit. [Vt fieret pater multarum gentium.] Sunt qui non se iungant orationem hanc à superiori. Sed ita transferant, In spem credidit, se fore patrem multarum gentium. At verò præterquam quòd græcanica lectio, cui adeò ipsi impensè suffragantur, nõ nihil eis hoc loco refragatur, Iogè sententia desinet. Græcè enim, si syllabam trāsferas, sic extat / Ad fieri patrem multarum gentium / Quòd idem est ac si dicamus, Ad hoc vt fieret pater multarum gentium. Et quòd sententia sit diuersa, palam est. Nam isti volunt, quòd fieri patrem multarum gentium, sit obiectum fidei Abrahamæ. Vulgata verò aditio, quòd sit eius effectus & merces. Quam quidem lectionem, non solum Ambro. & Latini, sed Orige. quoque atq; Chrysof. sectantur. Ait enim Orige. quòd Abraham contra spem in spem crederet, vt pater fieret multarum gentium. Nempè in præmiũ eiusdem fidei. Et explicatius Chrysof. Si igitur, inquit, merces erat vt fieret pater multarum gentium, palam est, quòd illarum gentium pater fieri debuit, pro quibus crederat. Quòd si hic fortè quis hæreat, quòd cū Paulus spiritualem paternitatem Abrahamæ proposuerit constituere, dicens, quòd sit pater omnium

Sensus Pauli.

Histo. Ab.

Continuatio orationis.

Ambro.

Dubitatio.

Noua interpretatio.

Orige.

Stellæ &amp; arena.

nium nostrum ante Deum, quomodo ad paternitatem carnalem diuertit. Nam quòd ait, contra spem in spem credidisse, vt esset pater multarum gentium, de spe sobolis per Isaac intelligitur, vt expositum est. Respondetur nullum hic esse diuerticulum, sed est propositi perpetuatio. Primùm quia quantum ad meritum, ex eò quòd cõtra spem in spem credidit, propagandam sibi sobolem ex Isaac, commeruit pater fieri omnium credentium. Deinde cum CHRISTVS secundum carnem ex Isaac esset procreandus, vbi credidit in spem generandi Isaac, credidit simul in spem venturi CHRISTI, per quem erant homines adsciscendi in filios Abrahamæ. [Secundum quòd dictum est ei, Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli & arena maris] Æmuli isti vulgatæ aditionis prætermittunt has ambas comparationes: vt quæ in Græcis nonnullis codicibus non extant. Imò verò aiunt, quòd cum Gene. 15. vnde ascriptum est elogium istud, non sit nisi hoc præcisè. Sic erit semen tuum / non esse vero simile, quòd Paulus quicquã addiderit. Istis veruntamen respondendũ est, esse è cõuerso vero simillimũ, has comparationes à Paulo fuisse adiectas, vt integram citaret auctoritatem. Etenim in Gene. quia præmittitur, suspicere cœlum, & numerare stellas, si potes, & continenter subditur, Sic erit semen tuum, integra extat sententia. Quæ tamen esset in Paulo trunca, si hoc præcisum postremum verbũ citasset. Ob idq; ex præcedentibus verbis adhibuit, Sicut stellæ cœli. Reliquum verò adiecit vel ex Gene. 13. vbi habetur, Faciam semen tuum sicut puluerem terræ. Vel ex cap. 22. vbi vtrumq; expressum est, Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & arenam maris. Quo fit, vt in Græcis illis codicibus, quibus desunt hæc verba, prætermissa fuerint ab aliis quo fortè sciolo, inde decepto, quòd in Gene. non sunt sub hac forma, quum tamen sint in re & virtute. Vnde & Orige. ipse Græcus, etiam in commento, ita legit, Igitur Abraham contra spem in spem credidit, vt pater fieret multarum gentium, quæ futurae essent sicut stellæ cœli, non solum multitudine, sed etiam claritate. Binam autem hanc collationem feminis Abrahamæ cum stellis & arena, morosis satis esset, qui vsq; adeò exactè perscrutaretur, vt tot, ne vno quidem plures paucioresve existimaret fore filios Abrahamæ, vel secundum carnem, vel secundum spiritum, quot sunt, vel stellæ cœli, vel arenæ maris. Primùm quòd neq; omnes carnales eius filii

neq; illi soli, futuri sunt spirituales. Et ideo necesse est, vt alterutri vel plures sint, vel pauciores stellis. Mox quòd neq; arenæ in eodem sunt numero cum stellis. Id ergo tantũ præ se ferunt huiusmodi cõparationes, quòd sicut vel sydera cœli, vel arenæ maris, seu terræ pulueres numerari nisi à Deo solo possunt, ita & numerus prolium Abrahamæ, præ sua numerositate, soli ipsi notus est. Sunt quippè in rebus quæ sensibus supponuntur astræ in cœlo, in terraq; arenæ & pulueres, incomprehensibili multitudine. Quibus proinde innumerabiles numeri comparari solent. Vt Deut. 1. Dominus Deus vester multiplicauit vos, & estis hodie sicut stellæ cœli. Et. 3. Regum. 4. Iuda & Israel innumerabiles sicut arena maris sunt. Quidam verò inter has cõparationes ita dignoscunt, vt prædestinatos, qui fidem Abrahamæ operibus percolentes cœlestibus sedibus refulgent, stellarum appellatione intelligant, non solum ob multitudinem, sed propter refulgentiam. De quibus alibi Paulus, stella differt à stella in claritate. Illos verò qui susceptam fidem vel moribus deturparunt, vel abiecerunt profus, collatos putent cum arena. Id quòd profectò in hæreticos vel hac ætate quàm proximè cõpetere cernimus, videlicet qui postquam se ab Ecclesia absciderunt, ita sunt, veluti sine calce arena, in diuersas dissecti opiniones, vt nullus cum alio cohæreat.

Et non infirmatus est in fide, nec cõsiderauit corpus suum emortuum, cū iam fere centum esset annorũ, & emortuam vuluam Saræ. In hac tertia particula persistit luculentius explanare quòd dixerat / Viuificat mortuos / & quòd dixerat / Cõtra spem in spem credidit / vt cumulatus exponat robur ac firmitatẽ fidei Abrahamæ. Ait enim, quòd non cõsiderans corpus suum emortuum, mortuamq; vuluam Saræ, vnde elanguens fides nutare poterat, & vacillare, spem totam solidissima fide in omnipotentiam Dei trāsmitit. Emortuum / præter suum publicum significatum, significat etiam idem quòd, inualidum, ac viribus exhaustũ ad aliud quid faciendũ. Id quòd & effectũ appellatur. Dicitur enim effecta mulier quæ foetũ addidit, Vnde & illa quæ frequenti iam partu lassatã virtus defecit & calor ad concipiendũ, effecta dicitur. Et hoc modo mortua hic affirmatur vulua, id est, matrix Saræ, non solum sterilitate, sed senio. Desierant enim iam tunc ei fieri

Deut. 1.

Aduersus hæreticos.

Emortuã.



ri muliebria, vt habetur Genes. 18. Ait autem Paulus, centum ferè annorum fuisse Abrahā, quia nonaginta nouem erat cum facta fuit ei per angelos promissio, vt patet Gene. 17. Centum verò dum natus est Isaac, vt habetur ca. 21. Duo hic tamen posset quispiam sciscitari. Primum quomodo asseueret Paulus, emortuum fuisse corpus Abrahā, qui post ex Cethura filios progenuit. Alterum cur neget, considerasse mortificationem sui corporis, cum contra legatur Gene. 17. quòd cum audiret pollicitationem prolis, cadens in facie suam riserit in corde suo, dicens, Putasne centenario nascetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Ad primum bifariam respondent enarratores. Primò quòd cum valentior, solidiorq; necessarius sit vigor in viro, vt anum grauidam faciat, quàm iuuenulam, destitutus erat virtute generandi ex Sara, non autem ex Cethura. In qua sententia est Hieronymus, hic & August. quest. 35. lib. 1. super Gene. At fortè melius sentiat, qui dixerit, inualuisse in eo per miraculum, absumptam virtutem naturalem ad generandum, non modò ex annosa Sara, verum ex Cethura, & ex qua uis adolefcētula. Hęc enim intelligentia subtilius effert diuinum munus. Secundi autem interrogati responsio est, Quòd Abrahā primùm audita voce Dei, secum reputauit naturę imbecillitatem, nihil veruntamen hæsitando de diuina omnipotentia, sed de sensu forsā verborum, an is esset, quē prę se ferebant in cortice. Sicuti Beata virgo non dubitans, sed modum percontans, ait, Quomodo fiet istud? Cum verò iteratò dictum est ei, quòd verè Sara esset paritura, incunctatè credidit, ac nihilo hæsitantius, quàm si nullam habuisset rationem emortui corporis. Et hoc est, quòd ait Paulus, Non considerauit. Sub hoc autem, quòd Abraham non iuuenis ex iuuenula, sed senex ex anu, & quę sterilis semper fuerat, super naturam genuit Isaac, duplex latebat redemptionis mysterium. Primum videlicet, gignendi redemptoris. Nam cum omnino dum exemplum proponi non poterat, figura saltem pręfuit, vt qui centenario ex nonagenaria super ordinem naturę prolem largiebatur, crederetur etiam posse, virgini absque suscepto semine obumbratione spiritus sancti fructum vëtris donare. Admonemur illic præterea, quòd cum adoptamur in filios Dei per fidē Abrahę, non id assequimur propriis naturę viribus, sed illius gratia & voluntate, qui præter

facultatem naturę sobolē, propagauit Abrahę. Qua de re tam est meritò commendata eius fides, ob quam positus à Deo fuit pater multarum gentium: atq; adeò in exemplum, vt quoties nos aliqua peruaserit calamitas aut procella, omneq; destituerit humanum subsidium, cōtra spem humanam, in diuinam credamus, nobis ipsis diffisi, in omnipotentia & bonitate Dei nostram collocantes fiduciam. Vnde & sequitur,

In repromissione etiam Dei non hæsitaui diffidentia: sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quęcunq; promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Qua planè quarta particula inculcatius eandem repetit laudem fidei. Nempè quòd in repromissione Dei non hæsitaui. Neoterici non transferunt, nisi in repromissione seu ad promissionem, Ambrosiana se autoritate protegentes. Cum tamen in veltiore volumine Ambrosii nō legi, nisi in repromissione, & ita legit Hieronymus, & transfert Origenis interpres. Quod & Gręca dicitio, επαναγγελια, minimè respuit. Atqui ait in repromissione, vel quia nō semel aut bis, sed iterum atq; iterum, à cap. Gene. 12. vsq; ad 22. iterata est. Vel fortè quòd cum promissionē, illam appellauerit, quę facta est liberorum, repromissionem, aliam vocat honestandi exaltandiq; eius eandem progeniem, tum amplissima possessione inimicorum suorum, tum etiā benedictiōe illa, qua pollicitus est Deus, benedicendas omnes gentes in semine eius. Et, nisi mea me fallit existimatio, fortè hic cōpurgare contendit Apostolus Abrahamum, qui Gene. 15. Labascere visus est fide. Siquidē spondente illi Deo terram Chaldæorum, signum poposcit, dicens, Vnde scire possum, quòd possessurus sum eam? Ait quippè Paulus, nullatenus inibi hæsitaui diffidentia, sed confortatum fuisse potius fide, dando gloriā Deo. Etenim cum morem Dei nouisset, qui fœdera sua & pacta dato aliquo signo stabilire cōsuevit, vt apparet in arcu exhibitio Noë in monumentum pacis, & in Achaz, Esai. 7. qui iussus est signum petere, reprehensusq; à Deo, quòd iussionem renuerit, Abraham nihil hæsitaui signum etiam efflagitauit, quòd esset promissionis stabilimētum, Vnde cum paulò hic superius negatiuè dixisset, quòd non fuerit infirmatus in fide, maiori hic cōmédatione affirmat, quòd fuerit confortatus fide,

Abraham exemplum nostrum.

In repromissione.

Mens Apoli.

Achaz.

Deo nō credere.

fide, dans gloriam Deo, hoc est, debitum illi honorem deferens, in hoc, quòd planissimè sciebat, quòd quęcunq; Deus promississet, potens esset facere. Qui enim Deo fidem denegat, impietissimè detrahit honori & existimationi Dei, qui summa, ipsaq; per se veritas est, cui ideo subest, cum voluerit, posse. Sap. 12. & Luc. 1. Non est impossibile apud Deum omne verbum. Qui verò incunctantem ei fidem præstat, gloriam illi & laudem tribuit iustam. Concludit igitur id, quòd antea præmiserat, reputatū id esse illi ad iustitiā, quòd eodem loco Gen. 15. scriptum est.

Non est autem scriptum tantum propter ipsum. Quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credētibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum dominū nostrū à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrā. Extrema hac deniq; particula, fidem historiamq; Abrahę, qua ratione & sine texuerit Moses, ipseq; hic Apostolus denarrandam susceperit, declarat, dicens, Non propter ipsum tantū, (licet etiam propter ipsius commendationem & Dei gloriā, qui tam fidelem effinxit, informauitq; famulum) verum & propter nos quoq; scriptum esse. Nempè vt nostris sit oculis obiectus in typum fidei nostrę, vnde fiduciam stabiliamus nostram: porro quibus si similis obtigerit fides, pariter ad iustitiam nobis reputabitur. Hac siquidem ratione pater ille positus est omnium credentium. At suspice ingenium Pauli, quàm in hac conclusione sit excelsum. Nulla in fide Abrahę mentio facta est CHRISTI redemptoris nostri, & tamen de filiis sequacibus ipsius nō concludit simpliciter, credentibus. Sed [credentibus in eum, qui suscitauit IESVM CHRISTVM dominum nostrum à mortuis] Vbi non vnum tantum occultitur mysterium. Nam primùm hanc insinuat ratiocinationem. Quòd quemadmodū Abrahę fides, qui non considerauit suum, vxoriumq; corpus emortuum, credens nimirum in eum, qui viuificat mortuos, reputata est ad iustitiam, ita cuiuslibet fides credentis in eum, qui suscitauit dominū nostrū IESVM CHRISTVM, ad eandem reputabitur iustitiam. Neq; verò simplex est ratiocinatio, sed certè mirifica. Nam cum præmiserat, Qui viuificat mortuos, illius iam nūc viuificati mortui meminit,

Ingenium Pauli.

Multiplex mysterium.

cuius morte, omnium fuit mors spiritualis extincta, & cuius suscitatio, causa fuit cunctis resurgendi. Quapropter Abraham vbi credit in Deum, mortuorum viuificatorem, & hanc quoq; CHRISTI suscitationem prospexit, quę causa, exemplarq; est vniuersalis resurrectionis. Tametsi Origenes in oblato quoq; sacrificio Isaac meditatur, mysterium hoc fidei CHRISTI prospectū fuisse Abrahę. Hęc enim quę de fide credentis in eum, qui viuificat mortuos, ob futuram eius progeniem ex demortuis naturę viribus, contulit huc Paulus. Absq; vlla quoq; violentia coaptari possunt fidei eiusdem Abrahę, dum filium adorabat sacrificare, qui ariete mactato seruatus est. Illud quippe vaticiniū fuit æterni patris, qui vnicum suū pro nobis prius tradidit, post verò excitauit à mortuis. Tunc enim iterum contra spem, in spem credidit. Fuisset enim illa spe depulsus, quam illi Deus fecerat multiplicandę suę posteritatis ex Isaac, nisi arbitratus fuisset (vt ait ad Heb. Paulus) quòd & à mortuis suscitare potens est Deus. Meminit præterea Apostolus dñi nostri IESVM CHRISTI, vt veram in conclusione subiiceret causam iustitię & salutis nostrę. Faud enim fides, vel Abrahę, vel nostrę, pro iustitia habetur apud Deū, nisi qua ratione subnititur passioni CHRISTI. Et idcirco subdit [Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram] Traditus scilicet, & à patre, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Infra 8. cap. Et à seipso, qui tradidit semetipsum pro nobis. Ephe. 5. Et à traditore Iuda, de quo ait redemptor ipse, Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ac deniq; à Iudæis, de quibus ait, Tradent eum gentibus ad illudendum, & c. Sed heu quàm vili, imò quàm nihili ducimus, traditum esse vngentū Dei, & in manus peccatorum, & in mortem crucis, propter delicta nostra. Profectò quando nullum à nostris sceleribus periculum immineret nobis damnationis æternę, neq; aliud ab illis acciperemus incommodum, hoc nos perterrere in ipsis debuisset maximè, quòd causa fuerint immanissimę mortis Dei: quippe quibus adeo reddidimus offensum Deum, vt non ante fuerit nobis propitiatus, quàm vnicus eius filius, splendor glorię & figura substantię eius pro nobis litauerit sese, affixus patibulo crucis, factus pro nobis maledictum. ¶ In hac veruntamen, quę pulcherrima est, distributiōe Traditus propter

Orig.

Heb. 11.

Traditus.

Mat. 20.

Dubitatio.

Duo dubia.

August.

Duplex redemptionis mysterium.

delicta, & resurrexit propter iustificationem / non nihil est quod interrogemus. Cum enim iustificatio idem sit, quod delictorum delictio, si traditus est propter delicta nostra, traditus censetur, & propter iustificationem. Et si resurrexit propter iustificationem, consequens apparet, quod & propter delicta simul resurrexit. Cur ergo Apostolus prudens & cogitans dispertitur causas condonationis delictorum, & iustificationis? Hic prænotato cum primis opus est, quod resurrectio non eodem pacto causa fuit salutis nostræ, quo passio. Hæc quippe causa fuit meritoria, illa vero nequaquam. Quoniam meritum non est, nisi viatoris opus. Terminus autem viæ in CHRISTO mors fuit, cuius ideo resurrectio, triumphus censendus est glorificati iam, etiã secundum corpus. Vbi nihil proinde fuit meriti, sed præmii plurimum, respectu humanitatis sue: iuxta verbum Pauli, Factus est obediens usque ad mortem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomē. Igitur cum ait, Traditum propter delicta, & resurrexisse propter iustificationem, non idem genus cause utrobique designat præpositio illa / propter. At verò passio non modo ut meritum, sed ut instrumentum, causa fuit quoque & remissionis & iustificationis, sicuti humanitas per tactum fuit salutare instrumentum mundandi leprosum. Mar. 1. At quia iustificatio, motus est quodammodo inter duo extrema, puta qua ex peccatis extinctis, in nouam resurgimus vitam, & terminus ille à quo (ut cum philosophis loquamur) similitudinem gerit mortis CHRISTI, qua crucifixa sunt, abolitacque nostra peccata: resurrectio verò effigies est termini ad quem, scilicet noue vitæ, appositissimè dixit, Traditus est propter delicta, & resurrexit propter iustificationem. Fuit namque CHRISTI resurrectio exemplaris causa nostræ à delictis respiscentiæ: iuxta illud, Quomodo CHRISTVS resurrexit ex mortuis, per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quanquã Hiero. nihil hic amplius mysterii speculatus est, quam quod resurrectio fuit necessaria, ut confirmaretur iustitia credentium. Id quod sic alii interpretantur, ut non intelligat resurrectionem huc à Paulo esse inductam, ceu causam iustificationis, hoc est, redemptionis, quæ per mortem fuit perfecta, sed tanquam causam fidei nostræ, per quam nobis iustificatio applicatur. Nam si non resurrexisset, non habuissemus

Discrimen inter mortem & resurrectionem Christi

Rhil. 2.

Christi resurrectio exemplar nostræ

Hiero.

sufficiens testimoniũ, quod Deus, ille fuisset, qui traditus fuerat, neque fidem habuissemus resurrectionis corporum: quæ est ad iustitiã necessaria. Quam expositionem neque refutaue- rim, neque verò superiori prætulerm.

CAP. QVINTVM.

Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum: per dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiã istam: in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Sectionum illarum quatuor, in quas totam epistolam dispertiti in prologo sumus, prima iam in quatuor enarratis capitulis absoluta est: quæ in hoc tota insumpta fuit, ut necessitas fidei, per quam sola aditus patefcit nobis ad salutem & iustitiam, quæ est apud Deum, demonstraretur. In his modo totidem subsequentiis, secundam partem suscepti muneris pertractat Apostolus. scilicet fidei potestatem & effectus. Ita enim dicebamus cap. 1. super verbo / Reuelatur ira Dei / quod hucusque tractaturus esset illam particulã / Iustitia Dei in eo (scilicet Euangelio) reuelatur. Abhinc verò alterã, puta, Virtus Dei est in salutem. Aperit ergo, ornatisimèque amplificat eiusdem virtutis fidei, in quibus simul obtinuerit. In prima enim portione huius capituli, usque ad illum locum / Propterea sicut per vnum hominẽ, & c. / profert quidnam honorum per hæc nobis fidem & gratiam obueniãt, ac deinde à quibus nos malis & periculis eadem nos misericordia liberet. Nam usque ad finem præsentis capituli, agit de ablutione originalis contagii. In sexto, quemadmodum eadem obteçti gratia, futura quoque peccata cauemus. In septimo verò, quo pacto nos eadẽ fides à seruitute legis exemerit. In octauo demũ, qua ratione eripuerit nos à damnatione. Diuidamus igitur capitulum hoc in tres partes. Prima iam designata est, usque ad illud verbum / Propterea sicut per vnum hominẽ. Ab illo autẽ usque ad aliud / Sed non sicut delictum / ostendit, ut præuaricatio Adæ suam posteritatem, originum serie, contaminauerit. Atque exinde usque ad finem, qualiter conuerso ordine seruatoris gratia processerit. Igitur quatuor denarrat hic beneficia, quibus per fidem CHRISTI donamur. Primum est, pax. Concludit enim ex postremis verbis superioris cap. [Iustificati ergo ex fide

Diuisio capituli.

Primum dei munus, pax.

Habeamus

Orig.

Chryso.

fide pacem habeamus] Est siquidem peccatum, id quod in inimicitiam nos Dei prosternit: fides verò, causa, quæ fores nobis aperit amicitia. Ob idque cum cõclusisset, historiam Abraham propter nos quoque fuisse scriptam, qua erudiremur, simili nos fide iustitiã adipisci, gratiamque inire & amicitiam cum Deo, protinus inde profert primam fidei virtutem, ut scilicet tali iustificati fide pacem habeamus apud Deum. Traductoribus fermè huius ætatis non tam placet / habeamus / quam / habemus. Nã græcè eadem vox / εχωμεν / εχωμεν / per, o, micron seruit indicatio, & per, ω, mega imperatiuo. Et cum esse aliàs impensè soleant græcorum fautores, hoc tamen loco græcos omnes deseruit. Origenes enim manifestissimè legit in imperandi modo. Nam ait, inuitari nos hoc loco à Paulo ad pacem Dei, in qua summa perfectionis consistit, quod planè propositum latè persequitur. Modus autem inuitandi non est indicatiuus, sed certè imperatiuus. Ad eundem modum & Chryso. cuius utique verba sunt, Quid est quod dicit, pacem habeamus? Quidam ita interpretantur, ne videlicet pro lege denuo introducenda contendamus. Quibus verbis ad imperatiuum conuiuet. Et infra. Dicit itaque, pacem habeamus, hoc est, iam non peccemus amplius. Ecquid apertius? Nanque de Theophylacto nullatenus ambigitur, quo minus in imperatiuo legerit. Et Hieronymus expressè ait, exhortatoriũ esse verbum habeamus, quo admonentur tam Iudei, quam Græci, ut fide utriusque iustificati, subiecti sint Deo. Neque in contrariũ adeo pugnat est, quod adferunt argumentum, scilicet quod loquitur Apostolus hic iustificatis iam fide, per quam fidẽ pacem tunc habet cum Deo, ad quam ideo commoneri non indiget. Quod autem hoc nihil peruiuat, patet, Nam / habeamus / non id pollet hoc loco, quod, procuramus, ac si non haberemus, sed idem, quod, seruemus, ac retineamus. Ita scilicet pacem excolamus, quam fide acquisiuimus, ne in inimicitiam rursus relabamur. Adde quod particula / ergo / imperatiuo appetentius gaudet, veluti quo Romanos exhortetur. At verò ut aliam, quibus probator est, lectionem, cõcedamus, iniquè tamen Lutheranorum interpretes intelligentiã suam de certitudine gratiæ hoc loco communire contendunt. Commentantur enim tantundem valere, fide nos iustificari, quantum, certos nos fieri de peccatorum condonatione. Vnde iustificati ex fide, idem illis est, quod iustorum singuli per-

Contra Lutheranos.

suasionẽ euangelica certissimi facti suæ apud Deum iustitiæ: & idcirco adiectũ esse, aiunt, pacem habemus, id est, tranquillitatem conscientia. Hoc autem interpretamentum iam ante superiori capite depugnauius, & cap. 8. iterato discutiemus, inter exponendum testimonium, quod spiritus reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Qua verò res hunc locum spectat. Quæ nam rogo illatio est, si iustificati ex fide pacem habent, hoc est, amicitiam cum Deo, persuasissimum eosdẽ prorsus habere certitudine legitime fidei, in talẽ esse amicitiam constitutos? Id profectò ex fide catholica fixum est, quod CHRISTVS sufficientissimo sanguinis precio operatus sit salutem humani generis, ac perinde quod cui fuerit participatum hoc precium, sit in gratia Dei, quod verò eiusmodi precium verè sit, vel mihi, vel vnicuique applicitum, non est fides: nec qui hac fide dubius titubet, hæreticus est, imò verò nonnunquam in metu est iusto & vtili. Est veruntamen confitendum nobis, fidei quæ per charitatem operatur ingenium, naturamque inesse pacandi, serenandi (citra tamen certitudinem fidei) iustorum conscientias, plus minusue, secundum quod officii charitatis prouectior vnusquisque est. Quocirca voce hic pacis, non solum amicitia intelligenda est, quæ est apud Deũ, verum & tranquillitas animi, quæ pariter est fructus fidei, ut habetur Gal. 5. Quapropter nouum exinde sumitur argumentum, legendum esse, habeamus, quod videtur Paulus, postquam Romanis patefecerat, non lege, sed fide tam Gentes, quam Iudæos in amicitiam copulatos esse cum Deo, eosdem hoc verbo adhortari & excitare, uti, illis positis iurgiis & factionibus, quibus de legis meritis digladiabantur, sanctissimam pacem, quæ proles est fidei, custodirent. Non solum inter se omnes, sed intra se quisque. Pacem scilicet, quæ est apud Deum, quam rex CHRISTVS pacificus reliquit nobis, quæ in mandatorum obseruantia consistit, sicuti peccatis cum Deo belligeramus. Nam (ut cap. 1. dicebamus) alia est pax, quam mundus dat. Sathanque persuadet, & concupiscit caro. Nempe, ut sensibus succumbente ratione, manus in seruitutẽ demus cupidinibus nostris. Quæ pax sequior est truculentiorque omni tyrannide. De qua ait CHRISTVS, Non veni pacem mittere in terram, sed gladium [Per dominum nostrum IESVM CHRISTVM] Ne villo nobis tẽporis momento memoria non sit sospitatoris nostri ac domi-

Fides catholica.

Pax.

Adhortatio Romæ.

Pax mundana.

domini IESV CHRISTI, identidē illius me-  
minit. [Per quem habemus accessum per fidem in  
gratiam istam] [Hæc eiusdem verbi inculcatio  
recentem mihi offert coniecturam, scriptum  
esse à priori loco habeamus. Quasi dixerit,  
Per eundem teneamus, nutriamusq; indies,  
& moribus confoueamus pacem, per quem  
& accessum habemus ad hanc gratiam. At  
Chrysof. qui in hac sententia conspicuè est Chryf. ait  
enim, Itaq; si fides longè disiectos adduxit,  
multò magis iam prope constitutos in gra-  
tia continebit. Illis autem qui habeamus le-  
gunt, non ita applaudit hæc duplicatio. Satis  
liquidem fuisset dicere, Pacem habemus per  
IESVM CHRISTVM dominū nostrum: vel,  
per fidem IESV CHRISTI domini nostri.  
Munus hic præterea panditur redemptoris.  
Ipse quippe est arbiter, & (vt legitur. 1. Timo.  
2.) mediator Dei & hominū, ac ideo pax no-  
stra, qui fecit vtraq; vnum, per crucem inter-  
ficiens inimicitias in semetipso. Ephe. 2. Et in-  
fra, Quoniam per ipsum habemus accessum  
(ambo scilicet populi) in vno spiritu ad pa-  
trem [In qua stamus] Hi, quibus omnia noua  
placent/stetimus/magis probant, propterea  
quòd græcè præteritū est. Attamē non infre-  
quēter Græci præterito vtūtur loco præfētis.  
Mat. 2. Quemadmodum & Mat. 2. venimus adorare  
eum, aoristus est vice præsentis. Quod profes-  
sio præsens tempus in hunc locum cōgruen-  
tius est, siue relatiuum/fidē/referat, siue/gra-  
tiam. Chrysof. enim, qui in secunda est opi-  
nionē, palam legit/stamus/ac meditatio. Ait  
enim Paulum dixisse, stare nos in hac gratia,  
scilicet pace cum Deo, atq; in gloria, hoc est,  
perpetuò immotos permanere, ad differen-  
tiam temporalium bonorum, quorum homi-  
nes potiri non possunt in perpetuum. Sed &  
Ambro. qui relatiuum ad/fidem/accommo-  
dat, pariter annuit legisse in præsentī. Ait  
quippe, quòd doctrina CHRISTI erigimur  
stantes fide eius, hoc est, fundati ac roborati  
in fide. Sicuti infra. 11. Tu autem fide stas.  
Quinimo & copulatio cum sequenti verbo  
præsentis, gloriamur, subindicat & stamus/  
eiusdem esse temporis. Sunt autem qui ve-  
lunt, Paulum, hoc quòd est, stare, non de vni-  
uersis iustis, sed de prouectioribus & perfe-  
ctis adseuerasse, in quorum numero ipse erat.  
Nam incipientes & imbecilles, nutantes sunt  
potius, quàm stantes. At verò forsan nihil di-  
gnouit inter status fidelium, sed vim & con-  
ditionem fidei, seu gratiæ expressit: quæ est,  
erigere nos & constabile spe futurorum bo-

norum. Ob idq; subiunxit [Et gloriamur in spe  
gloriæ filiorū dei] Quanq̄ in compluribus græ-  
cis exemplaribus nō legatur/filiorū/sed/in  
spe gloriæ Dei/quæ lectio doctoribus Græcis  
receptissima est. At verò postquā latini om-  
nes codices consentiēter habēt/filiorum/in-  
dubitata coniectura fit, ita quoq; habuisse  
olim et Græcos. Præterquā quòd multò fit  
absolutior perspicaciorq; sententia per hunc  
genitiuum. Nam spem gloriæ Dei vix neote-  
rici illi animo conciperēt, subdubitantes, an  
de spe gloriæ deberēt id intelligere, quæ Deo  
est propria: de qua & ipse ait, Gloriam meā  
alteri non dabo. Quam obrem Origē. cogita-  
uit deesse aliquid, vtputa, in spe videndæ glo-  
riæ Dei: quòd & Theo. suppleuit per alium ge-  
nitiuum, scilicet, In spe bonorum quæ in nos  
sunt cōferēda ad gloriam Dei. Lectio autē/  
in spe gloriæ filiorum Dei/rem planè eliqui-  
dat. Adde quòd infra cap. 8. in cōclusionē hu-  
ius modò incepti propositi eiusdem verbis re-  
spondenter concludit, Spiritū accepistis ado-  
ptionis filiorū Dei. Perspectum hic igitur no-  
bis primū sit, vt in enarrandis gratuitis bo-  
nis orationem attollat Paul. Hoc nanq; se-  
cundum est munus fidei, videlicet gloria: nō  
solum quæ in cælo nos manet, sed qua etiam  
in terra fruimur, quam duplicem hic nobis  
ostendit. Harum prior est, in spe gloriæ filio-  
rum Dei. Ait ergo non solum nactos nos per  
fidem pacem rerum præsentium, sed & glo-  
riari in spe futurorum. Etenim etsi gloriari,  
exultareq; detur nemini, nisi de his, quæ iam  
adeptus est bonis, tamen tam certa est, & fir-  
ma spes hereditatis æternæ, vt de illa nos pro-  
priè gloriari in Deo in hac vita mortali li-  
ceat. Potest quidem genitiuus/filiorum/ac-  
cipi hic possessiuè, pro his qui in hac vita habēt  
talem spem: sed aptius forsitan accipiatur, vt  
designet obiectū spei. Quòd est dicere, Glo-  
riamur in hac spe, quòd futuri sumus in patria  
filii Dei, paterna hereditate perfuantes. Pro-  
bè igitur Orig. tres hic dignouit glorias. Pri-  
mam veteris legis, quæ figura erat nostræ,  
velata tamen. Alteram legis euangelicæ, in  
qua reuelata nobis sunt mysteria CHRISTI.  
De quibus Paul. 2. Cor. 3. meminit. Vbi splen-  
dorem vultus Moysi recipientis legem, gloriā  
appellat, velamine obtectam (nam velaba-  
tur facies Moysi) tanquam vmbra futurorū.  
Reuelatam verò gloriam nominat, lumen eu-  
angelicæ fidei, quo ab ore proprio CHRIS-  
TI suffusi, illustratiq; sumus: per cuius præ-  
sentiam, antiqua illa exclusa est. Et quòd nō  
de glo-

Secundum munus fidei.

Distinuit in intellectus Pauli.

Orig. detri- plici gloriis

2. Cor. 3.

de gloria hac reuelatæ fidei loquatur hic  
Paulus, per id liquet, quòd ait, in spe. Nam si  
dem re ipsa iam nunc possidemus. Sed lo-  
quitur de tertia, quæ in spe sita est diuini il-  
lius fulgoris inaccessæ lucis Dei.

Non solum autem sed & gloriamur  
in tribulationibus. Adfabrè locupletat  
officia fidei: sanè per quam non solum recon-  
ciliati sumus, & in pace & in spe futuræ glo-  
riæ cōstituti, verum & eo vsq; subuecti, vt in  
tribulationibus quoq; laboriosæ huius vitæ  
gloriamur. Et quanuis (authore Origēne) ad  
illa quoq; superiora particula hæc referatur,  
concinnius tamen (contra, quàm aliqui cen-  
sent) ad hoc proximum membrum/gloria-  
mur in spe, &c. Acti dixisset, Non modo in  
spe futurorum bonorum, verum & in passio-  
ne præsentium malorum gloriamur. Conci-  
nit Iacobus Paulo, vbi ait, Omne gaudium  
existimate fratres, cum in varias tentationes  
incideritis. At vide emphasin. Non enim sa-  
tis ratus est dicere, quòd labores æquanimi-  
ter ferimus ob spem futuræ gloriæ, verū quòd  
gloriamur quoq; & oblectamur in tribula-  
tionibus. Et est fortè dilutio maculæ, qua tūc  
blasphemi legem nostram deturpabant, nem-  
pe quòd in tot pericula, calamitates, & mar-  
tyria inuictos Christianos coniceret (nam  
Christianos illius ætatis potissimum fortè in-  
uitus, hæc dicit) ob idq; ait, tam longè illis  
abesse molestè illa ferre, vt quàm maximè a-  
lacres & exultanter in domino gloriantes ty-  
rannicis illis persecutionibus se obiectarent,  
spe refocillati filiorum Dei. Illud autē quòd  
grammatici hic carpunt, quòd magis fuisset  
latinū/ Neq; id solum/ minor est nota, q̄ cui  
debeamus respōdere. Transtulit nanq; inter-  
pres vetus ad literam dictionem græcam, ni-  
hil sollicitus, an posset elegantius verti. Pape  
quanta Christianis bonorū accessio facta est  
ab euangelica fide. Fuit equidem in philoso-  
phorum institutis apud græcos, vt vtranq; for-  
tunam quadrato animo ferrent, ne ærumna-  
rum, laborumq; & calamitatū incursum men-  
tem perturbarent. At quòd ex pressuris &  
mundi procellis voluptatem etiā caperemus,  
inauditū fuerat mortalibus, antequam ab ore  
audirent diuino, Beati pauperes, Beati qui lu-  
gent. Et, Qui persecutionem patiuntur. Sed  
& qui meritum operū demoliri pertendunt,  
videant, quàm hoc loco vinciantur. Hac quip-  
pe de causa docet hic Paul. Glorandum no-  
bis in afflictionibus & hostilibus pugnis, quòd

Neq; id solum.

Beneficia fidei.

Contra Lu- theranos.

De merito.

si victoriam nobis Deus fauore suo et ope tri-  
buerit, in meritum nobis cedunt felicitatis  
æternæ. Haud enim post mentionem spei fi-  
liorum Dei, subiungeret de gloriatione in tri-  
bulationibus, nisi vt explicaret, quomodo tri-  
bulatio, per suas subinde proles (vt patet  
proximo textu) spem tandem operatur. Cau-  
sa verò esse nō potest spei, nisi in ratione me-  
riti. Quo planè & illud attinet. 2. Cor. 4. quòd  
in præsentī est momentaneum & leue tribu-  
lationis nostræ, supra modum in sublimitate  
æternum gloriæ pondus operatur in nobis.  
Vnde & Ambro. hic causam, inquit, cur glo-  
riandū sit in tribulationibus hæc scribit Paul.  
Quòd tribulatio augmentum faciat præmiū.  
Et infra, Contemnere præsentia, & in pressu-  
ra non cedere, magni meriti est apud Deum.  
Sed de his satis superq; cap. 2. dictum est. At  
verò præter hanc Paulinam causam spei, quæ  
nam videat ducem suum ac vexillariū CHRIS-  
TVM, suam præferentem crucem, cui non ad-  
uersitates omnes, cunctiq; agones in arena  
Christiana dulcescant? Quis non pro summa  
gloria ducat, & suam se tollere crucem, vt se-  
quatur magistrum? Nam quis in cœlesti illo  
gloriosissimo triumpho ducem ac caput suū  
suspiciat, splendorem gloriæ patris, ac figu-  
ram substantiæ eius, colaphis caesum, sputo cō-  
spersum, flagelli ac ferri vibicibus conspicuū  
(nam ita oportuit CHRISTVM pati, vt intra-  
ret in gloriā suam) quem non depudeat sine  
vllò puluere & sudore huius militiæ inibi  
comparere? Nobis igitur absit gloriari nisi in  
cruce domini nostri IESV CHRISTI. Eò  
inquam virtutis prouehi conitamus, quo  
Paul. conscenderat: vt neq; mors neq; vita  
separare nos valeat à charitate Dei. His e-  
nim præcipuè datum est in cruce domini &  
tribulationibus gloriari & oblectari.

2. Cor. 4.

Alia causa gloriandi.

Scientes quòd tribulatio patientiam  
operatur, patientia autem probationē,  
probatio verò spem: spes autem nō cō-  
fundit: quia charitas Dei diffusa est in  
cordibus nostris per Spiritū sanctum,  
qui datus est nobis. Optimè Aug. de doct.  
Christ. cap. 7. inter defendendā, laudādāq;  
sacrorum authorum eloquentiam, hunc locū  
in exēplum profert. Sanè quo Paul. mirificè  
vltus illo schemate est, quòd Græci, climax,  
nostrī verò, scalam quidē poterant, sed grada-  
tionem maluerunt appellare. Quæ figura fit,  
cum verba vel sensus ex ordine connectun-  
tur, & veluti hic, ascensu quodā concathenam  
sunt.

Aug.

Gradatio.



tur. Hanc enim causam inducit, cur gloriam nobis sit in tribulationibus, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Vbi tria membra, secundum ex primo, ex secundo vero tertium connexa sunt. Ac deinceps, ut circuli decus obseruaretur, tribus aliis commati bus periodū ordine verso claudit. Videlicet, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: per Spiritū sanctum, qui datus est nobis. Neque verborū profectio tantum, sed & sensuum nexus artificii habent. Materia siquidem in qua proprie patientia versatur, est tribulatio, quo nomine & carnis incurfus, & vniuersa, quæ nobiscum conflantur aduersitates intelliguntur, quibus per patientiā fortitudinemque obnitimur. Atque idcirco ait: Tribulatio patientiam operatur. Non quidem (ut aiunt) directè, sed tanquam materia, in qua versatur exerceturque virtus, ac perinde vegetatur atque corroboratur. Veluti confictu belli augetur fortitudo. Nempe que, ut de ligno palmæ scribitur, contra molem & contra id, quo degrauatur pondus, assurgit, quæ proinde arbor decreta est victorum triumphis. Patientia verò, malorumque tolerantia, indicium est & examen in fracti animi, quicquid anchora diuinæ gratiæ fundatus in Deo est. Quare probe dixit: Patientia autem probationem: iuxta verbum Prophetæ, Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne (scilicet tribulationis) me examinasti. Cui consonat & Ecclesiasticus, In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habere: quoniam in igne probatur aurum & argentum: homines verò receptibiles in humilitate. Et inter proverbia, Doctrina viri per patientiam noscitur. Quod autem ex probatione succreuit spes, liquidum est. Nam qui legitime certauerit, hic saluus erit. Ob idque ait: Probatio verò spem. Et respicit ad id quod prædixerat: gloriamur in spe. Igitur abeant, qui ita se prædicant sola fide iustificari, ut per eam protinus certissimi fiant suæ iustitiæ: longè enim aliter nos hic Paulus instituit: nempe quod per probationem & experimentum operum fidei, innascitur, aliturque nostra spes. Id quod, vel experiētia magistra, cōperim. Vnde Aug. in prolo. Psal. 31. Qui vult, inquit, habere bonam spem, habeat bonam conscientiam. Ut autem habeat bonam conscientiam, credat et operetur. Et Chry. Tribulatio spem in nobis vigere facit. Huic autē assertioni: Patientia veruntamē probationē (scilicet, ope-

ratur) reclamare videtur Iacobus, vbi conuerso modo ait, Quod gaudeamus in tentationibus, scientes quod probatio fidei patientiam operatur. Facile tamē inter ambos pax constabit per distinctionem. Enimvero, si nomine probationis tentationem ipsam (ut Iacobus insinuat) intelligamus, tunc probatio operatur patientiam, perinde atque dictum est de tribulatione. Idem quippe est Iacobus, Probatio patientiam operatur, quod Paulo: tribulatio patientiā. Si verò probatio vsurpetur pro eo, quod probatum esse & exploratum, id quidem effectus patientiæ est. Quoniam nimirum sensu ait Paulus: Patientia probationē operatur [Spes autem non confundit]. Hæc retrogradatio præcedentē gradationem pulcherrimè dilucidat, & à calumnia utique vendicat. Etenim ne quis inde quod à victoria tribulationum progigni spem nostram audisset, humanis meritis iustitiam adscriberet, ostendit stabilimentum spei nostræ in Deo situm esse, qui in nos opulentiam charitatis effudit, per quam fides in debellandis aduersis malis operatur in nobis. Spem quidem non confundere, bifariam interpretari quis potest. Primum ut sit responsio, quam gentibus, et filiis huius seculi obtēdit, Christianos deridētibus, quod spe vana rerū futuri seculi tanta obirent presentia discrimina & incommoda, cum vitæ etiam iactura. Respondet inquam nullo Christianos pudore affici, eò quod ærumnas illas & persecutiones patiuntur præsentis ob certam spem fidei. Vel melius, & ad rem proprius ait: Quod spes hæc non confundit: hoc est, non pudescit sperantes, sicuti spes humana. Spes enim tunc pudoris est causa, quando hominem frustratur, eluditque, vel quia sponsor non seruat promissum, vel quod alia quavis ratione ille, qui sperabat, deceptū se, atque adeo confusum comperit. Vnde quia omnis homo mēdax, de spe humana scriptum est, Maledictus homo qui confidit in homine. Illa verò quæ ponitur in Deo, qui nec falli nec fallere potest: cui neque potestas deest, neque benefacendi voluntas, confundere nequit vnquam. Vnde David, In te domine speraui: non confundar in æternum. Et Ecclesi. 24. Qui audit me non confundetur. Et Esa. 49. Ego dominus: super quo non confundetur qui expectant eum. Causa autē cur non confunditur, est [Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris] Orig. ait, non esse cuiuslibet hominis, nisi perfecti, qualis erat Paulus, ut in eius corde diffundatur charitas Dei, nempe in quibus perfecta charitas foras

Spes non confundit.

Iere. 17.

Orig.

mittit timorem. Hoc verò asseuerat, non nisi propter verbum diffusa, seu, effusa, quod exuberantiam excellentiamque significat charitatis. Attamen non negat, quia neque negare poterat, quominus quicumque iustus infundatur charitate, seu per sacramentum, siue alia quacumque via, reconcilietur Deo. Idem siquidem est charitas, quod amicitia Dei: ob idque indiuidua comes est gratiæ. Et ideo probabilius est, Paul. in vniuersum de omnibus iustis hoc adstruere. Est veruntamen in quæstione positum, quam hic charitatē Dei intelligat Apostolus, illam ne scilicet, qua diligit Deus nos: quæ eius est diuina essentia, an verò illā, qua nobis inhaerente, ipsum diligimus, quæ quidem effectus est impressioque in nobis diuinæ bonitatis. De prima legitur Iere. 31. Charitate perpetua dilexi te. Et de altera Paulus infra, Certus sum, quod neque mors, neque vita separabit nos à charitate Dei. Et de vtraque redemptor noster, Qui diligit me, diligitur à patre meo. Aug. de spi. & lit. cap. 32. & vbi quocumque in hunc incidit locum, posteriorē intelligit. Alii verò authores, priorem, & Orige. vtrancumque. In cuius sententiam tutò subscribere possumus. Neque Aug. dexterè auscultatus, refragabitur. Charitas enim, quæ prima causa est nostræ salutis, non hæc nostra est, sed illa, qua nos ipse diligit. Haud enim quia boni nos primum sumus, ab ipso diligimur (quæ Pelagiana blasphemia est) sed per suam nos ipse dilectionē efficienter, & per gratiam formaliter bonos facit & iustos, suosque subinde constituit dilectores per infusam in nos charitatem. Nam quis prior dedit illi & retribuetur ei? Et in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniā ipse prior dilexit nos. Et, Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. Et, Per suam misericordiā saluos nos fecit. Atque hoc genus quamplurimum, quæ Augustinum adeo non præterierunt, ut Hypog. & vbi quocumque cum Pelagianis congregitur identidem illa repetat: peruincens, ita nos diuino fauore præueniri, ut neque initium fidei à nobis sit. Igitur dicere probissimè possumus, charitatem, qua Deus nos diligit, in nos esse diffusam, eo loquendi modo, quo causa per effecta diffunditur. Quemadmodum liberalitatem principis, licet in ipso persistat, dicimus per beneficia diffundi in ciues. Neque is modus Augustinum latebat. At ne ansam offerret suspicandi illud, quod Magister sententiæ opinatus est: nempe quod Spiritus sanctus per se ipse illaberetur nobis,

Questio de charitate.

Aug.

1. Ioan. 4.

Charitas Dei diffusa.

Opinio magistri sententiæ.

cavit dicere, charitatem quæ Deus est, in nos effundi. Ob idque locum hunc de illa, quæ nobis inest, interpretatus est, Non quod per illam, quasi à nobis iustificemur, sed quod simul, dum nos iustificat, per eam nos facit sui dilectores, ut operemur iusta. Tamen lib. 2. de na. & gra. inter explicandum formales causas iustificationis (nisi falsi sumus) declarauimus, modo quo ipsos fidei, spei, et charitatis, qua scilicet ratione gratiam subleuantur, veluti administratos eiusdem gratiæ & instrumenta, per quæ diuina potestas operatur, causas esse formales iustificandi, atque adeo gloriæ merita: licet quatenus gratiā antecedunt, merita non sint, sed materiales dispositiones. In genituo ergo Dei, vel subiectum potes, vel effectricem causam intelligere. Atque etsi complures sint qui effusa transferant, verbum tamē græcum libet suffert, ut diffusa quoque transferatur. Quod eandem vim, opulentiamque charitatis exprimit. Præterquam quod diffusa diuersos effectus charitatis significantius exerit. Sunt etenim, non modò dona gratuita diuersa, verum & charitatis ipsius multiuga munia. Charitas enim patiens est, benigna est, non æmulatur, & c. Porro autem ne cogitatio nobis subreperet, de dilectione ipsum loqui, qua per nostras nos vires, generali Dei influenza, eum ut primam causam, diligere valeamus, adiecit [Per Spiritū sanctum, qui datus est nobis] Oratio enim hæc, tum suppetias præ se fert supernaturales, tum, in hoc quod ait: datus: gratuitū donū. Vulgare enim est, dona Dei, quæ propria totius sunt trinitatis, Spiritui sancto attribui, eò quod sola diuina voluntate donentur, per cuius modū Spiritus sanctus à patre et filio spiratur. Et inter cetera charitas illi noua ratione adscribitur. Nepe quod per eum, qui nexus est patris & filii, statuit nos Deus, & inter nos, & secū amore cōglutinare. Vnde seruator noster, Ut sint, inquit, vnū in nobis, sicut & nos vnū sumus. Ex hoc autē verbo cōmentus opinionē suam est Magister sententiæ, quod Spiritus ipse sanctus secundū substantiā illabatur iustorum cordibus. At verò Pau. se ipsemet exponit, Si enim secundū substantiā nobis inesset, nullo effectū alio opus habitu charitatis. Datur ergo Spiritus in effectu suo: nimirum per charitatem, quam in nos effundit. Adauget hoc veruntamen munificentiam hanc, quod non solum charitatem, sed Spiritum sanctum, ait, nobis donatum sicuti causa in suo datur effectu. Neque id solum in cordibus per charitatem, sed

Lib. 2. de na. & gra. cap. 18. de causa formali iustificandi.

Effundit.

1. Cor. 13.

Attributa Spiritus sancti.

Ioan. 17.

sed

Tribulatio

Patientia operatur tribulatio.

Palma in triumphis

Psal. 16.

Ecclesi. 2.

Pro. 19.

Contra Lutheranos.

Aug.

Dubitatio

fed Ecclesie huic nostre in apostolis, tum ad remittendum peccata, tum in Pentecoste ad peruulgandam nostram fidem est missus. Quod & Ambro. censet respexisse Paulum. Nam inde quoque illustrata plurimum est fides nostra, spesque proinde corroborata. Quamobrem spiritus non datus est in persona sicuti CHRISTVS, quem nobis dedit pater factum hominem. At vide quam mirifice periodum absoluerit. Cum enim de munere illo fidei dixisset, quod est spes filiorum Dei, patefacere continuo perrexit, non sola fide, sed ea que per charitatem operatur, constare spem nostram. Atque hanc ob causam tribulationum meminit, quarum conflictu exerit sese, virentis patientia. Cuius probatione spes validius radificat. Radices tamen eius de bonitate Dei procedunt, qui charitatem nobis in pignus arrabonemque futuræ gloriæ donauit. *2. Cor. 1.* Ait enim alibi Paulus, Qui confirmat nos, Deus, nobiscum in CHRISTVM, et qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Et ad *Eph.* In quo (scilicet CHRISTO) credentes, signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Igitur qui tam largiter tamque opulenter Spiritu sancto corda, & pectora nostra perfudit, ut etiam in tribulationibus, pressurisque huius mundi gloriemur in prelio, quale præmiorum gaudium existi memus adparasse nobis in triumphum? At ne parum putemus, spiritum suum nobis donasse, audiamus, quomodo dederit quoque & filium.

Ut quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Non vna, sed duæ sunt significatiões huius amodo subsequenti orationis. Haud enim amplificatio tantummodo est, eademque eximia firmitudinis, soliditatisque spei nostre, quæ non solum pignore donati nobis Spiritu sancti, sed charitate traditi filii stabilita est, verum & causam præterea subiicit hac eadem oratione Paulus ipsius donationis Spiritu sancti. Hæc enim fuit, incarnatio, passioque CHRISTI: cuius merito charitatemata nobis oia elargitus est Deus. Et quantumuis imperitum se Paul. sermone fateatur, prodit huc tamen diuina præditus eloquentia. Recentiores non vertunt. Ut quid enim CHRISTVS, sed Nam cum CHRISTVS, Eo quod

in græco legunt *ἐτι γὰρ* / quod tantum valet ut / quod enim / *εἰς γὰρ* / verò idem est, quod / ut quid / vel / ad quid / quod cōiectura est legisse nostrum interpretem. Et forsitan vocum confinitas occasionem exhibuit, ut post commutaretur. Atqui præterquam quod Ambro. Hiero. & alii graues authores cum interprete nostro consentienter legunt, profectò interrogationes huiusmodi, tum decus adferunt, tum vim etiam adhibent orationi. Vel hoc maxime loco. Cum enim in corroboranda spe, quæ proles est fidei, perseueret, vehementiam exacuit hac ex abrupto interrogatione, [Ut quid enim CHRISTVS cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, mortuus est?] Particula autem / secundum tempus / in ambiguo tenet commentatores, vtrum præcedenti accommodanda sit membro, ut legatur / cum infirmi essemus secundum tempus / an verò subsequenti, ut casura sit / secundum tempus mortuus est. Et quanuis ad alterutrum referatur, non ita multum forte intersit, consensu tamen magis vno antiquorum Patrum ad id quod sequitur applicatur. Id quod probabilius est. At quod aio, lectionem priorem probabilitatem habere, non est, quod cum quibusdam consentiam, id Apostolum adiecisse, ut mitigaret quod dixerat / infirmi / ac si infirmi secundum tempus, excusatio sit infirmitatis humani generis ante aduentum CHRISTI, eò quod esset pro ratione temporis diuino subsidio destitutum. Hæc etenim excusatio, cum nihil addat ad cumulum misericordiae Dei, quam hic Apostolus intendit commendare, non videtur esse de eius mente. Ob idque, si lectio illa recipitur, excusatio censenda potius est mortis diuini aduentus. Videlicet quod ne quis diuinam bonitatem culparet, quæ non antea perditio generi nostro succurrisset, hac præocupatione respondet, illud non fuisse condens: imò fuisse necessarium, infirmum per aliquot secula relinqui, ut suam homines naturæ miserabilem tenuitatem & inopiam experti, dilatatum auxilium Dei, pluristandem oblatum, facerent. Iuxta illud *Act. 14.* Qui (scilicet Deus) præteritis ætatibus permisit omnes gentes ambulare viis suis. Quocirca / infirmi secundum tempus / id est, secundum hanc lectionem pollet, quod, infirmi secundum rationem temporis, hoc est, pro ratione ætatis humani generis. Quemadmodum dicimus, puerum præ ætate imbecillum. Quam doctrinam docet ad Gal. idem Apostolus. Nempe, quod tanquam paruuli eramus sub tutoribus & actoribus,

Ambro. Hiero.

Secundum tempus.

Act. 14.

quo

quoadusque veniret plenitudo temporis præfiniti à patre, hoc est, genus humanum adulta esset ætate, ac perinde idoneum fieret, cui traderetur hereditas. Atqui, hoc fortè verum est, quod / infirmi / hic non significat peccati culpam: ea enim, mors proprius est, quam infirmitas, secundum illud *Eph. 2.* Cum essemus mortui peccatis: de qua ideo morte confestim subdit / Pro impiis. Et rursus / Pro peccatoribus / sed significat animi languorem orbitatemque iustitiæ originalis, quo vulnere natura nostra læsa est eneruataque adeo & infirmata, ne se posset in amicitiam Dei recipere. Ea enim que fragilia sunt, dicitare solet Paulus infirma. Ita enim alibi ait, Infirmitas in fide. Alibi autem, Infirma & egena elementa. Quanquam Orig. tribus his notationibus / infirmi / impiis / & peccatoribus / tres peccatorum rationes intelligit, scilicet eos qui ex ignorantia peccant, & eos qui ex malitia idola contra Deum colunt, & tertios qui iniurii sunt in proximos. At verò his non obstantibus particula / secundum tempus (ut dicebamus) aptius cohæret subsequenti participio / mortuus est / uti Ambro. et Theo. glossant. Nempe ut sit moderatio, quod non mortuus est in perpetuum, aut lege communi, usque ad vniuersalem resurrectionem, sed in triduum. Vnde Ambro. Ad tempus enim mortuus est, quia tertia die resurrexit. Nam de Origene, quem vi nonnulli perpellunt in priorem lectionem, nulla esse potest ambiguitas, quin fuerit posteriorem amplexus: siquidem in suo commentario sic habet, Charitas CHRISTI erga nos, quanta pensanda est, qui secundum illud tempus, quo passus est, pro impiis & iniustis mortem perpeti non refugit. Quapropter ex textu, commentariis eius intexto, utcumque punctus fuerit, nullum mentis Origenis argumentum sumitur, sed impressoris. Hiero. autem sub dubio id relinquit: siue enim, inquit, secundum tempus infirmi, siue quia vltimo tempore passus est. Sunt igitur de hoc isti recentes interpretes meritissimo condemnandi, quod cum græcè simpliciter sit *κατὰ καιρὸν* / secundum tempus, quod probatissimi authores ad / mortuus / apponunt, isti non satis habent sua glossata circumscribere, nisi textum ipsum in suum transcribant sensum: transferentes, secundum rationem temporis. Id quod participio / mortuus / quadrare nequit. Nam licet sit CHRISTVS mortuus præfinito tempore, non tamen secundum rationem temporis, ut doctè ante nos alius adnotauit. Siquidem mors eius non pendebat à tempore. Est igitur sententia Pauli, quod

Infirmi.

Orig.

Ambro.

Hiero.

Contra interpretes.

Senten. Paul.

cum infirmi essemus, hoc est, insufficientes, ut per nos ipsi possemus gratiam amicitiamque Dei obire, atque adeo opis illius egeremus, CHRISTVS ad tempus pro impiis mortuus est. Illuc nimirum prospiciens, ubi diciturus erat, CHRISTVS resurgens ex mortuis iam non moritur: quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Et est profectò ingeniosa hæc duplex contrapositio accuratè perspicienda: scilicet cum infirmi essemus, mortuus est CHRISTVS pro impiis. Nam quod pro infirmo quis infirmetur, æquitatem quandam habet. At quod quis mortem oppetat, ut alium quempiam morbo liberet, hoc certè longè est præclarior. Quod si quis vitam daret propriam, ut innocentem seruaret, officium sanè esset egregium: at verò quod iustus pro impio moriatur, demiranda res est. Quanto ergo mirabilior, quod CHRISTVS, qui summa bonitas est, pro iis, qui in ipsum fuerat impietissimi, vitam, & in cruce posuerit? Eam ob rem subdit exaggerationem. [Vix enim pro iusto quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori.] Quanuis / iustum / & bonum / possent hic fortè legi in neutro genere, ut sit sensus / pro iustitia & bonitate / tamen cōsensu Patrum est, ut masculinè vsurpentur pro hoie virtute prædito. Idque inde clarè constat, quod respondent aliis masculinis / piis, & peccatoribus. Est autem meditandum, quod virtus, seu in intellectu sit, seu in appetitu, eò maior est ex parte subiecti, cæteris paribus, quo in obiecto minus habet motricis virtutis. Ut sciētia, quia per demonstrationem tunc vincitur intellectus, nullum arguit subiecti meritum. At fides, quia non ex vi demonstrationis ingignitur, sed ex obedientia voluntatis, cōmēdabilior est ex parte subiecti: tamen si habitus sciētiae claritate antecellat. Pari modo in charitate, quanquam actus dilectionis probi hominis atque amici, præstātor genere suo sit ex obiecto, dilectione inimici, tamē dilectio inimici maiorem vim indicat in habitu charitatis, pro eo quod non solum sese in amicos proferat, quod ratione ducitur, sed etiā pateat usque ad inimicos, qui charitatē auersantur. Adde, quod quanto ratio obiecti minus habet honestatis, minor est virtus. Ut si quis sanguine, aut quauis alia necessitudine coniunctos, alias minus probos, diligat. De quibus CHRISTVS, Si diligitis eos qui vos diligunt, quā mercedem habebitis? Nonne publicani hoc faciunt? Et si saluaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Quasi dicat, Hæ naturales dilectiones, nisi in Deum

Immensa Christi charitas.

Anotatio de virtute.

Mat. 5.

per

Collectio period.

2. Cor. 1.

Eph. 1.

Ut quid.

per gratiam relata, nullius sunt meriti apud ipsum. Has vero infimas dilectionis causas, non est dignatus Apost. in exemplum inducere, sed illam, qua studiosus diligitur. Probitas enim, legitimum obiectum est charitatis. Ut ergo mortem CHRISTI pro impiis a contrario commendaret, ait / Vix enim pro iusto quis moritur. Ac si dicat, Cum id ratio deponat, tamē vix & per quam raro contingit. At tamen quia quandoq; contingit, adiecit. [Nā pro bono forsitan quis audeat mori.] Quapropter eundem fortē significat vtrāq; appellatione iusti et boni: vt ait Hiero. Et accipitur / quis / non interroganter, sed definitē & assertiuē. Neq; tā propriē, quod græcē est, τολμα, transfertur / sustineat / (vt quidam volunt) q̄ / audeat. Temperat autem sententiā per / forsitan / & / audeat / ad monstrandū difficultatem & metum mortis. Nam cum vita, fundamentum sit stabilimentumq; bonorū omnium temporalium, & mors terribilium oīm horrendissimū, vix vnus est aut alter, qui pro bono virtutis vitam exponat. Tamen si pro se quisq; , vbi ægritudo semel animū occupat, multo sint plures, qui eum despondeant, atq; etiā pro mundi gloria deuoueāt: vt in Ethnicorum historiis memorie de multis proditū legimus. Hanc ob causam Ambr. hic inter iustum & bonum discreuit, inter virum scilicet, qui probatē iam est, adultæq; virtutis, quem censet nomine iusti, & innocentem puerum, quē cōcipit nomine boni. Sanē quod pro innocente puero plures fortasse naturalis commiserationis affectus permouet, vt morti se obiciant: pro illo verō iusto, qui adultæ est ætatis, quia non est tanta a sensu cōmiseratio, licet sit rationis vis maior, vix reperias, qui id faciāt. Orig. autē in verbo / bono / CHRISTVM recognoscit, pro quo martyres ausi sunt tam immodicis cruciatibus occumbere.

Commēdat autē charitatē suā Deus in nobis: quoniā cū adhuc peccatores essemus, secundū tēpus Christus pro nobis mortuus est. Progreditur Paulus, vt per gradus inestimabilem hanc clementiam beneficentiāq; Dei per CHRISTVM, quibus potest numeris efferat. Commendat enim, inquit, hoc est, illustrat laudabilemq; & amabilem facit charitatē suam Deus in nobis, atq; inde præsertim spem nostrā confirmat, quod cum inimici eius essemus, & qui ab ipso statim protoparēte nostro, quem tot beneficiis donauerat, ornamentisq; insigniuerat, mortu-

les fermē vniuersi, omni scelerum flagitiorumq; & idololatriæ genere oppleti eramus, atq; adeo in ipsum ingrati & perfidē impii, Cū tales scilicet essemus, nihilo minus CHRISTVS, Dei vnigenitus, nostram dignatus est induere naturam, in qua pro nostris impiis facinoribus eluēdis truculentissimam obiret mortē. Id planē quod Ioan. dixerat, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, explicare mihi videtur hic Paul. Nam in hoc quod ille dixerat / mundū / eum subnotauit mundū, a quo se CHRISTVS conquirebatur odio haberi: ob idq; ait Pau. / cū inimici essemus. Et vbi dixit / daret / intellexit, quasi ad mortem adigeret: quod ait Pau. / mortuus est. Ecce cur redēptor ipse ait, maiorem charitatem neminem habere, q̄ vt animam suam ponat pro amicis suis: nempe vt culmē humanæ charitatis ostenderet. Quod tamen infinito modo diuina transcendit charitas. Nullā enim Deus inuenit in nobis, seu bonitatem, seu amicitiam, quam diligeret, sed moriēdo pro nobis, nos, nisi per nos ipsos steterit, iustos effecit, & bonos. O certē infinitū amorem, qui Deum in mortem proiecit, qui dæmones vicit, stupefecit angelos, atq; homines constituit filios Dei. Hanc nimirum nobis Dei hominis mortē dæmones inuidebāt, cum Gentes olim, & si quæ sunt vsq; gentiles modō, furore exagitabāt, vt de humano sanguine cruētis eis hostias cederēt. At Deus noster, qui humanæ author est vitæ, morte non delectatur humana, Mortē enim ipse (vt est in lib. Sap.) non fecit in humana natura, sed est per peccatū inducta. Adeo vt nec peccatoris sitiat mortē, sed malit, vt conuertatur & viuat. Quocirca crucifixio CHRISTI, si generalē mortis rationē mediteris, non fuit illi grata: eadēq; multo minus, qua parte a perfidis parricidis summo scelere patrata est, sed quatenus ab vnigenito filio spōtē oblata, gratissima illi fuit & æstimatissima, Erat enim in altissima iustitia Dei hæc ratio recōdita perfectissime satisfactionis pro debito humanæ naturæ. Quam rationem in calce tertii capituli exponebamus. Nā de congruitatibus reliquis eiusdem mortis CHRISTI in. 3. sententiis abundē doctores edisserunt.

Multō igitur magis, nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cū inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortē filii eius, multo magis reconciliati, salui erimus

Ioan. 3.

Maiorem cha.

Infinitus Dei amor in nos.

Mors Christi.

Sap. 1.

mus in vita ipsius. Collectio rationis est. Si enim tantum abfuit, vt in impios & peccatores meritā iram euomeret, vt cum proprie vitæ dispendio eos a morte liberaret, multo profectio libentius ac proptius effuso iam sanguine redēptos omni procul ira seruabit. Irā autē hic insinuare videtur extremi iudicii, cuius metum eximere hic curat a iustorum animis. Ac si dicat, Cuius eximiu amorē in primo aduentu experti sumus, non est cur in altero extimescamus iram. Informat autem syllogismum explicatius [Si enim cum inimici essemus, &c.] Argumentū est a minori ad maius, quod duplici cōparatione fulcitur. Duabus scilicet CHRISTI qualitatibus inter se collatis, duabusq; item, secum inuicem, nostris. Si enim mors CHRISTI potuit inimicos reconciliare, multo facilius poterit eius vita reconciliatos saluare, hoc est, beare. Nā et vita resurgētis CHRISTI in gloria valentior est multo, q̄ mors in carne, et seruare amicos, longē facilius, q̄ inimicos reconciliare. Sed fuerit quis fortē, cui argumentatio hæc Pauli subfrigida iudicaret, nulla esse potest hæsitatio, fore beandos. Qui enim in amicitia Dei cōstituitur, is regno destinatur. Quid ergo opus erat tam instructa disputatione, ad confirmandā illis spem gloria, qui sunt in gratia Dei? Respondendum forsitan, quod cum fides, argumentū sit rerum nō apparentiū, neq; satis hic mente valeamus tam stupendā magnificentia Dei comprehendere, vt in suum nos sit conspectū admittitur, necessariū fuit argumentum ex his quæ facta a Deo pro nobis sunt, ad consolidandam titubantium spem. Nam ipsi quoq; reconciliati nutare poterant hæsitantes, an essent pro officiis momentaneis, sensilibusq; laboribus, imō pro duabus erogatis minutis, & pro potu aquæ frigidæ, sempiterna illa diuinaq; bona recepturi, proq; enormibus remisissis criminibus atq; impietatibus nullum dari suppliciu. Et ideo argumentatur, quod qui tale sui erga nos amoris specimē exhibuit, vt per mortē nos vnigeniti sui in filios adoptaret, in spe nos certissima cōstituit, tum vt perfectē pœnitētes omni essent metu liberi, tum vt quæcunq; officia iā filii constituti per eandem ei gratiā offeramus, & quoscunq; pro ipso sustineamus agones, æquissima libra in æterna beatitudine sit nobis remēsurus. Neq; id solum, sed et iidem iusti, quibus preciu iam sanguinis impertitū est & applicatū, firmiorē per eandem gratiā spem habeāt diuinæ pro-

Ira iudicii.

Dubitatio.

tectionis ad perseuerandū, quoadusq; optato potiantur regno. Adde (licet menti hic Pauli nō sit ita multum germanus sensus) quod post peractam redemptionē, illi etiā Christiani, qui in peccato iacent, maiori inde fiducia esse debēt in Deum conuersionis suæ, q̄ olim ante CHRISTVM natum. Nam qui in carne tot pro nobis pertulit iniurias, contumelias, flagella & vulnera, cur non sit multo paratior suppetias nobis ire, q̄ ante indutam nostram mortalitatem?

Non solum autē, sed & gloriamur in Deo per dominū nostrum Iesum Christum, per quē nunc recōciliationē accepimus. Luculentissimā intueri conclusionē. Initium nanq; denarrādæ gloriationis iustorum, quæ prouentus est fidei, sumpsit ab spe futura felicitatis. Huic statim supposuit, non id solum, sed et gloriari eos in præsentibus tribulationibus. Iam nunc demū concludit, non solum in spe & tribulationibus, sed in Deo quoq; ipso gloriari per dñm nostrum IESVM CHRISTVM. Et posset quis fortē exaggerationem huc vertere, quod iusti non tantū de spe felicitatis, quæ illis obuentura est oblectātur, (hæc enim lætitia de amore concupiscentiæ nascitur) sed quod in Deo ipso suū collocāt amorē benevolentia, suamq; adeo gloriam, cū quo vnū ratione quadam futuri sunt. Gloriari enim sic in Deo, est ipsum propter seipsum absq; vllō nostri respectu deamare. Hęc tamē sentētia, licet legitimū amorē Dei exprimat, tamē minus huic textui videtur consentanea, propter id quod sequitur / per quē nūc reconciliationem accepimus. Sed est sensus, quod non solum in spe futuri præmii gloriamur, ac subinde in meritoriis tribulationibus, sed in hoc iā percepto per CHRISTVM beneficio Dei, quod cū ipso sumus fide & charitate coniuncti, vel quo Chry. spectat, nō solum gloriamur, quod salui vtcūq; facti sumus, sed & in hoc præterea, qd ab ipso oīpotēte Deo saluati sumus. Quin & in hoc plurimū, quod tāti nos fecerit, vt nō per angelū, aut per aliū quemlibet ex Potestatibus aut Seraphin, sed per vnigenitū filiū, eundēq; nō angelica, sed nostra vestitū natura. Atq; in summa, quod idē vnigenitus, non minori negotio, q̄ effuso sanguine, traditaq; in cruce vita, causā nostrā peregerit. Quāobrē, vnde nos aliqui fortē pudefacerēt, quod tāta scilicet fuerit iniquitas nostra, vt nō nisi morte Dei aboleri equisimē et cōgruētissimē potuerit, inde nos maxime gloriamur: nimirum, quod tā ingentia per-

Chrys.

Iustus & bonus.

Ambr.

Orig.

Inestimabilis clementia Dei.



id testimonia eius in nos beneuolentia cognouimus. Ecce quot nobis, quantisque bonorum fructus a fide prouenerunt.

SECUNDA  
PARS CA  
PITVLI.

Propterea, sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Haecenus prima pars huius capituli protensa est: in qua bona, quae nobis per fidem obuenerunt, denarrata sunt. Hinc iam mala, a quibus per eandem liberati sumus, recenseri incipiunt. Mala inquam, seu occasio mali, qualis fuit lex. Qui quidem tractatus usque ad finem. 8. cap. perpetuatur. Exorditur autem Apostolus a remissione originalis peccati: cuius idcirco rationem aperit & causam in hac secunda parte usque ad punctum. Sed non sicut delictum. Eam nimirum comparationem prospiciens inter Adam & CHRISTVM, quod sicut per illum inuenta culpa est in orbem, ac perinde mors, ita & per hunc delata est caelo est iustitia et salus. Quamobrem scopus hic obfigendus oculis nobis est in hac perpetua enarratione horum capitulorum quatuor, quod mala omnia, quae per delictum protoparentis nostri, nobis fuerunt hereditaria, in duo haec referuntur a Paulo, scilicet in peccatum & mortem, hoc est, culpam & poenam: nomine siquidem mortis, miseriae reliquas est complexus. Sicut in subsequenti cuncta beneficia CHRISTI resoluunt in gratiam & vitam aeternam. Sed & nexum quoque verborum, quae sit concinnus, perspicere. Cum enim de pace dixisset, qua per fidem CHRISTI potiti sumus, bellum autem nobis praearicatio Adae confluauerit, optime subiungit, Propterea, id est, si pacem per CHRISTVM, & quae filiorum Dei est, spem adepti sumus, consequens fit, ut sicut per unum hominem, &c. Hiero. si sua sunt scholia, hominis voce, Aeuam intelligit, quae primum transgressa est. Et pariter Ambr. quae ait in Adae fuisse, utpote de cuius costa fabricata est. Attamen legitimus sensus est, ut Adam ipsum intelligamus. Nam et si a muliere (ut Eccli. 25. scriptum est) factum sit initium peccati, id intelligitur, quia ipsa, prius seducta, causa fuit Adae peccandi: veruntamen nisi Adae peccasset, qui principium fuit generationis efficiens, nulla serpsisset in nos contagio. Qua de causa CHRISTVS, quia non virili semine genitus est, nullam contraxit labem. Atque ideo non hic modo, sed ubilibet non Aeuam, sed Adam cum CHRISTO, diuersa ratione, confertur. Imo, ut omnes tollatur ambigui-

Duo mala  
hereditaria.

Eua.

Eccli. 25.

Adam fuit  
originalis  
peccati cau  
sa.

tas, quod hic ait / unum hominem / expressè dixit 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes uiuificabuntur. Ait veruntamen, non per Adam, sed per unum hominem / alludens ad unum alterum, idem hominem, cuius solius morte liberati ab eisdem peccato & morte sumus. At oratio haec tota, si attendas, macula videtur, & mutilata, sanè cui deest secundum comparationis membrum. Deuisset enim è regione continenter opponi (ut notauit Orig.) ita & per unum hominem iustitia introiuit in hunc mundum, & per iustitiam vita, & ita in omnes homines vita pertransiit, in quo omnes iustificati sunt. Inuenias inter nouos traductores, quibus, hanc ob rem, placet expungi coniunctionem / & scilicet ut comparatio inter haec duo membra constet / Sicut per unum hominem / &c, ita in omnes homines mors pertransiit. At praeterquam, quod tam Graeci omnes, quam Latini, legunt coniunctionem / & frigida esset, & ineptissima comparatio talis, Sicut per unum hominem intrauit peccatum, & per peccatum mors, ita mors in omnes homines pertransiit. Et praeterea isti non penetrant mysterium collationis CHRISTI cum Adamo. Est ergo tota haec, ut iacet, oratio, una pars comparationis. Quod si alteram desideras, duobus iam modis respondet Orig. Primò quòd meditatio subicit alterum membrum propter negligetiores: ne scilicet audientes, iustitiam & vitam transisse iam per CHRISTVM in omnes homines, remissiores redderentur in bonis operibus. Cum tamen vita illa non sit ociofis proposita, sed officiofis: de quibus scriptum est, Regnum caelorum uolenti rapiunt. Longè tamen & ad rem propius secundum eundem responderetur, alterum membrum pluribus, more Paulino interiectis, illic infra cor respondere / Sed non sicut delictum / Vel si ma uis, inferius / Igitur sicut unius delictum, &c. Vbi propter longum hyperbaton resumpsit idè hoc ipsum membrum, cui alterum subderet. Simile est illud proximè citatum. 1. Cor. 15. Sicut in Adae omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes uiuificabuntur. Hic locus insignis est apud Paulum de originali peccato. De quo nos lib. 1. de nat. & grat. octo capitula scripsimus, quibus septem puncta disputauimus. Nempe an sit, quid fuerit in eius causa, quid sit, quomodo transfundatur, quinam eius effectus, quae etiam poena, & quo remittatur. Atqui quòd vllum sit peccatum originale, non poterat naturae luce deprehendi, nisi reuelatio fuisset supernaturalis: primum quidem Adae, post verò in lege naturae sub nube quibusdam singulariter per-

Oratio  
mauca.

Noti. tra  
ductores.

Matt. 23.

De origi  
nis macu  
la.

personis: in lege verò scripta vtriusque pagine expressè vniuersis. Tamen expressè in lege euang. Re verò diuinitus cognita, adhiberi naturali lumine ratio potest explicatoria. In veteri igitur instrumeto extat testimoniū Dauidis, qui se praedicat in iniquitatibus conceptum, & in peccatis. Et secundum hebraicam veritatem, in iniquitate, & in peccato. Et Eccli. 25. A muliere initium factum est peccati: & per illam omnes morimur. Cui concinit & ex gentilitate Iob, viciatum suum conceptum praesentens. Qui ideo malè precabatur diei, in qua natus est. Et cap. 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et cap. 25. secundum septuaginta, Nemo mundus absque forde: neque infans, cuius est vnus diei vita super terram. Vnde euangelicus ille paronymus prodiit clamans, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Siue ut Graeci habent, peccatum mundi: vbi generale illud designatur. Aliorum verò testium, quos modò praetermittimus, Paul. est omnium luculentissimus. Atque in hoc praesertim loco, vbi ait, per unum hominem peccatum intrauit in mundum, in quo omnes peccauerunt. Hunc veruntamen locum Pelagiani (referente Aug. lib. 1. de peccato, & bap. par. cap. 9. & Hyp. lib. 2.) eo deflecebant, quòd peccatum non intrauit per Adae propagationem, sed imitationem: iuxta illud Osee 6. Ipsi autè sicut Adam transgressi sunt pactum. Illos autè redarguit illic Aug. quòd si imitationem illam commemorasset hic Paul. non vtiq; Adae, eius principem, sed diabolum vtiq; induxisset. De quo legitur in lib. Sap. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Vbi & subditur, Imitatur autè illum, qui sunt ex parte eius. Et. 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. Fuit enim primus qui peccauit. Est praeterea argumentum Augustini ex comparatione inter CHRISTVM, & Adam desumptum. Scilicet sicut in Adam omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes uiuificabuntur: quae hic infra comparationem prosequitur etiā Paulus. Enimvero per CHRISTVM non solum intrauit iustitia imitatione (quanuis & ipsum imitentur adulti) sed spiritali quoque regeneratione, vti patet in infantibus regentis lauacro baptismi. Est ergo ut Adam quoque, non solum imitatione, verum & generatione reos nos constituerit culpa. Idem Chry. & Ambr. & doctores omnes tam Graeci, quam Latini agnoscunt. Vnde Orig. ideo, inquit, non meminit prioris delicti, seu seductae mulieris, seu demonis seductoris, quòd

Psal. 50

Iob. 3.

Ioan. 1.

Pelagiani.

Osee. 6.

Sap. 2.

1. Ioan. 3.

Orig.

de illo peccato loqueretur, ex quo mors in omnes homines pertransierat: posteritatis autè successio, non mulieri adscribitur, sed viro. Quo & exemplum asciscit ex Paul. Heb. 7. de Leui, qui multis retro annis, quam natus esset, decimatus est in lumbis Abrahæ. Pari ergo modo nos peccauimus in lumbis Adae. Igitur vbi tanta est doctorum concordia, non essent profecto audiendi illi, sed exhibendi potius, qui hunc locum, etiam nunc inter catholicos in dubium reuocant, an de peccato originali intelligatur, praesertim quum ex subsequentibus verbis patentissime appareat, ita esse intelligendum: iuxta illud Ephe. 2. Eramus natura filii irae, id est, à genitura nostra, ut sit natura / quasi / nascitura, seu ratione naturae, quae à primo parente trahimus. At, quid dixerim, hunc locum in dubium reuocant? Imò extenuant interpretando, & eo usque corrumpunt, ut vix secundum illos, vires habeat vllas aduersus Pelagianos: quos tamen sancti Patres per hunc locum acerrimè oppugnabant. Vbi enim legimus / Per unum hominem / vertit Erasmus, Propter unum hominem, cum tamè / dicitur / dum graecè genitiuo adiungitur, ut hic, vniuersim significet idem, quod / per / Et vbi nos habemus / pertransiit / quod planè significat verbum graecum διελθὲν, iste vertit, peruasit. Et vbi nos legimus / in quo / ipse transfert, quatenus, seu, in eo quod. Propterea quòd particulae graecae has possunt quoque translationesmittere. Citans pro se Hieronymiana scholia, quae tamè ipse fatetur non esse Hieronymi. Quòd autè versiones istae, seu, peruersiones Pelagianis patrocinentur, patet. Nam ipsi non negabant propter Adam peccatum peruasisse in nos, quatenus occasione inde sumpta, ad imitationem eius peccamus & nos. / Per / verò significat, veram causam, scilicet quòd per Adam corrupta est nostra natura, atque adeo per ipsum introiuit permanuitque ad nos peccati macula, eò quòd in ipso peccante omnes peccauimus. Ob idque, propter, non tam Pelagianis aduersatur, quam / per / Neque / peruasit / quatenus / seu / in eo quod / tantum, quantum / in quo / Nam peccare in Adae, est peccare suo peccato, sed peccare in eo quod ipse peccauit, est peccare ad eius imitationem, ut contendebant Pelagiani. Nunquid non satis esset istis (quod identidem meritò inculcamus) ut in suis commentariis, textu intacto, placita sua proferrēt Arbitros huc appello, an expediat, huiusmodi traditiones lingua materna vulgo permittit,

Heb. 7.

Contra cor  
ruptores  
interpre  
tes.

Ephe. 2.

Erasm.

*Traductio in linguam vulgarem.*

*In quos transit.*

*Sacratissima virgo.*

*Causa peccati originalis.*

*Lib. 1. de na. & gra. cap. 8.*

vt ei, qui in suggesto scripturā sacram secundum sanctos Patres exposuerit, bubulcus de plebe reclamet, secus haberi in textu. Sed ad rē redeamus, Erasmus enim in cōfirmatione veritatis illius, quod ex Adā delicto deriuatum in nos sit peccatum originale. In quos autem transierit, non est cur orthodoxus interroget. Siquidem respondere aliis verbis non liceat, quā apostolicis, In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Cum enim peccatum, quod in mundum ingressum est, in causam induxisset subsequētis mortis, consequens facit, vt ita mors, hoc est, per peccatum, in omnes homines transierit, eō quod in omnes transierit peccatum. Absit vt vllum hic verbum de sacratissima virgine genitrice Dei faciam. Nam et si concilium Tridentinum decretum Sixti innouando, libertatē fecerit sentiendi in vtrancū partem, est tamē exceptio beatę virginis ab hac vniuersali sententia Pauli vsq; adeo celebris, non modo inter plebes, sed etiam inter bonos doctores: quales præcipuē sunt illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc sibi sententiam persuadere non possunt, haud tamen debeāt publicitus talem prodere disputationē, adeo id absq; odio & inuidia nequirent facere. ¶ Vt verō ad textum reuertamur, & si fides sit, originis labe omnes nos infici, tamen causam huius, nimirum quod Adam præuaricante, omnes in illo deliquimus, non facile est aperire. Si enim peccatum, authore cōtra Faustum Augustino, adeo sit voluntariū, vt aliās non sit peccatum, quomodo antequā nasceremur, peccauimus? Et maximē in foro Dei, qui propensior est ad ignoscendum nobis, q̄ ad se vindicandum. Alioqui cur alia peccata, vel Adā, vel aliorum parentū non in nos pariter transfunduntur? Adde quod cum delictori ipsi protoparenti condonata fuerit noxia, iuxta illud Sap. 10. Eduxit illum à delicto suo, nulla videtur relicta esse in nobis culpa. Hanc veruntamen causam lib. 1. de na. & gra. ita fermē exponebamus. Erat quidē homo ex duplici, diuersaq; parte compositus, anima scilicet & corpore. Atqui secundum animam, vnde speciem sortitur, tum immortalis, tum etiam ratione pollens, cuius proinde rationis ductu aptus est natus viuere: secundū verō corpus, mortalis: cuius ideo sensualitas rationē sæpe de via deturbat. Id igitur prouidentissimus, simul atq; in nos beneficentissimus Deus initio prospiciens, in gratia primos homines, quā naturā viribus ini-

re nequuerant, vel creauit, vel creatos post cōstituit, iustitiāq; vestiuit originali, quā sensibus frenum esset, vt iugiter, supersite gratia, rationi parerent. Donauit eis præterea lignum vitę, cuius esu perpetuę immortalitatis potirentur. Sic itaq; pro animi dignitate dotatus est, insignitusq; totus homo, & (vt habetur Ecclē. 7.) factus à Deo rectus. Hęc idcirco dona Adā collata sunt, non vtiq; vt singulari personę, sed vt publicę, & veluti cōmunia toti naturę. Quę ideo, perpetua originum serie, successura erant in posteros: vnde de iustitia originalis nomen obtinuit. Quinimo (cuius rationem eod. lib. cap. 5. explicabam) in gratia quoq; fuissent proles creatę. Haud tamen vel opinandum, vel certē cogitandum cum quibusdam est, per aliud singulare præceptum adstrictum fuisse Adam, aut pro se, aut pro sua posteritate, seruare dotes illas, q̄ per illud, quo prohibitus est edere de ligno scientię, tum quod nullum illic aliud legitur, tum quod neq; nos aliis præceptis tenemur custodire gratiam, quā illis, quibus intercessit pactum inter Deum & Adam de seruanda iustitia, in quod parens ipse noster nomine totius naturę consentiret. Cōmenta enim, hęc sunt omnia. Deo nanq; nullo opus erat consensu humano. Quandoquidem, velut author ipse nature, totum poterat genus in primo parente obligare: quo transgrediente, illis priuilegiis totam ideo posteritatē multare, quę supra eius naturā illi supererogauerat. Per hęc ergo iam causa originalis culpę clarescit. Enimvero, cum Adam non solum tota tunc esset natura humana, verum sementis, feminatioq; ipsius, vt in cuius lumbis totū genus nostrum virtute latebat, transgressiōe illa prima præcepti, sub mortis interminatione toti naturę positi, totam secum naturam vitiauit, in mortemq; ac mortalium miseras adegit. Vnde Aug. Hyp. art. 2. cum Adam, inquit, peccauit, natura in illo tota peccauit. Neq; hanc profectō Dei punitionē vllus mirabitur, qui consyderet, non in alios casus & incōmoda nos permissione, ob illam culpā, q̄ in illa, quę à natura nobis inhæsissent, nisi supernaturali nos ipse priuilegio præseruasset. Atq; hinc ratio colligitur, qua peccatū illud fuit nobis voluntariū, videlicet, quod in conseruanda penitus illa iustitia, toti naturę impertita, voluntas Adā, volūtas quodāmodo totius generis reputabatur: perinde ac si præsentēs omnes fuisset, vti est regnum in voluntate

*Ecclē. 7.*

*Nomen origin. iustitię.*

*Obligatio Adę.*

*Causa & ratio origin. culpę.*

*Aug.*

*Exemplum de mēbris.*

*Aug.*

*Ratio peccati origin. alis.*

luntate regis. Nam in gratuitis illis beneficiis, seu conferendis, seu amouendis, non erat (vt iam modō dicebamus) necessarius noster cōsensus. Atq; huc pertinet exemplum illud S. Tho. de membris, quę vna totius suppositi voluntate delinquūt. Haud enim neccesse est, exemplum adāquari omnino rei. Sed sicuti per actionem suppositi deriuatur peccatum ad membra, ita & illud ad nos per generationem. Atq; ideo Aug. lib. 1. retra. cap. 14. & 15. negātibus Pelagianis, peccatum origine contrahi vllum, eō quod nihil illic interueniat voluntarii, respondet, voluntarium esse voluntate primi parentis, qua commissum fuit, quando diuini præcepti transgressio facta est: vnde factum est nobis peccatum hæreditarium. Mox ex eadem ratiōe colligitur, cur reliqua peccata, siue Adā, siue aliorum parentum minime commaculent sobolem. Sanē quod illa non committuntur vt à persona, quę totam representat naturam. Neq; per talia crimina priuatio fit donorum, quę toti sint tributa nature. Atq; adeo fit consequēs, vt quauis primo parenti condonata fuerit, remissaq; noxia, quatenus erat personę, quia restitutus fuit in gratiam, haud tamen quatenus erat nature. Sicuti modō vsu venit in sacro fonte: vbi remittitur originale, quatenus personam poluit, restat verō natura inquinata, vt qui baptizatus est, filios nihilo minus procreet infectos. ¶ At verō, vt rationem originalis culpę punctim attingamus, duo primum omnium pro indubitatis (vt lib. 1. de na. & gra. cap. 8. dicebamus) quibus habere debet, qui nō vult Pelagianus haberi. Primum quod sit vera culpa, alterum quod sit in singulis, nō solum quo ad reatum pœnę, verum & quo ad culpam. Id quod lib. 2. sen. dis. 30. contra quosdam adnotauit Petrus Lombardus. Itaq; non satis est dicere, nos omnes peccasse peccato illo Adā. Sed quod suam quisq; inde trahit culpam, & proinde pœnam. Hęc duo non solum colliguntur hic ex Paulo, verum habentur apud ipsum expressa. Ait enim / Cū peccatores essemus / vbi verā culpam nobis inesse demonstrat: culpam autem ante rationis arbitrium inesse infantibus aliam, q̄ originalem, non est possibile. De qua loco præsentis liquidō pronunciat / In quo oēs peccauerunt. Quocirca Aug. lib. 1. retra. cap. 15. ait, reatu peccati Adę nos esse implicatos, & ob hoc pœnę obnoxios. Vbi secernens reatū à pœna, clarē docet, quod reatū pœnę antecedit in nobis reatus culpę. Et super Psal. 50. Ideo, inquit, se in

iniquitatibus dicit conceptū David, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculū mortis. Nemo enim, ait, nascitur, nisi trahens pœnam & meritum pœnę. Meritum autem pœnę peccatū est: omnis ergo qui nascitur per carnis concupiscentiā, peccatū trahit. Hęc ille. Et Hyp. ar. 2. Peccatū Adā nō solū ipsum, sed omne necauit genus humanū: cum eius damnationē simul & culpā suscepimus. Est autē hic Pauli sententiā perspectior, q̄ quę testimonio Augustini opus habeat. Nam per vnum, inquit, hominē peccatū in hūc mundū intrauit, & per peccatū mors, & ita in oēs homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce nō solum mortis pœna, sed culpa prius in nos trāsiit, & idcirco pœna. Itē, Ideo Adā fuit forma CHRISTI, quod sicut ex gratia CHRISTI verē iustificamur, ita Adā delicto oēs iniusti sumus, verēq; peccatores constituti. His tanq̄ fide catholica, stabilitis, negotium exhibet explicatio ratiōis originalis culpę. Nam cum peccatū propriē in actu cōsistat (est enim dictū vel factū, &c.) actus verō ille Adā ita transierit, vt in nos nequiuert pertransire, difficile extricatu est, quomodo in nobis vera sit culpa, qua dum concipimur, vitiamur. Quod enim sensualitatis cōcupiscentiā in nobis non sit ita propriē originalis culpa, vt quibusdam Aug. apparet docuisse, credo nos loco citato de na. & gra. persuasum fecisse. Illud enim, quod in Adam non fuit peccatū, sed peccati effectus, profectō neq; in nobis esse potest culpa, sed pariter effectus eius: talis autē est effrenata concupiscentia. Et præterea id quod post sanctum lauacrum perdurat in nobis, certē nō est culpa, sed illud planē quod illic abstergitur: cōcupiscentia verō, absterfa culpa, relinquatur. Iam si rationē culpę perspicias, res sit conspicua. Culpa enim propriē consistit in deuiatione illa à lege & voluntate Dei, quę iniquitas est, & odio habetur Deo: ob quam, & gratia illius priuamur, & supplicio destinamur. Quamobrem neq; priuatio gratiæ in nobis, neq; exorbitatiā & rebellio concupiscentiæ peccatū est, sed peccati damna: sicuti fuerūt in Adam. Placuit autē Augustino, cōcupiscentiā appellare peccatū, in odium Pelagii, eō quod hæreticus ille aiebat, concupiscentiā rem esse merē naturālē, quę nunq̄ fuerat per originālē iustitiā coercita. Intelligit autē esse peccatū materialiter, vt aiūt. Neq; verō eo pacto, quo materialis actio in peccato actuali denominatur peccatū, sed tanquā proximus effectus amissæ iustitiæ: vt

*Explicatio diffinitōis originalis labis.*

*Cōcupiscentia quomodo sit peccatum.*

latius loco citato exposuimus. Neq; verò inimicitia (vt quidã autumant) propriè est peccatum, sed effectus peccati. Quòd enim infans odio sit Deo, non est illi culpa, sed culpæ effectus. Eadem prorsus ratione neq; priuatio originalis iustitiæ, eo sensu quem prima verborum facies præfert, peccatū est, sed peccati effectus, vt ex dictis palam fit. Et multò minus si dicas, carentiam iustitiæ debitæ inesse. Nam cum post baptismū remaneat adhuc carentia iustitiæ, neq; vlllo inibi debito habendæ illius liberemur, consequens fieret, vt in legitimè baptizato remaneret peccatum. Respondebamus ergo lib. citato cap. 9. eandem esse in nobis rationē formalem originalis peccati, quæ fuit in Adam sui actualis: puta obliquitatem illam & deflexum animi à voluntate & lege Dei. Enimuerò nullo alio peccato deliquimus omnes (de originali loquimur) q̄ illo, quo peccauit Adam. Ita enim ait Paulus, In quo omnes peccauerunt. Ob idq; falsum est, ineptissimūq; esset dicere, quòd peccamus originaliter: sed illud ipsum per originem trahimus cum natura. *Aug.* Vnde *Aug. lib. 1. de pec. me. & bap. par. cap. 10.* hunc enarrans locum/ In quo omnes peccauerunt/ siue relictum, peccatum referat, siue hominem, totum genus humanū ait peccasse in illo homine, & in illo peccato. At commodius multò refert hominem. Primum enim id indicat præpositio/ in/ congruentius enim dicimus, peccato peccare, quam in peccato: peccamus autem in ea persona, in qua virtute continemur. Sicuti regnum peccat in principe, qui nomine publico delinquit. Et præterea huc alludit comparatio Pauli, quòd Adam fuit forma futuri. Putà, quòd sicut in illo carnales omnes filii gratiam Dei amisimus, ita & in CHRISTO spirituales filii eam recuperamus. Et alibi euidentius, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur. Accedit & auctoritas Orige. Chrysof. & Ambro. & fermè omnium Patrum qui ita interpretantur. ¶ Super est hic veruntamen respondere, quemadmodum ratio culpæ per generationem traducatur. Siquidem actuale illud Adæ delictum res fuit transitoria: neq; in nobis inde aliud existit, quam priuatio gratiæ & iustitiæ cum reliquis miseriis, quæ sunt mortis comites. Ob hanc rei difficultatē sunt & ex catholicis quoq; nonnulli, qui putant non esse in singulis nostrum peccata singula originalia, sed ab illo vno Adæ actuali, nos omnes denomi-

nari peccatores. Quòd quidem in nos transire dicitur secundum suos effectus, qui nobis insunt. Hoc autem re vera, nisi famissimè audiatur, falsum est, & contra textum Pauli (vt supra dicebamus) secundum sanctorum sensum, & præterea contra modum loquendi Ecclesiæ aduersus Pelagium. Dicimur enim nasci nos in originali peccato, & peccatores, & filii iræ: quæ quidem locutiones aliquam in nobis culpæ labem & reatum denotant. Item in con. Mile. definitur, quòd trahimus peccatum originale. Et August. de fide ad Pe. ait, quòd nascimur cum peccato originali. Et iam supra ostendimus, quòd transit in nos, non sola mors, sed peccatum prius, & per peccatum mors. Imò peccatum originale, si diffinias, nihil aliud est, quam peccatum origine receptum. Quapropter consultissima iam Synodus Tridentina sessi. 5. can. 3. optimè sic rem explicuit, Peccatum quod origine vnum est, & propagatione transfusum, omnibus inest, vnicuiq; proprium. Sunt alii qui rem sibi expediisse videntur, respondentes, quòd illud Adæ peccatum rectè dicitur transfundi in nos, non per se, sed per effectus suos: puta priuationē gratiæ & iustitiæ atq; immortalitatis. Sed horum opinio in eandem iam satis expugnatā recidit, videlicet, quòd nō transit culpa, sed pœna & effectus, seu defectus peccati. Cū tamen Paul. vtrunq; seorsum doceat per se in nos trāsisse, scilicet & peccatum, vt causam mortis, & subinde mortem. Neq; ab effectu vlllo peccati denominamur peccatores, sed certè à reatu culpæ: quæ causa est priuationis gratiæ: sicuti gratia, causa est remissionis culpæ. Arbitrabar ergo illic, nescio an falsus, tum mentem hoc loco Pauli, tū ipsius interpretū sensum esse, quòd quemadmodum, transeunte actuali peccato, relinquitur in homine, præter hoc quòd reus est pœnæ, reatus etiā culpæ, à quo vt forma, denominatur peccator (licet nulla sit alia qualitas, q̄ respectus ad præteritā culpam) ita in nos reatū illum præuaricationis Adæ profundi: qui quidē reatus, respectus est ad suum ipsius delictum. Fac. v. g. quotquot erant post nascituri, filios Adæ, tunc viuere, omnes tunc reatum illum participarēt, rei q; oēs haberentur & peccatores, licet nō essent obnoxii pœnæ sensus, sicuti ipse. Eadem igitur ratione per generationem, qua natura propagatur, traducitur & reatus idem. Atq; adeo vt suā quisq; recipit indiuiduā naturā, ita & suo inficitur reatu, quo nascitur formaliter peccator.

Atqui

Peccatum per modum habitus.

Anima inficitur.

Effectus peccati.

Con. Mile.

Diffinitio peccati originalis.

Con. Trident.

Alia opinio.

Cathari.

Traductio nis modus.

Beda super Lucam de quatuor natura vulneribus.

Questio.

Luc. 10.

Atqui hoc est quod doctores aiunt, peccatū originale habere modū habitus. Non quòd aliqua ingeneretur morbida qualitas carnis, qua anima dum infunditur, deturpetur, (hoc namq; figmentum est) sed quòd quemadmodum præeunte actu peccati, dicitur peccatū per modū habitus in homine remanere, quādiu non respicit, ita & in nos reatus ille trāsfunditur. Neq; aliud quicq; est, animam infici aduenientem carni, quā cum ipso corpore per generationem Adæ coire ad compingendam naturam, quæ in ipso vitiata fuit. Quantum verò ad effectus attinet huiusmodi peccati, hoc est, defectus, damna, & incommoda, quæ inde contraximus, Paul. de morte præci se meminit: quam Deus fuerat primis parentibus comminatus. At verò notamine mortis cuncta complexus est, quæ mortalibus accidunt detrimēta. Nam cum iustitia originalis partem hominis inferiorem rationi subditā in officio contineret, illa abeunte, partes omnes quatuor, quæ quoquo pacto sunt subiecta virtutis, vulnerata sunt. Nempè intellectus, ignorantia: voluntas, malitia: irascibilis, infirmitate: ac demum cōcupiscibilis, concupiscentia. Hæc enim sunt quatuor vulnera, quæ Beda probè colligit ab originali culpa nobis inflicta. Si tamen ex ordine mala hæc pœnæ disponenda sunt, primum fuit priuatio gratiæ: quod generale damnū est omni peccato. Mox expoliatio originalis iustitiæ: quæ illi primo peccato Adæ fuit peculiaris pœna. Inde verò alia sunt quatuor vulnera infixa. Ac deniq; in corpore, mortiam subdito, subsecuta sunt idcirco molestiæ, languores & ærumnæ, quibus corpus premitur, atteritur, & conficitur. ¶ Percōtabamur tamē lib. citato, cap. 3. Vbi hæc copiosius discussa sunt, quodnam esset intersitium inter hominem iustitia originali nudatum, huiusmodiq; sauciatur vibicibus & plagis, atq; illum, qui in puris naturalibus esset conditus. Quæstioni etenim huic occasionem offert parabola euangelica, in qua genus nostrum comparatur homini incidenti in latrones, qui ab illis spoliatur, plagisq; affectus, relictus est semiuiuus: vbi theologi cum venerabili Beda concordant affirmant, hominem expoliatum esse grauitis, atq; in naturalibus vulneratum & læsum. Ad quod dicendum rebar, inter nos in culpa huiusmodi conceptos, & eum qui cum nuda natura nasceretur (præter rationem culpæ) non aliter, quantum ad operandi virtutē & vires spectat differre, quā inter hominē

vestimentis exutum, quibus fuerat indutus, & nudum natum, qui nunquā fuit vestitus. Nam quòd per Adæ præuaricationem nullū fuerit corruptum in nobis principium naturale, consentienter docent theologi. 2. Sen. d. 30. & S. Tho. 1. 2. q. 81. Secundum Diony. 4. ca. de diu. nomi. qui ait, bona naturalia, etiam in dæmonibus integra mansisse post peccatum. Quòd autem nulla fuerit protoplasto ingenerata qualitas per actum peccati, quæ per carnis propaginem in posteros inferperet, inde fit liquidum, quòd consensus ille spiritualis in peccatum, nō potuit tam perpetuam qualitatem corpori imprimere. Agnouit quidē Arist. 1. de ani. concitatione animi affici non nunquā corpus: & vice versa affici etiam animi corpus commotione. Calefit etenim corpus ira, ac timore frigescit: sicuti & ex calore corporeo concitatur & turpis affectus animi. At eiusmodi qualitates, dispositiones quidem sunt transeuntes, haud tamen diuturni habitus. Et præterea quòd actio vna animæ, propterea quòd delinquat in legem, peculiarem illam ingenerasset in illo primo homine qualitatem in corpore, quam non ingerat quouis alius actus culpæ, ridiculum esset concedere. Nisi quis adeo esset delirus, vt concederet diuino iudicio tributum esse peculiariter præuaricationi illi Adæ, vt eiusmodi crearet qualitatem. Adde, quòd quāuis daretur, corpori Adæ infixa esse, tamē quòd perpetua generatione in suam posteritatem diffunderetur, nulla est ratione probabile. Igitur si nullum principium naturæ nostræ per illam præuaricationem detractum aut detritum est, nullaq; nobis intrusa qualitas, effingit non potest alius naturæ languor, aut debilitas ad bene agendum, propèstiorve inclinatio ad malū, quā si in puris naturalibus nasceremur. Sed ais, Debilitata sunt potentia illæ naturales, quas supra dixim⁹ vulneratas: aliàs quomodo explicabitur, quòd fuimus Ig si in naturalibus? Et S. Thom. loco citato. 1. 2. ait quòd inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum. Ad hæc autem vt respondeatur, minimè diffitendum est, in eo ipso sceleroso homine, qui vitiis sese tradit, ingenerari habitus secundum Aristot. in Ethi. lib. 2. quibus deprauatur corrumpiturq; natura, seu Adam ille sit, seu nostrū quilibet. Atq; hoc est penitus quod ait. S. Thom. inclinatio naturalem ad virtutem diminui per peccatum. Neq; verò negauerim, longa consuetudine quorundam carnalium vitiatorum

Arist.

Responsio auctoris.

Aug.

In quo.

1. Cor. 15.

De traditione originalis culpæ.



complexionem nonnunquam naturalem demutari: quod forsan detrimentum, nil mirū, si transfundatur quandoq; in proximas proles. Quod verò per vnum eundemq; primū actum delicti Adā, taliter natura in perpetuū fuerit attenuata, vt sit modò debilior, & languentior, quàm si in puris fuisset naturalibus condita, comprehendere nequeo. At fuit nihilominus in naturalibus læsa, ea ratione, quā illic explicabam. Nempè quòd cum rationalis natura hominis sit secundum rationē agere, à quo tramite per sensualitatē cohibetur & deflectitur, donum illud iustitiæ, quod sensualitatem compescebat, perficiebat hominē in naturalibus: prohibendo scilicet ne sensualitas impedimento esset rationis officii, quæ sunt homini naturalia. Ob idq; priuatio eiusdē doni, fuit plaga & vulnus in natura, quatenus homo inde relictus est mancus, & incursionibus diaboli, mūdi, & carnis peruius, vt non possit iuxta naturam suam perpetuò operari. Veluti si natura hominis esset, rectā incedere, haberet nihilominus ligatū sibi canē aliorum trahentem, qui canem aliquo remedio coerceret, perficeret hominem in naturalibus, & qui remedium auferret, pari ratione læderet in eisdem. At ne cuiusmodi forte doctrina hæc quicquam censeatur Pelagianum olerè, animaduertendum est, quòd præterquam quòd factum in Adam omnes peccasse, omnesq; exinde in peccato nasci, quòd ipse negabat, negamus quoq; defectus hos naturæ eo esse nobis prorsus naturales, quòd tales omnino creati sumus: id quod ipse prædicabat, cuius idcirco erroris reprehensus iure ab Ecclesia fuit, & condemnatus. Sed dicimus, quòd licet mors, morbiq; ac reliqui defectus sint naturales ratione materiæ, (quia omne mixtum ex elementis est suapte natura corruptibile) tamen quia in prima nostri conditione donati supernè sumus immortalitate, quam nostra ex culpa amisimus, mors effectus est, pœnæq; peccati. Vnde Gene. 3. Post condemnationem Adā, vt in laboribus comederet, & c. subdit Deus, Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertaris: nimirum ostendens mortem, naturalem esse nobis ratione materiæ. Sed est effectus peccati remouentis prohibentem iustitiam. Atq; hic sensus illius est dicti Sap. 1. Deus mortem non facit, & c. Es huius Pauli/Per peccatū mors. Pari modo & de concupiscentiæ rebellionē constituitq; aduersus spiritū sentiendum est, scilicet

*Lesam naturalibus.*

*Nota contra Pelagian.*

*Mors pœna peccati.*

quòd licet ex principiis naturæ nudæ ortum habeat, tamen quia per donum gratuitū originalis iustitiæ compressa erat, factum est, vt dissolutio effrenatioq; ipsius, sit etiā opus ac pœna peccati: eadēq; tyrānus, & lex carnis, et peccati fomes. Eadē ratiōe de condēnatione et priuatione gratiæ & regni censendū. Nēpe quòd si homo in meris naturæ dotibus fuisset conditus, tunc esse eum extra gratiam & ius regni, mera fuisset negatio, quia nullo sibi iure cōpeterent: tamen quia in Adam ius quodam modo, prius habuimus, post verò perdidimus, non negatio mera, sed priuatio est, & cōdēnatio, quòd orbat beneficiis illis nascimur & filii iræ. Quocirca mirari quosdā soleo, qui per iudiciū hoc demonstrare nituntur peccatum originale, quòd scilicet mortem ac reliquas calamitates & carnis pugnas patiāmur: quasi non fuisset Adā naturales, etiam si innuda natura fuisset æditus: atq; alios itidem admiror, qui nimīū durum arbitrantur, ob vnum peccatum Adā, nos omnes in vitā adeò calamitosā adactos esse. Ac si aliud de nobis fecisset Deus, q̄ quòd corruptibili naturæ nostræ innatū fuisset. Ob hoc ergo in initio proponebam, neq; peccatū originis, neq; originale iustitiā innotescere potuisse naturali lumine, nisi diuina præcessisset reuelatio, quòd mortē reliquasq; nostras infirmitates quivis lumine naturali reputasset naturales. Hæc autem omnia lib. illo nostro pro nostra exilitate abūdè discussa explicataq; à nobis sunt: quæ tamē huc summam asciscere necessarium fuit in enarrationē huius loci. Quæ propter de pœna huius generis culpæ, deq; eius remissione, quæ ad hoc nihil pertinent, non est cur verbum addamus vllum.

*Contra quorūdam opinionēs.*

*Sensus legitimum Pauli.*

*Discrimen peccati ante & post legem.*

*Diversitas interpretū.*

*Orige.*

*Preoccupatio.*

Vsq; ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Cū affirmasset Paul. per primū hominē, ingressum patuisse peccato in orbem, & per peccatum morti, explicationem asserti sui defensionemq; subneceat. At verò doctores nimīū variant de intellectu huius textus: dū alii appellatione hic legis / naturalem intelligūt: & quidē Orige, de singulis hominibus eum interpretatur, anteq̄ attingāt vsum rationis: nimirū vt / vsq; ad legē / idē polleat, quod / vsq; ad vsum rationis / Tunc enim peccatū quidem est, sed mortuū, vt infra cap. 7. ipse ait Apost. & ideo ait hic, tūc ætatis nō imputari: ob id videlicet quòd licet infans operā faciat, quæ genere suo sint peccamina

peccamina, extra culpā tamen est. Huic verò glossæ refragatur id quod ait / in mundo / Et præterea in puero qui non peccat, nullatenus est peccatum actuale, de quo Orige loquitur. Alii verò, vt August. in de baptis. paruu. Cui concors est, & Chryso. & in alia expositione Orige. Vtramq; cogitant hic legē designari, naturalem scilicet & illā Mosis. Ita tamē vt particula / vsq; / inclusiuè audiatur. Ac si dixisset Paulus, quòd vsq; ad finem legis Mosis peccatum fuit in mundo, quia neq; illa, neq; naturalis illud quiuit abolere, vt in præcedētibus commonstrauit. Non tamen imputabatur, scilicet vulgò apud homines. Alii in sententia nihil ferè distantes, legem intelligunt euāgelicā. Nā vsq; ad CHRISTVM exclusiuè, peccatum non fuit perfectè abolitum, vt regnū pateret iustis. At verò sensus genuinus Pauli ægrè fert, vt aliam legem intelligamus, q̄ scriptam Mosis, eandemq; exclusiuè. Quē sensum Ambro. & pleriq; alii agnoscunt. Nā est hoc à principio obseruauimus in Paulo, vt vbiuis legem opponat gratiæ, tam naturalem intelligat, quàm scriptam: hic tamē aperte discriminat inter vtramq;, quātum ad peccati rationem, quod vsq; ad Euangelium durauit. Vnde quod prius dixit / vsq; ad legē / illicò repetit / vsq; ad Mosen / per quem lata est lex: vt legitur Ioan. 1. Quin etiam nomen Moses, pro lege ipsa vsurpatum est, Luc. 16. Habet Moylen & prophetas. Exponit itaq; prius peccati ingenium & conditionem sub lege naturæ, vsque ad scriptam exclusiuè, & post inferius sub lege scripta, vbi ait / lex autē, & c. Discrimen autē est hoc, quòd sub lege naturæ peccatum quidem erat in reputatione Dei, tamē si nō imputabatur inter homines: & hoc tractat in hoc textu: adueniente autē lege scripta, licet hominibus peccatum per ipsam innotesceret, tamen vsq; adeò non potuit lex ipsum superare, vt occasione ab eadē sumpta, magis etiā irrobora sceret, & exunda ret: atq; hoc infra prosequitur. Quam quidē peccati exaggerationem in hoc induxit, vt opulentiam magnificentiamq; gratiæ numerosius amplificaret. Sed est præterea figura locutionis adnotanda. Videtur enim illos præuenire, qui dicere contra possent, peccatum non fuisse causam mortis: pro eo quòd ante legem scriptam, nullum erat peccatum (quia vbi non est lex, nec præuaricatio) & tamen ab initio orbis mors semper ingruit in mortaliū genus. His ergo respondet Paulus, quòd licet tunc ab hominibus non reputetur peccatum, erat illud nihilominus in reputatione Dei, cuius causa mors tunc regnabat. Est veruntamen & dubium pariter, de quo peccato loquatur Paulus. Quidā enim, vt Chryso. audiunt hoc de peccato originis ab Adam in nos deriuato: alii verò de aliis, quæ post in ius naturæ patrabatur. Atqui indubitato longè conitātor est luculentiorq; sensus prior: nam cum de peccato illo primo Adā præfatus fuisset, quòd per illud mors introiuit, idem ipsum ait semper fuisse in mundo, per quod mors regnauit. Et nunc lucefcit sensus particula / non imputabatur / scilicet ab hominibus: quoniam in lege naturæ rarissima tenuissimaq; erat notitia originalis culpæ: utpote quæ citra reuelationem, quæ quibusdam principibus viris fiebat, per quos forte diuulgabatur, haberi non poterat. Et ideo ait, quòd non imputabatur, eo quòd lex non erat, scilicet scripta, per quam illud innotuit. Potest nihilosecius & de peccatis actualibus (vti vult Ambr.) intelligi: ita vt velit Apostolus ostendere, quemadmodum peccatum illud primum Adā indies adoleuisset: pluribus scilicet criminibus, ac sceleribus per eius sobolem coaceruatis enutritum esset & multiplicatum. Sed tunc non ita claret sensus verbi illius / non imputabatur / quia eiusmodi crimina non solum à Deo, verum & ab Ethnicis hominibus imputabantur per legem naturæ, vindicabanturq;. Bona tamen esse potest expositio. Prior quòd licet imputabantur, id est, agnoscebantur ab illis mortalibus, tamen non reputabantur peccata esse coram Deo: Nam etsi semel aut bis vltus fuisset illas iniurias, vt in diluuiō, & in Sodomis, id tamen post hominibus tenuiter in memoria hæserat. Et subnotat eos forsan, quos Arist. 5. Ethico. refert in ea fuisse opinione, quòd nihil esset naturale iustum aut iniustum: sed solum delinqui in leges humanas. Ob idq; cum lex nō esset, scilicet quam cōstaret à Deo præscriptā, non reputabatur, hæc ipse curare, vt habetur Iob. 22. At quia etiam Gætes, vt in eorum extat historiis, non prorsus ignorabant Deorū vindictam, posterior fortasse præstat expositio: nimirū quòd nō imputabatur, scilicet ab hominibus: quia non legitimam attingebant rationem peccati, quæ in auersione à Dei regula & voluntate consistit, ob quod homines à regno in baratrum inferni relegantur, vt cap. 7. super illud / Peccatum nō cognouit nisi per legem / apertius fiet. Quare neq; omnia peccata pro cuiusq; merito & grauitate veluti

*Dubitatio.*

*Non imputabatur.*

*Ambro.*

*Dubitatio.*

*Aristot. 5. Ethic.*

veluti

(veluti Deus) existimabant, sed illa tantum legibus cauebant, quæ tranquillitatem Reipublicæ perturbabant: vt furta, adulteria, homicidia, & id genus reliqua.

Sed regnavit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. Duorum meminerat, peccati scilicet, & mortis, quorum alterum fuit causa alterius. Igitur cum de peccato constituerit, ante legem fuisse, subiungit & de morte, quod eodē seculo, puta vsq; ad Moysen, regnavit tanquam effectus & damnatum atq; vindicta eiusdem peccati. Et neq; hoc loco simillimi omnino sunt enarratores: namq; alii mortem hic spiritualem subintelligunt: vtputa ipsa delicta. Hanc quippè mortē eò idcirco meditantur tunc regnasse, quod homines non reputantes peccatum, seu diuinam offensionem, licentius, omniq; perfrictio pudore præcipitabantur in vitia. Sed secundum hanc expositionem non esset diuersum pronunciatum hoc de morte ab eo, quod fuerat de peccato: siquidem istis idem est mors, quod peccatum: contrarium tamen videtur sentire Paul. Alii ergo de temporali morte hoc dictum putant. Isq; nisi à Paulino proposito declinemus, certissimè intellectus est. Prosequitur enī enarrare, quo pacto per peccatū inuecta fuerit mors, quæ in eius ultionē fuerat decreta. Dixit autē, nō simpliciter, fuit, sed regnavit/ eo quod vniuerso orbi dominaretur, suamq; potestatem quasi vi quadā exerceret in omnes. Nam etsi peccatum quoq; dicitur regnare (quoniam qui faciat peccatū, seruus est peccati) nō tamen regnat, nisi se homo voluntate illi subiecerit, per quam quoque voluntatem, diuina præcunte gratia, potest se eius tyrannidi eximere: quam obrem & infra nos exhortatur Aposto. ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Mors autem post prævaricationem Adæ, quæ ius illi fecit regnandi aditumq; velut tyranno pandit ad regnum, eo dominatur imperio, vt nullo spectato arbitrio nostro, vniuersos demetat. Nisi qui piam, vt Enoch & Elias, privilegio fuerint excepti. Vel dicta fortè est regnare vsq; ad Moysen/ ad differētiā subsequenti inde seculis: nō quod cum ante legem peccata fuisset cognitio Dei (vt dictum est) rarissimi à morte æterna tunc liberabantur, quam diabolus, & eam aggressus, expetiuit potissimum & procuravit. Mors ergo tunc

Dubitatio de qua morte.

maximè regnabat, hoc est inualefcebat, quādo temporalis mors suos plurimum mortuos in æternam illam transmittēbat, quam tentator potissimè procurauerat. Data veruntamē scripto lex, vt cunq; hanc mortis tyrannidem suapte natura reprimebat, tum explicatius diuina mandata & fidem iustificatoris tradēs, tum (vt ait Orige.) purificationem peccatorum aperiens. Licet vsq; ad CHRISTVM non fuerit omnino deuicta. Tunc namq; soluto precio, vitæq; foribus referatis, iusti, qui, quæsi in vmbra mortis, captiui tenebantur in limbo, in illam sunt inde cœlestem libertatemeducti. [Etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ.] Græcè in similitudine/ De hac verūtamen negatione, qui nō peccauerūt/ diu lis fuit inter Patres. Ambrosio enim eam expungit: quam in Latinis etiā codicibus de veteribus Græcis translatis ait minimè reperiri. In cuius sententiam citat Tertulianum, Victorinum, & Cyprianū. Origenes quoq; affirmatiuè legit/ qui peccauerunt. Licet negationem in nōnullis exemplaribus haberi etiam agnoscat: quam idcirco lectionem haud prorsus aspernatur August. de pec. me. cap. 11. Etsi sciam, inquit, plerosq; Latinos codices negationem non habere: Græci autem codices, vnde in Latinam linguam interpretatio facta est, illam habēt. Hæc illa. Et profectò mens Pauli in hanc negatiuam lectionem adeò propēdet, vt citra violentiā, vix possit in alteram pertrahi, nisi & altera eodem sensu exponatur. Origenis expositio est, mortem regnare, non in vniuersos, sed in eostantum, qui in similitudine Adæ peccauerūt, id est, in præuaricatores, qui se tota mēte peccato subiecerunt. Itaq; tam peccatum, quam mors pertrāsit quidem in omnes, quoniam & iustos quoq; leuiter attingit: regnat autem non nisi in illis, qui in vitiis obstinati perseverant, Vnde Paul. Non regnet peccatum, & c. Quæ ferè intellectum sequitur Ambrosius. dicens in eos duntaxat regnare mortē, qui (vt dixerat Apost. cap. 1.) contēpto creatore, Deos sibi constituerunt, quos in iniuriā veri Dei colerent. Hos etenim existimat Ambrosio peccare in similitudine Adæ, qui diabolus obediuit. Hæc veruntamen glossæ nō sunt ita multū Paulino proposito affines. Primò quod si de mortis regno distinguere volumus, ita vt non in omnes, sed in aliquos dominium obtineat, non aliter id commodè fieri potest, quàm si dicamus, non regnare in prædestinatos, quorū mortem, quæ transitus est in

Ambrosio Orige.

August.

Orige.

Ambrosio.

Reprobis.

est in vitam æternā, dormitioni assimilatur: regnare autem in eos tātummodo, qui extra gratiam Dei obeuntes in perpetuam mortem destinantur: hi autē, neq; sunt soli idololatra, neq; verò omnes. Possunt namq; & illi in mētem sanam redire. Adde quod neq; omnes illi qui damnantur, neq; soli, delinunt in similitudinem Adæ: nam eius prævaricatio neq; fuit idololatria, sed gula vel superbia. neq; ita fuit obstinatus, quin statim ipsum facti pœnituerit, vt in historia sacra legimus. Ob idq; neq; regnavit eo sensu in illo peccatum, quo admonet nos Paul. ne regnet peccatum in nostro mortali corpore, neq; regnavit in eo taliter mors, vt fuerit damnatus: quandoquidē probabilissimum est, fuisse saluum. Inter eos ergo qui similiter peccarūt, multi sunt in quos minimè regnavit mors in hoc sensu: sicuti neque in illum: & eorundem item qui superbia & gula, vt ille, peccant, multi sunt in quibus aliter regnavit mors, q̄ in illo. Et vice versa inter eos qui dissimiliter peccauerunt, complures reperias, in quibus regnavit tam peccatum, quàm mors. Iam verò, quod postremum est argumentū, Paul. citra discrimen in vniuersos innuit peruasisse inualuisseq; mortem, qui in Adam peccauerunt. Inest igitur germanus sensus Pauli in negatione. Etenim ne de infantium morte, in quibus nullum apparet peccatum, argumentū sumeretur, quod mors non acquisiisset ob peccatum, ius regnandi, ait, quod illos quoq; depascitur mors propter peccatum, licet nullam legem instar Adæ propriæ voluntatis actu transgrediantur: eo nimirum quod omnes, ac ideo illi, in Adam peccauerunt. In hoc enim superiori pronunciatō explicando persistit. Atqui, intellectus hic adeò est paulò proprius, vt illi etiam qui negationem expungunt, ad eundē ferè cogantur reuerti. Videlicet mortem regnare in eos omnes, qui peccauerunt in similitudine Adæ, hoc est, qui tanquā progenies illius, eiusq; adeò prævaricationis rei, nascuntur illi similes. Vnde Theophyl. ipse qui affirmatiuè legit, eò inquit Adæ similitudine, vel ceteri omnes crimine obstringuntur, quod cum Adam, tanquam progenitore, fiunt peccati participes. Atqui, per hoc denuò & Pelagiani conuincuntur, & pudeseri quoq; deberent catholici, qui defendunt hoc loco agere Paulum non de peccato illo Adæ, genus humanum contaminante, sed de peccatis, quæ eius imitatione perpetrantur: quādoquidem in eos ait Paul. Regnare quoq; mortem, qui

Theop.

Citra quosdam neotericos.

non peccauerunt similitudine & imitatione Adæ. Sunt qui particulam/ in similitudinem Adæ/ sic diuertunt, vt non proximo verbo/ peccauerunt/ sed remotiori/ regnavit/ adiungant: vt legant/ regnavit mors in similitudine Adæ. In hac verò cōtextura nihil est probabilitatis. Neq; Chryso. (vt quidam putant) penitus inspectus, vllō modo huc conuiuet. [Qui est forma futuri.] Supple, Adæ. Etenim ob similitudinem, CHRISTVM appellat nouissimum Adam. 1. Cor. 15. Est enim antithesis, omnium, quæ excogitari possunt, pulcherrima atq; illustrissima & commendatione dignissima: vt pote inter hominē & Deum, inter creaturam & creatorem, inter duo vtiq; diuersissima capita culpæ & gratiæ. Hæc autē analogia & forma multis nominibus constat. Primū sicuti terrenus Adam absq; patre de incorrupta terra, diuino munere plasmatus est, ita & cœlestis CHRISTVS de intemerata virgine, obūbratione Spiritus sancti, genitoris vice fungentis est genitus. Mox sicut ille positus est veluti initium animalis vitæ, ita & hic sicuti fons spiritualis salutis: nam primus factus est in animam viuētem, nouissimus verò in spiritum viuificantem. Deinde sicut vxor illi de latere dormientis extracta est in officium propagandæ sobolis, ita & CHRISTO de latere dormientis promanauit sponsa Ecclesia, quæ per aqua & sanguinis sacramenta prolem illi regigneret. Præterea sicuti ille præscriptum Dei elu ligni trāsgressus, nos omnes, ante q̄ in lucem æditi quicquā mali admitteremus, immerentes peremit, ita & nos CHRISTVS in ligno crucis voluntati obtemperans patris, antequām nasceremur ac bonum faceremus vllum, quantum in se fuit, viuificauit. Quocirca sicut per vitiatam illius seminationem latente culpa nascimur filii iræ, ita & per sacram CHRISTI ablutionē occulta gratia renascimur filii Dei. In summa, per illius infirmitatem mors, & per huius potestatem resurrectio mortuorum.

In similitudinem.

Collatio Christi cum Adam.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Sed nō sicut delictum, ita & donū: si enim vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. Hæc tertia sectio earū est, & postrema, in quas capitulū hoc dispersiti sumus. Etenim, postquam in prima recēpimus, & in secunda enucleauit rationem originalis culpæ, atq; per magna exaggeratione

TERTIA PARS CAPITVLI.

tionem detrimenta eius & incommoda explicuit, in hoc residuo excellentiam mirificam & exuberantiam gratiæ IESV CHRISTI dignissimè extollit & amplificat: nimirum ut lignificatissimè patefaciat, quanto fuerit maior virtus nouissimi Adæ, quam primi infirmitas. Enimvero si collationem hanc CHRISTI cum Adam in genere spectes, similitudines cernas, quas supra commemorauimus: si verò rem in specie penitus inspicias, similitudinem deprehendes inter res longissimè dissimiles. Subest enim sub similitudine illa, quòd uterque fuit origo & fons, tum contrarietas maxima, quòd alter fuit origo humanæ culpæ, condemnationis, & mortis, alter verò diuinæ gratiæ, & liberationis, & vitæ, tū etiā longissimus excessus in forma. Igitur ubi primum similitudinem nominauit, scilicet quòd Adam fuisset forma CHRISTI, statim subdit disparitatem & excessum. Fuit enim similitudo in causis, contrarietas in effectibus, & excessus in modo profusionis culpæ & gratiæ. Constituit ergo primum exuberantissimam copiam gratiæ in expurganda originis contagione, & eadem post in diluendis actualibus criminibus, quæ legis occasione succreuerunt. Illic Alex autè, & c. Connectit autem tres, quatuorve ex ordine comparationes lucidioris expositionis gratia. Est veruntamen memoria retinendum, quòd sicut duo summam fuerunt damna, quæ nobis dedit Adam, utpote peccatum & mors, ita & beneficia CHRISTI fuerunt gratia & vita. Prima ergo comparatio est inter Adæ delictum & gratiā CHRISTI, quatenus causa sunt mortis & vitæ, quæ in multitudinè profusa sunt: nēpe quòd nō sicut delictum, ita & gratia. Lapsus enim culpæ ab infirmitate humana processit, gratiæ verò cumulus ex omnipotentia diuina, quæ multo est maior in subleuanda creatura, quā infirmitas in deprimenda. [St enim unius delicto, & c.] Id est, si vnus culpa multos potuit perdere ac mortis vinculis irretire, multo magis gratia Dei & donum in gratia vnus hominis IESV CHRISTI in plures abundauit, hoc est, affluentiùs exuberauit in vitam. Siquidem gratia Dei ex perenni infinitoq; bonitatis fonte per suum vnigenitum deriuata, infinito intervallo potentior est, quam culpa imbecillitatis humana: iuxta illud. 2. Corinth. 9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Eò vel maximè quòd misericordia Dei & benignitas latius patentiusq; diffunditur, quā vltix iustitia. Nā visitat Deus

iniquitatem patrum in tertiam & quartā generationem: verbum autè & testamentū gratiæ, quòd mandauit ad Abrahā, illud, inquit, Dauid, vsq; in mille generationes. Quāobrè ingēs fuit blasphemia illa Cain, Maior est iniquitas mea, quā veniam merear. Ait verò / gratia & donum / vel quòd donum definitio est & expositio gratiæ, vel illa ad remissionem culpæ refertur, hoc verò ad alia beneficia & dotes, quibus iusti insuper cumulatiùs donantur. Est & præterea luculentissima oppositio gratiæ & doni contra delictum. Hoc quippè propria fuit Adæ, tū voluntate, tū infirmitate commissum, nobisq; in nocumentum & perniciē: gratia verò supra nostras nobis vires grauitō impensa, tanq; beneficium Dei. At meditantè audi, quòd ait / Gratia Dei in gratia CHRISTI / vbi recolendū illud est, quòd ca. 3. super verbo / Iustificati gratis per gratiā ipsius / speculabamur, videlicet quòd quāuis gratia Dei salui facti sumus, non tamē tali gratia, in qua non intercesserit summa CHRISTI iustitia. Ob idq; ait / gratia Dei / donantis, scilicet nobis satisfactorem atq; ad eò sospitatorem & propiciatorem nostrum, in cuius membra gratis quoq; recepti, & ab Adæ cōtagio seruamur, & amplissimis ditamur gratiæ diuitiis. Nam de plenitudine eius nos omnes accepimus. At dubium profecto restat explicatu dignum, in quo hæc excellentiæ comparatio consistat inter delictum & gratiam. Origene & Ambrosius, hanc gratiæ prælationem meditati sunt in illo comparatiuo / plures / videlicet quòd Adæ culpa diffusa est in multos, gratia verò CHRISTI in multo plures. Hærent namq; semper in ea expositione regni mortis, quæ secundum illos non patuit in omnes, sed in idololatrias, & fortè in reprobos obstinatos, quos solos arbitrantur in similitudinem Adæ peccasse, gratia verò CHRISTI non solum ad huiusmodi scelerum & impietatum remissionem protenditur, verum & ad remissionem aliorum cuiusuis generis criminum. At verò Augustinus, lib. 1. de pecc. me. cuius sententiam cœtus ferè theologorum in hac meritò expositione amplectitur, non accipit nomen / plures / comparatiuè, sed vt idē sit quòd, multos: est enim mens Pauli iā supra referata, quòd mors regnauit in vniuersos, qui in Adā peccauerunt peccato illo per originē transmissio in totum genus humanū: atq; ideo non sunt plures (vt ait illic cap. 11.) qui gratiā CHRISTI redemptoris eiusdē hūani generis receperunt: quoniā nō omnibus

Gen. 4.  
Gratia &  
donum.

In gratia  
Christi.

Origene &  
Ambrosius.

Augustinus.

omnibus filiis Adæ fides CHRISTI sic affulsit, vt gratiæ redemptionis fierent participes. Nisi ad angelos fortè appellaueris, quos dicas in gratiā quoq; Dei, merito crucis fuisse receptos. Hoc veruntamen nescio, cui fiat persuasum: quippè cum CHRISTVS non angelorū, sed noster profus redēptor aduenerit. Nāq; vel si Adam nō peccasset, neutiq; CHRISTVS fuisset carnem indutus (vt vult clarè Aug.) vel saltem modò non nisi ob nostram venit salutem. Nullam enim præterea causam confitemur in symbolo. Excessus ergo & præstātia gratiæ non collocatur in numero, sed in hoc, quòd si vna culpa potuit genus humanū in mortem adigere, longè tum facilius, tum efficacius & copiosius poterit nos gratia in vitam restituere, secundum illud Ioan. 10. Ego veni, vt vitam habeant & abundantius habeant. Dixit autem, multos, & plures, non ob mysterium aliud, quā vt responderet loqueretur ad id quòd dixerat / vnus delicto & vnus gratia. Vnde sicut hic ait, vnus delicto multos fuisse mortuos, ait Hebr. 2. de CHRISTO, quòd multos filios in gloriam adduxit. Sed est forsan, qui sic reclamet. Ergo gratia non fuit angustior, quantum ad numerum, sed angustior & breuior, quā virtus delicti: quādoquidem culpa Adæ vniuersos mortales infecit: gratia verò CHRISTI non omnibus obtingit, imò multo in minori sunt numero, qui ea potiuntur, quā quibus applicatur. Huic autem respondendum dixerim, quòd non facit collationem Paulus in hoc, quòd gratia in effectu applicata fuerit pluribus, sed in eius ingenio vigore & virtute. Nēpe quòd suapte natura sufficiensissima de se est, vt filios Adæ vniuersos reducat in vitam, quos ille perditos coniecit in mortē, atq; id multo potentius. Qui quidem genuinus sensus illius sententiæ est. 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Quòd si sint, qui hoc beneficio non fruuntur, sua ipsorum est culpa: nam vt est in Osea. Perditio, tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Quocirca hic tam, multos, quā plures, pro omnibus fortasse usurpatur. Est iniquorum culpa fiet diuertium illud Ioan. 5. vt in vltima resurrectione alii per hanc gratiam & donum CHRISTI procedant in resurrectionem vitæ: alii verò eiusdem gratiæ indigni, in resurrectionem iudicii. Restat hic verum tamen dubitatio de hac excellentia gratiæ. Mors etenim, qua nos

Ioan. 10.

Heb. 2.

1. Ioan. 2.

Osea. 13.

Ioan. 5.

Dubium.

Adam implicuit, duplex fuit, dum nos & iure depulit sempiternæ vitæ, & in ditionem temporariæ mortis addixit, (nam de vtraq; illud intelligitur cap. 6. Stipendium peccati, mors) gratia verò nos CHRISTI, licet in ius illius vitæ cœlestis restituerit, ab hac tamen præsentī morte non eripuit: non ergo validior fuit gratiæ virtus, quā violentia culpæ. Præterquam quòd iustitiam originalem, qua dispoliati sumus, nunquam per gratiam CHRISTI recuperauimus. Responso est, quòd donum originalis iustitiæ, quòd primos parentes in ea immortalitate constituerat, vt possent non mori, & inferiorem partem hominis, rationis ordini subiugauerat, licet fuisset conforme naturæ animæ rationalis, erat nihilominus (vt præfati sumus) supernaturale: Atqui cum beneficium redemptionis non fuerit instaurare naturam quantum ad intrinseca eius principia & natiam conditionem, sed tantum quatenus ad sempiternam illam cœlestem vitam, qui erat superius finis terrenæ immortalitatis, non est nobis omnis ratio originalis iustitiæ resarcita. Expediebat enim statui naturæ lapsæ, hominem in sua mortalitate relinqui, in qua caro ad exercitium virtutis cum ratione conligeret, vt qui munere illo tranquillæ mentis præ sua superbia perfrui nesciuerat, tantorū modò malorum turbulentia humiliatus, diuina auxilia & beneficia plures penderet, quibus suffultus mortale corpus laboribus & officiis militiæ huius maceraret, conficeretq; ac demum per CHRISTI gratiam, sempiternam immortalitatem promereretur. Vbi corpus, quòd seminatur animale & mortale, resurgeret spirituale & immortale. Et ideo licet nos gratia CHRISTI in huius immortalitatem vitæ non reduxerit, nihil ideo hoc detrahit gratiæ CHRISTI, quoniā nus fuerit efficacitè maioris, quā culpa: nam vita hæc nihil penditur apud Deum, nisi quatenus transitus est ad beatam illam cœlestē, in qua nos CHRISTVS vniuersos, quantum in se fuit, ad maiusq; gloriæ culmen tam corporis, quā animæ reuocauit. Id quòd paulò adhuc inferius amplius explicabitur super verbo / vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Expediebat hominē lapsō esse mortali.

Et non sicut per vnum peccatum, ita & donum: nam iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.

In su

Comparationes inter delictum & gratiā.

2. Cor. 9.



In superiori comparatione collata est gratia cum culpa secundum effectus vitæ & mortis: in hac verò confertur secundum iustificationem & condemnationem. In Græco non est / Per vnum peccatum / sed / per vnum peccantem / Quemadmodum legit & hic Ambro. & de pec. me. Augu. seu potius / per vnū qui peccauit. Est enim participium actiuum præteriti: estq; cōsonantius superiori verbo / per vnum hominem. At forsā nostri interpretis codex non habebat nisi / per vnum peccatū / et si eodē litera hæc prorsus recidat. Præterquam quòd nomen nomini congruentius respondet, videlicet / & non sicut per peccatum, ita & donum / & significatius exprimit vnū illud peccatum primum, quo fuimus omnes irretiti. Porro particula / ita / & / adiecta sunt ad Græcum textum claritatis gratia. Alii verò licentius textum hunc adaugēt, quāsi par fuerat, hoc modo, Et non sicut per vnum qui peccauit venerat mors, ita donum. In textu enim non est nisi / & non sicut per vnum peccatum, seu qui peccauit, donum. Vbi comparatio manet pendula, nec satis definita, an intelligenda sit, vt isti volunt, & non sicut per vnus peccatum venerat mors. Quam idcirco comparationē nullo modo illis licuit, sed fuit plusq; temeritas, coarctare in ipso sacro contextu. Præsertim quòd non tam ad mortem in priori comparatione memoratam aridet collatio hæc, quā ad damnationem & iustificationem subiunctam. [Nam iudicium ex vno, &c.] Ac si dicat, Non qualis fuit per vnus peccatum condemnatio, talis præcisè fuit iustificatio. Nam iudiciū ex vno, scilicet delicto, non, ex vno homine, vt August. de nup. & concup. lib. 2. adnotauit: respondent enim sibi mutuo, iudicium ex vno, & gratia ex multis delictis. [In condonationem.] videlicet multorum hominum: illud enim vnicum fuit delictum, ob quod fuimus omnes iudicati damnatiq; & iure hereditatis cœlestis eiectioni, gratia verò contrā ex multis in iustificationem. Siquidem non modo ab illo nostantū CHRISTVS relaxauit, sed ab omnibus, quæ per se vniuersi mortales suapte sponte, vel commiserant, vel commissuri erant. Forma veruntamen loquendi in hoc textu verbum desiderat processionem significans, hoc pacto. Nam iudicium ex vno delicto emanauit, quò nos omnes in condemnationem delati sumus, gratia verò Dei ex multis nos eripiēs, ad iustificationem perduxit: fuit enim propiciatio (vt ait Ioan.) pro peccatis totius mun-

di. In hac verò comparatione hoc obseruandum est, quòd condemnatio non accipitur pro sententiæ executione, quæ quidem executio, supplicium est: nam tunc non è regione omnino & ex æquo responderet illi, iustificatio: nimirum cum supplicio præmium debeat cōtrā locari: iustificatio autem, non præmium est, vt quam nullum antecedit meritum, sed est via ad præmium æternum. Sed accipitur pro sententiæ prolatione, tunc enim appositè & perpulchrè se mutuo conspiciūt. Est enim iudicii terminus, vel condēnatio rei, vel absolutio, quæ hic scripturæ more (vt supra dictū est) iustificatio nuncupatur. Quamuis condēnatio forsā pro sententiā corporalis mortis hic vsurpetur, quæ in pœnā elus de ligno vitæ, posita erat. At, quia recompensatio illius facta non fuit à CHRISTO per huius seculi vitam, sed per illam cuius sumus in cœlo posituri, ad quam per solam nobis iustificationem aditus fit, iustificationem obiecit condēnationi. Atqui & hunc quoq; locum Augu. lib. 2. de pec. me. cap. 12. aduersus Pelagia, optime ponderauit. Etenim si sermo hic Paulo esset de peccatis, quæ per imitationem Adæ increbuerunt in orbe, neq; dixisset in superiori comparatione, quòd vnus delicto multi mortui sunt, sed potius ob sua cuiusq; delicta propria: neq; verò in hac, ex vno delicto iudicium in condemnationem, gratia verò ex multis in iustificationem: quippè cum sicuti gratia à multis nos seruat delictis, ita & in iudicio damnationis, vindicta de vniuersis criminibus sumitur. Edocet ergo hic dilucidè Paulus, vnum fuisse tantum delictum in nos omnes exundans, cuius scilicet rei facti, pœna illa damnati sumus. In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris: paradisoq; vtraq; sumus exclusi, tam cœlesti, quā terrenæ. Cum hoc itaq; delicto Paulus hic gratiam confert, quæ non solum hoc, sed quanta fuerit actualium congeries, quæ homines suo arbitrio coaceruant, delet. Vnde alia statim promicat gratiæ præminentia & magnificentia. Nimirum quòd illa originis culpa tātum nos cœlo depulit, ob quam tamen, si verum habet vniuersalior opinio, nullos patimur cruciatus inferni: gratia verò ab illis nos liberat quoq; sceleribus, quæ illuc nos in supplicia obtrudunt.

Si enim vnus delicto, mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes;

entes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Optimo ordine quasi scilicet quadam tres has dissimilitudinis comparationes disposuit. Primum namq; gratiæ prærogatiuam generaliter in hoc cōstituit, quòd non sicut mors per delictū, ita & per gratiā, supple, vita facta est. Deinde quòd non sicut ex vno delicto processum est ad condemnationem, quæ inflictio est mortis, ita ex vno, sed ex multis delictis per gratiam remissio facta est in iustificationem. Nunc demū, quia non solum mortis, sed regni quoque mortis meminerat, illuc respiciens ait, quòd si vnus delicto mors regnauit, hoc est, iure acquisito ingressum habuit per vnū, multo magis abundantiam gratiæ accipientes regnabunt in vita. Et est penicillatius considerandum, quòd in superioribus solius gratiæ mentionem fecerit, hic elucidationis causa ait / accipientes gratiam. Nimirum vt perpendamus neminem per se gratia in vitam restituere, nisi cui, vel per sacramentum, vel, si rationis fuerit compos, per suam sibi etiam assensionē participetur: neq; is fruatur perpetua vita, nisi subsidio deinde fauoreq; eiusdem gratiæ officii incumbat operibusq; iustitiæ. Quare non solum dixit / accipientes gratiam, hoc est, cōdonationem peccatorum, quæ ex gratia fit, sed abundantiam gratiæ, ad iustitiam, scilicet quæ iusta sunt, exequendum. Sunt qui tria membra hic connumerent, videlicet gratiā, & donationis, & iustitiæ: quorum est Ambro. At tamen in Græco non est secundo loco coniunctio: vbi ideo vnicum est membrum, donationis iustitiæ: siue sit descriptio illius quòd præcesserat, ac si dixisset, abundantiam gratiæ, quæ est donatio iustitiæ: siue gratia referatur ad remissionem culpæ: donatio verò iustitiæ, ad auxilium gratiæ nobiscum cooperantis ad progressum iustitiæ. Haud tamē vnquam mediatoris oblitus, subiungit. [Per vnum] IESVM CHRISTVM Respondenter ad id quòd de morte dixerat / per vnum hominem. Hoc autem regnum vitæ per CHRISTVM, quòd ipse appellauit regnum cœlorum, in hoc quidem seculo haud infima habet initia: dum vtique iusti carnis affectionibus imperant, eiusq; edomantes insultibus pacata sunt mente, & veluti animi compostes, suiq; ipsorum domini, in pace conuiescunt. Nulla eos miseria premit, nulla, vel calamitas perturbat, vel ledit iniuria, nulla itaq; tægit iniqua fortuna. Vnde illud, Seruire Deo regnare est. Cuius vtique regni libertatem

expertus Apostolus. Quis nos, inquit, separabit à charitate CHRISTI? At verò consummata possessio tunc habebitur, quādo tradiderit regnum patri. Et ideo de futuro ait hic Paulus / In vita regnabunt / scilicet in illa beata, vbi ab omni mortis periculo & lege securi & tuti degent: nimirum vbi CHRISTVS erit rex omnium, iusti verò inferioribus absque ambitione prælati, superioribus absq; rebellionē subditi, secum adeo quieti, suo cuiusq; ordine singuli reges. De qua porrò regnorū permutatione mortis & vitæ in sua Apocalypsi Ioan. cap. 20. resurgentes mortuos contemplatus, In his, inquit, scilicet beatis, secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & CHRISTI, & regnabunt cū illo mille annis, hoc est, seculis infinitis. Et nuncupat secundam mortem, non tam repetitam hæc separationem animæ à corpore (licet neq; hanc vnquam rursus experientur) quā miserandam illam inferni, in quam iniquos mors hæc temporaria transmittit. Vnde Paulus, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

Igitur sicut per vnus delictum, in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiā vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnus obediētiā iusti constituentur multi. Collationem demum hanc, non superuacaneam existimes repetitionē, sed certè pulchram superiorum, tum collectionem, tum explicationem & conclusionem. Est autem textus bimembris, cuius prior pars propositio est cōclusionis, posterior verò eiusdē confirmatio. Præmiserat in comparatione prima, quòd si vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei in gratia IESV CHRISTI in plures abundauit: nunc verò quòd dixerat / multi, et plures / apertius ait / omnes. Nam (vt præmonstratum est) in omnes inuoluta mors per Adam, quā per CHRISTVM vita. Siquidem vt omnes in Adam peccauimus, ita & CHRISTVS propitiator est pro peccatis totius mundi, & vt ait Paulus 1. Timoth. 4. Saluator omnium hominum, licet ex eo quòd omnes hoc beneficio participant, adiecerit, Maxime autem fidelium. Et quòd antea dixerat / in gratia IESV CHRISTI / patentius nūc repetit, dicens / per vnus iustitiā / quando quidē (vt illic dicebā) in illo gratia sub-

Contra quorundam licentiam.

August.

Tria membra.

Gen.

Alia gratiæ præminentia.

Initia regni cœlorum in hac vita.

Seruire Deo.

Condemnatio & iustificatio.

Apoc. 20.

1. Tim. 4.

L. gra. sub

tie culmine cumulatiflima extitit, cōsumma-  
tiffimaq; iustitia. Et quod dixerat / abūdauit  
/ luculentius hic pari modo resumit: nā abū-  
dauit, inquit, in iustificationem vitæ. Allusit  
autem ad vitam æternam, quæ in hoc mundo  
non donatur, sed iustificatio, per quam introi-  
tus ad illam aperitur. Qualis autem demum  
fuerit culpa delicti, quantumq; iustitiæ meri-  
tum, explicatiffimè in specie subnectit [Sicut  
enim per inobedientiã, &c.] Fuit nãq; vt deli-  
ctum, inobedientia: ita & antidotum, obe-  
dientia. Etenim esus arboris natura sua &  
obiecto non fuisset delictum, nisi quia prohi-  
bitus. Et ideo non nominatur hic gula, sed  
inobediẽtia: iuxta illud Gene. 3. Quia audisti  
vocẽ vxoris tuę, etc. Neq; illud obstat Eccli.  
10. Initiũ omnis peccati superbia, quod theo-  
logi de primo, tum angelorum, tum homi-  
num crimine interpretantur. Nam primus su-  
perbiæ illius motus (authore. 2. super Gene.  
August. Augustin.) fuit elatio, qua noluit subesse &  
obedire. Quinimò, si adicere vllam hic con-  
iecturam licet, noluit fortè non tantum præ-  
cepto, verum neq; diuinæ gubernationi sub-  
esse, Interdixerat enim eum Deus gustu ar-  
boris, scientiæ boni & mali, vt homines cur-  
ram sui ipsorum penes Deum ipsum esse, in-  
telligerent, cui se ideo & sua, veluti cæci, du-  
ctori fiderent & committerent: ille autem pri-  
mus parens audito quod aperirentur illi oculo-  
li, sciretq; , vti Deus, bonum & malum, cogi-  
tauit fortasse absq; Dei ducatu & admini-  
culo se per se posse deinceps gubernare in-  
ter bonum & malum. Quam ob impietatem  
denudari meruit supernaturalibus illis doti-  
bus ac præsidis, vt à Deo desertus, quam es-  
set naturæ imbecilla & fragilis, experiretur.  
Vt autè in digressum regrediamur, cōtrario  
modo & CHRIS TI iustitia, obediẽtia fuit. Nã  
sicut mandatũ dedit, inquit, mihi pater, sic fa-  
cio. Est autè vt trãsgressio mādatorũ, illega-  
lis iniustitia, ita & obediẽtia, iustitia legalis:  
vt docet Ari. 5. Ethi. Vnde CHRIS TVS, Sic de-  
cet nos inquit, adimplere oẽm iustitiã. At ve-  
rò interuallum immẽsum inter inobediẽtiã  
Adæ, CHRIS TIq; obediẽtiã, neq; angelus va-  
let pro dignitate æstimare. Fuit nãq; vt illius  
inobediẽtiã, grauiffima, ita CHRIS TI obedi-  
entia, stupendum maximè. Nam cum Deus  
illũ de luto finxisset, omnigenæ nihilominus  
cognitionis splendore illustrasset, iustitiãq;  
dotasset insignibus, & velut humani gene-  
ris caput munificentiffimè honestasset, vnus  
præterea interdicto esu ligni, idq; sub morte

tis comminatione, reliquas illi cuncti gene-  
ris arbores permisisset, illam tamen ipse ne-  
quiuit præceptiunculam ferre, sed dum vxor-  
i à diabolo seductæ auscultauit, creatorem  
abnegauit suum, seq; adeò vno crimine ge-  
nusq; suum cum vniuersa progenie perdidit.  
Sed age quàm fuerit hac inobediẽtia offen-  
sus Deus, quamq; in nostrum omnium mor-  
taliũ genus infensus, de contraria obediẽ-  
tia CHRIS TI perpendamus, quæ ad nostram  
reparationem operepretium fuit. Haud enim  
antea placatus est, quàm fuerit iustitia eius  
ad omnes vsq; numeros refarcita, per obe-  
dientiam nimirum haud alius, quàm vnigeni-  
ti filii sui. Is enim cum natura sua parere ne-  
quisset, nostram pro nobis in similitudinem  
eiusdem peccati assumpsit, in qua posset obe-  
diens esse patri, cui erat æqualis, vsque ad  
mortem crucis: vt homo qui diuinæ cuiuspiã  
æqualitatis cupidus in lignum impegerat,  
mortemq; ideo incucurrerat, in ligno quoq;  
per eundem à se offensus Deum, gratiam  
recuperaret & vitam. Ecce quemadmodum  
per illius hominis inobediẽtiam peccato-  
res constituti sumus, in quo pro conditione  
sua, vel maxima fuerat obsequendi ratio,  
perq; illius obediẽtionem iustificati, qui præ-  
maiestate sua obedire non poterat, nisi for-  
mam Dei pro nobis exinanisset. Ecce itaq;  
periodi conclusionem hucusq; protractam.  
Dixerat enim / Propterea sicut per vnum ho-  
minem peccatum, &c. Concludit iam demũ,  
sicut per inobediẽtiam vnus hominis pec-  
catores constituti sunt multi, ita & per vnus  
obediẽtionem iusti constituentur multi. Est  
autem animaduertendũ hoc quod dicit / pec-  
catores. Non enim ait solum, In mortem ali-  
asve molestias, ac pœnas peccati adacti su-  
mus, sed / peccatores constituti. Non ergo so-  
lum pœnis subiecti nascimur, verum & cul-  
pa infecti. Id quod præterea adnotandum est  
in eo quod ait / constituti. Vnde palam colligi-  
tur, de peccato originali loqui: nam / consti-  
tuti / idem pollet, quod citra filiorum cõsen-  
sum parentis inobediẽtia rei facti anteaquã  
nascerentur: sicut & obediẽtia CHRIS TI  
pari contrã forma iustos nos absq; nostris  
constituit meritis. Quocirca nõ solummodo  
ad adultos, sed etiã vsq; ad infãtes ante vsum  
rationis tam gratia hæc protenditur, quàm  
culpa. Igitur depudẽda est eorũ catholicorũ  
audacia, qui Pelagio hic fauentes aiunt, non  
ita clarè hoc loco Paulum loqui de peccato  
originali, quin possit de peccatis per imi-  
tationem

Quam offe-  
sus Deus.

Conclusio  
periodi, fi-  
cut per vnum  
hominem.

Peccato-  
res.

Quorũdam  
impudẽtia.

Humana  
rebellio.

tationem glossari. Atqui deberemus per hæc  
tandem satis superq; esse commoniti, quàm  
sit nostra miserorũ rebellio detestãda. Factus  
est Deus obediens vsq; ad necem crucis, vt  
nos suæ faceret consortes diuinitatis, atque  
adeò donaret æterna vita: nos autem peruer-  
sa vice tot illi nominibus debitam obediẽ-  
tiam sic passim subtrahimus, vt in obstinatã  
naturam dæmonum degenerantes, prolaba-  
mur in æternam mortem.

Lex autem subintravit, vt abundaret  
delictum. Vbi dixerat, per vnum homi-  
nem ingressum fuisse peccatum, illicò duas  
temporis differentias insinuauit in progres-  
su peccati: alteram vsq; ad legem, de qua dif-  
ferentia hætenus differuit, alteram post da-  
tam legem Mosi, cuius amodò sermonem  
prosequitur. Quum enim asseruerit per gra-  
tiam CHRIS TI iustificatum absolutumq; hu-  
manum genus non solum ab illa culpa, qua  
per Adæ delictum fuerat infectum, verum &  
ab aliis, quæ per propriam voluntatem ad-  
miserat, reclamare Iudæi poterant, id non ni-  
si de peccatis Gẽtium in lege naturæ proba-  
bilitatem habere: causantes quòd ipsi per le-  
gis scriptæ meritum vetusti originalis pecca-  
ti veniam consequebantur, perq; eius vigo-  
rem noua cauere poterant: aliàs incassum il-  
lis fuisset à Deo data. Vel responderet Pau-  
lus, quodnam tunc fuisset legis emolumentum.  
Respondet ergo, adeò legi abesse eius-  
modi facultatem, vt etiam subintraverit, vt  
abundaret, hoc est, exaugeretur delictum.

Chryso-  
stom.

Ioan. 7.

Subintra-  
uit.

Orige. cõtra  
Maniche.

Chryso-  
stom. obseruat, quòd non dixit, data  
est, sed / subintravit / eo quòd non in perpetuum,  
sed ad tempus fuerit posita. Attamen  
Euangelista non abhorruit à verbo /  
data / vbi dixit, Lex per Moysen data est.  
Et CHRIS TVS, Nonne Moyses dedit vo-  
bis legem. Neque ex eò dicitur subintrasse,  
quòd latenter fuerit indicta, quippè quæ, &  
in monte, & tonantibus fulgurantibusq; nu-  
bibus, atq; buccinæ clangore fuit publicitatis  
promulgata: sed dicitur subintrasse, vel pro-  
pter latẽtia, quæ coelabat arcana. Vel / subin-  
trauit, nihil habet mysterii, sed idem pollet,  
quòd subsecuta, seu superinducta est legi na-  
turg. At de hoc paulopost, Quomodo autè ad  
hoc fuerit subingressa, vt abundaret delictũ,  
hoc plus prima facie ambiguitatis iniicere vi-  
detur. Hinc enim Marcio & Manichæus cæ-  
teriç hæretici comminiscbatur malignita-  
tem legis, vt pote quæ iniqua intentione fuisset

set posita. Qua de causa Orige. non de lege  
scripta hunc locum commentatur, sed de le-  
ge membrorum, quæ pugnat aduersus spiri-  
tum. Atq; hanc subsequenter crebrò agno-  
scit legem, vbicunq; lex inducitur vt occa-  
sio peccãdi. At verò planus sensus est, quem  
post Chryso-  
stomũ August. cæteriç Patres  
amplexi sunt, videlicet quòd intelligitur de  
lege veteri: attamen coniunctio / vt / non est  
causalis, sed significat euentum, puta quid  
per vitium hominum occasione legis fuerit  
subsecutum: id quòd infra cap. 7. copiosius  
edisserit Paulus, vbi ait, quòd lex quidem  
sancta est & mandatum sanctum, licet prauis  
hominibus fuerit occasio peius offendendi.  
Fuit enim intentio Dei, per legem aperire dis-  
cerniculum recti & prauis, vt facilius homi-  
nes & declinarent malum, & sequeretur bo-  
num, deinde quoq; aduentum prænunciare  
saluatoris. Ob idq; hominibus bene natis,  
recteq; institutis nullius fuit occasio mali, sed  
plurimi causa boni. Vnde Gala. 3. Lex præda  
gogus noster fuit in CHRIS TO. Quoniam  
per moralia præcepta instituebatur populus  
ille, & per cerimonialia, tum ab idololatria  
diuertebatur, tum admonebatur vturi Mes-  
sia. Peruersi verò & rebelles multis modis  
inde nacti sunt occasionem coaceruandi ma-  
iora peccata. Primum ex parte obiecti, eò  
quòd clariori inde cognitione perfusa sunt  
moralia præcepta. Nam per legem cog-  
nitio peccati: cognitio autem, quia exculatio-  
nem adimit, peccatum adauget. Quamobrè  
lex iram operatur. Secundò quòd per legem  
scriptam adhibita sunt multa cerimoniarum  
iudiciorumq; præcepta: multitudo autè man-  
datorum occasio esse solet crebrius offendẽ-  
di. Tertio & potissimum ratione subiecti, ob  
id quòd appetitus humanus ardentior est in  
vetita. Cuius rationẽ præstò nobis offert ob-  
uia ipsa contrariorum natura. Est enim res  
suaapte natura ingentum, vt contrarium  
in suum contrarium insurgat: vbi autem res  
aliqua voluntati interdicitur, tunc tanquam  
libertati contraria apprehenditur, & ideo  
quasi eandem libertatẽ propugnando ac de-  
fendendo maiori homo conatu renititur. Vn-  
de August. de spir. & lit. cap. 4. Lex, inquit,  
prohibendo auget desiderium malum: sicut  
aqua impetus si in eam partem nõ cesset in-  
fluere, vehementior fit obice opposito, cuius  
molem cum euicerit, maiore cumulo præci-  
pitatus violentius per prona prouoluitur. Est  
causam subdens ait, Nescio quo enim mo-  
do hæc

Legitimus  
sensus.

Gal. 3.

Occasiones  
peccãdi per  
legem.

August.

dō hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius, cum vetatur. Hæc illa. Ecce quemadmodum compressa per legem cupido magis recrudescit, sicuti contrarium suo contrario circumseptum: nam in iis quæ licent, libertas ipsa faciendi dum liberit, restinguit libidinem, vt coniugatis compertum est: in illa verò quæ interdicta sunt, quia tanquam ardua magnæq; molis iudicantur, impetuosi fertur æger animus, quibus ideo maiori cum voluptate potitur. Quum ergo lex auxilium gratiæ non præberet ad mitigandam concupiscentiam (nam lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est) eam peius inflammabat. Id quod nos Paulus infra docet cap. 7. Vnde (vt August. tractat. 3. super Ioan. prudenter adnotauit) ante experientiam legis dicebat superbus populus, Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat: secundum illud Exod. 24. Omnia quæ locutus est Deus faciemus, & erimus obedientes: at post receptam legem, quæ non administrabatur, sed minabatur, esferuere illis cœperunt appetitus idololatriæ aliorumq; scelerum. Atq; hoc fortè significauit Pau. verbo subintravit illud enim subintrat (vt ait Orige.) quod vnâ cū alio intrat: bonæ autem intentioni legislatoris adiungitur occasio mala ex hominum prauitate. Idemq; est quod ait interpret Chrysostomi, Obiter subiit: non quod obiter fuerit à Deo lex posita: nam data fuit certo proposito, sed quod obiter fuit occasio peccandi. Ex his præterea patet, quod lex in proposito totam veterem scripturam significat: quia non solum præcepta tam ceremoniarum quam morum (licet hæc præcipue) verum & consilia omnia & Patrum exempla & documenta, quibus populus ille ad virtutem instruebatur, augebant illis delictorum grauitatem. Possent quis forsan cōiunctionem / vt / causalliter exponere: non quod de intentione legis fuerit delictum ipsum, sed vel cognitio delicti, vel effectus eius: puta humiliatio populi. Quod est dicere, Lex subintravit, vt cognitio fieret peccati, siue vt populus suam recognoscens infirmitatem, humiliaretur. Sed nunquid singulare aliquid docet hic Paulus competere in legem veterem, quod non sit commune legi naturæ, omniq; humanæ, quinimò & euangelicæ? Profecto ratio cōcludit omni legi esse cōmune, occasionē esse peccandi: quoniam hoc non est vitium legis, sed est hominum natura & ingenium: ho-

mines autem eandem sortiti sunt naturam sub omni lege. Videtur ergo hic Paulus omnem legem designare. Idq; inde vel maximè liquet, quod hic legem distinguit contra fidem CHRISTI, quæ (vt in lib. de spir. & lite. ait August.) docet nos à quo debeamus auxilium petere, vt faciamus quod lex iubet: lex autem, vt à gratia & fide distinguitur, omnem legem comprehendit, vt illic cap. 3. adnotauimus, vbi exponebamus, nō ex operibus legis, sed per fidem hominem iustificari. Hoc autē est peculiare legi veteri, quod augendo cognitionem peccati, & multiplicando præcepta, maiorem obtulit occasionem, quam lex naturæ: lex verò euangelicæ, quia non nisi naturalem decalogum continet cum paucorum sacramentorum obligatione, non attulit tantam occasionem, sed est iugum suauē & onus leue. Adde quod lex euangelicæ continet sacramenta, quæ sunt velut riuuli preciosi iā effusi sanguinis CHRISTI, maxima gratiæ opulentiæ exundantis, operumq; ferentis ad faciendum, non solum quod ipsa iubet, sed quod quæcunq; lex humana inter Christianos sanctè cōstitutæ: quæ obrem non censetur tam propriè occasionem inde capi augendi peccata. De legibus humanis longè alia est ratio: nam legislator humanus, cum opera duntaxat externa procuraret emendare, licet gratiam non conferat, tamen non dat magnam occasionem mali, quoniam timore gladii, quem non sine causa portat, arcere ciues potest: lex autem Dei internos quoq; cogitatus cohibet, qui sine affectu numinis euitari non possunt: ob idq; de lege omni Dei, si fidem CHRISTI semoueas, peculiariter dicitur, occasionem esse, vt abudet delictum.

Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia. Iam verò tandem ad conclusionem se orationis applicans, mentem detegit, qua malignitatem augmentumq; ac detrimentum culpæ exaggerauerit: illa quippè mens fuit, vt per hæc maximè amplificaret, efferretq; effusissimas gratiæ diuitias. Vbi & Iudæis illis respondet, qui de sententia proximè præcedenti calumniam possent extruere in Deum: cur scilicet prudens & sciens legem eis illam veluti offendiculum, proposuisset, vt abundaret delictum. His inquā licet respondere potuisset, non extitisse hoc diuinū propositū, sed vt eos probos faceret, attentosq; futuro Messie

(vt sup

(vt supra exponēdo dicebamus) præclarius tamē ac sublimius respōdet, quod ipsa quoq; delictorum abundantia cesserit in superabundantiam gratiæ, hoc est, vt gratia opulentiū & fructuosius exuberaret. Atque hoc tam à parte Dei largientis, quam à nostra recipientium. Nam vbi peccatum non solum per originem ex illo primo Adæ redundauit, sed proprio cuiusq; arbitrio auctum est & multiplicatum, maior apparuit benignitas saluatoris nostri Dei. Et quò numerosiora fuerūt & grauiora scelera, magis etiam ac magis se exeruit gratia ipsius, non modò illud vnum, sed plurima & grauiissima condonantis. Superabūdauit ergo gratia ex numero. Item ex qualitate & modo: quia non solum in gratiā nos suam ex inimicis recepit, sed plurimis cum mulauit bonis per Spiritum sanctum, quem effudit in nos abundè: nimirum vt per opera iustitiæ, quasi vi cœlo illata ipsius potiremur regno. Quemadmodum enim infirmos corpore perfectè sanabat CHRISTVS, vt nullus illis languor reliquus fieret, sed ea euaderent valetudinis firmitate, vt posset qui iacebat in grabato, illud confestim humeris deportare, ita non solum nos à cōmissis culpīs, earumq; ægritudinibus curat, verum quantum ad gratiæ virtutem pertinet, vires irroborat nobis aduersus tentamenta, vt possimus omnino futura cauere crimina, vt cap. subsequenti demonstratur est Apostolus. Vnde. 1. Cor. 9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Item ex parte præmii: nam mors, quæ decreta fuit in pœnam peccati, est hæc temporalis: & licet nos illud Adæ peccatum orbauerit iure regni, vitam nobis eandem instaurauit CHRISTVS, felicissimam videlicet illam sempiternā, cuius ingressus maiori cum triumpho patet nobis per ipsum, q̄ si status innocentiæ perdurasset. Tradet enim triumphator ipse noster gloriosissimus regnū patri, proprio sanguine comparatum, virginum laureis florens, confessorum meritis decoratū, martyrum stigmatibus, stigmatibusq; ac tropheis splendidum, quibus sanè ornamentis caruisset felicitas illa nostra, nisi vbi abundauit delictum, superabundasset & gratia. Iam verò nescimus an homines tūc ante peccatum efferendi essent & sublimandi vsque ad choros angelorum, an verò sicut natura inferiores, ita deberent esse & gloria, de quo nihil temere affirmamus: at verò iam nunc fidem habemus, homines inter angelicas sedes collocatum iri: quinimò & Deiperam

virginem super choros omnes angelorū exaltatam. In summa, si vera est concordior Patrum sententiā, hoc nobis defuisset insigne, quod si Adam non peccasset, non fuisset homo Deus. Ecce quā ex parte Dei excreuerit gratia vltra culpæ incommoda. Sed à parte quoq; hominum, abundantia peccati, abundantior est quodammodo dispositio ad resipiscendum. Nam quò delictorum aceruus maior est, & quò eorū pondus grauius, eò hominem bene natum abiectiorem humilioremq; reddit, vt opem magis suppliciter exposulet à Deo, cautioresq; facit in futurum. Id quod de lamentis Magdalene, quæ de suis flagitiis odorificum confecit balsamum pœnitentiæ, vt audiret, dimissa sibi peccamina multa, quoniam dilexit multum: nam cui plus dimittitur, plus diligit. At rationem iam ipsam tandem sententiæ suæ ab ipso Apostolo audiamus.

Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternā per Iesum Christum dominum nostrum. Conclusio est totius disputationis de redēptione à peccato, concludit inquā rationem excellentiæ gratiæ, illuc vtiq; respiciens, vbi dixerat / mortem regnasse vsq; ad legem. Non autem resumit, vt sicut regnauit mors, sed quasi expositoriè / vt sicut regnauit peccatum in mortem / nā sicut mors effectus est peccati, ita & regnum peccati causa est regni mortis. Et pariter gratia causa est vitæ æternæ. Est enim semper intentus ad præfixum illum scopum / Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors / sub quibus duobus mala vniuersa naturæ lapsæ continentur, sicuti nomine gratiæ & vitæ æternæ comprehenduntur cuncta beneficia CHRISTI. Neq; verò simpliciter dixit, Ita gratia regnet in vitam æternam, sed / ita gratia regnet per iustitiam. Quod quidem referri potest vel ad iustitiam CHRISTI, quippè in quo iam diximus gratiam effuluisse iustitia plenam, vel ad effectum ipsius gratiæ in nobis, quæ nostra fuit iustificatio, vel certè ad iustitiam operum, quæ iustificati diuino fauore præstant. Hoc enim cap. 2. super verbo / Qui reddet vnicuique / animaduersum à nobis fuit & perpensum, quod vbiuis Paulus in sermonē incidit de dono gratiæ, illud absq; operum meritis adstruit nobis impendi, vbi

Superabundauit gratia numero

Qualitate

Excellentia charitatis diuine.

1. Cor. 9.

Ex parte præmii.

Pulchritudo celestis regni.

August.

A parte nostra.

Iustitia.

Rom. 1.

Exod. 24.

Subintravit.

Subintrare & obiter.

Lex in proposito.

Dubitatio.



vero de premio vitæ æternæ, iustitiam operum in meritum commemorat, quæ per Dei gratiam fiunt. At verò neq; prætereundum silentio est, quòd peccatum regnare, non est utcunq; cõmitti (tamen si consensus nonnullum seruitium sit, iuxta illud, Qui facit peccatum, seruus est peccati) sed subditam ac penè vinciam habere libertatem. Vbi enim quis aut ignorantia delinquit, aut repentina animi cõmotione corrui, peccatum non tam rex est, q̄ fur insidiatorq;: cum tamen iam homo obdurata mente prudens & sciens absq; vilo prauitatis sensu suis cupiditatibus inseruit, ita vt neq; legis memoria, neq; vilo Dei metu tyrannidem iugumq; peccati valeat excutere, tunc iam in regnum prorsus desciiuit & dominatum eius. Id quòd repetendum nobis est cap. proximo, vbi admonemur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Ex qua quidem re coniectura mihi de Apostolo fit, quòd meditatio superius in illo seculo ante scriptam legem, non dixit, peccatum regnasse, sed tantum, fuisse peccatum, regnasse verò mortem: nam vbi adeò erat exilis cognitio peccati, vt non satis imputaretur, ibi non aperte regnabat, sed quasi per insidias prorepebat inualecebatq;: mors autem in aperto grassabatur. At verò post latam scripto legem, quæ intrauit, vt per cognitionem recti & prauitatis abundaret delictum, merito ait, peccatum regnasse, quasi quòd palam homines suppeditasset. Id quòd in Iudæorum idololatRIA tantopere illis à Deo prohibita, cõpertum est. Eadem analogia, neq; in eo iusto statim cõfenda est gratia regnare, qui utcunq; adiuerit amicitiam Dei, sed verè in eo, qui tali se illi charitatis glutino copulare studet, vt posita omni mundi cura, illi soli viuit. Vnde author ipse gratiæ redemptor noster, pauperes, lugentes, & persecutionem passos, beatos pronuntiat: quasi iam regno gratiæ adscriptos, quæ illis patētissimè dominatur. At quia supra de originali iustitia argumentum extruximus, quòd non fuerit nobis per gratiam instaurata, hæc demum gratiæ recompensatio cõsideranda hic nobis suspiciendaq; restat, quòd licet non prorsus sensualem partem rationi, vt illa iustitia, subdiderit, tamen quodam pacto præclarior nobiscum actum est per gratiam, quàm cum Adam per iustitiam illam. Doctrina est Augustini in lib. de correptione & gratia. Donum enim originalis iustitiæ præstabat, vt posset homo perseuerare, si vellet, haud tamen dedit, vt perseueraret:

Peccati regnum.

Ioan. 8.

Admōtio

Regnum gratiæ.

Recompensatio origi. iustitiæ.

August.

aliàs non cecididisset: at verò per gratiam CHRIS TI plurimis egregiis viris collatum est, vt perpetuò perseuerarent, illis nempè qui nullum crimen admiserūt mortale: quàm plurimis insuper, vt martyribus, donatum est inter sæuissima immaniãq; tormenta perdurare vsque ad mortem. Adam enim, inquit August. terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium, libero vsus arbitrio, non stetit in tanta non peccandi felicitate: isti autem, non dico terrente mundo, sed sæuiente, ne starent, steterūt in fide. Cum videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicurus, isti autē futura bona, quæ accepturi fuerant, non cernerent. Hæc ille. Super hæc autem omnia tum apostoli confirmati sunt, vt non solum non offenderēt mortaliter, verum, neq; offendere possent: tum demum intermerata Virgo, vt neq; in leuissima venialia sublaberetur. Hæc autem omnia per IESVM CHRISTVM dominum nostrum.

CAP. SEXTVM.

**Q** Vid ergo dicemus? Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Ab illa parte præcedentis capituli Propterea sicut per vnum hominem Apostolus (vt dicebamus) cõmemorat mala, à quibus beneficio CHRIS TI liberati expurgatiq; sumus: postquàm ergo hætenus egit, quæ admodum à præteritis delictis fuerimus expediti, tam ab infectione scilicet originis, quàm à peruersitate actualium criminum, in hoc modo capitulo sermonem instituit de futuris: prosequendo explicationem exuberantis gratiæ: utpote quæ admodum eadem opitulante potentes simus, atq; ideo debeamus nostras vincire ac profligare cupiditates, relapsum cauere, in eademq; nos demum iustitia asserere. Partiamur autē, si iuuat, capitulum in tria. Primò enim cõmonstrat, quàm debeant iustificati per gratiam CHRIS TI cautè illam custodire, duabus tribusve similitudinibus baptismi. Mox illic Non ergo regnet subinfert exhortationem. Ac tertio illic demum humanum dico eandem amplificat. Præfigit igitur statim in fronte conclusionē: nempè quòd nō sit vlterius iustificatis in peccato viuendum. Quam quidem per totum capitulum edisserit, eius argumenta ex eadem gratiæ abundantia congeminando. At verò, vt ex superiori disputatione de præteritorū remissi-

Partitio capituli.

remissione, ad hanc de futuris cauendis cum decoro se conferat, interrogationem ex proximo verbo nascentem præmittit. Cum enim videri alicui fortè posset, affirmasse delictorum exundantiam in causa fuisse, vt illustrior fieret gratia, inducit blasphemum sic improperantem. Ergo manendum est in peccato, veluti in re, vnde tanta fit Deo honoris accessio. Quam quidem protinus blasphemiam execratur Paul. Absit enim, inquit, vt ita cogitemus. Locus est quem cap. 3. abundè tractauimus inter elidendū similem blasphemiam eorum, qui per irrisionem dicebant, Faciamus mala, vt veniant bona. Quapropter nulla est hic necessitas remorandi lectorem. Si enim commentus fuisset Apostolus, quòd delicta essent propriè & directè causa incrementi gratiæ, sicuti & iustorum virtutes, apta tunc fuisset argumentatio, cum tamen id nō innuerit, sed quòd sunt occasio, velut materia, quæ per gratiam aboletur, potius fit consequens, contraria conclusio. Scilicet quòd si gratia extinguit delicta, veluti rem diuinæ amicitia aduersam, cauendum deinde nobis est, ne eodem reuoluamur: nam ideo nos Deus ad suam amicitiam adiungit, vt eam nunquam euertamus, sed colamus assidue. Nam cui plus dimittitur, is plus tenetur diligere. Fuit ergo hæc nihil aliud, quàm insinuatio ad principale positū. Et ideo ex responsione ablit/eruenda nobis est cõclusio & prothema totius capituli: scilicet, non est vilo pacto manendum hærendumq; in peccato, neq; illuc relabendū, sed perseuerandū in iustitia.

Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Syllogismus est confirmatorius conclusionis ex illo effectu gratiæ constructus, qui est peccatorum remissio. Sed & hic quoq; admonitio opus est, quemadmodum in suo themate persistet de peccato & morte per Adam admissis in mundum: componit enim mortem CHRIS TI, cui nos feliciter in baptismo per eius gratiam commorimur, funestæ morti, in quam adacti per peccatum sumus. Hunc autem syllogismum sic possumus efformare. Qui mortui sunt peccato, is non est amplius in illo viuendum: nos autem omnes mortui sumus peccato: nunquàm ergo nobis viuendum est in vita peccati. Viuere peccato, seu in peccato, idem est, quod vitam illius seruitio dicere: nam, seruus quicquid est, domini est. Ob idq; mori peccato (est enim datius

Viuere peccato.

casus) idem pollet, quod dominium peccati excutere, quinimò & illud de memoria delere. Verbum est per quam familiare Paulo: Simili enim schemate ait, & Galat. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Contraria autem significatio illius est, quod habetur Ephe. 2. Cū mortui essetis delictis, hoc est, per lcthifera delicta. Atqui sicut hominè mori mundo, præstantius est, quàm mūdum mori homini (nam emphasis est, & ego mundo) ita & plus mihi apparet dixisse Paul. cum ait, mortuos nos esse peccato, quàm si conuersim dixisset, peccatū nobis fuisse mortuum. Etenim peccatum tunc esset mihi mortuum, sicuti & mundus, quando nullam ego aliam gererè illius curam, quàm cadaueris: tunc autem ego essem mortuus peccato, vel mundo, quando peccatum vel mundus nullam haberet memoriam mei. Vbi enim Paul. exagitabatur stimulo carnis, tunc quidem peccatum illi mortuum erat, quia neq; cõsentiebat neq; conuersabatur cum peccato: sed tamen ille nō erat mortuus peccato, quoniam tentans caro aggrediebatur ipsum. Quo ergo maiori emphasi extolleret vim virtutemq; gratiæ, ait, per ipsam mortuos nos esse peccato, quatenus ad ipsius spectat facultatem. Primam autem præmissam huius syllogismi non quidem exprimit, sed supponit assumptam proindubitata, ex natura eorum quæ priuatiuè opponuntur: qui enim semel mortuus est, redire ad vitam nequit: quando quidē à priuatione, (vt ait Arist.) ad habitū impossibilis est regressus. Vnde Esa. 26. Mortientes non viuant. Alterius verò subsumptæ demonstrationem subiungit talem.

An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cū illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vbi quonā pacto per gratiā moriamur peccato, manifestū facit in baptismo. Sūt etenim sacramenta omnia (vt iā diu ante dicebamus) instrumenta, per quæ pretium mortis CHRIS TI in nos defluit, singula tamen peculiaribus actionibus spiritualibus vitæ accommodata. Est ergo baptismus, regeneratio per quā fi de initiamur adoptamurq; in filios Dei, iuxta illud, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. At quia nemo potest nasci de-

Gal. 6.

Ephe. 2.

Sacramentū baptismi

Ioan. 3.

nuo CHRISTO, cœlesti Adæ, nisi præ mortuus fuerit terreno, ob hoc baptismus per singulare quoddam priuilegiū assimilatus est, morti, & sepulturæ CHRISTI: non solum quod pretium illic mortis participatur nobis. hoc enim & aliis sacramentis commune est, sed ob hanc insuper similitudinē, quod vt CHRISTVS moriens extinxit nostra delicta, & resurrexit in nouam vitam, ita & in baptismo per plenissimam delictorum cōdonationem abolitionemq; & obliuionem, exuimus vitam peccati, & cum omni nitore gratiæ renascimur in nouam vitam. Probat ergo Paul. mortuos non esse peccato per hoc, quod dū in CHRISTO baptizamur, in morte eius baptizamur. Habet autem vehementiæ plurimum interrogatio/An ignoratis fratres. Ac si dicat, Pudor esset turpissimus, si quis rem tam apertam ignoraret. Erat enim publica illa prædicatio. Et forsan (vt ait Orige.) inter catechismos edocebantur catechumini mysterium hoc. Et quamuis in uetustis codicibus tam Latinis, quam Græcis, non sit fratres/nihil tamen sententiæ mutatur: & ideo licet curiositate fortasse libroriorū fuerit adiectum, toleratur. In Græco accipites orationes sunt hæ, quas interpres noster vertit per ablatiuos/ in CHRISTO/ in morte/ quæ quidem possunt vel sic verti, vel per accusandi casum/ in CHRISTVM, & in mortem. Et sunt quibus magis secunda hæc versio probatur, vt hanc exhibeat intelligētiam, quod in hoc baptizamur, vt efficiamur mēbra CHRISTI mortisq; eius participes. At quamuis ita sit, quod per baptismū inseramur CHRISTO, huic tamen loco congruentior est ablatiuus, quemadmodum non solum antiqui omnes Latini, verūm & Orige. clarè legit. Nempè vt tantum valeat/ in CHRISTO/ quantum in nomine & virtute CHRISTI: ad differentiā baptismi Ioannis: nam & apostoli intingebant in nomine CHRISTI. At verò/ in morte/ non tam significat hic, in virtute, quam, in similitudine mortis CHRISTI. Est enim Pauli institutum hic patefacere, vt baptismus in nomine CHRISTI speciem præferat mortis eius. Imò neq; mortis solum, sed & sepulturæ, propter idq; subdit. [Consepulti enim sumus per baptismū cum illo in mortē.] Apposuit utiq; post mortem sepulturam, vt mortis rationē aueret. At quod prius interpres reddiderat per ablatiuum, consultò statim effert per accusatiuum: nimirum vt doceat, vtrumq; Paulum tribuisse baptismo, vt pote & quod fiat

in similitudine mortis CHRISTI, & hoc prætere fine, vt in eius admittamur participiū. Et nota/ consepulti in mortem/ CHRISTVS namq; sicuti omnes mortui, antea mortuus est, quam sepultus: nos verò sepelimur subtus aquam, vt participes in mortis CHRISTI moriamur peccato. Hanc ob causam (vt Damasc. lib. 4. cap. 10. author est) instituta fuit forma illa antiquitus per immersionem baptizandi: nempè vt sepultura illic CHRISTI effigietur. Quapropter trina mersio, non solum trinitatem Dei, sed mortis etiam CHRISTI triduum refert. [Vt quomodo CHRISTVS surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus.] Optima hæc est conclusionis collectio. Enimvero cum ad hoc conuulisset baptismum cum morte CHRISTI, vt commonstraret præmissam illam superioris syllogismi, quod mortui sumus peccato, concludit nihilominus, non solum illam, sed principale propositionē: vt puta quod nō est nobis manendum, viuendum, iacendumq; in peccato. Quasi dicat, Hoc docemur admonemurq; lauacro illo instar mortis CHRISTI peractō, vt quemadmodum ipse surrexit à mortuis, ita nos, relictis in sepulchro baptismi funditus nostris culpis, in nouitate uitæ ambulemus, proficientes & de virtute in virtutem progrediētes. Prædestinavit enim nos Deus, non vna tantum forma, sed multifariā conformes fieri imagini filii sui, vt sit ille primogenitus in multis fratribus. Primum vt sicut nostra ipse delicta cruci confixit, eadem nos in baptismo sic relinquamus sepulta, vt neq; sensus eorum vllus in nobis reliquus, quantum possibile est, fiat. Mox vt suam ipsius crucem baiulantes, corpus nostrum iugiter ac sedulo crucifigamus, quod ipse tum demum in similitudine gloriæ suæ suscitatur reformabit, configuratum corpori claritatis suæ. At resurrexisset CHRISTVS dicitur per gloriam patris. Aut per gloriam, quam à patre recepit, per hoc, scilicet quod qui in terreno humiliq; corpore fuerat sepultus, post in corpore glorioso, mortis vinculis resolutus, ab inferis resurrexit: secundum illam ipsius precepcionem, Nunc pater clarifica filium tuū sicut filius tuus clarificat te. Et ad Cor. Paul. Si crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei. Vel fortè gloriam patris appellat, supernam ipsam immensamq; virtutem & potestatem patri attributā, per quā ipse resurrexit: more scripturæ consueto, quæ vbiq;q; illustre aliquod miraculum inaccessæ maiestatis

Damasc. de trina mersione.

Conformes imaginii filii sui.

Per gloriam patris.

Ioan. 17.

2. Cor. 13.

Exo. 16. statis Dei effulget, gloriam illic Dei ait apparere, vt Exo. 16. de manna & coturnicum miraculo, Ecce gloria Dei apparuit in nube. Et cap. 40. de tabernaculo fœderis, Oppertit illud nubes, & gloria Dei impleuit illud. Porro autem neq; ociose hic gloriæ cōmeminit patris, sed vt accessio fieret venustatis ad collationem, quam inter resurrectionem CHRISTI & nostram faciebat. Est enim perinde ac si dixisset, Vt sicut CHRISTVS per gloriosam virtutem patris surrexit à mortuis, non rursus relapsurus in mortē, ita & nos per suæ mortis virtutem excitati à peccatis, per eandem confirmati, in nouitate uitæ, hoc est, nouis uitæ actionibus & officiis ambulemus. CHRISTVM autē dixit resurrexisse per gloriam, quia re vera resurrexit cū omnibus gloriæ dotibus, nos verò non perinde hortatur, vt resurgamus à peccatis per gloriosam uitā, hanc enim expectamus in cœlo, sed vt tanq; viatores progrediamur in nouitate uitæ.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Adhibet & secundā confirmationem capitalis cōclusionis per aliam similitudinem, quæ est superiori cognata: per hoc enim quod in baptismo commorimur & consepelimur CHRISTO, compingimur & illi in idem corpus, & veluti ramus arbori inserimur incorporamurq; in eius mēbra. Vnde ego, inquit, sum vitis vera, et vos palmites. Ex hac ergo allusione conficit alterum syllogismum, Quicumq; confiti sunt cōplantatiq; similitudini mortis ipsi, simul & resurrectionis (scilicet participes) erunt: vel simul complantati similitudini resurrectionis erunt: nam in hoc mortuus est, vt resurgeret: nos autem in baptismo complantati sumus similitudini mortis: erimus ergo participes resurrectionis. At verò licet in hoc tantū Paul. per hunc syllogismum appareat intentus, vt ex re, quæ est plantatio in morte, in spem nostrā smittat resurrectionis, tamen non hic gradum sistit, sed eò ultra pergit, vt ab spe ipsa resurrectionis commonitos nos habeat & confirmatos, vt cum omni perseuerantia in nouitate uitæ incedamus. Similitudo hæc autem insitionis in hoc posita est, quod sicut insitus ramus humorem excipit ab arbore, quo humore in eandē coalescit naturam, ita & nos per intimum diuinæ gratiæ influxum, debemus in CHRISTO fructescere. Nam in hoc, inquit, vitis ipsa, clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum

Exo. 16.

Ioan. 15.

Insitionis similitudo.

afferatis. Cui sanè hic accinit consonanter Pau. vbi post resurrectionem per gloriam patris, plantationis meminuit, quæ est in filio. Quocirca non possum, nescio an dixerim nō subindignari, in bonos istos traductores neotericos, qui nullum verbum veteris interpretis non suo arbitratu demutant. Nam sicubi fortè tantillum illis iudicatur declinasse vel ab vna syllaba græca, iniquissimo ferunt animo: vbi verò ad literam omnino transfert, dictionem nihilo minus ita venustat, vt deprauent sensum. Est enim græcè, σὺ μὴ φῦται, quod syllabatim sonat, complantati: vertunt ipsi tamen participes, quæ profectò versio nō prorsus exhaurit paulinam mentem: nam participare aliter res vna potest alterius virtutē sine insitione, vt terra participat influxum cœli. Paulus verò explicat non id solum, sed participationis modū, vt pote quod fiat veluti ramus exugit radice succum. Quam quidem metaphoram luculentissimè Orige. edisserit. Neq; verò, insititū, vt alii transferūt, satis exprimit rei mysteriū, nisi dicas cōfisi, aut/ complantati/ siue præpositionē/ con/ ad populos duos Gentium, Iudæorumq; referens, qui ex diuersis legibus conglutinati sunt in CHRISTO, vno fidei & charitatis nexu: siue (quod secundum Origenē probabilis est) ad complantationem nostrā cum CHRISTO in eodem corpore spectes. Est namq; CHRISTVS satus plantatusq; in morte, vt fructificaret nobis: nos autem in similitudine eiusdem mortis confiti in illo & complantati, vt ex succo radicis eius (quod ait Orige.) radix quoq; nostra suscipiens, producat ramos iustitiæ & fructum adferat uitæ. Quamobrè non idem hic valet/ con/ quod, simul plantati: nam arborū quæ simul seruntur neutra alterius humore alitur, sed idem quod, in altera plantata arbore plantati. Quo mihi profectò illud spectare videtur quod ait CHRISTVS, Ego sum vitis vera & vos palmites, & pater meus agricola est: nimirum quod idem agricola & filiū plantauit in cruce, & nos illi complantat in baptismo, tanquā ligna secus decursus aquarum, vt de plenitudine eius nos omnes accipiamus. Quod si reclamant isti, duo participia/ complantati facti/ ineptè coire, respondere potest, quod/ complantati/ vim fortè habet nominis. Quanquam neq; huiusmodi nenas obseruare vllus debet. Sed enim neq; hoc silendum, quod non ait, complantati sumus morti ipsius, quinimò cum paulò ante dixisset, in morte ipsius baptizati sumus, nunc elu-

Contra nō uos interpres.

Orige.

Complantati.

Complantati similitudo.

cidationis gratia ait/complantati similitudini mortis eius. Neq; fuit per oia similitudo, quoniam neq; omnino ipse mortuus est peccato, vt nos: neq; verò nos mortui sumus corpore, vt ipse. Etenim peccatū ipse nec fecit nec contraxit vllum, sed missus in similitudinem carnis peccati factus est pro nobis maledictum: chirographū debiti nostri affigens cruci: ac deinde sepultus est: nos verò haud quā corporaliter morimur, sed in aqua sepe limur baptisimi, vbi peccata relinquitur, quā verè, aut contraximus, aut perpetrauimus.

Hoc sciētes quia vetus homo noster simul crucifixus, vt destruat corpus peccati, vt vltra nō seruiamus peccato. Perspecti nobis hic sint munerum gradus baptismalis gratiæ: qui sunt in morte baptizati, complantati, crucifixi. Primum in ablutionē culpæ, secundum in germinationē fructuum, tertium in concupiscentiæ mortificationem. Quocirca sicuti supra per sepulturam explicuerat mortis consummationē, ita & modo complantationē per hoc exaggerat, quod insitus ramus sic emoritur propriamq; exhalat naturam, vt nulla ei supersit virtus propria, præter virtutē arboris. Talem etenim imaginatur insitionē nostrā in CHRISTO: nimirum quod non solum illic peccato cōmorimur, id est, culpæ, sed quod inibi relinquitur radices etiā eius et fibras, causas deniq; vniuersas peccandi, quasi cruci virtute CHRISTI confixas deponimus, vt fructificemus eidē CHRISTO: iuxta illud Ioā. 15. Sicut palmes nō potest ferre fructū à semetipso, ita nec vos nisi in me manseritis. Vnde vetus homo idē est in præsentia, quod homo, qualis per Adæ geniturā procreatur: vt pote nō modo in peccato, sed in peccati fomite, cū aliisq; mortis legibus natus: vnde Gal. 5. Qui CHRISTI sunt, carnem suā crucifixerunt cū vitis & concupiscentiis. [Vt destruat corpus peccati.] Id est, consistētia & robur peccati. Tametsi fortē nulla opus est metaphora, sed corpus ipsū, quatenus est effrenata caro, dicitur & est corpus peccati: quod post nuncupabit corpus mortis. [Vt vltra nō seruiamus peccato.] Ex singulis mēbris concludit principale propositum, scilicet nō esse illis viuendū in peccato, qui gratiā semel beneficiumq; reconciliationis susceperunt: perinde atq; insitus ramus nō viuunt amplius vita propria, sed illa quam truncus ei sumministrat. Est enim hic meditanda insitio hæc spiritualis nostri in CHRISTO, quæ lōgè diuer-

sa est ab illa, quæ fit per artem agriculturæ. Nemo enim inserit siluestrem arborē in preciosa, sed vice versa pirum in quercu, nempe vt insitus ramus humorem sugens degeneris trunci in bonū fructum digerat: nos verò cōtrā in baptismo, veluti steriles rami inserimur preciosissimæ arbori, quæ CHRISTVS est, vt suo ipsius humore fructus gratiæ proferam. Id quod cap. 11. repetendū nobis est. At verò obiectaret hic forsā quispiam Paulo contra hanc ipsius doctrinam, experiētiā, qua vtiq; compertum nobis est, non adeo in baptismo crucifigi nostrū veterem hominē, destruiq; corpus peccati, quin perpetuo deinde bello ingentem nobis facessat molestiam: adeo vt & Paulus ipse vigere legem sentiret in suis membris, repugnantem legi mentis: vnde & exclamabat, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Responsum iam tamē supra tetigimus: quod est, Paulum, nihil aliud hic, q̄ naturam prorsus gratiæ vigoremq; & ingenium eius definire, ac perinde scopum nobis ob oculos ponere, quò nos suo Marte inducit. Est enim eius facultas armare nos & constabilire aduersus concupiscentiā, quā suapte natura eneruare extinguereq; molitur. Hoc tamen vt perficiat, plurimo negotio opus est & indefesso conatu: neq; enim libertatem nobis adimit, neq; naturam carnis, ob idq; fortē non dixit Paulus, quod statim destruitur corpus peccati, sed quod crucifigitur, hoc est, debilitatur ac viribus imminuitur vetus homo, vt exercitio destruat corpus peccati. Neq; dixit, ne peccemus vnquam (hoc enim præ nostra fragilitate nō fit possibile) sed ne amplius seruiamus peccato tanquam domino, in cuius nos dedamus tyrannidem. De quo statim ait/ Non regnet peccatum, &c. Profectum autem hunc & progressum nostrum ad perimendum veterem hominem explicat ad cor, vbi hanc CHRISTI mortem, cuius similitudini cōmorimur, recinens, ait, Deificimur, sed nō perimus: semper mortificationē IESV CHRISTI in corpore nostro circumferētes, vt & vita IESV manifestetur in corpore nostro. Et infra, Licet is, qui foris est, noster homo corrūpat, tamē is, qui intus est, renouatur de die in diem. Quod enim hic ait, ambulamus, illic ait, de die in diem. Talibus ergo gratiæ progressibus vsq; adeo sancti possunt veterem in se hominem confodere & crucifigere, vt dicant tunc demum cum Paulo, Vivo ego iam non ego, sed viuunt in me CHRISTVS.

Qui

Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo. Periphrasis est & explanatio prædictorum. Dixerat quippe commo-ri nos CHRISTO in baptismo, exponit modo quid appellatione mortis senserit. Mori enim, scilicet nos in CHRISTO, iustificari est à peccato. Nam etsi de redemptore ipso idē statim enunciaturus sit, quod fuerit mortuus peccato, tamē id aliter interpretabimur. Adiecerat supra, quod si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: id ergo & nunc exponit, dicens, [Si autem mortui sumus, &c.] Enimuero si complantati sumus similitudini mortis eius ad fructificandum, consequens fit, vt simili modo cum ipso resurgentes collecturi simus percepturiq; fructus vitæ: primū in hoc seculo resurgentes à peccatis in nouam vitā: post verò exsuscitati à mortuis in vitam æternā. Ad hæc enim duo refertur semper intentio Pauli per hæc ratiocinationes. Primum vt nostram stimulans vecordiam debiti nos nostri admoneat, quā obstricti per baptismum sumus resurgere in perfectionem nouæ vitæ: iuxta illud Col. 3. Si consurrexistis cum CHRISTO, quæ sursum sunt querite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Alterum, vt spem quoq; nobis corroboret resurrectionis nostræ, vt animos scilicet inde quoq; nobis cōsolidet persistendi in via, quæ in illam nos felicitatem perducit. Hanc eandē intentionem postremo, eodemq; summo tandem exemplo confirmat.

Scientes quod Christus resurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuunt, viuunt Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidē esse peccato: viuētes autē Deo in Christo Iesu. Suprema inquam corroboratio hæc est conclusionis, vbi ita nos vehemēter perurget ad perseuerandum in noua vita, vt velit nos imitatum ire CHRISTI resurrectionem, qui tantum semel mortuus peccato, æternū iam viuunt Deo. [Sciētes.] Præmiserat, credimus quia simul viuemus cū CHRISTO, eò quod illius beatæ vitæ spem duntaxat per fidem habemus, subiungit autem/ scientes quod CHRISTVS resurgens/ &c. non quod hæc non sit

quoq; agnitio fidei, sed vt rem gestam vehementius depromeret. Resurgens / in græco participium est præteriti, idem pollens, quod excitatus, seu potius, qui resurrexit. At verò perdoctus interpres, eò quod CHRISTVS non tam excitatus fuit aliena virtute, quā propria resurgens, abstinuit à participio, excitatus, & quia/ resurgēs/ non habet latinē participium præteriti, vltus est hoc præsentis: quod perinde valeret acsi dixisset, qui resurrexit: nam CHRISTVS non est resurgēs modo, sed semel resurrexit. Neq; satis Paul. arbitratus est dixisse/ nō moritur/ nisi adiecisset/ mors illi vltra non dominabitur/ quod est dicere, nullum iam mors ius habet in illum. Omnes quippe ærumnæ miseriq; dolores, & morbi, et quibus vndecunq; concutimur, calamitates, satellites sunt mortis, quibus suo nos iure fatigat, macerat, atterit, & tandem absomit. In codicibus modo Græcis præsentis est temporis, tam/ nō dominatur/ quā/ nō moritur/ sed est vox futuri simillima illi: & ideo forsā in futuro legit interpres noster: quod certe significatius est ad pronuntiandum, quod iam deinceps nunquam in perpetuum, vel minima mortis conditio accidere CHRISTO potest: vt qui iam diuina perfruatur immortalitate. At verò interroget hic forsā quispiam Paulum, num CHRISTO qui verus est Deus, ob idq; nature immortalis, vitæq; dominium habens & mortis, dominari potuit vnquam mors? Quid ergo ait, mortem iam illi vltra nō dominari, quasi vllum habuisset vnquam in eum ius? Porro neq; Paulus tale inuuit dominium, quod fuerit absolutum ius. Sed tamē vbi se vltro Deus ad nostram demississet naturam, quam decuit secundum sua ipsius naturalia principia patibilem permittere, sua se spontē summisit dominatui mortis, quem post resurgendo reiecit. [Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel.] Probatio est conclusionis. In græco non nihil abditur amphibologia, vt transferri etiā possit, Quod enim mortuus est, vt referatur ad corpus: neq; ita adeo sensum variat, sed tamē versio vulgata significantiore est ac luculentior: acsi dicas, Hoc ipsum, quod mortuus est, & ita omnes Patres legūt, vbi & comma figunt hoc pacto, Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, hoc est, non quod nature mortalitatis esset, aut ob suam ipsius necessitatem, sed (vt iam supra dixit) traditus est propter delicta nostra. Et. 1. Pet. 3. CHRISTVS semel pro peccatis nostris mortuus est. Attende quā Paulus

Resurgens.

Dubitatio.

Quod mortuus est.

1. Pet. 3.

lus

Dubitatio.

Natura gratiæ.

Ad duo refer. intentio Pauli.

Col. 3.

2. Cor. 4.

Gal. 2.

Ioan. 15.

Gal. 5.



Quo pacto loquatur de Christo Paulus.

Christus mortuus peccato.

Semel mortuus.

Heb. 9.

lus de CHRISTO abiectè videatur loqui. Etenim quod de nobis protulerat, mortuos scilicet esse peccato, id ipsum non veretur & de CHRISTO adseuerare. Ea enim ipsius est diuina in nos clementia, qui voluit per omnia fratribus adsimilari. Sed interest nihilo minus interuallo quàm esse potest vastissimo. Ipse quippe mortuus est peccato: primum quòd naturam nostram (vt modò dicebamus) gratis assumpsit, non de peccato, sed in similitudinem peccati, quam necessariò nos cum peccato trahimus: & ideo mortuus est peccato, hoc est, obsequens morti, seu mortem persoluens, quæ in poenam, non illius, sed nostri peccati introducta est. Deinde quòd ipse mortuus est in precium debiti nostri, delendo nostrum peccatum: hoc enim illi fuit mori peccato, quòd mori ad expurgandum peccatum: nobis autem mori peccato, est, expurgari seruariq; à peccato. Mortuus itaq; ipse in cruce est morte iustificatè à peccato, nos verò morte in baptismo, qua iustificamur à peccato. Alterutram autem rationem inspectes, siue quòd mortuus est ratione mortalis naturæ assumpta, siue ratione peccati, non debuit mori nisi semel. Etenim ob naturæ necessitatem, nemo pluries moritur, sed & in precium redemptionis, atq; ad nostram perficiendam salutem vna abundabat mors CHRISTI. Quid enim vnigenitus Dei filius, infinitoq; proinde iure amicus patri, acceptusq; illi & gratus, offerre eidem poterat in precium humani debiti, quòd non esset illi acceptissimum: quãto vero æquius per obedientiam vsq; ad mortem crucis. Vnde ad Heb. Paul. pontificem antiquæ legis cum nostro conferens, ait, illum ad eluendam fornicum peccatorum sordes, iterato per sanguinem hircorum sacrificio, quotannis ingressum in sancta: CHRISTVM autem dum assisteret pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introisse semel, æterna redemptione inuenta, hoc est, redemptione quæ nõ esset iteranda & integranda, sed quæ vniuersis peccatis abolerendis sufficeret tam futuris, quàm præteritis. Et infra, Neq; vt saepe offerat semetipsum, quæ admodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Et inferius, Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium, sic & CHRISTVS semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Vide quàm sit locus ille huic concursus, vbi explicatur,

quemadmodum necessitati tam redemptionis, quàm naturæ, secundum quam statutum est hominibus semel mori, satisfecisse CHRISTVM vna morte. Et eadem epistola cap. 6. Impossibile, inquit, est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilo minus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsum filium Dei. Ex quibus verbis, Nouatus hæreticus illum hausit intellectum, quòd relapsis nullum erat reliquum remedium poenitentia. Cum tamè Paulus, interprete Augustino, nihil sibi aliud velit, quàm quòd nõ possint omnino renouari ad nouam vitam, hoc est, purissimam innocentiam per reimprium baptismum, quòd veluti imago crucifixionis CHRISTI non potest iterari. Per hæc deniq; proditur eorum blasphemiam hæreticorum, quos Orig. hic commemorat asseruisse, quòd in futuris iterum seculis, vel eadem, vel similia pati necessè sit CHRISTVM, vt liberari possint etiam hi, quos in præsentis vita dispensationis eius nõ sanauit medicina. Hæc enim dementiam elidit Pau. vbi ait, semel mortuum viuere iam Deo, hoc est, vita Dei. [Ita & vos existimate fratres uos, mortuos quidè esse peccato, uiuentes autem Deo in CHRISTO IESU.] Sunt qui legat. Cogitate, sed profecto, Existimate, tum germanè & fideliter effert significatum verbi græci, tum etiam vehemētioris est emphaseos. Possunt enim & ii, qui iacent in peccato cogitatione versare hæc mysteria absque emendationis fructu: sed cum ait, ita vos existimate vos, id est, vos metipsum, mortuos esse peccato, viuere autem Deo, maximum nobis pauore inquit, vt cunctis nostris actionibus existimemus nos ita mortuos esse peccato, & viuere Deo, vt nulla in nobis appareat figura peccati, sed sola præ nobis feramus numinis effigiem, cuius nutu influxuq; & spiritu viuimus. Atq; id ita sublimiter existimemus, vt constātia nostra & perseverantia imago quædam sit illius vitæ immortalis, quam CHRISTVS viuuit Deo, talisq; nobis sit à morte peccati cautio, vt quædam nobis sit imitatio CHRISTI, qui non nisi semel pro nobis est mortuus. En quàm nos sedulo celebratissimo hoc exemplo mortis & resurrectionis CHRISTI confirmatos studuit habere in noua vita, quàmq; deterritos à vetusta morte. Nos verò contra adeo records sumus, in nostras proni cupiditates, vt

Nonnulli.

Alii heretici.

Recordia humana.

velu

SECUNDA PARS CAPITULI.

Aug.

Chry.

Peccatum.

veluti ad omnia hæc monita surdi, nihili ducamus, sexcenties per Dei gratiam resurgentes, toties ingrattissimos meditatio mortis peccati nobis ipsos consciscere, nõ modò in contumeliam CHRISTI, qui postquã semel mortuus est peccato, resurrexit nunquam iterum moriturus, verum & cum præsentissimo nostro periculo, ne nostra nos tandem ingrattitudo eò nos vsq; tradat desideris nostris, vt ab ipsis obrudamur in tartara.

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Secunda hæc sectio est præsentis cap. in qua apostrophem facit Paulus exhortatoriã, ex superioribus appendicem. Colligit nanq; ex præfatis, quàm debeamus strenuè dimicare cõtra peccatum, ne regnet in nostro mortali corpore. Alludit hic autè ad id quòd dixerat peccatum, data lege, regnasse in morte: vnde conferens modò cum lege, euangelicam gratiam, ait, non esse iam, vbi tanta opulencia gratia donati suffultiq; sumus, cur peccatum dominetur nobis, veluti olim Patribus sub lege. Aug. tract. 41 super Ioan. Et de pec. me. lib. 2. cap. 28. & alibi frequenter nomine peccati intelligit hoc loco concupiscentiam carnis, quæ remanet in renatis ad luctam. Eamq; ob rem existimat non dixisse Paulum, Non sit peccatum in vestro mortali corpore, quia hoc non est possibile, cum sit natura, sed non regnet ita, vt obediatis concupiscentiis eius, hoc enim cũ præuio adiutorio Dei positum est in arbitrio nostro.

Quò & Chry. applaudens, ait. Non dixit, caro nõ viuat, neq; non operetur, sed peccatũ nõ regnet. Non enim naturam tollere, sed voluntatem corrigere venit. Hæc ille. Neq; verò à tantis Patribus deflestendum nobis est, non solum quòd ea sit eorum authoritas, verum quòd neq; ab scopo forsitan ipsi deflectunt.

At verò, vt supra dicebam, non est hic fortè necessaria vlla metaphora: sed quòd accipitur peccatũ secundũ suam legitimã significatione. Ita enim perpetuò hic nomẽ usurpauit ab illo loco, Per vnũ hominẽ peccatũ in hũc mundũ intrauit. Id quòd modò delictũ, modò peccatũ appellat. Concupiscentia verò licet nõnunq; ab Apost. nũcupetur peccatũ, vt cap. proximè sequen. videtur, vbi ait, Quòd habitat in me peccatum, non est tamen propriè peccatum, sed per translatione, vt ipse docet August. quia est effectus peccati, sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur: & oratio, lin

gua. Possumus ergo dicere, neq; ineptè quidem, quòd cum concupiscentia sit fomes & lex peccati, quam Paulus ait pugnare contra spiritum, eiusq; ideo illecebrosi affectus, & qui nos ad malum instigant, insultus, sint velut præceptiones seu milites peccati, idem ipsum peccatum tunc dicitur regnare, quando huiusmodi cupidinibus consentimus in obsequium illius culpæ, quæ illic consummatur: qui enim facit peccatũ, seruus est peccati. At verò quãuis quocunq; absoluto cõsensu cõmigremus in regnum peccati, tamen (vt supra dicebamus) non sumus illuc adeo detrusi, neq; aperta adeo potentia imperitat nobis, quoad usq; libertatis nostræ potitur: quòd fit, quando non solum ex ignorantia vel surreptione repentinou casu, quasi per insidias occupamur à peccato, vel quoquo pacto repugnantes vincimur, sed vbi iam subacti traditiq; in desideria carnis vltro imus (vt ait alibi Pau.) post concupiscentias nostras. Quã forsitan regni apertam tyrannidem subnotat hic dicens, vt obediatis concupiscentiis eius. Tamen si & agnosco omnem hic consensum in malum interdici, tanquam regnum peccati, vt Aug. & Patres docent. Si codices nunc Græcè vulgatos cõsulas, placebit fortè trãslatio hæc, vt obediatis ei, scilicet peccato, in concupiscentiis ipsius, quam lectionem secuti videntur Theophyl. & Ambro. Amplexi sunt tamen vulgatam Latini reliqui, cui & Orig. arridet. Et perparum refert, vtram probes. Sunt veruntamen sigillatim verba huius, subsequentisq; textus spectatissima contemplatione libranda, vt quorum singula plurimum exaggerationis adferant. Primum enim omnium libertatem nostram declarãt, vnde opera nostra dependent. Enimverò, vt sine diuina ope nihil possumus, ita nisi illi assensum præbeamus, nõ erit eius auxilium in nobis efficacax. Aliàs vana hæc esset exhortatio Pauli. In cuius ideo enarratione probè meditatur Orig. inter concupiscentiam peccati, quæ est in carne, & concupiscentiam spiritus, quæ est in mente, mediam esse animam, quæ per voluntatis assensum, vel regnum constituit peccati, vt obediamus concupiscentiis eius, vel regnum Dei, vt pareamus ipsius mandatis. Sed & quòd ait, non regnet peccatũ, grauis sima est dehortatio à re turpissima. Ecquid enim vel iniquius vel absurdus, quàm peccatum regnare: rem scilicet, perhorrendam, vt quæ minus homini detrimenti importaret, si libertatem ei adimeret, vt esset iumentis similis.

Ioan. 8. Regnat peccatũ.

Variat lectio.

Libertas nostra.

Inter spiritũ & carnem media est anima.

Absurdã regnũ peccati.

milis, quam dum in spontaneam illum assensionem pertrahit, qua Deo fiat contrarius, ad cuius est & imaginem conditus, & regnum ascitus: quod quidem regnum, ut filius traderet patri, ad nostras se miseras demisit, factus obediens usque ad mortem crucis. Adiecit in vestro mortali corpore, ut proprium subiectum sedemque designaret regni peccati. Dixerat enim supra, corpus regnare in mortem, nunc autem peccatum in mortali corpore. Ut enim stipendium peccati mors est, que nobis ratione corporis competit, ita & mortalitas eiusdem corporis, quod corrumpitur, agnatum habet in membris fomitem carnis aggrauantem animam, repugnantemque spiritui, sollicitantem nos ad regnum peccati, & captiuantem eiusdem legibus. Ob idque & liberari cupiunt sancti de corpore mortis huius, scientes, quod cum mortale hor induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors victoria tua. Agnouit hic præterea scitè Chry. copiam Christianæ gratiæ. Adam siquidem mortale nondum corpus habens, cecidit: nos vero in corpore mortali per auxilium gratiæ excutere possumus regnum peccati. Neque eo nos vero tantum pudore suffundit, quod peccatum tyrannicè in nos regnet, sed eo maxime quod nos ultro obediamus concupiscentiis eius: puta quod præclarissimam illam voluntatis libertatem ad hoc nobis à Deo donatam, ut in eius prorsus obsequium atque honorem totam expendere mus, ob quod & dominium nobis mundi tradidit, eandem nos, veluti transfuge, ad seruitium carnis secundum eius prudentiam, quæ inimica est Deo, in nostram ipsorum sempiternam perniciem traducamus.

Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra, arma iustitiæ Deo. Accessionem facit ad vehementiam orationis. Regnum enim peccati in interna voluntatis assensione constituitur, sed per membra foras verbo & opere proditur. Postquam ergo nos comonitos habet, ne in regnum peccati assensum præbeamus, adhortari ocyus properat, ne membra illi mancipemus, quæ sint illi arma iniquitatis: ubi profectò grauissimo nos percellit horrore. Nimirum, quod non modo iniquitatè ipsam de suo ipsius nomine abominandam, non sic prorsus execremur, ut vnde cunctis nobis veniret armata, om-

ni conatu niteremur propulsare, verum quod cum ipsa nihil per se in nos possit, nos contra nos metipsum obarmemus ipsam, neque aliis armis, quam nostris ipsorum membris, quibus nos Deus in naturales usus dotauit ad gloriam suam. Hæc inquam membra iniqui faciunt arma illa, de quibus Ezech. Cum armis suis ad inferos descenderunt. Cuius quidem qui hostem patriæ vel armis instruit, vel intra mœnia recipit, proditor Reipublicæ iure pronunciat: qui autem in seipsum hostem Dei admittit, unde Deum propellat, quo possit nomine dignè censeret? Manichæorum hic item error refutatur, qui dicebant, peccatum nos in corpore à natura insumptum gestare. Nullum quippe in nos principatum haberet, doctore hic Paulo, nisi nos ei spontanei cederemus, offerremusque membra ipsa nostra, quibus nos debellaret. Accedit & ad cumulum pudoris nostri id quod præmiserat crucifigi, scilicet in baptismo veterem nostrum hominem in destructionem corporis peccati, quod est, eneruari & attenuari: quapropter non tantum in nos haberet vigorem et robur, nisi nos illi exhiberemus arma. Est autem exhibere, non magna illata nobis vi, sponte nostra præbere & dedere. [Sed exhibete vos Deo, &c.] Et hæc sanè comparatio peccati ad Deum, iniquitatisque ad iustitiam, permagnam habet ad pudefaciendum nos, energiam: imò hoc verborum omnium quæ allata sunt, grauissimum est. Non peccato ad armandam iniquitatem, sed Deo exhibete vos, & membra vestra. Duo quippe ait/Exhibete vos ipsos Deo/tradentes illi voluntatem intrinsicè per consensum, & præterea forinsecus membra in obsequium iustitiæ, Deo videlicet, à quo & ex nihilo formati estis, & ex peccato reformati. Ei vos mancipate, cuius utroque iure estis mæcipia. Et hoc est quod ait/tanquam ex mortuis viuentes/scilicet exhibete vos ei, per quem à morte estis in vitam reuocati. Tametsi & præfixum exemplar mortis & resurrectionis CHRISTI identidem inspicat. Etenim quia dixerat, CHRISTVM semel mortuum viuere Deo, illius nos instar admonet, ut exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes. Regnat enim peccatum in mortem, CHRISTVS autem in vitam. [Et membra vestra arma iustitiæ Deo.] Sunt enim, ut iniquitatis, ita & iustitiæ arma, de quibus Ephe. 6. Paulus, Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo: induti loriceam iustitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei & galeam salutis, &c. Sed nota/Exhibete Deo/ Etenim,

Etenim, velut in malum, ita & in bonum liberi sumus. Idem quippe ipse qui ait, Nemo potest venire, nisi pater traxerit, admonet liberè nos trahi, ubi nostram excitans voluntatem, ait, Venite ad me omnes, &c. Sed & quod ait/Deo/duplicem habere potest intelligentiam. Primam quod membris nostris militemus ipsi: alteram, quod nos illi ministremus arma, quibus pugnet pro nobis. Armatus enim ipse nos, tum virtutes nobis afflando, tum & appellendo nos ad earum exercitium: sed quodam etiam nos pacto ipsum vicissim armamus in nostram salutem, dum liberè & potimur & utimur eiusdem virtutibus, quibus nos ipse ut milites ducit in pugnam, quos tandem coronet in gloria. Exhibeamus ergo nos ipsos illi ac nostra membra, cui nihil deperit, quod in eius militia insumptum fuerit, sed seminatur animale in corruptione, ignobilitate, & infirmitate, ut resurgat spirituale in incorruptione, gloria & virtute.

Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Præoccupatio est & præuentio eorum, qui excusare cogitarent ignauiam suam & malignitatem, causantes acerrimam carnis pugnam, quam non esset possibile sustinere, quin obtemperarent peccato. Horum videlicet excusationem repellit dicens, quod peccatum post gratiam baptismi, ubi crucifixum, mortuum & sepultum est, non est iam validum ad dominandum euangelico populo, redemptore ipso testante, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Sed est profectò dubitatio. Primum de qua hic lege loquatur, ubi ait Christianos non esse sub lege: mox qualis sit hæc eius ratio. Apparet enim loqui de lege in genere, ut naturalem etiam cum scripta comprehendat, ex eo quod legem distinguit contra gratiam, in qua distinctione quauis lex intelligitur, cum nulla absque gratia possit homines, vel constituere, vel conseruare in amicitia Dei. Si autem sic loquatur de lege, manifestum est, Christianos etiam esse sub lege: tenentur quippe legibus utriusque tabulæ, quæ eliciuntur ex iure nature. Quod si loquatur de lege veteri, cuius vinculo per Euangelium relaxati sumus, ut cap. sequenti docturus est, tunc fortius instruitur argumentum aduersus hanc eius rationem: nam & multi sancti Patres fuerunt sub lege illa, in quos non dominabatur

peccatum, & plurimi sunt modò in lege euangelica liberati ab illa lege, quibus tamen dominatur. Hic imprimis perspicuum est & constantissimè, significare Apostolum eam legem, quæ è regione opponitur gratiæ: ait enim/Non estis sub lege, sed sub gratia. Hoc autem præfixo, per facile se vnusquilibet extricare hinc posset, dicens, quod esse sub lege, idem valet, quod iacere in inimicitia Dei: tunc enim dilucida esset contrapositio legis & gratiæ. Atque intellectum hunc concipere hic videtur Ambro. Qui ait, illis dominari peccatum qui peccant, eisdemque esse sub lege, eò quod autoritate legis rei fiunt: quibus vero data est remissio, iam peccatum non dominari, neque illos esse sub lege, eò quod cessat iam circa eos autoritas legis. Hæc ille. Eademque eatenus verissimè, quatenus ait, tunc dominari peccatum, quando illud admittimus: nam qui facit peccatum, seruus est peccati. At vero Paulus ulterius censetur progressus, dum gratiam componit cum lege. Non enim tam videtur conferre personas ad personas, quam tempus ad tempus, seu statum sub lege euangelica, ad statum sub lege veteri. Loquitur siquidem Christianis, non peculiariter illis, qui erant illo tunc momento in gratia, sed vniuersis qui gratiam baptismi receperant, per quam exempti erant à iugo legis: nam si cum illis proprie qui erant in gratia loqueretur, non dixisset, Non enim iam estis, quasi nuper imè: quandoquidem & retro actis seculis, tam iuris naturalis, quam legis Mosaicæ, fuerant multi sub gratia, qui ideo ratione dicta non fuerant sub lege. Loquitur ergo Paulus de lege Mosis. Et per hoc quod ait/esse sub lege/intelligit, iuxta primæum verbi significatum, id quod est teneri lege: licet & de CHRISTO qui non tenebatur illa, pronunciauit, factum esse sub lege, eò quod venit ut obediret legi, quoad usque illam impleteret. Quocirca nos non sumus sub lege illa: quoniam licet obli-

Responso

Ambro.

Ioan. 8. Mens Pauli.

Nō sumus sub lege.

Etenim

In vestro mortali corpore.

Chryf.

Pudor mofter.

Armanus iniquitatē.

Ezech.

Manichæi.

Ioan. 8. Dubitatio duplex.

Ephe. 6.

Etenim cum in illo seculo CHRIS TVS, qui author est gratiæ, nō persoluisset redemptionis precium, quapropter nec valæ tunc cœli patebant, neq; fides illius populi tam erat aperta, neq; legis illius sacramenta efficacia erant vllius gratiæ, auxiliuē, aut fauoris ad faciendā iussā legis, quæ & numero erant & pondere grauiā: lex illa non nuncupabatur lex gratiæ, sicuti neq; lex naturæ, quæ illi antecesserat. Haud equidem diffitemur, fidem per circumcisionem applicitam id circūcisis contulisse, quod nobis, baptismus. Sed loquimur de sacramētis in genere, deq; eorum vi & energia. At verò lex nostra significantissimè lex dicitur (vt est) gratiæ. Nempe quòd à latore ipso gratiæ prolata sit, & redemptionis sanguine rubricata, vbi & apertior est fides, quæ docet nos, fauorem diuinum implorare, & præcepta vt rarissima, ita & explicitissima, ac demum adhibita sacramenta plurima gratiæ in subsidium implendæ legis. In summa, est lex, cuius tempore operatus est CHRIS TVS mysterium gratiæ, seras referans regni cœlorum, quod mysteriū omnibus retro ætatibus absconsum fuerat, & cuius fide velut in deposito custodiebatur sancti & sustentabantur, quasi ab hoc tempore penduli, vt cap. 3. dicebamus. In quo sensu ait Euangelista, Lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. Nam essi vnum illis extiterat circumcisionis sacramentum, per quod fide CHRIS TI applicata, iustificabatur, reliqua verò lex iubebat quidem, non autem iuuabat. Vult ergo commonefacere Paul. conuersos ad fidem, vt, qui in gratia sunt, solidius confirmatiq; persistant aduersus regnū peccati, quàm illi qui olim sub lege naturali & scripta degebant, & qui relaxati fuerint, expeditius feruentiusq; & robustius respiscant: si quidem tanta affluentia gratiæ & dignationis diuinæ, sacramentorumq; & remediorum copia illis antecellunt. Eundem sensum agnouit Chry. nempe quòd ante CHRIS TI aduentum, quando lex erat tantummodo præcipiens, facillimum erat corpus nostrum mancipatu in seruitutem peccati: nunc autem per gratiam, quæ & priora dimittit, & ad futura quoq; cauenda nos munit, facilius illi resistere possumus. In eodem sensu legit & hunc locum Aug. in lib. de gratia & libe. arb. vbi ait, quòd peccatum dominatur sub lege, nō quia lex mala est, sed quia sub illa sunt, quos reos facit iubendo & non adiuuando.

Lex gratiæ.

Lex per Moysen, &c.

Chrysost.

Aug.

Quid ergo? Peccabimus, quoniam nō sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

Frequens est Paulo schema hoc præuenienti pseudo illos apostolos obseruatores & calumniatores verborum ipsius. Etenim vti supra ex eo quod dixerat, vbi abundauit delictum superabundasse & gratiam, deprauata mens subinferre poterat, hærendū esse in peccato, vt gratia exuberaret, ita modò ex hoc quod dixit, iam non esse Christianos sub lege, sed liberatos ab illa per gratiam, dicere illi cogitarent, quòd licentiam Paul. indulgeret explendi cupiditates carnis: nam vbi non est lex, nec præuaricatio, vt ipse dixerat. Hanc ergo calumniam recutit: & ideo sicut superius interrogauerat / quid ergo? Manebim⁹ in peccato? Hic sciscitatur / quid ergo? Peccabimus? & eodem verbo respondet / Absit / quæ aptissima est responsio ad manifestariam detestandum calumniam. Haud enim ita intellexerat absolutos esse ab illa prisca lege, vt nulla deinceps obligarentur noua: quinimò simul per eandem professionē baptismi, vbi veterem hominem exuimus in nouam vitā, legi quoq; addicimur nouæ. Et hoc est quod subiungit.

An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiā? Probat non prorsus omni esse Christianos lege solutos. Et format hunc syllogismum, Quicumq; sese ad obediendum exhibuit iustitiæ, seruus est iustitiæ: Christiani sese in baptismo exhibent iustitiæ euangelicæ, ergo & serui eius sunt. Priorē præmissam assumit in hoc textu per interrogationē, quo vehementior sit oratio, An nescitis quòd minori sitis obligatiōe serui iustitiæ, cui vos in baptismo exhibuistis q̄ fueratis peccati, cui sub antiqua lege vestra vos sponte addixeratis? Imò multo arctiori vinculo & iure astricti estis iustitiæ. Nā peccatum per tyrannidē dominatur homini, qui ratione viget secūdum quam natus est viuere: iustitia verò legitimo iure. Composuit duos quasi dominos & reges: putā / serui peccati / et / serui obedientiæ / obedientiæ enim appellauit obseruantiam diuinarum præceptionum, appositq; & duos fines ac terminos diuersos, scilicet / peccati in mortem / quia sit penditū peccati mors, vt statim dicturus est / obedientiæ autem ad iustitiā. Est autem fortasse qui dicat, quòd fuisset luculenti⁹ oppositio,

Duo domini peccati & iustitiæ

positio, si dixisset, siue inobediētiæ ad iniustitiā, siue obedientiæ ad iustitiā: aut forte hoc modo, siue peccati ad mortem, siue iustitiæ ad vitam: tunc enim singulis singula responderent ex æquo. At non solet Paulina grauitas tam esse verborum sollicita, quàm rerum obseruatricis. Sed dixit / peccati in mortem / illuc respiciēs, vbi dixerat / peccatum regnare in mortem. Dixit autem obedientiæ (quæ opponitur transgressioni peccati) ad iustitiā, vt finem proximum obedientiæ exprimeret, qui est exercitium in operibus iustitiæ, per quod progredimur ad vitam æternam. Atq; id cogitata ratione, vt illos admoneret, non ita fuisse emancipatos à lege per gratiam, quin essent semper debitores iustitiæ faciendæ: iustitia enim debitum significat.

Gratias autem Deo, quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Post priorē præmissam, nempe quòd qui se deuouit iustitiæ adstrictus illi est, vt seruus, subnectit alteram: scilicet, Christianos addictos esse & adscriptos ad obediendum iustitiæ. Profert se hic autem apostolicum peccus Deo plenum: non enim simpliciter ait, quòd ex seruitute peccati sese contulissent in obsequium iustitiæ, ne officiū illud sibi arrogarent, sed vt Deo acceptum referrent: cui ideo gratias debebant, ait, Gratias ago Deo, quòd cum serui essetis peccati, ex corde obedistis iustitiæ: quasi in memoriam reuocans, quòd in fronte epistolæ dixerat / Gratias ago Deo meo, quia fides vestra annunciat vniuerso mundo. In græco / gratia / est in nominatiuo singularis numeri / Gratia Deo / vt subintelligatur verbum / sit. Inter pres verò transtulit per accusatiuum pluralem, vt subintelligatur verbum / agimus. Quæ quidem oratio ( quicquid neotericorū schola reclamitet ) multò fuit semper Christianis celebrior à primordiis Ecclesiæ, quàm gratia Deo. Id quod & sacra ipsa testantur, in quorum præfatione, vt gratias agamus domino Deo nostro, commonemur, & in fine pariter concludimus, Deo gratias: quasi totam gratiarum congeriem de quibuslibet rebus soli Deo referre debeamus. At verò satis sunt inepti, qui obiciūt interpreti nostro, ita hunc locum esse ab eo traductum, vt gratiarum actio referatur ad proximam orationē,

Peccus apostoli.

Gratia Deo.

Novi interpretes.

quòd fuistis serui peccati: si enim hoc vitium fuisset in Paulum ipsum referretur: sed nulla est vitii nota, vbi tam est apertus sensus: agit enim gratias nō de seruitute peccati, sed quòd transcripti fuerint à peccato ad iustitiā per misericordiam diuinam. Gratias enim, inquit, Deo, quòd cum fuissetis serui peccati, traducti per Dei misericordiam estis in libertatem iustitiæ. Atqui longè cumulatior est causa gratiarum agendarum, quòd à peccati seruitute abdicati, ac optati fuerint in filios Dei, quàm si antea fuissent in puris naturalibus: iam enim aliās diximus, rationem gratiæ ibi esse maiorem, vbi minus est debitum: ille autem qui est in peccato, non solum non est dignus diuino fauore, sed est indignus, imò supplicio dignissimus. Auget autem rationē per hoc quòd ait / ex corde / nā à peccatis potest quis foris abstinere, peccatorum metu, intrinsecus autem cor ab illis prorsus euellere, Deoq; fide optima consecrare, ibi quidem labor & virtus. [In eam formam doctrinæ in quā traditi estis.] Definitio est dilucidatioq; illius quòd dixerat / serui obedientiæ ad iustitiā / idem enim, sed explicitius significat oratio presens / Obedistis in eā formam doctrinæ / puta in Euāgelio: quòd est dicere, iuxta formā doctrinæ vobis præscriptam. Neq; tamen opus fuerat traducere, vt quidam volūt / In ea forma doctrinæ quæ tradita est vobis / nam præterquam quòd lectio græca nostræ omnino applaudit, maiorem etiam habet energiam, maioremq; honorem Euangelio defert, in quam traditi estis, quàm, quæ tradita est vobis. Nō enim solum CHRIS TVS Euāgelium proposuit orbi, sed per gratiam suam redemptos nos à peccato eiusq; famulatu subductos, subdidit Euāgelio, cuius dicto simus semper audientes. [Libertatem autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.] Conclusio est proposita, nempe quòd per illam obedientiam, quam doctrinæ euangelicæ præstiterunt, ita sint relaxati à peccato, vt serui tamē fuerint constituti iustitiæ. Datiuus est casus, ac si dixisset, mancipati estis iustitiæ. ¶ Attentum hoc autem loco lectorem reddere volumus aduersus illud Lutheri dogma, tam fidei catholicæ absonum, & perniciosum, quòd in suo illo libro de iniquissima libertate Christiana commentus est: contra quòd nos copiosam disputationem instruximus in initio lib. 3. de nat. & grat. Dogma autem est, quòd per solam fidem qua iustificamur, liberamur à tota lege: hoc est, legis obligatiōe,

Ex corde.

In quā traditi estis.

Lutherianū.

M gatione,



gatione. Nam cum per nos, inquit, legem nequeamus implere, vnico actu fidei nos Deus absoluit: vt postea non iam ex obligatione, sed nostra sponte debeamus præstare officia charitatis. Qui quidem profecto absurdissimus error in Iouinianum impingit, qui referente Augustino, lib. de hæres. cap. 82. dicebat, Neminem post receptum regenerationis lauacrum posse amplius peccare. Enim uero si nulla relinquatur iustis obligatio legis, & peccatum nihil aliud sit, quam legis transgressio, fit, vt nullo modo possint peccare. Et præterea si nulla lege tenerentur iusti, profecto in sua polita libertate non essent tanto robore firmati in officiis virtutis. Fuit sanè Adam in illo felicitatis culmine legi obligatus, & nihilo secius corruit, quomodo nõ sint modò iusti sub legis iugo? At fatemur, posse quempiam eò sanctimoniam prouehi, vt nullam renitentiam sensualitatis præsentiat, vbi iam per charitatem foras misso timore, omnia faciat ex amore filiali, neq; indigeat metu legis: in quem illa sententia competeret, iusto non est lex posita. Sed tamè quòd aliqui, vel ipsi confirmati apostoli, ita sint exempti vinculo legis, vt licet illam transgredierentur, nõ peccarent, hæresis est manifestaria. In patria faciet nos illa beata visio prorsus impeccabilis, gratia uero huius vitæ, non item. Plurimis illic quidem egimus aduersus hunc errorem, cuius hic tamen eò meminerim, quòd illum apertè hic condemnat Apostolus: vbi ait, quòd qui se per gratiam præbuit iustitiæ, seruus illius est, atq; adeò obnoxius euangelicæ legi: iuxta verbum CHRISTI, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, & docentes eos seruare omnia quæcunq; mandauimus vobis. Quare & iustissimus quisq; sibi dictum putet, Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Tertiã hic possumus designare partem huius capituli, in qua postq; principalè conclusionè, puta quòd nõ est iacendum in peccato, persuasit, alluciendo Romanos commendatione latissimi beneficii suscepti in baptismo, eadè confirmat confundendo eos onere flagitiorum & scelerum, à quibus erepti fuerant. Atqui est præterea exaggeratio & amplificatio præcedètis pro-

ximæ adhortationis. Cum enim eos cohortatus sit, ne membra exhiberent arma iniquitatis peccato, sed Deo potius arma iustitiæ, orationem hac maximè comparatione attollit. [Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.] Præambula est excusatio, quæ acrimoniæ plurimum ac ponderis adfert ad commouendos animos. Quasi dicat, Non audeo vobis pro dignitate rei & diuino merito significare, quanta fide & cura deberetis exhibere membra vestra Deo: sed demissus ac commodatusq; imbecillitati carnis vestræ, humanum quidpiam & humile dico: hoc enim hic significat, humanum, quòd est, fragili conditioni humanæ attemperatum. At qui secundum Augustinum in epist. ad Anast. & in sermone quodam de verbis Apostoli, hæc intelligentia est huius, quòd ait, humanum dico. Homines dulcedine illesantur ad flagitia: timore tamen pœnæ deterrentur, si non à voluntate, saltem ab opere peccati. Iustitiæ autem non solum seruiendum est ob suauitatem quæ est in opere, sed incumbendum est etiam illi, & ita constanter inhærendum, vt nullus metus possit inde hominem dimouere. Cuius rei clarissima exempla dederunt nobis martyres CHRISTI, & illic quoq; Paulus fortissimus seruus iustitiæ: vbi ait, Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Vult ergo dicere secundum Augustinum, quòd si non legitimo hoc modo, qui iustitiæ debetur, exhibemur illi membra, vt nullo scilicet timore ab eius obsequio absterreamur, saltem seruiamus illi sicut solemus peccato, ob dulcedinem & voluptatem illius: & non sit seruitium nostrum peruersum: puta, quòd cum ad peccandum, non metu, sed amore pelliciamur, ad opera iustitiæ non amore ducamur, sed trahamur timore. At uero forsitan & alium intellectum admittere etiam potest similitudo hæc Pauli. Nempe quòd cum homines, & maximè illi Romani, vt suarum potirentur cupiditatum, nihil reliqui faciebant, sed fortunas omnes, honoremq; & vitam posthabebant, adhortatur eos, vt tali fide & constantia reuocati in lucem gratiæ, seruiant iustitiæ, caduca omnia & peritura propter illam relinquentes. Itaq; nõ ait, humanum dico, vt temperet & diminuatur modus, quo debemus seruire iustitiæ, sed vt se excuset, quòd non sit veritus cõferre cum turpitudine peccati dignitatè iustitiæ: quippe cum omni procul cõparatione supraq; omnè modum seruiendum esset constantius iustitiæ, quam peccato,

Baruch. 4.

cato, secundum illud Baruch. 4. Sicut fuit sensus vester dum erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Hoc planè corruptissimi perditissimiq; homines experiri in se possunt. Quid enim non designant, cui non se obiciunt discrimini, vt animum expleant? Atq; hoc est quòd subdit. [Sicut exhibuistis membra vestra seruire, &c.] Quem ergo iam non depudeat Christiani pectoris hominem, non eam nauare operam virtuti, quam pendebat vitiositati? Aut quis suauissimum iugum CHRISTI importabile iudicet, ad quòd ferendum ii prorsus labores exiguntur à nobis, quos nostra spontè in seruitio peccati collocamus. [Seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem.] Sed & membra singula ipsius antithesis neruos quoque adhibent orationi. Ecquid enim turpius & imagine Dei, quæ in homine est, indignius, quam exhibere membra immunditiæ & iniquitati, vt mancipia dæmonum sint & seruitia, quæ per momentaneas voluptates in perpetua supplicia proiciantur? Quid autem pulchrius aut decentius, quam membra exhibere Deo in sanctificationem, quæ membra in hoc officium ab ipso creata sunt, vt laboribus exiguis mactata refloreat sempiterna gloria. Immunditia / nomen est flagitiorum carnalium, quæ capite primo subnotauit illo verbo / Tradidit illos Deus in desideria cordis & in immunditiam. Iniquitatis / uero appellatione comprehenduntur peccata, quæ fiunt in iniuriam proximi. Adiecit autem / ad iniquitatem / in hoc sensu, quòd serui iniquitatis iugiter iniquitati adiungant aliam iniquitatem. Haud tamen inde fit licitum, vt in ipsa intus traductione textus (qui quorundam ausus est) plures particulae adhibeantur, quam sint in textu. Licentissima inquam translatio quorundam est / seruire iniquitati ad aliam atq; aliam iniquitatem / satis enim fuisse cum sanctis Patribus in commentario expositionem hanc adscribere: eò vel maximè, quòd & hæc ipsa lectio / iniquitati ad iniquitatem / eundem potest exhibere sensum. Neq; uero sunt prorsus refutandi, qui alium sensum his verbis concipiunt: nempe vt / iniquitatem / posteriori loco non accipitur pro speciali iniustitia, quæ est ad alterum, vt in priori loco: sed generaliter pro vniuersa vitiositate: vt referatur quoq; ad immunditiam, atq; adeò tertium membrum exprimat finem duorum præcedentium datiuorum. [Ita nunc exhibete membra vestra seruire iu-

stitiæ in sanctificationem.] Immunditiæ & iniquitati vnã è regione collocavit sanctificationem, quæ cordis puritatem & æquitatem animi significat. Est enim sanctum, cum de Deo dicitur, qui est sanctitatis exemplar, idè quòd mundum, purumq; & omni corruptio-  
ne liberum. Vnde illud Leui. 19. Sancti estote: quoniam ego sanctus sum. In nobis autem sanctum, idem est, quòd sanctum: hoc est, ab omni sordè & inquinamine mundatum, & depuratum, ac Deo dicatum: imò ad quandam diuinitatis communicationem euectum, & secundum latinam interpretationem, sanguine consecratum. Ad quem nos maximè modum sanctificauit proprio sanguine CHRISTVS. Qui ait, Sanctifica eos in veritate tua. Et paulò post, Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Et Ephe. 1. Elegit nos vt essemus sancti & immaculati. Et 1. Thess. 4. Deus vocauit nos non ad immunditiam, sed ad sanctificationem. Vnde sanctificatio idem fermè theologis est, quòd iustificatio: quapropter accipitur & pro mundatione à priori peccato, & pro cõfirmatione in bono, & pro augmentatione ipsius. Atq; hanc ob rem simul ambo in Apocal. componuntur, Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Sicut ergo iniqui immunditiæ seruiunt & iniquitati ad iniquitatem, ita & qui sacramento baptismi inicianur, debet CHRIS-  
STO, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, assensum cumprimis præbere, ad assequendam iustitiam, & membra deinceps ad percolendam augmentandamq; sanctificationem. Iuxta illud. 2. Cor. 7. Has habentes promissiones charissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus: perficientes sanctificationem in timore Dei.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Vim patentius expandit præfatæ cõparationis, manifestando diuersissimam rationem & interuallum inter effectus qui oriuntur ex seruitute peccati, qua antea premebantur, & eos qui proueniunt à iustitiæ famulatu, ad quem per baptismum transmigrarunt. Constituit autem discrimen inter tria, scilicet inter seruitutem peccati & seruitutem iustitiæ, & inter fructum illius, & fructum istius: atq;

TERTIA  
PARS CA  
PITVLL.

adeo inter fines. Ait ergo. [Cum enim serui es-  
setis peccati, liberi fuistis iustitiæ.] Ea est inter  
alias sententia Prosperi, quod ut nemo po-  
test abscq; domino: neq; verò seruitus vsquam  
est respectu vnus abscq; libertate respectu al-  
terius: neq; libertas respectu vnus abscq; ser-  
uitute respectu alterius. Et hoc est, quod ait  
Paulus / Cum serui essetis peccati, liberi fui-  
stis iustitiæ. Respondenter præcedenti ver-  
bo / liberi à peccato, serui facti estis iustitiæ.

Seruus  
peccati.

Idioma hoc, appellare scilicet iniquos seruos  
peccati, CHRIS TVS primùm docuit Ioan. 8.  
quod ideo apostoli prædicatione sua cele-  
brarunt in odium gentium, qui pro liberta-  
te ducebant animo obsequi, eumq; quocun-  
que collibitum esset, relaxare. Liberi autem  
dicuntur iustitiæ (est enim datiuus) qui iusti-  
tiæ iugo reiecto liberè seruiunt peccato. Id  
quod in illos potissimùm competit, qui non  
ex inscitia, vel ex aliqua subrepente passio-  
ne, sed perfricta fronte in ditionem peccati  
sese dediderunt: in quos antea dicebamus  
apertè regnare peccatum. Hi enim dum nul-  
lo frano iustitiæ cohibentur, nulloq; metu  
cunctantur parere peccato, liberi omnino  
sunt iustitiæ: id est, legibus eius exempti. Itaq;  
primus effectus seruitutis peccati, est homi-  
nem abducere ab obsequio iustitiæ. Sed ne-  
que hoc verbum sua caret ironia atq; adeo  
emphasi: dixit enim / liberi iustitiæ / ad eorū  
confusionem: cum illa non sit vera libertas,  
sed durissima, dirissimaq; & infelicissima  
seruitus. Non enim vera libertas in hoc pos-  
ta est, vt facias quicquid libet: nisi sit rationi  
consentaneū. Est enim homo rationale ani-  
mal: hoc est, ratione viuere natum: ideoq;  
cum voluntas nata perinde sit rationem se-  
qui, tunc maximè captiua tenetur, cum à ra-  
tionis lege & ordine seducitur. At quia in ho-  
mine duplex est appetitus, puta, sensualis, ra-  
tione materiæ & generis, qui omnibus ideo  
est animalibus communis, & rationalis vir-  
tute formæ: vnde homo speciem fortitur,  
quando voluptatibus sensuum traditi in il-  
lis oblectamur, etsi voluntas tunc maximè  
captiua tenetur, ne in rationis viam & ordi-  
nem redeat, tamen dicitur libertas secun-  
dum quid, quæ est secundum materiale ap-  
petitum: at quàm diu rationi subdita est, tunc  
vtiq; sua fruitur genuina naturaliq; liberta-  
te: quæ illi conuenit ratione specificæ for-  
mæ. Quo fit, vt quò fuerit quis confirmator  
in bono: vti voluntas sanctissimæ Virginis

Primus ef-  
fectus pec-

Vera li-  
bertas.

& apostolorum, eò fuerit magis libera, atq;  
adeo in cælo: vt sunt diui illi diuino amore  
confirmatissimi, ita sit eorum voluntas ma-  
ximè libera. Enimvero vbinam maior po-  
test excogitari libertas, quàm in Deo? qui ta-  
men peccare nequit: quoniam peccare non  
est potestas, sed infirmitas. Atq; ideo nescio  
an adstruxerim, hac de causa diuersa phrasi  
Paulum vsum fuisse, vt de peccato dixerit /  
liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ / de  
iustitiâ verò, cum serui essetis peccati, liberi  
fuistis, non à iustitiâ, sed iustitiæ: hoc est, libe-  
ri fuistis iniuriam iniicientes iustitiæ. [Quem  
ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc  
erubescitis?] Post primum effectum peccati:  
qui est abstrahere hominem à famulatu ius-  
titiæ, sequitur eius fructus: qui est confusio  
& pudor. At verò quia hic non est fructus  
nisi per antiphrasin à contrario sensu: imò  
nullus est peccati fructus, vtitur interroga-  
tione sibi familiari: qua profectò eloquentis-  
simè fructum eum nominat, quem tacere si-  
mulat. Ex illa, inquit, peccati tyrannide, in  
quam ita vos penitus contulistis, vt princi-  
patum iustitiæ omnino abiiceretis, quem fru-  
ctum habuistis? Etsi videatur interrogatio  
hæc præ se ferre negatiuum responsum: qua-  
si diceret, Nullum, tamen in verbo / erubesci-  
tis / designat fructum peccati. Consequitur  
enim peccatum protinus erubescencia: vt in  
prima Adæ præuaricatione vsu venit, come-  
dentis de arbore, quæ primos peccati fructus  
emissit. Vnde in Psal. Erubescant impii, &  
deducantur in infernum. Hanc enim primam  
pœnam luit rationalis homo cum primū ali-  
quid contra rationem admittit: vnde autem  
erubescencia exoritur, nullus potest alius pro-  
uenire bonus fructus. Sed nescio quid mihi  
Paulinæ mentis prospicere videor sub vocu-  
lis / tunc / & / nunc. Peccatū enim dum adest  
actu, erubescenciam abstergit de fronte: vt  
sese homo liberius oblectet. Imò verò quia  
tūc turpitudinis deformitas minus noscitur,  
non est adeo efficax ad pariendum pudorē:  
maximè in illis qui adeo subtraxerunt se fa-  
mulatu iustitiæ: calore autē deferuente, tunc,  
quia peccatū lucidius deprehenditur, incipit  
rubescere erubescencia: atq; eò magis, quò ho-  
mo ad meliorē mentē conuersus longior fit  
peccato. Optimè ergo discreuit tēpora / quæ  
fructum tunc habuistis in illis, in quibus nūc  
erubescitis / quod est, voluptas illa quæ tunc  
presentiebatis, quemnam vobis fructum tulit  
præter hanc præsentē iā modò erubescencia?  
Diuer-

Secundus  
effectus  
peccati.

Psal. 30.

Tunc &  
nunc.

Luc. 9.

Gal. 5.

Act. 15.

Psal. 50.

Diuersa autem est iustitiæ natura: qui enim  
non sese totos illi manciparūt, præcipua eius  
opera, quæ stultitia sunt apud homines, ag-  
gredi erubescunt. Vnde CHRIS TVS redem-  
ptor noster, vbi ad tollendam suam crucem  
nos inuitat, statim subdit, Qui me erubuerit  
& meos sermones, hunc filius hominis eru-  
bescet, cū venerit in maiestate sua, & patris,  
& sanctorum angelorum. Qui verò dulcedi-  
nem eius affatim degustauerit, nō solum nul-  
la verecundia arceri potest ab officiis: quæ  
sapientia sunt apud Deum, verum pro sum-  
mo illa ducit honore. Vnde Paul. Non enim  
erubescio Euangelii. Et, Absit mihi gloriari  
nisi in cruce domini. [Nam finis illorum mors.]  
Post fructum peccati, cōstituit finem, qui est  
mors. Et loquitur de vtraq; morte, tam tem-  
porali, q̄ æterna. Illa enim statuta erat in pœ-  
nam peccati: cuius perinde causa prima fuit  
peccatū Adæ: tametsi per omnia deinde pec-  
cata hominum causa eadem & ratio augea-  
tur. Sed & iniquis à morte temporali cōmi-  
gratio fit ad æternam, vbi peccaminum fru-  
ctus, scilicet pudorē, grauioresq; alios ac per-  
horrendos æternū percipiunt.

Nunc verò liberati à peccato, serui  
autem facti Deo, habetis fructum ve-  
strum in sanctificationem, finem verò  
vitam æternam. Tribus superiorib; mem-  
bris peccati tria contraria supponit iustitiæ,  
Nūc verò liberati à peccato, serui facti Deo,  
vbi summa est libertas (nam seruire Deo, re-  
gnare est) habetis fructum vestrum in sancti-  
ficationem. Perseuerat in metaphora, quàm  
supra proposuit de complatatione nostra si-  
militudini mortis CHRIS TI, qui arbor fuit  
illi primorum parentum contraria, cuius scilicet  
virtute florescit fructescitq; Christianorū  
Ecclesia. Etenim (vti illic citabamus) sicut  
nō potest palme ferre fructum à semetipso,  
ita neq; nos nisi in CHRIS TO manserimus.  
Fructus autē hic est sanctificatio nostra: hoc  
est, mentis purificatio, quæ per opera iustitiæ  
fit, promanantia ex fide, quæ per charitatem  
operatur: secundum illud Gal. 5. fructus spiri-  
tus sunt charitas, pax gaudium, &c. Hæc au-  
tem fructificandi virtus à Deo per venas vo-  
luntatis nostræ ab ipso attactē & præmotē  
deriuatur. Vnde Act. 15. de Deo, tanquam de  
primo authore legitur, quod ipse sit fide pu-  
rificans corda. Et in Psal. Cor mundum crea-  
uit in me Deus. Sed quia nos etiam ad hanc no-  
strā sanctificationem cooperamur, ait Iaco-

bus, Emundatē manū peccatores, & purifi-  
cate corda duplices animo. [Finem uerò uitam  
æternam.] Arboris quidem postremus finis  
est fructus: hominis verò, non quidem fru-  
ctus, sed fructio est summus finis, hoc est, fru-  
ctuum perceptio. Et ideo hic distinguit inter  
fructum voluntatis nostræ, quæ est arbor bo-  
na vel mala, ferēsq; proinde bonos malosq;  
fructus, vt finem ipsius hominis, qui est æter-  
na, vel mors, vel vita. Sed est oculatissimè  
speculandū, quomodo vita æterna consistat  
in perceptione fructuum. Est namq; vita æter-  
na, ait ipsa veritas, vt cognoscant te, Deum  
verum, & quem misisti IESVM CHRIS TVM.  
Hoc est, vt te in hac vita per specularem fi-  
dem cognoscentes, spe concupiscant, & cha-  
ritate percolant, & tandem de amatum facia-  
li cognitione comprehendāt videndo. Quæ  
ratione vita beata, vt cognitione hic inchoa-  
tur, ita & illic consummatur. Ob idq; licet  
charitas in hac vita præstantior sit fide, quia  
ob hoc cognoscimus, vt per amorem curra-  
mus (nam etsi habuero inquit fidem, ita vt  
montes transferam, charitatem autem nō ha-  
beam, nihil sum) tamē in patria præstantior  
est visio charitate (sicuti authore Aristi. præ-  
stantior est intellectus volūrate) nam per in-  
tellectum comprehendimus Deum, quem vo-  
luntate amamus: perq; eundem adeo intelle-  
ctum concupitis in cælo potimur. Hoc enira  
inter apprehensiuam potentiam & appetiti-  
uam interest, quòd per appetitiuam in obie-  
ctum ferimur: per apprehensiuā verò (quòd  
nomen ipsum sonat) ipsum apprehendimus.  
Cum ergo beatitudo in comprehensione &  
possessione Dei consistat: iuxta illud, Sic cura-  
rite vt apprehendatis, fit, vt in visione sit po-  
sita beatitudo. Est enim beatus, vt ait. 13. de  
Trin. Aug. qui habet quicquid vult, & nihil  
mali vult: nō ergo beatitudo est amare quod  
habet, sed habere quod amas. Vnde quanuis  
visio illa, nisi Deus dilectus esset videntibus,  
neq; delectaret, neq; proinde bearet, ipsa est  
nihilominus beatitudo. Ad propositum er-  
go Pauli vt descendamus. Cum ratio viden-  
di Deum, in qua vita æterna consistit, sit pu-  
ritas & mundities cordis: iuxta illud, Beati-  
mundo corde: quoniam ipsi Deum videbūt,  
mundities autem idem sit, quòd sanctificatio  
per opera iustitiæ, quæ ex charitate fiunt, at-  
que adeo quò mūdus est cor, & purificatus,  
eò sit in patria visio perspicatior, optimè fru-  
ctibus sanctificationis proposuit tanq; finem,  
vitā æternā. Per hæc vtiq; ratio dilucescit,

Iaco. 4.

Vita æternā

Ioan. 17.

Beatitudo  
in visione  
1. Cor. 9.

Aug.

Mat. 5.

In quo  
actu bea-  
titudo est  
1. Cor. 9.

tum intelligendi, tum etiam terminandi litem illam scholasticam de actu, in quo beatitudo consistit. Haud enim lis est (vt plurimi falso existimant) an consistat in fruitione: quippe quod S. Thomas, si penitus inspiciatur, nunquam negauit. Neque verò dubitauit, quin fruitio esset actus voluntatis. At diffidium est, consistat ne in amore, vt alii autumant, qui est actus elicited voluntatis, an in visione, vt ipse scite constituit, quæ est actus ab eadem voluntate imperatus. Sunt enim qui arbitrantur fruitionem, idem esse, quod amorem Dei visi: cum tamen non sit nisi visio ipsius amati. Est enim, re qualibet frui, idem, quod fructum ab illa capere: id est, rei potiri, quam amamus. Vnde quia voluntas est, quæ per desiderium fertur in rem absentem, & dum adest, conquiescit in illa, eadem quoque voluntas est, quæ aliis vtitur potentiis ad percipiendum amate rei fructum: nempe quæ per gustum, fruitur pomo: & per visum, pulchro: & per odoratum, odore: & c. tanquam per actiones à se ipsa, non quidem elicitas, sed imperatas. Cum ergo Deus non fiat præsens nisi per intellectualem conspectum, fit, vt per intellectum fruatur ipso voluntas, atque adeo homo voluptatemque inde percipiat. Quocirca S. Tho. 1.2. q. 11. visio inquit, in quantum est visio, actus est intellectus: in quantum verò est bonum & finis, est voluntatis obiectum: & hoc modo est eius fruitio. Vnde finem, inquit, hunc intellectus consequitur tanquam potentia agens, voluntas autem tanquam potentia mouens ad finem, & fruens sine iam adepti. Hactenus ille. Est ergo fruitio visio ipsa, quæ actus est vtriusque potentie: scilicet voluntatis mouentis, intellectusque elicentis. Hoc si meditatus perspectiusque specularentur multi scholastici, non ita incassum digladiarentur de verbis Augusti, qui diuersis in locis videtur de hac re diuersa sentire: alicubi scilicet quòd beatitudo consistat in visione, alibi verò quòd consistat in fruitione, cum idem sit prorsus Augustino visio & fruitio. Ait etenim in de mori, Eccle. Quid est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis. Non dixit, diligere quod habes, sed habere quod diligis. Nihil ergo obstat quod ait. 1. de doct. Christ. & 10. de Trin. Frui est amore inherere alicui rei propter seipsam: eadem enim autoritate vtitur loco citato S. Tho. ad probandum fruitionem esse actum voluntatis: & tamen inde non colligit, quòd amor sit fruitio, sed quòd visio, quæ motione

Fruitio.

Aug.

voluntatis elicited ab intellectu, sit fruitio: nam & de vsu ait pariter idem Aug. quòd sit amor, quo diligimus rem propter aliud: & tamen vsus equi aut cibi non est amor, quo res illas propter nos diligimus: sed certè vsus equi est equitatio, & vsus cibi gustatio. Ideoque in hoc sensu accipiendum est frui, est amore inherere rei, quòd tunc fruimur, quando in re possessa amorem sistimus: haud tamen formaliter (vt aiunt) fruimur, nisi per actum potentie, quæ propria est illius obiecti, & eodem amore admouetur ad percipiendum ipsum. Igitur neque villo pacto obstat, sicubi apud sanctos fruitio appelletur summum bonum, siquidem fruitio, ipsa est visio. Vnde idem ipse Aug. in epist. de videndo Deum, ad Paulinum, visio, inquit, est summa merces, quæ promittitur diligentibus Deum: iuxta verbum CHRISTI, Si quis diligit me, ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi. Et lib. 1. de Trin. Visio sola est summum bonum. Et in lib. de spi. & anima cap. 57. Deum videre summa felicitas est, summa iucunditas, vita æterna, vita beata. Video me longius digressum, quam pro ratione fortè commemorari par erat. Sed tamen hucusque me contulit causa hæc exponendi, quam speciosè fructui, qui est sanctificatio, vitam æternam, ceu finem, adiunxerit, quæ est fruitio.

Aug.

Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu domino nostro. Quoniam de morte & vita, æqua ratione videri poterat locutus, hanc errandi occasionem summouet, dicens, Non eadem prorsus ratione consciscere sibi iniquos mortem, qua iusti sibi comparant vitam: est enim stipendium peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna, Quod est dicere, Serui peccati proprio Marte stipendia faciunt mortis: effingit enim illos, veluti militantes sub vexillis peccati, qui suis propriis viribus, vel suis potius cupiditatibus, quæ verius sunt morbi & ægitudines ex infirmitate & languore naturæ prouenientes, conquirunt sibi mercedem mortis. Iusti verò, qui & ipsi per gratiam Dei sunt iustitiæ milites, ita per sua strenua opera: hoc est, fidem seruantes, & cursum consummantes, merent coronam iustitiæ in vita æterna: vt tamen illam non debeant suis propriis viribus & naturalibus operibus adscribere, sed diuinæ gratiæ: per quam tum in talem militiam asciti sunt,

tum

Lutherani.

Lib. 3. de na. &amp; gra. cap. 7.

Aug.

tum etiam in acie ducuntur, & de Deo bene merentur. Hunc autem locum nobis obieciunt Lutherani contra meritum iustorum operum, per quæ theologii, iuxta veritatem euangelicam, mereri iustum docent vitam æternam: de qua re lib. nost. 3. de nat. & grat. latissime disputauimus. Obiciunt inquam, quod ait Paul. / Gratia Dei vita æterna. Respondet illis tamen apertissime August. & in epist. ad Sixtum, quæ est. 105. & de grat. & lib. arbi. cap. 7. quibus locis hoc legitime interpretatur Paulinum verbum. Sciscitatur enim quasi ex hac sententia subinferens. Nulla ne igitur sunt merita iustorum? Et respondet, Sunt planè, quia iusti sunt: sed vt iusti fierent, merita non fuerunt. Et infra, Vnde ipsa vita æterna, quæ in fine sine fine habebitur: & ideo meritis præcedètib; redditur: tamè quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa (scilicet vita æterna) gratia nuncupatur: neque ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Et inferius, Cum dixisset (scilicet Paul. hoc loco) stipendium autem peccati mors, quis non congruentissimè & conuenienter addere iudicaret, stipendium autem iustitiæ vita æterna: & verum est, inquit, quia sicut merito peccati tantam stipendium redditur mors, ita merito iustitiæ tantam stipendium vita æterna, vnde etiam & merces appellatur plurimis sanctorum scripturarum locis, & c. Hæc August. & alia plura quibus edisserit, vitam æternam esse quoque militantium stipendium: sed ne merita ipsa quibus datur, nostris viribus adscriberemus: quæ tamen gratia Dei connituntur, ad amputandum hanc impiam gloriatio nem, dicit Apostolus / Gratia Dei vita æterna in CHRISTO IESU domino nostro / id est, per eius virtutem & meritum: cuius membra sunt iusti omnes veluti palmites fructificantes in vite.

## CAP. SEPTIMUM.

AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Discurrit per omnia à quibus sumus beneficio Christianæ gratiæ liberati. Egit enim hactenus de liberatione à peccato, iam verò in hoc capite docere instituit, quem admodum sumus per eandem gratiam Mosaica lege soluti. Erat enim hic inter præ-

Argumentum huius capituli.

cipuos Iudæorum errores, quòd lex vetus non esset per Euāgelium antiquanda. Tanti namque suam pendebant legem, vt veluti quæ à Deo fuisset etiam lata, sic digna esset, quæ simul cū euangelica custodiretur. Possimus autem et præsens capitulum in tria distribuere membra. In primo commonstrat eos, qui in baptisate moriuntur cum CHRISTO, absolui illic à lege Moysi, instar mulieris, quæ defuncto viro resoluitur iure matrimonii, quo illi fuerat subdita, vt liberè possit alteri nubere. In secundo ab illo scilicet verbo / Quid ergo dicemus / diluit obiectionem, ne quis inde colligeret, malam fuisse iniustamque eiusmodi legem. In tertia demum sectione quæ illic incipit / Scimus enim / ostendit legem fuisse bonam. At quoniam initium huius capituli non adeo est cum calce superioris contextum: videbitur alicui fortè Apost. quasi ex abrupto transilire in nouam materiam: est hic veruntamè regressus ad demonstrandam conclusionem illam, quam iam dudum proposuerat / Non sumus sub lege, sed sub gratia / cuius sermonem interpolauit, vt responderet ad illam interrogationem / Quid ergo? Peccabimus quoniam non sumus sub lege? ad propositam ergo conclusionem reuersus ait. [An ignoratis fratres.] Solennè enim (vt iam diximus) est Pauli schema hoc interrogandi, vbi de re liquida & cōpertissima ratione inquit. Quasi dicat, Nō est cur ignoretis. [Scientibus enim legem loquor.] Ob hanc autem parenthesis, quidam accipiunt hoc verbū de lege naturali dictum: nam Romanis quibus scribebat, non illam Moysi (vt isti opinantur) sed hanc tantū sciebant: putantque hoc dixisse propter legem matrimonialem, à qua iam iam cogitabat exemplum petere. Sed tamè intellectus Apostolo congruentior est, vt hoc de lege veteri intelligam, quæ volebat demonstrare antiquatā fuisse. Id quod vel ipsa parèthesis persuadet: etenim quia nō oibus Romanis, sed de Iudaismo conuersis nota erat lex illa, quasi cū ipsis peculiariter rem haberet, ait / An ignoratis fratres. Scientibus enim legem, & eius mysteria loquor: qua forma ait & paulò inferius, Scimus quoniam lex spiritualis est. Et ideo fortè (vt ait Orig.) appellauit eos propriè fratres in agnitione legis. Quinimò & lex ipsa matrimonii (etiam si de hac loqueretur) nō erat Gentibus, veluti Iudæis, obseruata & præcognita. [Quia lex dominatur in homine quanto tempore uiuit.] / Viuit / anceps est, quod potest & legi accommodari: vt vult Origenes, scilicet

Distributio.



quanto tempore viuit lex: sed tamē commo-  
dius refertur (vt sentit Chry.) ad hominem:  
id est, quāmdiu viuit homo, vt quāprimū  
compertum fiet.

Nam quæ sub viro est mulier, viuen-  
te viro, alligata est legi: si autem mor-  
tuus fuerit vir eius, soluta est à lege vi-  
ri. Igitur viuente viro, vocabitur adul-  
tera, si fuerit cum alio viro: si autē mor-  
tuus fuerit vir eius, liberata est à lege vi-  
ri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio  
viro: Itaq; fratres mei & vos mortificati  
estis legi per corpus Christi, vt sitis alte-  
rius qui ex mortuis resurrexit, vt fructi-  
ficetis Deo. Neminem hic conturbet, an  
exemplū hoc indissolubilis coniugii ex Eu-  
angelio intulerit, vbi non permittitur diuor-  
tium, an ex lege antiqua, in qua mitteba-  
tur, vbi ideo non erat necessarium, vt viuen-  
te viro semper esset mulier alligata legi vi-  
ri: qua ratione non videtur constare veritas  
hic Pauli, si inde petatur exemplum. Neminē  
inquam hoc commoueat: quandoquidē ma-  
nifestum est, exemplū ab Apostolo inductū  
esse ex lege ipsa per se coniugatorum in sua  
ipsius natura absq; vlla dispensatione consy-  
derata: siue in lege scripta rem spectes, siue in  
Euangelio. Vbi & Chry. annotauit, noluisse  
Paulum similitudinē ducere à libertate mu-  
lieris repudiata: quoniam illic aliquid subie-  
rat culpæ: sed a libertate videt, quæ naturalis  
est. Nam vt Aug. lib. de nupt. commemorat,  
Nuptiæ sunt bona mortalium ad perpetuan-  
dam speciem: quamobrem in resurrectione  
neq; nubent neq; nubentur. Ob idq; vteruis  
moriatur coniugum, alter sit matrimonio li-  
ber, adeo vt etiam si defunctus resurgeret, vt  
Lazarus, vidua non tenebatur amplius vin-  
culo matrimonii. Quod enim legitur Heb. 11.  
Acceperunt mulieres de resurrectione mor-  
tuos suos, non sic intelligitur, quasi resumerēt  
maritos ad instaurandum matrimonium, sed  
quod miraculo prophetarum susceperunt su-  
os mortuos in lucē restitutos: putā, vel filios,  
vel fratres, vel etiam eos qui fuerant mariti:  
vt in historiis Helix & Helisai scriptum est.  
Orig. In hac quidem similitudine Orige. & Chry.  
quos & Ambro. sequitur & fermē interpre-  
tes, virum priorem, quo mortuo, libera sit  
vxor, comparant legi veteri: mulierem au-  
tem Iudæo, qui lege illa ligabatur, à qua per  
baptismum dissoluitur & sociatur alteri vi-

ro, qui est CHRISTVS. Sed tamen tunc non  
videtur vndequaq; quadrare similitudo: ais  
nanq; per mortem viri mulierem liberari le-  
ge matrimonii: in applicatione verò contra-  
rium apparet. Nam cum homo sacramento  
baptismi initiatur, lex vetus non moritur, sed  
baptizatus ipse, vt præfatus est Paulus: vbi  
ait. In morte ipsius baptizati sumus. Qua di-  
ctionis figura subiungit hic. Et vos mortifi-  
cati estis legi. Orige. quidem cui & Ambro. Orig.  
adstipulatur, vt in sua comparatione persi-  
stat, ait, legem ipsam antiquam emortuam  
censeri per baptismum: scilicet, quod mor-  
tuus illic est sensus literalis, vbi & viuere  
cepit spiritualis. Ambro. verò ait, quod non  
est mortua pars illa legis moralia iubens: vt  
puta quæ naturalis est: sed altera quæ ad ce-  
rimonialia & iudicialia attinebat. Qua de  
causa supra vbi habetur. Lex dominatur in  
homine quāmdiu viuit. verbū. viuit. refere-  
bant ad legem, quæ moritur in baptismo.  
At verò quanuis hoc quidem veritatem ha-  
beat, quod cessatio legis, mors quædam eius  
sit, tamē hic Paul. nihil commemorat de mor-  
te legis, sed de cessatione per mortem spiri-  
tualem hominis. Ob idq; Chrysof. putat ar-  
gumentum à Paulo formari à minore ad ma-  
ius: nempe quod si mulier defuncto viro so-  
luta est lege matrimonii, vel pari, vel maiori  
ratione soluitur per suam ipsius mortem: quā  
mulierem representat qui in baptismo mor-  
ritur. Arbitror autem (si verbum authoritati  
Patrum, expositionis gratia adiungerelicit) *Authoris  
expositio.*  
quod dilucidior fiat sensus Pauli, si non po-  
namus virum qui moritur, loco legis quæ ces-  
savit, sed legem ipsam matrimonialem, cui  
subiicitur vterq; coniunx viuente altero: quò  
& Aug. lib. 83. q. q. 66. spectare videtur. Itaq;  
voluerit Paul. hunc construere syllogismum,  
Quicumque viuit in aliquo statu & ordine,  
quāmdiu viuit in illo, subiectus est legi illius  
status: sed cum primum de illo decesserit, so-  
lutus est illa lege: vt miles quāmdiu est bel-  
lo adscriptus, mōcipatus est legi militari: vn-  
de si abcesserit emancipatur quoq; à lege:  
ergo Iudæus quāmdiu vixit in Iudaismo an-  
te CHRISTVM passum obligabatur lege Mo-  
sis: cum primum autem mortuus fuerit Iudaif-  
mo, statim relaxatur illa lege: moritur autem  
in Iudaismo, cum sacramētum suscipit bap-  
tismi, illic ergo absoluitur illa lege. Quocirca  
non induxit hic mortem viri aliam ob cau-  
sam, nisi vt ostenderet, quod tunc mulier ab-  
dicatur statu matrimonii: ex quo inferret,  
quod

Contra no-  
uos inter-  
pretes.

Ingenium  
Pauli.

Hiere. 3.

Chrysof.

Authoris  
expositio.

Aug.

Græca ex-  
emplaria.

Cum alio  
viro.

quod & perinde soluitur lege illius. Atque  
hunc sensum forsan intuitus Interpres, trāstu-  
lit. viuente viro alligata est legi. & non vt isti  
neoterici, nouitatis amantissimi, viuenti viro  
alligata est per legem. Est enim viro græcè  
in datiuo: sed tamen qui seruit quoq; ablati-  
uo absoluto. Et Pauli propositum nō fuit ad-  
ducere similitudinem, quod sicut mulier alli-  
gata est viro, ita & Iudæus legi: sed quod si-  
cut mulier superstitite viro, alligata est legi, et  
Iudæus dum vivebat in Iudaismo, subiectus  
erat veteri legi. Sed & hoc quoq; contēplor  
hic ingenio magnifico Pauli, quod non fa-  
tis duxit meminisse ligaminis vxoris sub le-  
ge cōiugii: sed subnexuit & verbum de adul-  
terio, quod mulier facit, si viuente viro copu-  
letur cum alio, [igitur uiuente viro uocabitur  
adultera, &c.] Nimirum vt responderet lo-  
queretur ad verba celebratissima in antiqua  
lege, vbi cunq; cōquerebatur Deus, quod sua  
spreta lege, quæ legitima erat vxor, adultera-  
retur populus ad idola peruersus cum ama-  
toribus suis. Cuius figuræ illud est Hierem. 3.  
Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens  
ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuer-  
tetur ad eam vltra? Tu autem fornicata es cū  
amatoribus multis, tamen reuertere ad me,  
dicit dominus. Ne ergo excusationem inde  
sibi obtenderent Iudæi, quod suscipientes le-  
gem CHRISTI non deberent veterem relin-  
quere, sed illam vnā retinere: ne velut adulte-  
ri, vt olim increparentur, ait, quod viuente  
viro tunc censetur cognominaturq; mulier  
adultera, si transit ad alterum, tanquam vio-  
latrix fidei matrimonii: mortuo tamen viro,  
quia lege amplius connubii non tenetur, po-  
test aliud legitime contrahere cum alio viro,  
sine nota adulterii. In Græcis exemplaribus,  
quæ modò circūferuntur, neq; est/eius/neq;/  
viri/sed sic/ si autē mortuus fuerit vir, libera-  
ta est à lege. At verò forsan Interpres ita in-  
uenit, & quantum ad sententiam nihil refert:  
& ita legunt Patres. Sed & quod ait/ Si fue-  
rit cum alio viro/ itidem carpūt: quod vertē-  
dum esset, si fuerit alterius viri, simili phrasi  
qua statim dicit/ vt sitis alteri? Sed profectò  
significantius est, si fuerit cum altero viro: nā  
si fuerit alterius, amphibolū erat ad id, quod  
est, ancillam esse alterius viri: sed esse cum al-  
tero, turpitudinē præ se fert, quæ & hic oport-  
uit exprimi: & infra vbi mentio fit de ma-  
trimonio spiritali CHRISTI, non, sed hone-  
stiori verbo caueri & contegi. [Itaq; fratres  
mei & vos mortificati estis legi per corpus CHRIS-  
TI.] Post priorem præmissam exemplo dilu-  
cidatam: scilicet, quod nemo obligatur lege  
status cuiusq; nisi quādiu in illo perstiterit:  
ex quo si abierit, solutus est illa lege, subsumit  
alteram. Itaq; fratres mei/ Etenim cum acer-  
bum esset Iudæorum auribus extinctionē le-  
gis audire, edulcat verbum & lenit, dicens,  
Fratres mei. [Vos mortificati estis per corpus  
CHRISTI.] Respektari lectori opus est ad su-  
periores metaphoras: quibus explicuit Pau-  
lus mortificatos illos fuisse in baptismo, atq;  
adeo consitos corpori CHRISTI, tanq; mem-  
bra: veluti sterilis ramus conferitur sæcundæ  
arbori, vnde vitalem exugat humorem, neq;  
amplius viuat illa vitæ specie, qua prius, sed  
illa penitus quæ est arboris. Vnde Ephes. 1.  
Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiam,  
quæ est corpus ipsius. Ob idq; veluti alimen-  
ta dum in membra coalescunt, propriam re-  
linquunt substantiam, vt vita hominis viuāt,  
ita in baptismo mortificari nos ait Paul. per  
corpus CHRISTI quod efficimur. Id quod &  
sacrosanctum Eucharistiæ sacramētum cibi  
& potus representat, vbi non ipse in nos (vt  
ait August.) sed nos in ipsum mutamur. Vel  
foran ait/ per corpus CHRISTI (quod pro-  
bè tractat Amb.) quia per corpus cruci defi-  
xum mortē peccati peremit, & vita nos gra-  
tiæ donauit. [Vt sitis alterius qui ex mortuis re-  
surrexit.] Profectò eloquētissime differit my-  
sterium: nam quia in baptismo & morimur  
antiquæ vitæ, & resurgimus in nouam, signifi-  
cātissime dixit/ vt sitis alterius. Scilicet, viuē-  
tia membra, qui ex mortuis resurrexit: id est,  
qui mortuus est (vt supra meminerat) propter  
delicta nostra, & resurrexit propter iustifica-  
tionem nostram. Vnde Esaiæ. 53. Si posuerit  
animam suam pro peccato, videbit semen lō-  
gæum. Et de se ipse, Cum exaltatus fuero à  
terra, omnia traham ad meipsum. [Vt fructifi-  
cemus Deo.] Perdurat in metaphora planta-  
tionis in CHRISTO: & alludit ad id simul  
quod dixerat, cum serui essetis peccati, quem  
fructum habuistis? Quasi dicat, vt non pecca-  
to iam, sed Deo feramus fructus. Vel forsan  
spectat spirituale connubium, quod Christia-  
ni contrahunt cum CHRISTO: de quo alibi  
Paul. Despondi vos vni viro virginem cas-  
tam exhibere CHRISTO. Quod & Orige. le-  
gem illam antiquam adumbrasse agnouit,  
quæ iubebat, vt mulier mortuo priore viro,  
de quo semen nō susceperat, fratri eius nuba-  
ret: spiritus enim legis qui est CHRISTVS, fra-  
ter erat illius sensus literalis, qui morte ipsius

STI.] Post priorem præmissam exemplo dilu-  
cidatam: scilicet, quod nemo obligatur lege  
status cuiusq; nisi quādiu in illo perstiterit:  
ex quo si abierit, solutus est illa lege, subsumit  
alteram. Itaq; fratres mei/ Etenim cum acer-  
bum esset Iudæorum auribus extinctionē le-  
gis audire, edulcat verbum & lenit, dicens,  
Fratres mei. [Vos mortificati estis per corpus  
CHRISTI.] Respektari lectori opus est ad su-  
periores metaphoras: quibus explicuit Pau-  
lus mortificatos illos fuisse in baptismo, atq;  
adeo consitos corpori CHRISTI, tanq; mem-  
bra: veluti sterilis ramus conferitur sæcundæ  
arbori, vnde vitalem exugat humorem, neq;  
amplius viuat illa vitæ specie, qua prius, sed  
illa penitus quæ est arboris. Vnde Ephes. 1.  
Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiam,  
quæ est corpus ipsius. Ob idq; veluti alimen-  
ta dum in membra coalescunt, propriam re-  
linquunt substantiam, vt vita hominis viuāt,  
ita in baptismo mortificari nos ait Paul. per  
corpus CHRISTI quod efficimur. Id quod &  
sacrosanctum Eucharistiæ sacramētum cibi  
& potus representat, vbi non ipse in nos (vt  
ait August.) sed nos in ipsum mutamur. Vel  
foran ait/ per corpus CHRISTI (quod pro-  
bè tractat Amb.) quia per corpus cruci defi-  
xum mortē peccati peremit, & vita nos gra-  
tiæ donauit. [Vt sitis alterius qui ex mortuis re-  
surrexit.] Profectò eloquētissime differit my-  
sterium: nam quia in baptismo & morimur  
antiquæ vitæ, & resurgimus in nouam, signifi-  
cātissime dixit/ vt sitis alterius. Scilicet, viuē-  
tia membra, qui ex mortuis resurrexit: id est,  
qui mortuus est (vt supra meminerat) propter  
delicta nostra, & resurrexit propter iustifica-  
tionem nostram. Vnde Esaiæ. 53. Si posuerit  
animam suam pro peccato, videbit semen lō-  
gæum. Et de se ipse, Cum exaltatus fuero à  
terra, omnia traham ad meipsum. [Vt fructifi-  
cemus Deo.] Perdurat in metaphora planta-  
tionis in CHRISTO: & alludit ad id simul  
quod dixerat, cum serui essetis peccati, quem  
fructum habuistis? Quasi dicat, vt non pecca-  
to iam, sed Deo feramus fructus. Vel forsan  
spectat spirituale connubium, quod Christia-  
ni contrahunt cum CHRISTO: de quo alibi  
Paul. Despondi vos vni viro virginem cas-  
tam exhibere CHRISTO. Quod & Orige. le-  
gem illam antiquam adumbrasse agnouit,  
quæ iubebat, vt mulier mortuo priore viro,  
de quo semen nō susceperat, fratri eius nuba-  
ret: spiritus enim legis qui est CHRISTVS, fra-  
ter erat illius sensus literalis, qui morte ipsius

CHRISTI abolitus est: cui quidē spiritui quæ nupserint animæ, longam sobolem procreabunt. At quia Iudæi coniugium hoc repudiaverunt, in quod sterilis gentilitas fidem dedit, completum est Esaiæ vaticinium, Latere sterilis quæ non parit: crumpe & clama quæ non parturit: quoniam multi filii deserti, magis quæ illius quæ habet virum. Sed & mutatio personæ animaduertenda est Pauli: quippe qui per secundam dicere orsus / mortificati estis / per primam concludit / vt fructificemus / nimirū qui semine sancto factus erat, feruoreque idcirco accensus, non solum ferre sibi fructus, sed & illos propagare, de quibus ait CHRISTVS, Ecce posui vos vt eatis, & fructum afferatis. Hoc enim semine & Galatas iterum, vt filio los parturiebat, & Corinthios gignebat in CHRISTO.

Cum enim essemus in carne, passionēs peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Dilucidat, confirmatque sententiam, quemadmodum scilicet gratia eos eruisset à lege. Vbi hoc animaduertendum est, quod statum illum legis, quæ eò quod subintravit, vt abundaret delictum, appellauit statum peccati, / Cum essetis serui peccati / eadem hic ratione appellat statum carnis: Non quod lex peccatum esset, vt quæ primū responsum ire festinat, sed ob rationes, quas supra denarrauimus inter exponendum legis occasionem ad peccandū. Et quia Paulus Iudæus fuerat, ait in prima persona. [Cum essemus in carne.] Erat quidem in corpore, sed tamen caro, licet nonnunquam in scriptura: idem sit, quod corpus, vel homo, vt, verbū

Caro. caro factum est: Apostolo tamen hic ipsum idem est, quod paulo ante appellauit veterē hominem, hoc est, portio inferior, quæ spiritui aduersatur: nēpē sensualis appetitus, quatenus est iustitia originali denudatus. Hæc enim ratione concupiscit aduersus spiritū, & mentem infestat, & radix est fomētumque peccatorum. Quinimō hoc loco præsentem quidpiam adhuc aliud sibi vult. Dicens enim / Cū essemus in carne / insinuat iam non esse in carne, sed in spiritu: & tamen paulo inferius non negat, se habere carnē repugnantem legi mentis: Vbi ait, Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonū, Ergo esse in carne, idem præ-

se fert, quod esse sub potestate & tyrannide carnis: hoc est sub ea lege, quæ non per se superpetias ferret subditis ad faciendum quod iubebat, sed carnis appetentiā obiter irritabat, pro qua ideo carne, potius quam pro spiritu, præliabatur. Sub qua proinde lege, quasi præsidio destituit, traditi erant in ditionē carnis. Tunc ergo [Passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris.] Alii transferunt, affectiones, seu affectus: sed iam antea explicuimus, satis esse propriā vocem passionis, ad exprimendum animi ægritudines & morbos.

Vocat passiones peccatorum, illas, quæ tum causæ prius sunt peccatorum, tum etiam postmodum ipsorum effectus. Inualescunt enim passiones, vegetanturque, & feruētius ebulliunt & instigant assuetudine peccandi. Ait verò / quæ per legem erant / inhærens semper in superiori sententiā, quod lex subintravit, vt abundaret delictum. Quamuis Orige, perseuerare contendit, legem hic subintelligere membrorum, quæ pugnat aduersus spiritū. Hic verum tamen intellectus non adeo cōsentaneus est: quia sermo hic fit de ea lege, de qua cōfestim quæstionē submouet Paul. an sit peccatum: quæ quidem quæstio de lege scripta procul dubio intelligitur, quæ antea dixerat, & subintrasse, vt abundaret delictum, & cessasse ad præsentiam lucis euangelicæ. Operabantur / id est: efficaces erant in membris nostris. [Vt fructificarent morti.] Non quod peccatum in membris forinsecus consummetur, sed in cō-

sensu voluntatis, nec quoad usque consummatum fuerit, generet mortem. Nam concupiscētia (ait Iacobus) cum conceperit, parit peccatum: quod cum fuerit consummatū, generat mortē. Sed ait / in membris / vel quod membra appellat potentias etiā interiores animæ, vel quod dum consensus per membra diffluens propalatur, tūc propriè fructificat morti, hoc est, multiplicat & coaceruat peccata. Et respicit ad illud superius / Non exhibeatis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem. / Dicimur autē per peccatū fructificare morti, eò quod mors fuit pœna & stipēdium peccati. Iugiter enim tægit scopum illum suum / Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors. Pari enim modo quo peccatū peperit mortē, nutrit augetque eandem sub imagine fructificatis arboris. Nam (vt iam dudum contemplabar) arbor fuit, in qua peccatum mortē germinauit. Neque hic nomine mortis, solū tēporalem intelligit: licet & huic quoque iniqui fructificat, dū corpus prauis exercitiis inaniunt

inaniunt iugiter, & absumunt, verū & aternā in quā supplicia indies coaugmentant, thesaurizantes irā in die iræ. Quæ quidē supplicia mortem secundam appellat Ioan. vt cap. 5. dicebamus. [Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur.] Recentiores isti transferunt, soluti sumus à lege morientes, seu mortui ei, in qua detinebamur: id est, ob hoc sumus soluti à lege, quod mortui sumus ei: scilicet, legi per baptismum. Et quidem fatendum est, in codicibus modò Græcis ita haberi: quomodo & legit Theophylactus. Quin verò

Variatio in serpretum.

Orige. licet vtramque lectionem referat, si tamen penitus perpendantur eius commentaria, hæc est, quam ipse probat. Ait enim / soluti sumus à lege mortui. Nisi enim quis mortuus fuerit in CHRISTO, ab ista lege non soluitur. Et subdit, Scio & in aliis exemplaribus scriptum esse, à lege mortis in qua detinebamur: sed hoc, id est, mortui, verius est & rectius. Hæc Orige, qui ita legendus est. Neque verò diffiteri possumus, quin sit lectio hæc illi superiori verbo germanior / mortificati estis legi. At verò postquam (teste Orig.) alia exemplaria habebant / à lege mortis / quam literam Latini suscipiunt, non est cur condemnetur Interpret: vnde Ambrosius, Lex inquit, mortis dicta est, quia punit reos: mortificat enim peccatores. Alludit forsan ad illud Hebr. 10. Irritam quis facies legem Moyfi: sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Vel dicitur lex mortis, quia obiter occidebat.

Amb. lex mortis.

Heb. 10.

Aug. lib. 83. quæst. 66.

Iacobi 2.

Fructificat, re morti.

Decursus orationis Pauli.

Vnde August. lib. 83. q. 66. Locum hunc per alium 1. Cor. 15. dilucidat. Ait enim, Lex mortis dicitur, quia stipēdium peccati, mors: aculeus mortis, peccatum: virtus verò peccati, lex. Hæc ille: Igitur quia lex est virtus, per occasionem augens peccatum, cuius stipēdium est mors, lex illa quæ non erat in auxilium, cognominabatur lex mortis. [Ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ.] Per conclusionē patientiora ea facit, quæ præfatus est. Fuit enim mirificus decursus orationis Pauli, si bene propositum eius colligere possum. Composuit enim primū in capite, veluti radices duas, legem & gratiam / Non sumus sub lege, sed sub gratia. Mox tanquam inter proximios earum effectus comparationem fecit inter peccatum & iustitiam, / cum serui essetis peccati, liberi facti estis iustitiæ / effectus inquam: quoniam lex præter ipsius intentionem incidenter fuit occasio peccati: gratia verò, propria causa iustitiæ. Tertio quia lex non est causa peccati, nisi per carnē,

contulit carnem cum spiritu: puta cum superiori portione mentis, cui ratio præest: hunc enim spiritum ad Gala. ait concupiscere aduersus carnem. Quarto hic demum quasi periodum faciens gradationis, comparat vetustatem literæ ad nouitatem spiritus, qui sub illa occultebatur. Vocat enim vetustatem literæ, literam ipsam, vt contra spiritualem sensum distinguitur. De quibus 2. Cor. 3. Litera occidit, spiritus autem viuificat, illam appellat vetustam, hunc verò nouum: quia non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale: quo reuelato, patefactoque spiritu, vetustas illa literæ senio confecta exspirauit, quando CHRISTVS, qui legem impleuit, clamauit in cruce, Consummatum est. Est ergo, legem occasionē fuisse peccandi (quod prius dixerat) idem profus, quod literam eius occidere, quod modò insinuat. Id quod scitè August. denarrat lib. de spiri. & lit. cap. 14.

2. Cor. 3.

1. Cor. 15.

August.

Vbi edocet nomine occidentis literæ, non solummodo sacramentorum cerimonias intelligi à Paulo, quæ cum figuræ essent profus, & futurorum vmbra, abolitæ per veritatē Euangelii sunt: atque adeo si ad literam iam nunc obseruentur, animam per culpam occidunt, sed & decalogum significari ipsum. Is enim intellectus facile ex verbis Apostoli eruitur: dignoscit siquidem illic inter legem nostram & antiquam: quod nostra, scripta sit spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus, illa verò in tabulis lapideis: in quibus tabulis palam est, decalogum extare ad literam: in mentes verò nostras effusus est spiritus auxiliator ad eundem seruandum. Cum igitur statim subiungat, ministrū se esse noui testamenti, non literæ occidentis, sed spiritus viuificantis, manifestè demonstrat decalogum ipsum, quatenus iubebat præcisè, non autem per sacramēta iam factæ redemptionis subditis fauebat, occidere. Quo sensu ait alibi, Virtus peccati lex. Hoc autem luculentius cōfestim lucebit, vbi declarat Paul. quemadmodum occasione accepta peccatum per mandatum operatum est concupiscentiam. Igitur vt verba huius membri in pauca referam. Instituit Romanos, & in illis nos quoque Paul. legem antiquatam fuisse abolitam & extinctam. Et intellige abolitam omnino totam quantum ad vinculum obligandi, quod lex illa habebat, siue cerimonilia spectes, siue iudicialia, siue moralia: de tota enim lege ait simpliciter Paul. Heb. 7. Trās lato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat. Et loco modò citato,

1. Cor. 15.

Epilogus cessationis legis.

2. Cor. 3.

2. Cor. 3. post mentionem gloriæ Mosis promulgatis legem ait, illam esse euacuatam per gloriam CHRISTI. Nisi quod cū tria fuerint illic præceptorum genera moralia, tanquam ius naturæ (quod vniuersum orbem semper obligat) iusta sunt denuò explicatiusq; sancta per CHRISTVM: ceremonialia vero, quoniam figura erant futurorum, adeò cessauerunt, vt non liceat iam illa seruare: neq; rursus innouare: essent quippe nunc falsa signa: sed iudicialia, quanquam non sunt per CHRISTVM instaurata, licitū nihilo secius est Christianis ea rursus condere, vt quòd persoluitur furtum ad quadruplum, vel septuplum. Quapropter axioma illud, Moralia mandata non cessarunt, non est eo significato audiendum, quòd ob vinculum illius legis perdurent, sed hoc prorsus sensu, quòd qua ratione in illa lege, eadem & in nostra debuerunt, & sunt re vera præcepta. Quòd autem cessauerit lex illa per Euangelium, probat Apostolus, eo quòd status ille erat imperfectus: hoc est, status legis iubentis, & non iuuantis, ob idq; obiter fauoris peccati & carnis, & literaliter occidentis: quem idcirco statum cessasse liquet, eo quòd per euāgelicum beneficium CHRISTI subuecti ad eum gradum & ordinem sumus, qui est gratiæ & iustitiæ & spiritus nostri dimicantis, & spiritus Dei viuificantis.

SECUNDA  
PARS CA  
PITVLII.

Quid ergo dicemus? Lex peccatū est? Absit. Secunda hæc portio est huius capituli, in qua illorum cogitatus præuenit pseudoapostolorum, qui criminari illum iniuriarum poterāt, quas visus hæctenus est irrogasse legi, vbi illam dixit subingressam vt abūderet delictum, iram fuisse operatam, seruos constituisse peccati & carnis, concitasse peccatorum passiones: atq; adeò nos ab illa, veluti à lege mortis Euangelium eripuisse: cū tamen à Deo fuisset ædita, à sanctisq; Patribus sanctissimè suscepta & culta. Quinimò Manichæi hæc Pauli (vt eis videbatur) vituperatione & proscriptione legis suam fulciebant blasphemiam, quòd lex vetus mala fuisset, & commentum mali Dei. [Quid ergo dicemus?] Id quòd alii constringere possent de dictis Pau. ipsemet secū expostulat. Quid ergo ex dictis colligamus? Nunquid legē peccatū fuisse? legem quidem per se ipsam suspicari nemo poterat esse propriè peccatū, vt quòd in cogitatione penitus, verbo, vel actione est hominis: cum lex non sit nisi regula quædam,

Manichæi.

quæ si iniqua sit, peccatū quidem esse potest, eo duntaxat modo, quo curuitas lineæ, quæ recta esse debet, peccatum dicitur. Obiectio ergo quæ Paulo fieri poterat, erat, quòd positio illius legis fuisset peccatū, aut obseruatio, vel fortè, legē esse peccatū per metaphrasin: puta, causam peccati: Paulus verò proponit quæstionem sub grauiori forma, qua potuit. Vbi verò respondit, Absit, omnes rationes interdicat, quibus aliqua impingi potest legi macula culpæ, vel legislatori Deo, vel eiusdem cultoribus. Estq; responsio ad quæstionem, cuius affirmatio vsq; adeò est absurda, vt potius abominatione digna sit & detestatione, quam respōso. Quapropter Manichæi summæ conuincuntur absurditatis, quòd neq; hæc execratoria respōsione deuictos se agnoscebant, sed aiebant, Paulum ita respondisse, ne scandalum daret: cum profectò, si lex mala fuisset, nunq; sanctus Apostolus per mendacium subterfugisset scandalum. Imò verò (vt est in scholiis Hiero.) Si vt scandalū vitaret, vel quauis alia causa, neq; hic, neq; vsq; alibi asseruit malam fuisse legem, vnde illi contrarium eliciebant?

Manichæi.

Sed peccatum non cognoui: nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Prosequitur responsa dilucidare & amplificare per defensionem legis. Et primò exprimit, quodnam sit propositum & ingenium perse cuiusvis legis. Deinde, quodnam ab illa homines damnatum per accidens acceperint. Officium naturæq; legis est, quid rectū, quidve prauum patefacere. Est enim rationis norma (vt cap. 3. super illud / Per legem cognitio peccati dicebamus) viam aperiens voluntati, qua debet rectè actiones suas dirigere. Quocirca lucerna à Sapiente dicta est, & lux, & via. Et in psal. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Et quia lex, omnis iusta, splendor quidam est, & scintilla legis æternæ, cuius ideo autoritate lex omnis subnititur, ait Sapientia, Per me reges regnāt, & legum conditores iusta decernunt. Eandem ob causam & CHRISTVS, qui vt legum conditor illuxit orbi, modò lucem mūdi, modò viam, veritatem & vitam prædicabat se se. Benè ergo ait Paulus / Peccatum non cognoui nisi per legem / quoniam peccatū neq; excogitari potest, nisi sit contra legem: sicut nec obliquum aut deuium, nisi in ordine ad certam normam & rectitudinem. Vnde Aristotele.

Legis natura.

Prover. 6.

Psal. 118.

Prover. 8.

Orige.

stote. Rectum inquit, iudex est sui & obliqui. Orige. autem verbum hoc, & quæ in hæc rationem hic congerit Paulus, de lege penitus naturæ cuncta interpretatur: nā cum ante legem scriptam Adam, Cain, Pharao, & qui in Sodomis perierūt, quinimò & Gentes omnes naturali lumine discerniculū boni & mali deprehendissent, (aliās nō fuissent puniti) non poterat, inquit, de lege scripta enunciare Apostolus, quòd sine illa nunquam innotuisset peccatum. At verò hoc vnū pro indubitato hic fixum habere debemus & constitutissimum, quòd loquatur Paulus de lege hac, quam videri hæctenus poterat diffamasse. Etenim ne eò quis verba sua diuerteret, vt putaret, legi obrectasse, compurgat se modò. Quòd autem hæctenus de lege veteri fuerit proloquutus, per ea quæ dicta sunt, liquet. Nunquā enim de lege naturæ, quatenus semper consignata fuit, futuraq; est in mentibus hominum, dixisset / subintravit (cum verbum hoc temporariam legē significet) neq; quòd nos mortui fuimus illi, vel quòd ab eius dominatu fuimus liberati, vt seruirem⁹ in nouitate spirit⁹, & nō in vetustate literæ: hoc quippe vetustatis epitheton legi scriptæ propriè adscribitur. Accedit & subiuictū exemplū præcepti illius, Non concupisces, quod rem abundè confirmat: quandoquidem hoc inter alia præcepta legis Mosis scriptum legitur Exod. 10. Loquitur ergo (vt Chrysostr. & ceteri Patres consentiunt) de lege Mosæica, in qua tamen ius quoq; naturæ scriptum erat. At verò ad plenam intelligentiam hic Pauli, sic ipsum contemplor, vt qui personā induerit totius humani generis, vt in se ipso mortaliū progressum, carnisq; pugnam delinearet. Quapropter quædam dicit, quæ homini sub peccato agenti competunt, qualis ipse erat ante suam conuersionem, quædam verò homini congruentia, dum est in gratia, in qua erat dum hæc scribebat. Ab ipsa verò generali legis cuiusq; conditione exorsus proponit / Peccatum nō cognoui nisi per legem / id est, homines nullum possunt peccatum iudicare nisi per legem aliquam. Quare Adam ante legem positam cognoscere nō poterat peccatum, qua ratione diuinæ voluntati contrarium est, nisi per legem naturæ sibi menti impressam ac fidei splendore illustratam intelligeret id quòd est contra rationem, diuinæ aduersari voluntati. Et pariter Ethnici lege naturæ irradiati, quadantenus rationem peccati attigerunt: nempe hanc primū in-

Cognitio peccati apud Ethnicos.

natam esse deformitatē omni peccato, quòd sit à ratione distortum, mox plurima scelerum genera, perturbationes pacis esse tranquillitatisq; Reipublicæ: quas perturbationes prouida natura illo præcepto cauit, Ne facias aliis, quòd tibi fieri non vis: Quocirca omnes iniuriæ tum ciuium, tum præsertim Reipublicæ vbiq; gentium vindicabantur. Quinimò & eousq; philosophando prouecti sunt, vt conicerent & deorum quoq; irā irritari malefactoris hominum. quos ideo placare propitiareq; curabant. Ille enim naturæ radius, quo Deus per creaturas cognoscebatur, prima esse rerum causa, supremusq; naturalis finis, satis erat, vt gentes intelligerent, seruitium illi eadem ratione cultumq; deberi. Imò neq; solum in hac vita pœnas Deo pendere sceleratos homines putabāt, verum & in futuro æuo. At verò cum naturaliter Deus non cognoscatur, vt finis supernaturalis, in cuius præsentia & consortio vera consistit felicitas, legitimam ignorabant rationē peccati: quòd est (authore August.) dictum vel factum vel concupitum contra legē Dei: quæ idcirco ratio peccati auersio à Deo est, ob quam dignus sit homo, tū exilio à regno cœlorum, tum perpetuis cruciatibus inferni. Loquimur de gentibus in genere: nam si quæ fuerunt egregii, quibus altiori radio suæ sapientiæ Deus affulserit: vt Noë, Abraham, Iob, & similes, haud illos hic comprehendimus. Quinimò neq; interna peccata, quæ intus cogitatione consummantur, satis nouerāt, neq; omnia externa, quæ consistunt in opere: vt puta, quæ citra iniuriam & damnū alterius perpetrantur: qualis est libera venus, & si quæ sunt talia. Lex autē scripta hæc omnia explicatius docuit. Ob idq; Apostol⁹ postq; in genere proposuit munus legis, quæcunq; illa sit, quòd est, rationē peccati vt cunq; prodeceat, exemplum supponit speciale scriptæ legis, per quod testatur de ipsa loqui. [Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.] Non intelligas, quòd absq; lege nō sentitur concupiscentiæ illecebra, præsentifcunt enim & beluæ, sed quòd nesciebat esse peccatum, nisi lex diceret. Sed nunquid præceptio hæc non iuris etiam naturæ est? Est quidem: at quandiu non fuit scripta in tabulis Mosis, sed tantum in mentibus hominum, non omnino innotuerat quantæ esset obligationis. Primū quòd gentes forsitan credebāt in sola cogitatione: quippe qua, nisi in opus prodeceat, nullum datur damnū alteri, nullā subesse

Peccati definitio.



subesse rationē peccati. Secundo quod quavis aliquando talis ratio peccati fuisset eodē lumine naturali cognita, tamē iam in illo seculo, quo data est lex, oblitterata propemodum erat lex natura: adeo ut sola concupiscentia mali non censeretur esse peccatum. Quod & sub lege ipsa scripta vsu etiam iam venerat tempore redemptoris nostri: cuius ideo rei iudeos commonefaciebat. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis, ego autē dico vobis, Quicūq; viderit mulierem ad concupiscendū eam, iā mœchatus est eā in corde suo. Et tertio licet ratio intus naturalis illud dīcāret, tamen leges humanā, quales tunc solā erant scriptā, actum interiorum nec prohibent, nec vlciscuntur. Hęc igitur vel maxima fortē, vel ex præcipuis causis fuit, cur non vsus fuerit exemplo alius cui iussit præcepti: ut furti aut homicidii: quæ notissima erant crimina in iure natura, sed huius propriē quod non adeo patebat. Tamē si alia sit præterea ratio, quam allegat Aug. in glo. Nempē quod elegit Apostolus hoc generale peccatum: quia omne peccatum ex concupiscentia nascitur. Verū tamen non ita intelligendus est August. ut cogitauerit præceptum hoc citatum hic ab Apostolo generale esse, ad omniumq; peccatorum concupiscentiam protensum: ut est concupiscentia cibi, vindictæ, &c. Est enim speciale in nonū & decimū decalogi diuisum, illisq; duobus, Non mœchaberis, Non furtum facies, appensum: ut patet Exo. 20. & Deut. 5. Nō concupisces domū proximi tui, nō desiderabis vxorem eius, nō seruum, nec bouē, &c. Quæ quidem concupiscentia peculiariter, præter opus, prohibita est in his duabus materiis ob singularem voluptatem, quæ intus etiam sola cogitatione captatur de re venerea, & de re vtili. August. verō voluit dicere concupiscentiā esse generale peccatum, quia hęc specialis concupiscentia oculorum, quæ est auaritia, causa est & radix omnium malorum: ut habetur. 1. Timoth. 6. quatenus rerum opulentia instrumentum est, fomētum & adminiculum omnium cupiditatum. Quamquam aliquando August. non tam exponēs singulare præceptum decalogi, quam generale illud Eccli. 18. Post concupiscentias tuas non eas. Et illud superius Pauli, Nō regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis eius: hoc etiam Non concupisces vsq; ad vniuersam concupiscentiam dilatat. Vnde de nup. & concu. lib. 1. cap. 23. concupiscentia inquit, in renatis non est peccatum, quando illi ad illicita opera non consentitur. Ut si non sit quod scriptum est, Non concupisces, fiat saltem quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas. Et lib. de spi. & lit. cap. 36. ait, Quod in hac vita non implemus, Non concupisces, sed, concupiscētis non obedias. Quod quidem dictum Lutherus impediō magnificauit, quasi suo fauisset errori, qui fuit, concupiscentiā ipsam sensualitatis, quæ dimicatio est aduersus spiritū, ante assensionem quoq; & negligentiam rationis, peccatum esse, neq; baptismō neq; vllō alio sacramento aut remedio in hac vita debile: quē errorem lib. 1. de nat. & gra. satis expugnauimus. Cum tamen Aug. id penitus censuerit, quod non implemus in hac vita, ut concupiscentia non insurgat, non titillet, non oppugnet & insultet, non tamen quod non implemus, quatenus præceptū est. Illud enim nō vetat carnis pugnam & luctam, quæ naturalis est, sed solam inhibet voluntatem, qua ideo sola ipsum transgredimur, per quam & regnare incipit peccatum. Ob idq; CHRIS TVS redemptor noster non docuit nos orare, ne tentemur, sed ne inducamur in tentationem. Cur autem exemplum non adiunxit legalium aut cerimonialium, perfacile est conuicere. Ponēdum quippe erat exemplum rei quæ erat mala, sed nesciebatur esse talis: iudicialia verō & cerimonialia genere suo nec bona erant nec mala, quocirca lex non solum ostendebat, sed constituēbat ea talia.

Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Constituto proposito & directa intentione legis, quæ est, peccatum detegere, indicādo virtutis semitam, atq; adeo dūctare subditos, ut rectā in finem scopumq; rationis perducantur, subscribit id quod per accidens inde & incidenter cōtingit prauis hominibus. Nam iustis quidem nō est nisi bonū: ob idq; ait, [Occasione accepta] Accepta ex eo inquit, quod lex per se ipsa nō dat occasionem illam, sed homines vitio suo & natura corruptela illam accipiunt, iis rationibus, quæ supra satis explicatæ sunt super illo verbo, cap. 5. Lex subintravit, ut abudaret delictum. Primum ex parte obiecti, eō quod ut fuerit ratio peccati maximē manifesta, ita minima relinquitur peccatori excusationis causa. Et secundo peculiariter à lege scripta capta est maior occasio propter multitudinem

Lutherus

Lib. 1. de nat. & gra. ca. 11. & m.

Mat. 6.

Mat. 5.

August.

Non concupisces.

1. Tim. 6.

Eccli. 18.

itudinem præceptionum. Sed tertio ex parte subiecti, quia omne contrarium renititur suo contrario, & ideo quod libertas pluribus prohibitionibus arctatur & obsepitur, impetuosius cupido effertur in vitia: id quod illic effusius reliquimus disertum. Nec est quod culpa in Deum latorem legis refundatur magis quam ob id quod sensus nobis dedit, quibus malè utimur, vel magis quam in medicum, (ut ait Chryso.) qui febricitanti nocuā aquā interdicit. Vnde accensa peius sitis ægrotum vincit, ut periculo sius bibat. Eō vel maximē, quod fidelis est Deus qui nunq; præcipit, nisi quæ implere homo potest, nisi sua abutatur libertate. Quem & homines in legibus ferēdis imitari tenentur, ne legum numerositate scandalum dent, & occasionem offerant facilius peiusq; collabendi. [Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.] Idem est dicere, per mandatum quod per legem: nam mandatum, quædam lex est. Et spectat fortē ad illud prænominatum mandatum. Non concupisces. Appellatione hic verumtamen peccati, quidam diabolium intelligunt, qui causa fuit homini primumq; initium peccati. Hęc tamen vsurpatio nimitum distrahit nomen à suo proprio significato. Et profectō cui constitutum est, verba quam minimè possibile fuerit alienare à sua proprietate, non compellitur aliter hic accipere, quam est eius primæua significatio. Etenim peccatum ipsum mente apprehensum operatur concupiscentiam: hoc est, appetitionem eiusdem futuri peccati, sic enim accipitur hic concupiscentia: scilicet pro actu concupiscendi. Quemadmodum & finis mente conceptus causa est electionis mediōrum. Et ideo vbi occasione cohibentis mandati illecebra, vel quæuis alia affectio praua inflammatur, ipsum etiam futurum peccatum operatur eandem appetitionem. Attamen August. quem pleriq; sequuntur expositores, nominatione peccati intelligit concupiscentiam ipsam, quæ est vis & potentia concupiscendi: hęc namq; peccatum dicitur, quoniam est peccati primi Adæ, tum effectus, tum etiā tradux, qua in nos profunditur, atq; adeo nostrorum actualium causa. Quamq; & pro originali peccato cōgruit in præsentia nomine vti, quinimō & pro ipso Adæ delicto, per quod & peccatū in nostrā sit & mors. Enimvero quia (ut author idem est Aug. in de nup. & concu. & alibi sæpe) diluto reatu culpæ in baptismo, remanet concupiscentia, ut pugnet cū nostra infirmitate eadē

Nulla in Deū refunditur culpa

Lex humana quomodo sit ferenda.

Peccati appellatio.

August.

concupiscentia est velut administra virtus primi illius peccati protoparentis, per quā idem ipsum censetur existere vigereq; in nostro mortali corpore ad oppugnādum spiritū. In quo forsā sensu ait infra peccatū habitare in nobis. Nisi quod mihi semper sit verisimilius, sermonē hic subtexere Paul. de peccatis, quæ succreuerūt occasione scriptæ legis: iuxta secundam acceptionem à nobis tactā. Vbi autē ait, Omnē concupiscentiā significat omnes prauas affectiones in omni peccatorū genere, siue à radice concupiscibili dimanēt, siue ab irascibili. Et loquitur sub persona hoīs nō dum reconciliati. Quod verō ait operatum eadē phrasi id repetit, qua supra dixerat, lex iramo operatur temperatius hic autem ait, nō quod mandatū operatur concupiscentiā, sed quod peccatum per mandatū, à quo accipit occasio, id patrauit. Scrupulosum verumtamen fuisset verbum, quod peccatū per mandatū operaretur concupiscentiam, suspicionē generans, an mandatum esset directa causa mali, nisi præmisset, occasione accepta. Et eodē sensu: scilicet, obiter et per occasionem, intelligendū est & illud. 1. Cor. 15. Virtus peccati, lex. Et quod supra dixerat, Passiones peccatorum quæ per legē sunt. Neq; verō lex tantū vetus hac ratione, sed & euangelica (ut notauit Chryso.) si gratiā separet, nempē ipse decalogus, occasio quoq; est malis malis. At qui & consilia & monita vitiatas hoīb. occasiones sunt delinquendi: v. g. vbi qui consulit inuisus ingratusq; est audiendū. Vnde illud, Si non venissem & locutus eis nō fuisset, peccatū non haberent. Quin & sancta ipsa proposita nonnunq; sunt habenti offendiculū ruinæ, non solū eō quod sanctis operibus insidiatur inanis gloria, verūm quod dū fortis armatus prospicit scopatā conscientiā, nequiore instructus satellitio instaurat pugnam.

Virtus peccati, lex.

Ioan. 15.

Sine lege enim peccatū mortuū erat, ego autem viuebam sine lege aliquādo. Exponit causam superioris asserti, ut coniunctio/enim/subindicat. Aperit, inquam, quo pacto lex occasio fuerit augendi peccati: discernens inter duo tempora, prius, in quo peccatū mortuum iacebat, quia tunc homo sine lege viuebat, posteriore, in quo mortuū est homo, quia peccatum reuixit. Quum enim dixisset, occasione mandati peccatū peperisse omnē concupiscentiam, subdit causam. [Sine lege enim peccatum mortuū erat: ego autē viuebam sine lege aliquādo.] Mortuū peccatum, si vim

Mors peccati.

prorsus significati teneas, tunc existimatur, quando nullum est, seu quod nōdum est cōmissum, seu quod iam est remissum. Sed mortuum nihilominus dicitur latine quod emarcuit, aut quavis ratione debile est & elanguidum, & viribus eneruatum, ad operandum secundum naturam suam, vt supra in emortuū corpus Abrahæ / & / emortua vulua Sara / adnotauimus. Iuxta hos igitur duos significatus bifariam exponitur hic textus. Orige. in sua interpretatione persistens, quōd de lege naturæ habeatur hic sermo, sententiam refert ad singulos mortalium, qui ante vsum rationis sine lege, quæ nos obliget, viuimus, quo ideo ætatis peccatum in nobis actuale mortuum est. Nam licet infans rem designet, quæ genere suo peccatum sit, nihil illi imputatur. Et subdit, quōd si hic nō sit intellectus Pauli, quo modo verum est, quod ait, se aliquando sine lege vixisse: quippè qui in peccato originali, & sub lege Moysi nat⁹ est. At tamen quia Paulus de lege hic diuinitus præter naturalem posita, & nomine humani generis continenter videtur loqui, postquā homo rationis lineam ingressus est: alii, quibus facilius subscriberem, hunc locum interpretantur de protoplasto Adam. Is enim tantisper in paradiso sine lege positus vixit, in quo temporis articulo mortuū: id est, nullum, fuit peccatum. Sed præcepto dato expergefactus est appetitus, atq; adeo suggestionem serpentis violatum præceptum. At verò quoniā Apostolus longa iam hæcenus orationis seriè de lege Moysi, deq; eius antiquatione loquitur (vt supra præmonstrabamus) non est credibile, aliorum sermonem desexisse, vt Chrysofost. ex professo contra hæc secundo recitatā opinionem reclamauit. Eo vel maxime, quōd persistit Paul. in explanatione illius quod dixerat / Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces / quod quidem præceptum non primis parentibus, sed Moisaico populo positū fuit. Et præterea illud quod supra dixit cap. 5. Vsq; ad legem enim peccatū erat in mūdo, peccatū autē non imputabatur, cū lex non esset, in confesso oibus est, de lege Moysi intelligendum esse: est autē sententia hæc eadē illi prorsus, illiusve expositio. Quā obrem non est cur à Chrysofostomo, Ambr. & August. & aliis huius ordinis Patribus declinemus, qui planè hanc literam de lege Moysi interpretantur. Hoc nimirum sensu, quōd sine lege scripta peccatum erat mortuum: hoc est, secundum August. lib. 83, q. 66. Non impu-

tabatur, vt supra dixit, licet re vera esset. Vel quia lex naturæ non satis aperiebat peccati rationem, vt supra enarrabamus. Vel quōd tunc temporis obnubilata iam erat, & ferè de mentibus hominum abrasa. Et hoc est quod subdit / Ego autem: id est, homo, sine lege vivebam. Sunt autē quibus talis placet lectio huius literæ, vt punctum illic figatur, Ego autem vivebam aliquādo: scilicet, vita spiritali, quando nondum erat lex: vt / vivebat / cōtraponatur morti peccati: sicuti statim vitæ peccati contraponitur mors hominis. Et dicebatur secundum istos: tunc homo viuere, qua ratione mortuum erat peccatum. Nimirum quōd cum non satis cognosceretur, non adeo vigeat ad interficiendum hominē spiritali morte. Sed profectò non huc videtur vergere mens Pauli. Sed ait / Ego autem sine lege vivebam / hoc est, lege destitutus vitam debebam. Quo verbo causam reddit præcedentis, ac si dixisset, sine lege peccatum mortuum erat: ego enim aliquando eram sine lege. Dubium tamen inde hic exurgit, quōd ignorantia iuris naturalis nō excusat: & ideo quantuncūq; obscurata esset huiusmodi lex, non excusabantur qui illam offendeant. Quinimò acrius essent accusandi: nam quanto culpa ex libidinis vehementia magis ignoratur, tanto ob affectatam ignorantiam degrauiatur magis: nulla ergo est causa cur tūc peccatum diceretur mortuum. Responso autem est, quōd neq; Paul. illos tunc mortales excusatos contendit, quinimò cap. 1. acerrimè accusationi subiecit idololatrias, atq; alios turpes flagitiososq; Gētium, quōd cū Deum cognouissent aut certè nosse debuissent, tã peruersis moribus in eū peccassent, Sed ait, peccatum fuisse mortuum, in cognitione hominum, qui præter quod multa tunc nesciebāt esse peccata quæ verè erant, legitima peccati ratio eos celabatur: vt supra expositum est. Et ideo peccatum in sua existimatione languabat, emarcidumq; erat, & inualidum, ad deterrendum eos, quapropter ignauia & solordia torpebant. Adde quōd quavis ignorantia affectata non excuset, quando tamen tractu aliquo temporis in aliqua natione corruptissimis moribus lumen naturæ obtenebratur, tunc etsi scelerum capitalium ignorantia non excuset, tamen aliorum minorū obliuio, quæ sunt etiam contra ius naturæ, vel minuit, vel fortè nonnunq; tollit culpam: præsertim quando ferè orbis tali ignorantia excæcatus erat. His ergo rationibus, mortuū: hoc est,

Ego autem.

Dubitatio.

Ignorantia quomodo excusat.

est, exile & tenuè tunc erat peccatum respectu temporis, quo lex diuina resplenduit Israelitica plebi.

Sed eum venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est, mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Priori differentiæ temporis supponit posteriorem, vbi accedente lege, & humanas mētes illustrante, reuiuiscens peccatum hominem coniecit in mortem: scilicet, animæ: sic enim necesse est usurpare hic vocem / mors. Tota hæc autē oratio nihil aliud est, quàm expositio illius sæpè repetitæ sententiæ, quōd lex & vetando illud, quod lubet, libidinem auget, & manifestando peccatum, excusationem adimit, præsertim diuina lex quæ aperit, peccatum, tum aduersari Deo, tum etiam & priuatione diuinæ felicitatis, & solutione æterni supplitiū dignum esse. Hoc enim pacto & peccatū inolefcit inualefcitq; & hominē perimit. Quocirca si peccatū ea ratione mortuū erat, quōd non satis noscebatur, ea quoque ratione moritur homo reuiuente peccato, quōd cognoscit se peccare, vt August. ead. quæst. ait. Perseuerat hic autem personam agere hominis sub potestate peccati viuētis. At neq; secundum Orige. qui hanc temporū vicissitudinem ad illud cōfinium ætatum refert, vbi ratio incipit lucescere, neq; secundū alios, qui hoc accommodant ad statum primorum parentum: accipi ita proprie potest, quod ait / mortuū & reuixit / nam quod nūquam vixit, non est mortuum: ob idq; in statu innocentie peccatum nullum erat mortuum, nec proprie reuixit. Idemq; comperitur in puero ante rationis lineam. At secundum vulgatam glossam, peccatum, quod in mundi primordiis vigente lege naturæ vivebat, mortuum iam tunc erat prope ante diluuiū, & post in seculo Habrahæ, vbi idololatria in numero flagitiorum satellitio stipata in mundum grassabatur: atq; adeo obnubilabat humanas mentes, vt vix vlla esset existimatio peccati: reuixit autem occasione scriptæ legis: quōd enim arctius interdicti Iudæi erant idolorū cultu, eò magis impiè in eū impingebant, minusq; ideo excusabantur. Vt autem Romanos iugiter admonitos habeat, hanc peccati resuscitationem, hominisq; mortem, non vitio legis obuēnisse, subdit. [Et inuentū est, mihi mandatum, quod erat ad vitam, esse ad mortem.] Quasi dicat, Non hæc erat mandati in-

Mortuū &amp; reuixit.

Duplex expositio.

Alia opinio.

Concors interpretatio Patrum.

tentio, sed inuentum est: id est, vitio hominū repertum deprehensumq; est, seu vsu venit, vt mandatum, quod suo pte proposito datum erat mihi ad vitam: hoc est, vt ostendendo enormitatem peccati, quod est Dei offensio, & sublimitatem præmii, quod virtuti proponit, suppliciiq; acerbiteratem, quod peccatoribus cōminatur, a peccato me cohiberet trāsmitteretq; in viam iustitiæ, idem mandatum inuentum est cessisse mihi in mortem.

Nam peccatū, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Repetitio ferè est cōclusionis supra propositæ. Est enim oratoris mos, conclusionem repetere. At quia mortis meminit, in quam illos ait peccatum per mandatum adegisse, verbis non nihil differentibus vtitur. Dixerat enim, quōd peccatum occasione accepta per mandatum operatum est concupiscentiam, modò ait / occasione accepta per mandatum seduxit me & per illud occidit. Perspice quemadmodum ad propositum respectet, ad compositionem scilicet peccati & mortis, quæ per Adam ingressa in orbem in initio dixerat. Nam / seduxit / idem est, quod in peccatum induxit, per quod me occidit. Perparui tamen refert, an quod ait, per mādatum, ad / occasione accepta / an verò ad / seduxit / ap-ponas: nam & per mandatum accepta est occasio, & eadem ratione per ipsum seduxit, atq; adeo occidit. Verbum hoc quidem / seduxit / illis fauet, qui hanc literam interpretantur de statu primorum parentum, vbi ait / Eua, Serpens seduxit me. At verò referri etiā commodissime potest ad tempus scriptæ legis. Enimverò licet lex, quatenus mentem irradiat detegendo illi peccatum, neminem decipiat, sed instruat: tamen peccatum per ipsam seducit. Hoc autem seducere August. q. sæpè citata inter. 83, bifariam exponit, primo quōd suasio delectationis vehementior est dum adest prohibitio, vt in adulterio, quàm in matrimonio. Secundo quōd quæ homo facit secundum iussa legis, sibi attribuit, nisi fides doceat referenda esse in Deum. Sed forsitan congruētior sit & planior sensus, quōd eadem ratione, qua concupiscentia per legē ardentius inflammatur, homo seducitur, & excæcat⁹, decipitur, leuius innoxiusq; quàm par esset, reputando peccatum: qua tandem causa ad deceptorium imperium particulare intellectus labefactatur, vt fieri imperet, quod non decet. Hanc siquidem ob rem dicitur

Seduxit.

August.

*Aristote.* xit Aristote. Omnis peccans est ignorans. Etenim neq; Æuam seduxit serpens, dicens, Nequaquam moriemini, nisi cupido cibi eam pramolisset. In qua profectò tentatione, nostra quoq; depicta est: nam pariter nos dæmon circumuenit ubi ebullit passio, attenuando & exinaniendo grauitatem noxiæ, qua nos seductione excæcatos occidit. Atqui *Occidit.* & verbum / occidit / videtur cum præuocatione illa Adæ admodum quadrare: illa siquidem, peccatum fuit, per quod mors ingressa est in mundum. At competit nihilo minus suo modo & cuiuscunq; peccato, non solum si de morte animæ verbum intelligatur, quæ est ipsummet peccatum, sed etiam si extédatur ad mortem tam corporis, quam animæ, quæ consistit in morborum & calamitatum sensu, vt cap. 8. latius dicturi sumus. Mors etenim corporis in reprobis trāsitus est ad æternā illam inferni, vbi tam anima, quam corpus mortis doloribus & tormentis eisdemq; sæuius acerbisq; discruciat, quam dum corpus erat mortale. Quam idcirco Ioan. in Apoc. (vt cap. 5. dicebamus) appellat mortem secundam, eandemq; ait iustos non viuros. Ob idq; cum per vnū quodlibet delictum accessio fiat illis supplicii, fit, vt quodlibet nos verè occidat. Quapropter ait *Theop.* Theophy. Mors hæc & ad culpam potest & ad pœnam referri. Sed & quod ait / peccatum per mandatum occidit / eodē relabatur cum illo. *2. Cor. 3.* Litera occidit: hoc est, lex iubens, non iuuans.

Itaq; & lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum, & bonum.

*Quinque comata.* Concludit vtique responsum, quod instituerat in defensionem legis. Sunt qui quinque hæc comata ita distribuunt, vt / lex sancta / ad totam legem relatum velint / mandatum verò sanctum / ad cerimonialia, quibus populus emundabatur: sed / iustum / ad legalia, quibus homines inter se exæquabantur: / bonum / autem ad honestatē moralium. Si quibus verò forsā hæc tam excogitata distributio non perplaceat, omnia de tota lege asserpta possunt audire. Lex enim, & documenta complectitur, & exempla, atq; & monita, & præterea mandata. Proponit ergo prius totam legem fuisse sanctam: hoc est, puram & incorruptam, alludens ad proprium verbum legis, quod est / sancire / atq; id quidem quò ad omnes eius partes, secundum illud *Psal. 18.* Lex Domini immaculata, Deinde

in specie subdit / & mandatum sanctum / cuius generis mandatum intelligas. Nam & iudicialia quoque & cerimonialia, perinde atq; moralia ad populi sanctitatem instituta erant & ordinata. Subtextit autem / iustum / quòd rectitudinem & æquitatem in se legis significat, & / bonum / quatum ad effectum legis: qui est secundum Aristote. *2. Ethico.* vt bonos faciat ciues. Vnde vbi dixit Psalmista, Lex Domini immaculata, statim subdit, Conuertens animas: & testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis, id est, & inereditis & humilibus. Iustitiæ Domini rectè, & c. Hoc ergo est, quod lex est in se: vnde Manichæi, & Marcionis hæresis palam damnatur, eorumq; in legem blasphemiam, quam quidem legem diffamabant, & tanquam malam proscribebant. Nam quod legitur *Ezech. 2.* Dedi eis præcepta non bona, huc penitus refertur, quòd præcepta cerimonialia erant imperfecta, quæ gratiam non conferebant, neq; erant ideo perpetuò duratura: vnde & de iudicialibus subditur, Et iudicia in quibus non viuunt. Quid autem fecerit lex per accidens, subdit.

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors: Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat iupra modum peccans peccatum per mandatum. Proponit autem accidentariū transuersumq; effectum legis per modum quæstionis. Nunquid lex, quæ per se bona erat, facta est mihi mors? Absit. Intucere attentè lector, quanta fide tueatur legem. Non enim satis duxit eam per se sanctam, iustam & bonam prædicare: sed si quis fortè cogitasset, saltem homines vitio suo eam deturpasse, fecisseq; vt ipsa esset lethifera, id etiā interdico negat. Illa quippe ita suapte natura viuifica erat, dataq; adeò in subsidium vitæ, vt nullo modo, neq; per hoim corruptelā facta sit mortis causa. *[Sed peccatum ut appareat peccatū, per bonum operatum est mihi mortem.]* Id est, non ipsum mandatum legis seduxit & occidit hominem, (repræsentat enim hominem peccatis inquinatum), sed peccatum, vt appareat peccatum per bonum (scilicet mandatum) operatum est mihi mortem. Litera hæc variè distinguitur apud diuersos auctores. In nonnullis etenim Græcis exemplaribus clausula superioris textus sic terminatur / Quòd ergo bonum est, factum est mihi mors? absit,

absit, sed peccatum / vt subintelligatur, factum est mihi mors, & inde subsequatur altera clausula / vt appareat peccatum / id est, vt seipsum proferat, per bonum operatum est, & c. At verò Orige. Chryso. Theophyla. cum Latinis omnibus sequuntur distinctionem, quæ est in nostra translatione. Hoc autem quod ait / peccatum, vt appareat peccatum / nonnulli sic exprimunt: peccatum: hoc est, iniquus animus, vt in sua se asserat libertate, contra prohibitionem prorumpens, per mandatum, quod suapte natura est bonum, operatur mortem. Attamen quam citati modo Patres concipiunt, planior intelligentia est. Peccatum (seu concupiscentiam intelligas, seu peccatum ipsum, pro vt supra exposnebamus) vt vel per hoc se pandat, appareatq; quàm sit res iniqua & praua (puta quòd optimis remediis malè vtatur) per mandatum bonum, quod veluti salutifera medicina adhibitum est in remedium, operatum est mortem. At verò ne id de solo peccato Adgedictum crederetur, per quod mors introiuit in mundum, addit. *[Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.]* Ac si dixisset. Nolo ego negare, ante scriptam legem per peccatum Adæ patuisse morti aditum in mūdum: nam dictum est, quòd per vnum hominem introiuit peccatum, & per peccatum mors: & quòd ab Adam vsque ad Moisen regnauit mors, sed doceo, quòd peccatum, quod per legem Moisi incrementum accepit, cumulatius & supramodum operatum est mortem, multiplicando mortis iura: quæ ratione vnum peccatum, causa aliorum fit. Et hoc pollet quòd ait / vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. In Græco nomen peccati / *ἁμαρτία* / sceminini generis est, cui apponitur adiectiuum / peccatrix. Et ideo Origen. interpret. translulit / vt fiat peccator peccatū / hoc est peccatum ipsum fiat supra modum peccator, puta causa peccati. Sed Interpret. noster ad tollendam amphibologiam, ne / peccator / censeretur prædicatum esse hominis, translulit per participium / vt peccatum fiat supra modum peccans / id est, peccatum per occasionem mandati fiat exuberantior vehementiorq; causa plurium peccatorum. Etenim quæ pauciora leuioraq; erant ante legem, plura, grauioraq; facta sunt occasione legis.

*Orige.*  
*Peccatū vt appareat peccatum.*

*Aristo. 2. Ethic.*

*Manichæi.*

*Ezech. 2.*

*Origen. interpret.*

TERTIA  
PARS CA  
PITVLL

Scimus enim quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, & anundatus

sub peccato. Hactenus legem ab accusatione illorum defendit, qui illam, velut lethiferam damnare cogitarent: iam nunc in hac tertia sectione huius capituli, quam fuerit iusta & bona, aperire constitueret; pergit ratione sumpta ab eiusdē legis optimo proposito, & quem in nobis sortitur saluberrimo effectu, qui est, spiritum aduersus carnem instruere, irrobore, iuuareq; & fouere. Sed est præterea particula hæc superioris expositoria. Edisserit hic enim Paulus id quod dixerat, non legem, quæ bona est, causam fuisse, vel peccati, vel mortis, sed peccatum per mandatum operatum fuisse vtrunque malum. Id autem demonstrat per certamen & duellum, quod in nobis metipsis intestinum est inter carnem & spiritum: quæ duæ sunt diuersæ naturæ, ex quibus compacti sumus. Producit itaque statim statuitq; contrarias partes, sibiq; inuicem aduersantes: nempe legem & carnem. In epistola ad Galatas, inter portiones ipsas homini internas idem ait, bellum geri: Caro enim inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed quia lex à parte eiusdem spiritus dimittat, rationem instituens, vetansq; carni succumbere, eandem hic prorsus pugnam depingit inter legem carnis & legem spiritus. Proponit igitur. *[Scimus quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis.]* Scimus inquit, hoc est constitutissimum omnibusq; adeò in confesso esse debet, qui legis naturam scrutantur: vti ipsa se faciebat Paulus: sermonem nanque perpetuat de lege Moisi, quæ quantum ad præcepta moralia, eadem erat cum nostra. Eandem quippè legem spirituales cognominat. Primum ratione causæ: fuit enim in tabulis digito Dei scripta, vt habetur *Exod. 32.* digiti autem nomine, Spiritus sanctus nuncupatur: nam in hoc digito aiebat se *CHRISTVS* eicere dæmonia. Dicitur deinde spiritualis, ratione effectus: quoniam lex regula est & norma spiritus colluctantis cum carne. Et præterea quia litera antiquæ legis, quæ figura erat & umbra futuri Euangelii, spiritualiter erat intelligenda. Hac inquam fortè ratione legem hic veterē appellat, legem spirituales, id est, spiritus prænunciam: legem verò euangelicam appellat cap. proximo legem spiritus vitæ, legem scilicet, continentem in se præsentiam *CHRISTI*, vel quia illa scripta erat in tabulis, hæc verò in cordibus spiritu Dei viui: quod loco citato fuisus exposituri sumus. *[Ego autem carnalis.]*

*Gala. 5.*

*Lex spiritualis.*

*Exod. 32.*

*Luc. 11.*

*2. Cor. 3.*



Due por-  
siones in  
homine.

In homine, ut qui ex anima constat & corpore, Duæ discernuntur portiones, superior scilicet, cui ratio præest, & sensualis inferior, quæ iniussu rationis in objecta sensibilia per se fertur. A priori homo est, diciturque rationalis: à posteriori verò, sensualis & carnalis. Refert tamen plurimum ad intellectum huius literæ illi hinc meminisse, quod supra iterum à nobis dictum est: nempe illud esse simpliciter hominem, quod ei competit ratione formæ, à qua sortitur speciem & nomen: illud autem secundum quid, quod competit ratione materiæ. At verò carnalis, bifariam dicitur, vel quia ratio per voluntatis assensionem subiugata est carni, vel quia citra huiusmodi assensum subiecta est pugna & molestia carnis. Modus prior competit solis peccatoribus, posterior verò patet lege cõmuni in omnes filios Adæ, quilibet iustos: Vterque autem modus conuenit homini ratione peccati. Et ideo subiungit. [Veniundatus sub peccato] Quasi dicat, Homo in sua cõditione non fuit creatus carnalis, sed liber à seruitute peccati: factus est veruntamen carnalis, quia venditus est, atque adeo seruus constitutus mancipiumque peccati. Vendit se autem homo non alio pretio, quàm ut suum expleat sensualem appetitum: quò illud spectat Esa. 50. Ecce ini quitatibus vestris venditi estis. Igitur si carnalitate accipias pro sola rebellionem sensualitatis, quæ citra crimen reperitur etiam in viris iustis, in illam nos vendidit seruitutem primus parens, cuius præuaricatione dispositi sumus originali iustitia. Si autem vsurpetur carnalitas priori modo pro victoria carnis, quam obtinet in solis iniquis, huic tyrannidi quilibet per propriam voluntatem mancipatur. Secundum hos duos igitur significatus carnalis hominis geminus est, bipertitusque sensus huius sermonis Pauli, usque ad finem capituli: Orige. namque super hunc locum & Chryso. priorem complexi sensum aiunt, hic Paulum personam agere illius, qui secundum carnem in peccati potestatem venditus viuit. In qua sententia fuit iunior August. ut patet lib. 83. quæstionum, q. 66. Vbi ait, verba hæc esse hominis sub lege constituti, nondum hanc sub gratia. Postmodum verò senex, ut est videre contra Iulianum lib. 6. cap. 11. Et lib. 1. retract. cap. 23. Et latè lib. contra du. epist. Pela. ad Bonifa. quibus locis inter enarrandum hunc locum, in contrariam abiit sententiam: nempe quòd loquatur hic Paulus in persona sanctorum, quorum gemitum,

Carnalis  
dupliciter.

Vendit se  
homo pec-  
cando.  
Esa. 50.

Duplex  
sensus.

Orige. &  
Chryso.

August.

contra carnales concupiscentias dimicantiũ, videtur se hic audire. Quæadmodum inquit, locum hunc intellexit Hilar. Gregor. (scilicet Nazianzenus) Ambro. & ceteri Ecclesiæ sancti, notique doctores. Et reuera germanus hic intellectus est Pauli, & genuinus. Enimvero cum ab illo loco Peccatum non cognoui nisi per legem / personam (ut diximus) humani generis indutus fuerit, personas subinde diuersas refert, nunc scilicet hominẽ gratia destitutum, nunc verò illum qui in gratia constitutus est: in quem aptissime conuenit tota hæc subsequens oratio, ut per singula eius membra liquefceret.

Quod enim operor non intelligo, nõ enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Sistamus ergo nobis ob oculos iustum quempiã, confictu carnis affictũ, verbis namque illius instituit Apostolus, tum legis bonitatem & virtutem: tum etiam peccati, concupiscentiaque malignitatem & pertinacissimam pugnam exaggerare, ut superiorem orationem amplifcet. Nempe quòd peccatum, nõ modò in eo qui non vtitur auxilio Dei per mandatum accumulatur grauiora, verũ in eos etiã quem adiuuerit eius gratia, infestissime subsultat, instigando ad malum. In quo pariter & virtus gratia patētius exerit se se, ut quæ rationem continet, ne corruat. Sed est præterea obseruandus Apostolus, quemadmodum ob alternas vices spiritus & carnis alterum se à se ipso subinde inducit, duarum personarum vice functus, carnalis scilicet & spiritualis. Augustino in lib. 83. quæstionum, & hic Ambrosio verbum hoc / Quod operor non intelligo / perinde est, ac si dictum esset, peccata quæ facio non cognosco: quia non illa inuenio scripta in regulis veritatis, Nam aliud per legem scio, aliud ago. Hæc autem expositio aptius quadraret, si verba hic texerentur de homine seruiente iniquitati. Nam si sermo fiat de viro iusto, congruentius exponitur ab aliis in hunc sensum, Id quod operor non agnosco, hoc est, non approbo, sed me in scio, meaque inconlulta voluntate, fit. Etenim cum orationem exorditur de illis motibus sensualitatis, quæ citra consensus voluntatis exiliunt, & voluntas nihil velit nisi præcognitum, initium capit dicendi à cognitione: proponens multa se operari per sensualitatem, nulla præuia cognitione intellectus, vel saltem absque certo iudicio, quæ id circo

Sensus gē-  
manus Pau-  
li.

August.

Peccator  
diuifio.

Motus su-  
bitus.

Addubi-  
tatiu.

Conditiona-  
lis voluntas.

circo quantum ad rationem attinet, potius dicimur pati per sensus, quàm agere. [Non enim quod nolo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.] Sunt exemplaria Græca, in quibus neutra illarum vocum / bonum / malum / extat: constat tamen, illis expunctis, sententia eadem, licet per illas explicatio fiat. Et sunt inferius in simili oratione expressæ, vnde fit mihi coniectura (ut illic adnotabimus) hic non ab Apostolo, sed ab aliquo fuisse adiectas, quia illas vidit infra extare. Est autem hoc tum declaratio, tum probatio proximi verbi. Quod enim dixerat / quod operor nõ intelligo / apertius significantiusque profert / Non enim, &c. Est hic veruntamen ante oculos habenda diuifio illa peccatorum, quæ fit in commiffionem, cõtra affirmatiuum præceptum: atque omissionem, contra negatiuum: quam forsan nobis suggerit Paulus hac hinc membri oratione, vbi ait / Nõ enim quod volo (puta opus affirmatiui, seu præcepti, seu consilii) illud ago, sed quod odi, (scilicet re prohibitam) illud facio. At verò si in priori articulo intelligas / nõ ago / vbi adest necessariũ tempus præcepti, non id tunc ad statum viri iusti pertinet, siquidem omiffio illa, lethalis est. Si autem ad tempus referas, quo consilium est facere, id & viro quoque iusto vsu venire potest: nempe, ut renitentia sensualitatis id nõ faciat: puta ob ignauiam pigritiamve, aut alium languorem, vel ægritudinem animæ. Pariter in posteriori membro, si quod odimus facimus, transgredientes præceptum, id quidem iustitiae repugnat. Quòd si nobis vel nolentibus, vel non aduertentibus sensualis appetitus naturali surreptione nos subito impetatur, certè illic nihil subest, nec leuiffimæ culpa. At dum illecebra eousque prorepserit, ut attendens ratio in mora sit reprimendi, culpa eò tunc innascitur venialis, quæ ante voluntatis assensum, vel in rem, vel in delectationem, haud est mortalis. Sciscitatur hic forsan addubitans quisquã, quomodo possunt actiones illæ contrariæ simul consistere & coherere? Videlicet voluntas absque opere, & rursus, facere quod nolis. Facilis est responsio, quòd dum quis non facit quod vult bonum, voluntas illa nõ est absoluta, & ad particulare determinata: hanc enim vbi facultas suppetit, protinus consequitur opus, sed esse potest voluntas in genere, ut idem sit / quod volo / & / quod ratione admonitus sum velle. Potest esse & particularis, quam scholasticæ explanationis gratia permittunt, velleita-

tem appellari: quæ quidem nõ repugnat absolutæ appetitioni sensus in contrarium, qualis est, vellem facere, & nihilominus non facio. Eodem ferè modo alterum membrum audiendum est. Etenim dum in peccatum consentire, non obstante quauis sensualis commotione, simpliciter & absolutè illud odi: sed id dicor facere secundum quid per sensum: nam illud prorsus simpliciter agimus, quod per voluntatem agimus. Vbi autem assentimus malo, quod facimus, tũc iam non simpliciter odimus, quauis qui cum vehementibus passionibus decertat, illisque contrahitur, is quidem, dum superatur & vincitur, licet non simpliciter, tamen secundum quid per nolletatem (ut cum scholasticis sic loquamur) odit id, quod simpliciter vult & facit. Quæ ratione ait. 3. Ethic. Aristot. quòd qui in naufragio exonerat merces in mare, secundum quid nollet, sed simpliciter & in particulari vult.

Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Cõcludit vtrãque propositionem, quam hic constituerat stabile: puta & quòd lex sancta sit, spiritualis & bona, & quòd peccatum sit carnale & iniquum, sub quo homo venditus est, atque vtramque elicit ex proximè præfato verbo. Et de lege quidem sic / Si quod nolo inquit, illud facio, in hoc quod nolo, consentio legi, quia bona est / id est, obtempero illi, seu illam probō, ut quam hoc testimonio cognosco esse bonam, quod manifestat mihi prohibeturque peccatum. De peccato autem sic. [Nunc autem, &c.] Id est, si me nolente, legi consentiente illud operor, quod est malum, consequens fit: ut, neque ego illud, neque lex faciamus, sed quod habitat in me peccatum. Per-spice quomodo hic simpliciter facit homo, quod iudicio rationis agit per voluntatem: hac enim de causa non dixit solum / voluntas consentit legi / Sed / ego cõsentio. Neque ait / Nõ voluntas operatur / at / Nõ ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. Ex quo rursus subsequitur, sententiam hanc de viro iusto enunciari, dissente a cupiditate carnis. Et respicit ad illud cap. 6. Nõ exhibeat membra vestra arma iniquitatis peccato. Etenim dum per voluntatem non exhibemus: huiusmodi arma, non nos, sed concupiscentia citra culpam mortalem nostram operatur.

Aristo. 3.  
Ethic.

Loquitur  
de viro  
iusto.

*2. Cor. 10.* Vnde. *2. Cor. 10.* In carne, inquit, ambulantes non secundum carnem militamus. En locus ubi secundum August. & complures enarratorum peccatum transfertur, ut usurpetur pro concupiscentia rebeli ante contra rationem, tum quia causa, tum quia effectus est peccati, licet (ut paulo ante dicebam) absq; vlla fortē figura intellexit peccatum Adā habitare in nobis, eō quod concupiscentia virtus est, & seminarium, per quod peccatum ipsum primi parentis, modo quodam non improprio, habitat in nobis: parturitq; nostra delicta, sicuti diabolus dicitur habitare in homine sceleratissimo & pestilentissimo, tamen si in illo non sit per essentiā. Et ait, non utiq; esse in nostra carne peccatum, quasi in transcurso, verum inhabitare, tanquam rem nobis cognatam. Est enim vis illa concupiscentiæ, si principia hominis naturalia spectes, naturalis & ingenta, quæ homini ideo condito in puris naturalibus inesset: sed est nihilominus effectus peccati Adā, per quod iustitia originali nudati sumus, quæ eiusmodi concupiscentiam rationi subiugabat.

*Habitat in me peccatū*

Scio enim quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Probat breuissimè non habitare in nobis, hoc est, in carne nostra bonum, sed peccatum: id est, peccati reliquias & semina: eō quod velle adiacet nobis, perficere autem minimè. Et spectat hoc verbum ad illud. Non enim quod volo bonum, hoc ago. Sed intueri correctionem in me, hoc est in carne mea. Ut sis continenter admonitus, id quod est in carne, nō esse simpliciter in homine, quatenus rationalis est. Admonemur eodem præterea verbo, in anima iusti viceversa nō malum, sed bonum habitare, hoc est, gratiam ac numinis opem. Quocirca nihil huic loco repugnat, quod capit, subsequenti ait, Inhabitare in nobis spiritum Dei, qui in nos per sacrū lauacrū effunditur. Neq; verò illud, *1. Cor. 6.* Nescitis quoniam membra vestra tēplum sunt Spiritus sancti: illic enim ius duntaxat exprimit, quod Deus ratione creationis, sicuti & CHRIS TVS causa redemptionis in corpora habet nostra, ne

*1. Cor. 6.*

exhibeamus eius membra seruire iniquitati, sed illi tanquam templum eius manibus fabricatum, eiusq; cruore reedificatum: quā obrem subdit, Empti estis pretio magno. Hic veruntamen prodit malum ex peccato Adā in nostra carne relictum. Ducit itaque argumentum ab effectu, qui index est signumq; & propalatio causæ, hoc modo. Velle adiacet mihi, perficere autem non item, experimento ergo compertum habeo, non habitare in carne mea bonum, sed peccatum. Porro autem hoc quod est / velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio / accōmodare vno modo possumus viro iam sanctimonia prouecto & consummato, qualis erat Paulus. Et tunc facile est videre, quo pacto similibus sanctis velle adiacet: hoc est, præsto sit: habent enim virtutem consuetudine ferè in naturam versam, ut in promptu habeant per Dei fauorem velle quicquid honestum est. At verò argumentabitur quis forte, quod videntur & posse quoq; perficere: aliās quomodo dicuntur perfecti, ut fecerantur ab incipientibus & proficientibus. *Aug. lib. citato contra Pelagianos ad Bonifa. ait / perficere / hoc loco idē pollere, quod nullatenus concupiscere: id quod in hoc corruptibili corpore non est possibile, a quo idcirco corpore mortis liberari cupiebat Apostolus, ut paulo hic post subiungit: propter eum, quem patiebatur angelum Sathanæ ipsum colaphizantem: qua etiam de causa castigabat corpus suum & in seruitutem redigebat. Potest autem & altera adhiberi ratio huic proxima. Videlicet quod in quantumcunque fuerit sanctitatis culmine iustus, non valet bonum ita perficere, quin quandoq; aliquid venialis culpæ illi obrepat, quo contaminetur eius opus. Nulla ergo repugnancia est, ut sit quis perfectus perfectione viæ, & tamen non adiaceat ei perficere, hoc est, omnia venialia cauere. Perfectio enim celestis patriæ est corpus habere spirituale, ob idq; neutiquam spiritui aduersum: perfectio autem viæ est recta illuc pergere: culpa verò venialis non est declinatio à recta via, sed demoratio quædā, quæ perfectioni huius seculi nō repugnat. Idem enim Apostolus qui ait, Si dixerimus quia peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, ait quoq; Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Quod utiq; perfectionum discrimen insinuat Paulus ad Philippen. 3. Vbi prius ait, non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim,*

*Perficere.*

*Aug. lib.*

*Perfectio presentis ac futuri seculi.*

*1. Ioan. 2.*

*Phil. 3.*

*Lib. 3. de natu. & grat. cap. 4.*

*De incipientibus & proficientibus.*

*Matt. 13.*

*Orige.*

*Vtinam sit frigidus, &c.*

sim, postq; verò subdit, Quicumq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, &c. Ut prius ad perfectionē triumphantium referas / posteri / verò ad hanc, quæ est militantium. Hanc veruntamen disputationem pluribus instruximus aduersus Lutheranos lib. 3. de na. & grat. cap. 4. qui veritati contrarii negant, præceptum dilectionis Dei perfectè in hac vita impleri posse, quò minus quauis actione nostra contra illud peccemus: nescientes distinguere inter perfectionem viæ, & perfectionem patriæ: quarum altera quidem meritum est per impletionem legis, altera verò præmium per fructus perceptionem. At verò si hanc eandem Paulinam sententiam coaptare volumus, vel proficientibus, vel incipientibus, clarius patebit quo pacto velle adiacet nobis: perficere autem, minimè. Oculata enim experientia docet, quantum sit difficilium opus bonum re exequi (si hoc fortè Apostolus appellat hic quoq; perficere) quàm illud velle, hoc est, animo proponere. Dum enim intemperatum, qui in omnem est libidinem effusus, timor Dei percellit, potest quidem à periculis vnda in bonam mentem iactatus, sanctum concipere propositum, sed tamen vt opere id perficiat, illic totus est labor. Et incontinens, qui primordia tantum habet virtutis, duellumq; durum sustinet cum passionibus, citam habet voluntatem bonam: perficere autem opus, non item, quoad usq; virtus altas iecerit radices, & amore homo incipiat agere, quod timore cœperat. Huc pertinet parabola Evangelii de semine iacto, quod cecidit, vel secus viam, vel in petrosis, vel inter spinas, quod ob varia impedimenta non retulit fructum. Huc præterea sensum optimè tractat Origen. per exempla in aliis artibus. Qui enim, verbi gratia, vult sapiens fieri, non statim vt voluit, sapiens effectus est, sed adhibendus est labor, studium, sollicitudo, vigilia, doctrina & institutio: idq; vsu venit in aliis quibusq; artibus, atq; adeo multo hæc magis necessaria sunt in comparanda vel pudicitia, vel mansuetudine, vel ceterarum vnaqualibet virtutum. Hæc fermè ille. Non quod, vel ad virtutis cognitionē longo opus sit studio, vel quod Deus præsto nō adsit nobis, sed quod ad perdomādam vim concupiscentiæ, ad fallendas mundi versutias ac technas, cauendaq; pericula, atque adeo ad debellandas potestates aeris, omnis est cura necessaria, sedula vigilantia, summusq; conatus. Adeo vt tepidus frigidus pe-

ius audiat apud Deum: nam, vtinam calidus inquit, esses aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo, Alludens ad gustum subcalidæ aquæ, quæ citius nauseam commouet, quàm si vel calida omnino esset, vel frigida. Potest tamen haud ineptè & perficere / hic usurpari pro eo, quod est, perseverare vsq; in finem: in quo plus etiam est difficultatis, quàm in eo, quod est, & velle, & operari bonum. Ad quam ideo perseverantiam singulare auxilium & fauorē agnoscūt theologi esse necessarium, præter illud, quod requiritur ad ingrediendum salutis viam. Est autem hic vnus, quem ex locis sacris pro se adferebant Pelagiani, dicētes, Saltem incipere opus iustitiæ apud Deum, esse à nobis: nam velle inquit, adiacet nobis. Erant autem vel in hoc iniqui hæretici, quod non auscultabant Paulum illis alibi respondentem. Ait enim Philippensibus, Deus qui operatur in vobis & velle & perficere. Et Corinthiis, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis: quæ tamen cogitatio voluntatē antecedit. Igitur vbi ait / velle adiacet mihi / nō negat, quin illud sit quoq; donū Dei (loquitur enī in persona viri iusti de voluntate illa, quæ grata est Deo) sed hoc planè sibi vult, quod velle multis donatur, quibus non protinus datur perficere, vti expositum est. [Non enim quod uolo bonū, hoc facio, &c.] Hæc verba eadē propemodū sunt, quæ supra sunt exposita: nisi quod illic formā habebant propositionis, hic autem cōfirmatæ iam conclusionis. Atqui per hoc mihi suadet, illic superius non esse in Paulo voces illas / bonū / malum / nā aliās, non repetisset hæc verba, quæ omnino essent eadem. Sed cū illic in consulo dixisset / Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio / nunc explicatius ex dictis cōcludit, qd illud sit / quod volo / quidq; illud / quod odi / nēpè quod alterū sit bonū, alterū verò malū. Cetera illic enarrata sunt.

*Apo. 3.*

*Ad perseverandum requiritur auxilium.*

*Pelagiani.*

*Philipp. 2.*

*2. Cor. 3.*

Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Perseuerare etiam nūc pergit in tractanda pendendaq; illa bimembri propositione / lex spiritualis est, ego autem carnalis. Quorum prior membro appendit prius corollariam hanc expositoriam conclusionem, moxq; posteriori alteram. Dixerat legem spiritualemente, oculum semper habens ad legem Mo-

ritualitatem ergo eius elucidat, sic inferens ex iis quæ dicta sunt. [Inuenio igitur legem, &c.] Hæc veruntamē conclusio non vno, nec simplici quidem modo exponitur. Est enim, vt Orige. Chryso. & Theophy. fatentur, obscura & trunca, alicuiusq; appetens supplementi. Atqui doctores isti, Ambrosiusq; & ad Bonifacium August. omnes illam interpretantur de lege Moſis, cuius & bonitas & pariter necessitas hic asseritur (vt aiunt) ab Apostolo: fuit enim necessaria ob malum illud, quod in carne abditum est nostra. Ob idq; Orige. ita paraphrasticè legendum censet / Igitur quia malum mihi adiacet, volens facere bonum, inuenio legem Dei, & condelector ei, &c. Perparum differenter Chryso. Legem inquit, inuenio patrocinantem mihi volenti bonum facere: scilicet, contra malum, quod adiacet mihi. Et pariter Theophyla. quò & Ambro. propendet. Neq; profectò illud admodum respuerem interpretamentum, quod ab aliis excogitatur: videlicet, Inuenio legem, volenti mihi facere bonum ostendentem, quòd malum illud, quod inuitus facio, mihi adiacet, non ipsi legi. Arridet enim hæc paraphrasis superiori sententiæ, qua dictum est, non legem, sed malum, quod in me habitat, causam esse in me peccati & mortis. At licet hunc sensum de lege Moſis ob egregiã authoritatem tantorū Patrum amplecti debeamus: in quorum gratiam, hanc ego feci diuisionem textus, vt id quod sequitur / cōdelector legi Dei / esset veluti appositio ad id quod præcesserat / Inuenio legem / Nihilominus tamen in tonare hic aliud poterit Paulina mens cuiuspiã auribus: nempe vt cum ait / Inuenio legem / illam membrorum intelligat, vt dictio / quoniam / non sit causalis, sed sit potius veluti coniunctio / quòd. Hoc modo, Inuenio legem volenti mihi facere bonum, legem, inquam, hanc, quòd adiacet mihi malum, eandemq; adeò cohibentem, ne quod volo facere bonum, hoc agam. Vt deinde transitum faciat Paul. ad bonam legem, dicens / condelector enim, &c. Et rurſus reuertatur ad explicandam legem membrorum / video aliam. Quauis tunc melius esset / autem / q; enim. Nam / enim / cū reddat causam superioris sententiæ, patrocinari videtur priori sensui, quem doctores sequuntur: quæ ideò tenendus est, vt totus hic textus de lege bona, subsequens verò / video autem / de mala audiatur. [Condelector enim legi Dei / scilicet / interiore hominem.] Eandem hic legem Moſis cognominat legem Dei: interiore

autem hominem, intellectualem partem nuncupat, in qua est Dei imago, mentem scilicet, spiritum & rationem: qui quidem homo interne officia sua & munera complet per voluntatis arbitrium. Ad differentiã partis sensualis, quæ circa res corporeas versatur, & per corporeos sensus forinsecus mouetur, & sæpenumero extra rationis lineam. Igitur distinctio inter hominem interiorem atq; exteriorem non eadem est, quæ inter animam & corpus. Nam homo nomen suppositi est, non partis: sed ea quæ inter hominem, quatenus ratione & intellectu viget, quibus vitur contra inclinationem sensus, & eundem hominem quatenus sensuali appetitui obsequitur præter rationis ordinem. Eosdem appellat Eph. 4. Veterem & nouum hominem. Inter quos & certamen illud est, de quo ait ad Gala. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Igitur vt supra dixerat / Cōsentio legi, quia bona est / ita & modò / cōdelector legi. Neq; ait solùm, quòd voluntas condelectatur, sed ipse: quia quòd iudicio & voluntate fit, id homo absolutè facit. Et ait / Cōdelector / geminam insinuans voluptatem, alteram carnis, alteram legis, ostendentis malignitatem carnis. Et ideo insinuat, quòd licet secundum externum hominem condelectetur carni, secundum tamen internum condelectatur legi Dei. Imò qui eouſq; sanctitatis, quòd Paulus, fuerit progressus, angelum quidē pati potest colaphizantē, haud tamen voluptatem carnis, quæ oblectet.

Video autem aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mēbris meis. Post declaratam particulam priorē supra assertæ conclusionis, lex spiritualis est, attextit a modo & alterius expositionem, puta, ego autem carnalis venundatus sub peccato: Ait ergo / Video aliam legem in mēbris meis. In mēbris inquit, sicut supra dixerat / in me / hoc est, in carne mea, vt membra contra interiorem hominem collocet, quem iam nunc denominat mentem, in qua inscripta est lex Dei. Et ideo ait / aliam legem repugnantem legi mentis. Quatuor ergo nobis leges suggerere hoc loco videtur Paulus, duas duabus alteris oppositas: scilicet, legem membrorum, legi mentis repugnantem: & legem peccati, legi etiam Dei aduersantē. Et quauis simplicius forsan alicui existimetur, legem mentis in eandem cum lege

Distinctio inter hominem interiorem & exteriorem.

Eph. 4.

Gala. 5.

Quatuor leges.

Dei

Dei coincidere, sicuti & legem membrorum cum lege peccati, non nihil tamen fortè discriminis ex rerū natura scrutari possumus. Etenim inter legem mentis, legemq; Dei ita differt, vt inter effectum & causam: est enim lex mentis nihil aliud quàm impressio in mente, & participatio quædã legis æternæ Dei: lex autem membrorum est inclinatio naturalis potentiis sensitiuis ingenita, & per membra diffusa, quæ in sua obiecta secundum vim suam totam profiliunt: hæc etenim inclinatio lex naturæ dicitur: sicuti lex ignis est, sursum ferri: lex autē grauis, deorsum cadere: at lex peccati est impetus idem, quatenus voluntatem à ratione deflectit: illa enim est linea & norma, seu potius obliquitas, in qua consistit ratio peccati. Dicitur ergo lex peccati, quia sicut lex Dei dirigit mouetq; nos & ducit ad bonum rationis, ita & illa membrorum inclinatio dirigit, seu proprius, à ratione in obliquum diuertit nos ad malum. Vel nuncupatur lex peccati, ex eo quòd est quasi posita & præscripta à primo peccato Adæ tanq; eius effectus, ea ratione qua per illam præuaricationem dissoluta est concupiscētia freno originalis iustitiæ. Quinimò & à Deo quodammo posita est. Nō quòd Deus intentus fuerit ad malum, sed quòd est effectus diuinæ legis, per quam talis mala inclinatio posita est in pœnam peccati, atq; adeò inflata lapsæ naturæ ad exercitium. Itaq; eadem inclinatio diuersis rationib; & lex membrorum est, & lex peccati. Quapropter, vt de diuersis discretè fatur Apostolus, ait, quòd lex membrorum captiuat hominem in lege peccati, quæ est in mēbris. Ex eo enim quòd inclinatio illa & conatus nature quæta vi potest fertur in sensibilia, fit, vt voluntatē extra lineas rationis pertrahat, vbi fit mancipium peccati. Igitur dimicat lex membrorum repugnando legi mentis, eò quòd ad diuersa conatur: vincit autem dum cedit voluntas desciscitq; à ratione in regnum peccati. Et annuit Paul. hoc verbo captiuitatis, ad id quod supra dixerat / Cum serui essetis peccati. Quapropter de verbo hoc coniecturam faciebāt illi, qui arbitrabantur hæc Paulum nō de se, sed sub iniquorum persona asserere, siquidem ipse non erat captiuus sub lege peccati. At verò sub iugo esse peccati, non solùm ille censetur, qui peccato seruit, sed ille etiam (quauis alio significato) qui molestias perfert, quas lex nobis peccati faceffit.

Lex peccati.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruius legi Dei, carne autem, legi peccati. Claudis ergo orationem, quam inde exorsus est, vbi dixit, Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mortē inoleuisse. Hanc vtiq; mortis elegiam terminat exclamatiōe hac interrogantis, & responsione, & conclusione: que niam trimēbris est textus præsens. Peccati etenim sauissimam seruitutem, quam in carne mortali perpetimur, magna hæctenus exaggeratione prodidit, à qua nec per legem poterat, nec per gratiam videbat se liberari: nam rogauerat à se amoueri angelum, qui ipsum colaphizabat, à qua petitione fuerat repulsam passus. Igitur quasi sub iugo pressus altissimum ædit suspirium. [Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?] In græco quoniã idē est casus ablatiui & genitiui, amphibolum est pronomen, vtrum legendum est, De corpore mortis hoc, an, De corpore mortis huius. At verò non solum Latini, sed Chry. & Orig. legunt / mortis huius. Et est sensus, Quis me liberabit de corpore, in quo hoc genus mortis adeò inoleuit, vt ferè inuitos homines contra legem & gratiam Dei sub iugum redigat peccati. Non ergo simpliciter corpore, quatenus sedes & organum naturale est animæ exiucipit: sed exoptat eo exonerari, qua ratione subiectum est corruptioni, eò quòd corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vbi et aliud designat spirituale corpus, in quo appetit viuere. Vnde. 2. Cor. 5. Nolumus, inquit, ex 2. Cor. 5. poliari, sed superuestiri. Et veluti qui optime nouit rationem veræ infelicitatis & miseræ, ita se infelicè arbitrat, quòd villo sit pacto legi peccati obnoxius. Misera enim & calamitas nulla est, nisi quæ à peccato existit. Vera miseria. Porro autem exclamatio hæc testimonio est, suam hic Paulum personam repræsentare: haud nanq; de tam profundo pectore haurire hoc suspirium poterat. Quis me liberabit de corpore mortis? nimirum euellente nos à lege Dei, nisi qui eodem affectu & seruore alibi resonat, Quis nos separabit à charitate Christi? Sed quanto hic pudore, vecordia, imò cæcitas, duritiesq; nostra perfunditur. Ingemiscit lamentabiliter Paulus, dissolui cupiens corpore, vnde periculum imminebat peccandi, nobis autē adeò nullus inest flagitiorum nostrorum sensus, vt in eorum vinculis, non

Amphibologia græca.

Vera miseria.

Vecordia humana.

N 5 absq;

Orige.

Chryso.

Coniectura authoris.



absq; gemitu modò, verum absq; villo metu  
iaceamus. [Gratia Dei per IESVM CHRISTVM  
dominum nostrum.] Chrysof. & Theophyl. atq;  
ad Algassia Hiero. nò legunt/Dei/sed/Deo/  
puta/Gratias ago Deo. Quam lectionem re-  
centiores interpretes amplexi multis verbis  
contendunt persuadere. Et fatemur in codi-  
cibus modò græcis ita plurimū legi. In non-  
nullis inquam citra controuersiam per ver-  
bum, ευχαριστω, quod est, gratias ago, in aliis  
verò non est nisi gratia Deo. At verò si pro-  
positum hic phrasimq; Pauli, solennemq; ip-  
sius loquendi morem isti obseruassent, non  
adeò pugnauerunt illam propugnarent lectio-  
nem, sed in hanc potius vulgatam subscribe-  
rent. Hanc enim hic, quicquid ipsi fingat, ma-  
gis videtur sequutus Orige. & replicatissime  
apertissimeq; inculcat Ambro. et citra vllam  
controuersiam vbiq; Aug. quorum verba le-  
ctori cõmittimus speculanda & perpenden-  
da. Et primū vt ipsis respondeamus, si græ-  
ci codices ita quoq; ipsis latentibus, variant,  
vt in nonnullis extet verbū, ευχαριστω τῷ θεῷ,  
in aliis verò, ευχαριστω τῷ θεῷ, gratia Deo, cur no-  
bis non similiter liceat conuicere, sola vna li-  
tera nomen olim variasse, vt fuerit in pluri-  
mis gratia Dei/quemadmodum trãstulit no-  
ster interpret? Quòd autem ad intentionem  
Pauli dictionemq; eius attinet, quantò sit ac-  
comodatius gratia Dei/quam/Deo/palàm  
liquet. Interrogauit enim ore functus (vt su-  
pra diximus) humani generis/Quis nos libe-  
rabit de corpore mortis huius? Et respondet  
(vt ait Orige.) apostolica autoritate, quòd  
nec lex, nec nostrorum operum meritum, sed  
sola Dei gratia per IESVM CHRISTVM. Id  
quod prothema ipsius est, & perpetuū pro-  
positum in hac epistola. Vnde supra cap. 3.  
Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et Ephe.  
2. Gratia estis saluati per fidem. Quin & pla-  
nè verbum illud CHRISTI referre hic Pau. vi-  
detur, Si vos filii liberauerit, verè liberi estis.  
Sed aiunt isti, Ipsa quoq; gratiarū actio præ-  
se ferret liberationem hanc Deo acceptam re-  
ferri. Fatemur quidem, at non ita lucidè gra-  
tias enim non ageret Deo Paul. nisi benefici-  
um ante commemorasset. Sed argumentan-  
tur rursus, quòd responsio gratia Dei/non  
adeò poterat quadrare in personam Pauli:  
nam ipse non erat per gratiam liberandus,  
cum esset iam liberatus. Hoc tamè argumen-  
tum minorem vim præfert, quàm cui opus  
sit longa responsione: nam si interrogatio-  
nem fecit nomine illius, qui iacet in culpa

Variat le-  
tio.

Orig. &  
alii.

Gratia  
Dei.

Ephe. 2.

Ioan. 8.

peccati, eidem indubiè autoritate apostoli-  
ca respondet, & ita infractum est argumen-  
tum: si verò nomine iusti, qualis ipse erat, hi-  
quidum inde fit, vt ei quoq; respondeat. At  
liberari à corpore mortis, non est liberari so-  
lùm à præfenti culpa, sed à grauamine & pon-  
dere moribundi corporis, cū quo nobis mo-  
lestissimū est certamè, atq; à periculo, quòd  
inde iusto etiam imminet relabendi. A qui-  
bus profectò malis etiã iustum gratia CHRIS-  
TI iugiter liberat, corrumpendo indies ho-  
minem qui foris est, & innouando illum, qui  
est intus, quoadusq; absumpto corpore mor-  
tis huius reformet corpus humilitatis nostræ,  
configuratum corpori claritatis suæ. Quini-  
mò consonat & locus præfens illi. 2. Cor. 12.  
vbi ter rogati liberari ab angelo colaphizan-  
te, responsum ei est, Sufficit tibi gratia mea:  
per hanc enim ait modò, liberari à corpore  
mortis. [Igitur ego ipse mente seruo legi Dei, car-  
ne autè legi peccati.] Qui Paulum animadu-  
erit, solitum esse sermonè absoluere illo ver-  
bo/Per IESVM CHRISTVM/arbitrabitur for-  
san illic fieri finè præcedenti cap. hic autem  
subsequentis initium: at verò non est hæc nisi  
conclusio totius antecedentis orationis. Con-  
fert enim disputationis summam in hæc duo  
verba. Si hæc autè duo mēbra ad personā iu-  
sti ambo referantur, qui propriè seruit legi  
Dei, intelligendus est hoc penitus modo ser-  
uire legi peccati, quòd caro in ipso, citra con-  
sensum in lethale crimen, bellum gerit aduer-  
sus spiritū: si autè (quòd minimam habet pro-  
babilitatem) de iniquo hæc audias, qui pro-  
priè seruit legi peccati, illum dicere debes, ser-  
uire legi Dei, qua ratione neq; in peccatore  
extincta est consciētia, sed continenter recla-  
mat aduersus carnem. Quòd autè fortè men-  
ti Pauli proximum arbitraret, est, vt diuer-  
sos hic status hominum comprehendat, pec-  
cati scilicet & gratiæ, quos ab illo loco/sed  
peccatum nò cognoui nisi per legem/depin-  
xit. Et sic vtrunq; membrum tam seruire legi  
Dei, q̄ seruire legi peccati, propriè vsurpabi-  
mus: ita vt velit cõcludere, quòd in hoc per-  
tinacissimo prælio inter spiritum & carnē vi-  
cissitudo est: dum quãdoq; victrice mēte, ser-  
uimus legi Dei, quandoq; autè, superate car-  
ne, obsequimur legi peccati. Tractauim⁹ autè  
hunc locū lib. 3. de na. & gra. aduersus Luthe-  
rum, qui adeò retinere pertendit errorem il-  
lum, quòd motus quicunq; concupiscētiæ es-  
set inuitabile peccatum, vt alia fuerit corre-  
ptus insania: scilicet, quòd omne opus iustū,  
esset

2. Cor. 12.

Mens  
Pauli.

Lib. 3. de  
na. & gra.  
Lutherani.

esset simul & bonū & malum. Quamobrem  
verba hæc Pauli non solùm ad eundem sta-  
tum personæ, verum ad eandem actionem  
accommodat: quæ quatenus à mente profi-  
ciscitur, bonam esse ait, sed quatenus proce-  
dit à carne, nihilo minus viciatam & malam:  
vnde colligit per nullum opus implere nos  
posse in hac vita dilectionis præceptū. Hanc  
veruntamen repugnantiam boni & mali in  
eadem actione nemo sanè mentis potuisset  
concipere, sed qui ingenio erat, secum re-  
pugnante.

CAP. OCTAVVM.

Nihil ergo nunc damnationis est  
iis, qui sunt in Christo Iesu, qui  
non secundū carnem ambulant.  
In capite quinto post honorū enarrationē,  
quæ nobis contulit fides, commemorare illa  
instituit, à quibus nos quoq; liberauit. Vnde  
illic de ablatione ab originali macula dispu-  
tauit, & in cap. 6. de protectione ab actuali-  
bus, & in septimo de absolutione à lege vete-  
ri: ex quibus in hoc tandem capitulo conclu-  
dit, ab omni nos deniq; damnatione seruisse,  
tā culpæ, quàm pœnæ. Quò fit, vt caput hoc  
quædam expositio totum sit eorum, quæ hæ-  
cenus docuit. Est veruntamè aureum, & in-  
ter omnia huius epistolæ illustrissimū: in quo  
videlicet cum de spiritus muneribus differe-  
re statuisset, spiritus ipse diuinus pleno numi-  
ne in eius pectus illapsus videtur: cuius ideo  
suauitate & fragrantia singulis verbis redo-  
let, charismatibusq; diffudit & exundat. At-  
qui, vt aliquam diuisionis lucem præmitta-  
mus, in quatuor partes fieri potest sectio hu-  
ius capituli. In hoc enim primo membro con-  
stituit Apost. quòd spiritu & gratia CHRIS-  
TI seruati sumus à damnatione culpæ: in se-  
cundo, illinc scilicet /Quòd si spiritus eius/  
quòd sumus erepti à corporali morte: & in  
tertio, puta ab illo verbo/Similiter autem/  
quòd per eundem spiritum protegimur ab  
incommodis præfentis vitæ: ac deniq; postre-  
mò vbi ait/Quid ergo dicemus, concludit,  
nullam aduersus eos, qui membra sunt CHRIS-  
TI existere posse hostilitatis, vel impugna-  
tionem, vel accusationem. Igitur ex illo ser-  
uili statu antiquæ legis, vbi seruierant homi-  
nes peccato & morti, ex illaq; rixa legis  
membrorum cum lege mentis, veluti ex abis-  
su quadam vt voragine in lucem euangelicā  
emergens, in hanc conclusionem prorumpit,

Comēdatio  
huius capi-  
tuli.

Distri-  
butio.

quæ capitalis est huius capituli. [Nihil ergo  
damnationis est iis, qui sunt in CHRISTO IESV.]  
Inde nobis tamen luculentior fiet illatio, &  
quæ sublequantur perfectiora, si mentē Pau-  
li retineamus, quam hæcenus perpetuò ob-  
seruauimus de duobus malis, scilicet peccato  
& morte, in quas nos miserias præuaricatio  
Adæ cõiecit. Cum enim in calce proximi ca-  
pitis illa exclamatione conclusisset/Quis me  
liberabit de corpore mortis huius? Et respō-  
disset/Gratia dei. Inde modò infert/Nihil er-  
go nūc damnationis est iis, qui sunt in CHRIS-  
TO IESV. Ac si dixisset, Cum hæc duo fuisset  
mala, quorum eramus condemnati ob  
delictum Adæ, scilicet culpa peccati & pœ-  
na mortis, monstratumq; in superioribus fue-  
rit, per gratiam CHRISTI, peccato contrari-  
am, reuocatos nos esse in vitam æternam, fit,  
vt nulla sit nobis damnatio reliqua, neq; à le-  
ge peccati, neq; à lege mortis. Potest itidem  
& tanquam conclusio induci illius/nò quòd  
volo bonum, hoc ago, sed quòd odi malum/  
Et/Non ego iam operor illud, sed condele-  
ctor legi/ac si dicat, Quauis caro contra spi-  
ritū insultās molestias exhibeat iis, qui sunt in  
CHRISTO IESV, nihil in eis tamen est dam-  
nationis, quia dum non consentiunt, non ipsi  
operantur illud: sed peccatum, quòd per con-  
cupiscētiā habitat in carne. Ait verò/nūc/  
primū ad differentiam elapsi temporis an-  
tiquæ legis, quam supra appellauit legē mor-  
tis, eò quòd per eius occasionē peccatorum  
passiones constabantur. Et præterea forsan  
ad eximendum scrupulum, ne quis suspicaretur,  
exemptionem hanc ab omni damnatio-  
ne non fieri per CHRISTVM in hoc seculo  
vsq; ad futurū, pro eo quòd visus est hucusq;  
Paulus conqueri, quòd nò faceret quòd vel-  
let bonum, sed quòd odisset malum, neq; li-  
berari in hac vita posse à corpore mortis hu-  
ius. Est ergo mens Apostoli dicere, quòd cū  
sub antiqua lege, vbi tantum erat fides veni-  
turi CHRISTI, eademq; tunc exilis, peccatum  
per mandatum reos plurimos fecisset, atque  
adeo indies acriori damnationi obnoxios,  
nunc per legem spiritus effusi in nos abundè,  
est rixa illa & præliū in corpore mortis per-  
duret, nihil inde tamen damnationis (si vim,  
copiamq; & affluentiam gratiæ spectes) con-  
trahunt ii, qui sunt in CHRISTO IESV. Hoc  
autem postremo verbo admonemur, benefi-  
cium hoc non vniuersos mortales, sed illos  
penitus, qui fide per sacrum baptisma illi co-  
pulantur suscipere, eò quòd sunt in ipso sicut  
palma

Capitalis  
conclusio.

palmites in vite, in qua qui non manserit (vite id ipsa testante) non potest fructum ferre charitatis. At verò ut segnes ac desides com monefaciat, quòd non confestim, vt quis fuerit incorporatus **CHRISTO**, nimium securus esse debet, quoniam neq; est adeò tutus, quin possit in eandem damnationem recidere, adiungit. [Qui non secundum carnem ambulat.] Hoc est, qui non secundum carnem militat, **2. Cor. 10.** Vnde, **2. Cor. 10.** In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Militat enim secundum carnem, qui (vt supra dixerat) per spontaneū assensum exhibet membra sua arma iniquitati. In nonnullis quidem græcis exemplaribus adiectum legitur sed secundum spiritum, quam adiectionem Orig. Theophylactusq; videntur legisse: Latini verò omnes eam subtrahunt: est autem paulò inferius expressa, & hic potest facile subintelligi. Offert se hic veruntamē dubitatio. Videtur quippe nullum interstitium designare Paul. inter Patres sub veteri lege, & Christianos sub lege euangelica: nam pari iure qui tunc olim per fidem erant in **CHRISTO IESU**, neq; ambulabant secundum carnem, nihil habebant vnde damnarentur. Sed est responsio, id Paulum minimè negare, vult autem explicare, primū (vt modò dicebamus) quòd Spiritus sanctus copiosius, per pluraq; sacramenta nobis illapsus, multo nobis maiores vires sufficit ad expugnandam carnem, quam illis: ob idq; quantum ad naturam potentiamq; gratiæ in hoc tempore attinet, tum liberiores sumus à damnatione, tum pariter maiori condemnatione digni, si cum tam multis auxiliis superari nos à carne permittimus. Sed præterea quacunq; antiqui Patres sanctitate pollerēt, non prorsus erant liberi à damnatione. Relegabantur enim in limbum, vbi præstolarentur aduentum **CHRISTI**, qui precium persolvens debiti, panderet aditum regni. Quocirca liberatio à damnatione hoc tēpore **CHRISTI** consummata est. Duplicis hic autem erroris admonitum esse lectorem operæ precium est. Fuerunt enim qui hoc loco decepti arbitrati sunt, omnes concupiscentiæ motus in infidelibus, illos etiam primos rationem præuenientes, esse mortalia crimina. Sic nimirum argutantes, Infideles qui non sunt in **CHRISTO IESU**, subsunt damnationi, quocunq; ergo opere seruiunt legi peccati originalis, secundum carnis prudentiam, quæ inimica est Deo. Nulla hoc tamen probabilitate colligitur ex hoc loco. Etenim naturales motus, vt

nullam habent rationem voluntarii, ita neq; vllam habere possunt rationē peccati, adeò annexum, innatumq; peccato est, vt sit voluntarium. Quinimò si illæ naturales titillationes peccata essent infidelibus, grauioris essent culpæ fidelibus: vt qui vigilatius deberemus eas præscindere ob maiorem qua suffusi sumus luce fidei. Id ergo tantummodo sibi vult Paul. quòd qui non sunt in **CHRISTO IESU**, non sunt liberi à damnatione: seruire autem legi peccati per carnos naturæ insultus citra voluntarium assensum non est damnabile: quin hoc non est ambulare secundum carnem (quod ait Pau.) sed volūtariè incedere gressibus carnis, hoc est, secundum eam ambulare. Quocirca neq; voluntaria infidelium opera, genere suo bona, nisi vel iniquum eis finē præstituant, vel circumstantiam prauam adiungant, eò tantum quòd extra fidem fiant, sunt peccata: vt parētes colere, & naturalem fidem amicis seruire, &c. Id quod in fine lib. 1. de na. & gra. abundè disputauimus. At verò & alia Lutheranorū phrenesif, cuius iam dudum meminimus, hoc verbo Pauli confutata repellitur. Aiebat enim ille nouorum inuentor adeò motus concupiscentiæ quoscunq; intimè esse peccata, vt neq; per baptismum remittantur, neq; per aliud sacramentum, sed hoc prorsus effici per fidem, vt nō imputentur: quam amentiam eodem opere lib. 1. & 3. effulissimè expugnauius. Eandem ergo hic Pau. proferat, vbi ait nihil damnationis esse iis, qui sunt in **CHRISTO IESU**. At perpè de Lutheranorum cauillum. Aiunt, nō dixisse Paulum Nihil peccati est sed Nihil damnationis quasi actus concupiscentiæ peccatum sit, damnatione dignum: sed in viro tamen iusto non damnatur, quia per fidem non imputatur. Ecquid autem inconsideratius, sed & quid absurdius dici potest, quàm manere in homine peccatum damnatione dignum, quòd ab æquissimo Deo, cui odio est omnis iniquitas, non damnetur? Imò quid repugnantius est verbis **CHRISTI**, quàm quòd in eo, cui per eius gratiam sit peccaminum condonatio, restet quidpiam damnatione dignum? Ait enim Ioan. 17. Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Et Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et Paul. Renouamini in iustitia & sanctitate veritatis: at vbi peccatum verè relinqueretur, ibi profectò nō esset vera sanctificatio, vera liberatio et vera renouatio, vt hisce sacris elogiis enunciat, sed certè ficta.

Lex

Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Subscribit causam prædictæ liberationis, eandemq; verbis accommodatissimis. At ineptissimi profectò sunt & morosissimi, qui elegantiorē versionem existimant / à iure peccati / quàm / à lege peccati / est enim græcè / νόμος / quod verbum nō accipitur hic pro, iure: hoc est, pro ditione & dominio peccati, sed certè pro lege, quæ occasio erat peccandi: vel pro irritamento carnis inclinante & mouente ad peccandum, quæ dicta est lex membrorum. Nam vt omnes hic expositores agnoscunt, confert hoc loco Paul. legem spiritus cum præfatis supra legibus. Quatuor quippe leges prænotauimus in fine superioris capituli, scilicet, legem membrorum repugnantem legi mentis, & legem peccati aduersantem legi Dei: quintam ergo hic subdit legem spiritus vitæ. Etenim quoniam à duplici damnatione, quam per Adam incurrimus, scilicet, peccati & mortis, liberi facti sumus per **CHRISTVM**: legem eius, cognominat legem spiritus, cōtra peccatum: & legem vitæ, contra mortem: venustissima ergo oppositio est. [Lex enim spiritus vitæ in **CHRISTO** liberauit me (hoc est genus humanum) à lege peccati & mortis.] Igitur veluti supra inter legem membrorum & legē peccati, inter legemq; mentis & legem Dei nonnullam rationem differentiæ dignouimus, ita hic inter legem mentis et legē spiritus vitæ fieri potest. Lex quippe mentis est naturalis impressio legis Dei in mente nostra, quæ ideo legem naturalem simul & Moysi, quantum ad moralia præcepta amplectitur: lex autem spiritus vitæ, est lex supernaturalis, puta fides infusa, quæ velut lex quædam & norma nos instituit quò debeamus legis opera referre, & vnde auxiliū poscere ad faciendum ea. Fides inquam quæ per charitatem, cæterasq; virtutes operatur. Hæc nanq; virtutes sunt, quibus gratis in vitam spiritualem renascimur per Spiritū sanctū effusum in nos abundè. Vnde, authore hic Chryostomo, cum legem Moysi superioris Apostolus appellasset spiritualem, vbi ait / Scimus quoniam lex spiritualis est / legem **CHRISTI** honorificentius denominat legem spiritus: nempe quòd illa à Spiritu sancto data est tantummodò, hæc verò omnibus, qui illam susceperunt, Spiritum sanctum abundè impertitur. Sed age hanc toties recurrentem differentiam legum Moysi & euangelicæ se-

Discrimē legis Moysi &amp; nostræ.

mel examinemus. Lex nanq; Moysi, si præcepta consideres moralia, eadem erat quæ nobis data est: quæ quidem præcepta neq; tunc, neq; modò absq; fide & gratia **CHRISTI** sufficiunt ad salutem. Si verò fidē & reliquos habitus spectes, quæ naturæ imbecillitati superfunduntur, vt necessarii ad salutem, non alii nobis, quàm illis, qui tunc iustificabantur impenduntur, neq; minorem in illis habebāt efficaciam ad reconciliandum & dignè implendam legem. Quid ergo est, quòd lex euangelica vocatur lex spiritus, de qua olim Ierem. prædixit, Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Et Paul. Epistola estis **CHRISTI** ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viuī, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Vbi & subdit, Quòd litera occidit, spiritus autem viuificat: Ad hoc dubium iam partim responsum à nobis est cap. 6. super verbo / Non estis sub lege, sed sub gratia / Eadem quippe ratione qua nostra dicitur lex gratiæ, videlicet quia lata est per **IESVM CHRISTVM** datorem gratiæ, tempore quo eandem nobis gratiam reconciliationis meruit, lex quoq; dicitur spiritus vitæ: non quòd idem spiritus per fidem ipsius **CHRISTI** non illaberetur etiā tunc cordibus Patrum, sed quòd Deus legem illam dedit scriptam in tabulis, quæ ideo nō viuificabat, neque verò promulgator eius Moyses, sed tamen lex nostra viua voce ab ore ipsius **CHRISTI** filii Dei, Spiritus sancti officio concepti, transmissa est in audientium mentes. Cum eiusq; simul voce sese Spiritus sanctus insinuabat in audientium pectora ad suscipiendum verbum. Vnde & populi confitebantur verba eius esse verba æternæ vitæ: & mirabantur quòd doceret, sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi. Et eandem cōcessit apostolis Spiritus sancti potestatem: quam obrem in ciuitate sedere iussi sunt, donec infunderentur virtute ex alto, ne humana facultate crederentur prædicare. Et alibi, Sicut misit me viuens pater & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remissa erunt. Sed præterea lex illa plurimum in cerimoniis posita erat, quæ non viuificabant, sicut sacramenta nostra: & quantis per vnum circumcisionis sacramentum, quod ante legem traditum fuerat Abrahæ, fides applicata originale culpam deleret, tamen nullum erat tunc aliud sacramentum per quod aucta illis gratia vigeret,

Iere. 31.

2. Cor. 3.

Ioan. 6.

Ioan. 20.

104

ret, neq; vllum per quod relapsi possent recu-  
perare gratiam, neq; per quod sibi alimonia  
spiritualis contra pugnam carnis præberetur,  
qualia nobis indulgētia suffectaq; sunt, velu-  
ti carnales, per quos sanguis CHRIS TI per-  
meās, spirituale nobis gratiā sumministraret.

Nam quod impossibile erat legi in  
quo infirmabatur per carnē: Deus fili-  
um suum mittēs in similitudinem car-  
nis peccati, & de peccato damnauit pec-  
catum in carne, vt iustificatio legis im-  
pleretur in nobis, qui nō secundum car-  
nem ambulamus, sed secundum spiritū.  
Probat iam modō legem spiritus in CHRIS-  
TO homines liberasse à lege peccati, mox  
in secunda parte capituli nos quoq; seruasse  
à lege mortis. Vtitur hic autem admirabili  
verborum compendio, quibus antidotum sa-  
lutis nostræ speciosissima oratione ac rerum  
contrapositione declarat, CHRIS TI videli-  
cet incarnationis & necessitatem explicans,  
& modum, & fructum. Prodidit enim huc  
usq; latissima disputatione legis infirmitatē,  
quæ præterquam quod peccati rationem ape-  
riat, nihil præterea auxilii præstabat spiri-  
tui aduersus carnem: & ideo neq; sufficiebat  
ad iustificandum, neq; ad perficienda legis  
opera. En necessitatem, ob quam misit Deus  
filium suum, qui nos tum iustos faceret, tum  
etiam adiuuaret ad implendam legem. Mo-  
dus autem fuit, vt in carne simili carni pecca-  
ti infirmitati languentis nostræ carnis mede-  
retur, & de peccato damnaret peccatum, &  
morte vinceret mortem, & per resurrectio-  
nem in nouam vitam restitueret nobis vitā,  
atq; adeo supremus fructus iustificationis cō-  
pleretur in nobis. [Nam quod impossibile erat le-  
gi.] Græcè est in genituo/quod impossibile  
erat legis/id est, quæ impossibilitas, seu impo-  
tētia erat legis (quæ admodū legit & Ambr.)  
At verò operæ precium fuit, græcanicā phra-  
sin lucidiorem latinè reddi per casum dandi:  
quem admodum Latini propemodum legūt  
& Orige. At nunquam oblitus Paul. hono-  
ris legis, apologiam & hic quoq; ipsius sub-  
orditur, quia non ait, illam fuisse malam, sed  
imbecillam, infirmamq; & minimè effica-  
cem: neque verò infirmitatem illi impingit,  
quasi intrinsecus inhærentem, sed quasi ex-  
trinsecus ratione carnis ei adiacentem. Ob-  
idq; subdit. [In quo infirmabatur (puta lex) per  
carnem.] Id est, qua parte carnis incurfioni-  
bus & pugnis infestabatur, ne præstare ho-

mo posset bonū, quod volebat, sed id quod  
nolebat faceret. Quò verbo illuc respexit,  
vbi dixerat, Cum essemus in carne, passiones  
peccatorum quæ per legem erant, operaban-  
tur in membris nostris. Eò videlicet quod  
lex non opem ferebat ad operandum, quod  
præcipiebat. Sed subiit me hic tamen ratio  
nonnulla hæsitandi: nam legis impotentia &  
infirmitas, ne efficax per se esset iustitiæ apud  
Deum, non illi accidebat ab infirmitate car-  
nis, sed ipsa est iustificationis natura, vt cum  
sit supranaturalis, vires cuiuscunq; creaturæ,  
& potestatem cuiusuis per se legis exuperet.  
Quocirca primi parētes in statu naturæ inte-  
græ, licet possent in natura illa sana ius omne  
implere, quantum ad substantiam operis, ta-  
men iusti esse apud Deum nequiverant, nisi  
per gratiam Dei: hoc est, per singulare eius  
auxilium præter originalem iustitiā. Respon-  
detur autem quod Paul. nihil hic horum dis-  
fitetur: at cum loquitur de statu hominis in  
peccato, in quo præter ipsam iustificationis  
excellētiā noua causa ratione carnis acce-  
dit, vt non solum nō valeat iustitiam prome-  
reri apud Deum, verum neq; legem totā im-  
plere, quò ad substantiam operis, priori cau-  
sa subtrahitur, huius solius, quam in superiori-  
bus discusserat, commemorat. [Deus filiū suum  
mittens in similitudinem carnis peccati.] Filium  
suum/vnigenitum eiusdemq; secum substan-  
tiæ. Misit/non creauit aut condidit, sed qui  
secum erat coæternus, eundem ad nos dele-  
gauit: nō vt esset, vbi non fuerat, nā in mūdo  
erat, ait Ioannes: nimirum qui per ipsum fa-  
ctus est, sed vt appareret, vbi inuisibili modo  
erat. Missio primū significat processionē,  
& hac ratione soli patri conuenit filium mit-  
tere, à quo & genitus est, sicuti patri & filio,  
Spiritus sanctum, qui ab vtroq; spiratur: at  
præterea significat opus extra in termino:  
quod quidem effectus est Dei ei ratiōe, qua  
est in trinitate vnus. Vbi ergo ait/quod deus  
misit filium suum/nominatione Dei, patrem  
intelligit, ad quem filius refertur. [In similitudī-  
nem carnis peccati.] Caro peccati/hebraismus  
est, pro eo quod est, caro peccatrix, vel caro  
peccato obnoxia: sicut/vas electionis/vas  
electum. Et filii iræ/filii obnoxii iræ. Nō ait  
præcise, in similitudinem carnis, nam verbum  
non per similitudinem, sed verè caro factū est,  
in qua & verè resurrexit: quam ipse verita-  
tem carnis contestatur, vbi ait, Spiritus car-  
nem & ossa nō habet, sicut me videtis habe-  
re. Contra quam tamē veritatem exorta fuit

Dubitatio.

Contra no-  
nos tradit-  
tores.Infinita tū  
iustitia, tū  
misericor-  
dia Dei.

Missio.

2. Cor. 5.

Gal. 3.

Infirmitas  
textus.

Luc. 24.

Mas

Manichæorum blasphemā, de phantastico  
CHRIS TI corpore, sed ait/in similitudinē car-  
nis peccati/quoniā neq; contraxit, neq; fecit:  
neq; (vt est. 2. Cor. 5.) peccatū nouit, eò quod  
(teste ad Mariā angelo) Spiritus sancti obū-  
bratione sanctus cōceptus est. Assumpsit au-  
tem vltro carnē peccatrici similem, dum ve-  
rè infirmitates nostras portauit, languoresq;  
tulit, quos nos in pœnam peccati necessariò  
patimur. Peior ergo q̄ curiosa est quorundā  
translatio hæc/sub specie carnis peccato ob-  
noxie/multò enim hoc min⁹ significat, q̄ pro  
rei veritate. Venit quippe CHRIS TVS in sa-  
cramento sub specie panis, licet naturā panis  
non assumat. At verò missum esse in similitu-  
dinem carnis peccati, significat, veram, ean-  
demq; naturā assumpsisse, quæ in nobis est  
peccatrix. Est hic veruntamē ad penitiorem  
meditationē verborū Paul. illud recolendū,  
quod iam diu confessi sumus, videlicet quod  
poterat Deus suā incōprehensibilē misericor-  
diā largitatē patefacere, condonando noxiā  
humano generi absq; vllò actu perfectę satis-  
factionis: attamē vt simul infinitæ suæ quoq;  
iustitiæ fieret satis, Deū decuit assumpta crea-  
ta natura ad iustum satisfacere. Sed & in hoc  
præterea, tum summa iustitia, tum etiā immen-  
sa eius opotētia diluxit, quod cū reparandus  
esset perditus homo, delendū scilicet eius pec-  
catum, sananda caro, mors elimināda, instau-  
randaq; eius vita, accommodatissimis antido-  
tis horū singula patefacit. Homo enim homi-  
nem redemit, qui (vt paulò ante dicebā) car-  
nis nostræ infirmitati, in carne sua absq; pec-  
cato infirma medicatus, mortem morien-  
do destruxit, & vitam resurgēdo reparauit.  
At verò quoniā fieri nequiverat, vt pariter  
per peccatū, peccatū subuerteret, vt rem ex-  
aggeraret, verbisq; q̄ maximè fieri posset,  
exornaret, ait/in similitudinē carnis peccati.  
Neq; verò id satis arbitratus, adiecit. [Et de  
peccato dānavit peccatū in carne.] Vt hac quo-  
que verborū collusionē rē & venustaret, &  
magis etiā redderet stupendā. Quam quidē  
emphasin vehemētius adhuc extulit. 2. Cor. 5.  
Eum qui nō nouerat peccatū, pro nobis De-  
us fecit peccatū. Et Gal. 3. CHRIS TVS nos re-  
demt de maledictō legis, fact⁹ pro nobis ma-  
ledictum. Contextus autē oratiōis huius siue  
græcè legas, siue latinè, non satis videtur esse  
perspicuus, sed appetēs potius supplemētū cu-  
iuspīam. Atqui primū vocula &/redundare  
videtur: inepta enim est coniunctio verbi,  
damnauit/cū præcedēti participio/mittēs/

neq; si accipiatur pro eo, quod est, etiā (vt  
aliqui volunt) videtur quodnam officiū ha-  
beat. Et præterea desiderari nonnulli putāt  
aliquid hic verbū, videlicet, vt legant/quod  
impossibile erat legi, hoc Deus suppleuit seu  
farcit, et præstitit, dum mittens filium suum  
de peccato dānavit peccatū/vel vt alii trāsfe-  
runt/Hoc Deus misso filio suo præstitit, ac  
de peccato condemnauit peccatum. At verò  
vt diffiteri nō possumus, quin luculētior fiat  
oratio per huiusmodi verba, est tamen para-  
phrasit potius, q̄ translatio: & ideo vna tan-  
tum coniunctione expuncta, nullo præterea  
opus est supplemēto. Sed sic optimè constā-  
bit lectio/quod impossibile erat legi, Deus  
mittēs filiū suum, de peccato damnauit pec-  
catum/ita tamē vt impossibilitas legis nō ad  
id referatur, quod est, filium mittere: ineptissi-  
ma enim, talis esset relatio, eò quod lex non  
habet filiū, sed ad id quod est, peccatū dā-  
nare: hoc est, destruire & abolere, quæ erat  
intentio legis, nō autē facultas, vt exprimitur  
in subsequēti verbo/vt iustificatio legis per-  
ficeretur in carne/At dubia restat intelligen-  
tia huius, quod ait/de peccato damnauit pec-  
catum. Et quidē Aug. lib. 3. cap. 6. cōtra duas  
epist. Pelag. triplicē expositionē attexit huic  
textui. Primam, vt nominatione hic peccati  
priori loco, humanitatē ipsam intelligamus.  
Et re vera hæc est, quæ oim optimè coapta-  
tur verbis Apostoli: quod enim dixerat/in si-  
militudinem carnis peccati/hoc ipsum expli-  
care videtur, dū ait, de peccato, hoc est, de ea-  
dem humanitate peccatrici simili damnauit  
peccatum, eò quod rerū similitudines nomi-  
nibus earundē rerum nuncupari solent, quæ  
rum sunt similes: sicuti Cæsaris imago, Cæsar  
appellatur. Idem ergo est/de peccato/quod,  
de carne, quam induerat speciem gerentē pec-  
cati. Contendit enim admirabilem omnipo-  
tentiam Dei per hoc magnificare, quod reme-  
diis vsus est, quæ essent, quantum rerum pos-  
sibilitas ferret, morbis simillima. Altera ex-  
positio est, quæ prius fuit Origenis, vt pecca-  
tum, idem polleat, quod hostia pro peccato.  
Pari enim metaphora dicebantur sacerdotes  
antiquæ legis comedere peccatā populi, hoc  
est, hostias pro peccatis oblatas. Sed hæc tamē  
interpretatio illi loco. 2. Cor. 5. Eū qui nō  
nouerat peccatū, fecit Deus peccatū, accommoda-  
tior est, q̄ huic: fecit enī Deus filiū suū pec-  
catū, hoc est, hostiā. Attamē nō tā propriè di-  
citur deus de hostia dānasse peccatū, q̄ de car-  
ne. Neq; verò appellatur hic caro peccati, tã  
pro

De peccati  
cato.

Aug.

2. Cor. 5.



propter hoc, quod oblata est pro peccato, quam propter similitudinē, quam habuit cū peccato, vnde maximē effulit omnipotentia Dei. Tertia verò expositio multo minus affinitatis habet cum eodem Paulino intellectu, quæ est hæc, Quod cum non dixerit/de peccato suo/sed indefinite/de peccato/referri possit ad peccatum Iudæorum tradentiū ipsum morti, in hoc sensu, De peccato Iudæorum condemnantium CHRISTVM, condemnauit Deus ipsum peccatum. Etenim Paul. non hoc significat, sed quod de illo peccato, quod quodammodo assumpsit CHRISTVS, dum missus est in similitudinem carnis peccati, damnauit Deus peccatum. At perspicere quod non dixit/CHRISTVS damnauit/sed/Deus per CHRISTVM/nam in peccatorum remissione considerare est, tum meritum per quod remittitur, tum etiam actionem ipsam primeus cause, suprema scilicet autoritate remittentis. Meritū propriè competit CHRISTO, quatenus homo erat mortalis: nā Deus per se, nisi in natura creata, mereri nō potest, sicut nec pati: autoritas verò primū cōuenit Deo, quatenus vnus in trinitate: quia opera trinitatis indiuisa sunt extra: licet attribuantur patri, cui attribuitur omnipotentia. Vnde

2. Cor. 5. Deus erat in CHRISTO mundum reconcilians sibi. Sed nunquid non aliud inuenisset Paulus accommodatus huic loco verbum, quam damnauit/videri enim alicui posset significati dixisse/destruxit/vel/aboleuit/vel quid simile: nam damnare peccatum potius refertur ad condemnationem illius qui reus sit peccati, vt, In quacunq; hora comederitis, morte moriemini. Profectō hoc perpulchrè & quā probissimè contemplatus est hic Chry. quod Deus non solo robore & potentia (vt supra dicebamus) deleuit peccatum, sed æquissima iustitiæ ratione ipsum inuadens. Nempe quod (si ita nobis meditari fas est) Deus ipsum peccatum in iudicium detulit, inobedientiam scilicet Adæ, in quo tota eius soboles illi displicuit, cū cæteris culpīs quas ipse, eiusq; posteritas occasione accepta per mandatum, accumulauit, cum quibus peccatis obedientia dilecti filii sui, in quo sibi bene complacuit, collata, quasi lata sententia, peccatum condemnauit, vt nullum iam principatum haberet in orbe. At nomine cause effectum simul intelligas: sicut enim in reo damnatio est causa suspendii, ita & vbi ait/damnauit/intelligit, quod cōdemnatum interemit, exterminauitq; quod ad cul-

pam, sed debilitauit, infirmauitq; quod ad formam carnem, quem nō prorsus extinxit. [Vt iustificatio legis perficeretur in nobis.] Ecce fructum missionis CHRISTI in similitudinē carnis peccati. Videlicet, quod cum legis intentio & propositū esset, homines, bonos apud Deum facere & absq; peccato viuentes, idq; efficere per se sibi esset impossibile (cuius cōtrarium falsō sibi Iudæi persuaserant) præstitum hoc, perfectumq; est per CHRISTVM in nobis. Et meditatio ait/perficeretur/quo verbo id ipsum denegauerat legi. Heb. 7. vbi inquit, Nihil ad perfectū adduxit lex. Et Gal. 2. Si per legem est iustitia, CHRISTVS gratis mortuus est. [Qui non secundum carnem ambulamus.] Vt illi olim quando passionem peccatorum, quæ per legem erāt (vt supra dictum est) operabantur in membris. [Sed secundum spiritum.] De quo dictum est, Quod lex spiritus vite liberauit nos in CHRISTO IESV à lege peccati & mortis. Quauis hic forsā non speciatim dignoscit inter Iudæos & nos, sed simpliciter inter iustos & iniquos, vt statim videbimus. Vide quā sit vnus diuino artificio Paulus, cum carnem CHRISTI induxit, quæ & inscia esset peccati, & tamen peccatrici carni similis, vt ex vno superare posset peccatum, & ex altero ipsum confundere, dum simili carne victum est, per quam vincebat, atq; adeo caro toties superata, de victore ipso peccato coronata triumpharet in CHRISTO.

Qui enim secundū carnem sunt, quæ carnis sunt sapiūt: qui verò secundum spiritū sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. Prosequitur explicatius discrimen aperire, quod modō designauit inter eos, qui ambulant secundum carnem, & eos, qui ambulant secundum spiritum. Id quod Orig. inter Iudæos sub lege, & nos sub Euangelio interiectū intelligit, quam intelligentiam latè tractans ait, Iudæos esse secundum carnem, eō quod secundum carnalem sensum, qui occidit, legē intelligentes, non veniunt ad CHRISTVM, qui est vita, & ideo illis prudentia carnis, mors est, nos autem secundum spiritum eam audientes, ea quæ spiritus sunt sentimus, quibus ideo prudentia spiritus per CHRISTVM, vita & pax est. Attamē doctores reliqui nō vsq; adeo coarctant hæc verba, sed vniuersalem differentiam carnalium hominum atq; spiri-

spiritualium hic internoscunt, & ad rem forsā propius. Est enim propositum Pauli definire eos, qui liberantur à lege peccati & mortis, quod illi sint præcise qui spiritui seruiunt. Igitur esse quoq; secundum carnē, idem est, quod deditos esse carni, seu, vitā degere carnalem. Eademq; analogia, esse secundum spiritum, idem est, quod deuotos esse dicatosq; spiritui: est namq; hebraismus Paulo frequentissimus. Et quoniam auctore Aristotele, qualis vnusquisq; est, talis sibi finis esse videtur, talēq; habet rerum iudicium, consequens fit, vt qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiant, id est, probent & sequantur: qui verò secundum spiritum, spiritualia contrā præferant: Græcè autem secundū membrum, neq; priori loco habet/sunt/neq; verò/sentiunt/sed sic omnino habet/Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiūt: qui verò secundum spiritum, quæ sunt spiritus. Insimulatur ergo interpretes, tum quod nullū verbum debuisset addere, eō quod iam subintelligeretur ex priori membro, tum quod si aliquod volebat exprimeret, id ipsum debuisset repetere, quod est/sapiūt. At verò forsā interpretes diuersa verba legit: & ideo Ambr. & interpretes Origenis vtriusq; meminerunt: & re vera/sapiunt/& sentiunt/in proposito mutuo se dilucidāt. Nam sapere in rebus practicis, non solum dicit actum intellectus, sed respicit quoq; voluntatis affectum & gustum rerum: quocirca sapientia hæc, quædam sensatio mētis est, sicuti huiusmodi sensatio, quædam sapientia. Et videtur interpretes cogitatio permutasse voces, vt diceret/Quæ carnis sunt, sapiunt/vbi quadrare aptius videbatur/sentiunt/& quæ sunt spiritus sentiunt, vbi accommodatius apparebat esse/sapiunt/sed hoc fecit vt admoneret, quod vt carnis sua est sapientia, ita & spiritui suus quoq; inest sensus & gustus. Hoc autem iterum repetendum occurret super verbis/prudentia carnis/& sapientia carnis/[Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax.] Sunt qui duos hic syllogismos existiment ab Apostolo structos. Vnum ex parte carnis tale, Quicunq; sequuntur prudentiam carnis, ducuntur ad mortem: illi autem qui sunt secundum carnem, sequuntur prudentiam carnis, nam sapiunt quæ sunt carnis: qui ergo sunt secundum carnem, ducuntur ad mortem. Alterum huic similem ex parte spiritus, Quicunq; sequuntur prudentiam spiritus, consequuntur vitam & pacem: qui sunt se-

cundum spiritum, sequuntur prudentiam spiritus, quia sentiunt secundum spiritum: ergo qui sunt secundum spiritum, consequuntur vitam & pacem. At verò qui penitus inspererit verborum formam, vix ita iudicabit: quoniam seorsum distinguit Paul. duo membra: vt vbi ait/prudentia carnis, mors est/red dat causam illius asserti/qui secundum carnem sunt/&c. nisi fortè sit eius potius conclusio vel expositio. Et pariter quod ait/prudentia autem spiritus, vita & pax/subdit/velut causam vel expositionem alterius membri/qui verò secundum spiritum, &c. Ob idq; legitima forsā distributio est, vt textus qui hunc præsentem antecessit, scilicet/Qui enim secundum carnem, &c. referatur ad superiorem proximum, veluti eius explicatio, nimirum, vt ex hoc, quod est esse secundum carnem, inferatur id quod dixerat, ambulare secundum carnem, hoc modo, Quicunq; sunt secundum carnem, sapiunt secundum carnem: qui autem sapiunt secundum carnem, ambulant, hoc est, operantur secundum carnem: ergo qui sunt secundum carnem, ambulant secundum carnem. Esse enim secundum carnem dicit intentionem finis, quæ est agibilium fundamentum: vnde actiones hominum gubernantur: sicuti actiones cuiusq; rei sunt secundum naturam ipsius substantiæ. Et pari modo quicunq; sunt secundum spiritum, sentiunt secundum spiritum: qui autem sentiunt secundum spiritum, ambulant secundum spiritum: ergo quicunq; sunt secundum spiritum, ambulant secundum spiritum. Hic autem textus quem modō tractamus, licet præ se ferat speciem causæ, forsā est potius vel conclusio, vel si mauis, diffinitio & expositio illius quod est, sapere secundum carnem, ita vt vocula/nam/sungatur vice huius, quod est/quocirca/vel/quapropter/nā quod prudentia carnis sit mors, non est causa cur qui sunt secundum carnem, sapiant secundum carnem, sed verus effectus: sapere enim secundum carnem, idem est quod prudentia carnis, quæ causa est mortis. Vult ergo forsā dicere, quod cum illi qui sunt secundum carnem, sapiant secundum carnem: sapere autem secundum carnem, delinquere sit & peccare, fit, vt huiusmodi prudentia carnis mors sit, hoc est, causa mortis. Vnde Aug. in tract. psal. 34. Peccatum, inquit, mors est, sicut lingua Latina dicitur, non membrum oris, sed oratio eius. Ita vt quo schemate supra diximus, concupiscētiam esse peccatum, hoc

Deus damnauit peccatum.

1. Cor. 5.

Damnauit.

Chryf.

Orig.

Aug.

hoc

hoc est, causam peccati, eodem tam peccatum, quam prudentia carnis, quod idem est, dicitur mors, ut nomen effectus tribuamus causae. Et aqua ratione cum sentire secundum spiritum, idem sit, quod operari opera vitae, fit, ut talis prudentia spiritus sit vita & pax.

*Prudentia Ethic. 6.* Prudentia secundum Aristotelem, ratio est recta agibilium: quod ideo nomen proprie congruit prudentiae spiritus: transferatur autem, ut per similitudinem significet astutiam versutiamque, & quam appellat alibi Paulus, stultitiam apud Deum, atque hic prudentiam carnis. Est autem munus verae prudentiae triplex: nempe, ut supposita recta intentione finis, & solerter de agendis consulamus, & consulentes recte ad eligendum iudicemus, & post electionem, citò constiteritque praecipiamus. Enimvero rectam intentionem finis virtutes aliae morales quae sunt in affectu, faciunt: temperatus enim proponit temperate vivere, & fortis strenue agere, & iustus iuste: prudentia autem versatur circa media. Unde colligit Aristoteles, veram prudentiam connexionem habere cum omnibus virtutibus: nam qui non est bene affectus circa fines omnium virtutum, nequit de illis rectum ferre iudicium, atque adeo neque prudentiam vigere. Ad rem ergo, qui secundum carnem est, hoc est, affectum habens carni infixum (ut imemperatus & iniustus) pravam habet intentionem finis: ob idque sapit secundum carnem, hoc est, media omnia illò refert. Atque haec est prudentia carnis, quae ad illum adipiscendum finem de omnibus consulit, iudicat, & praecipit. Unde alii pro eo quod est prudentia transferunt cura seu studium & sollicitudo secundum illud,

*Rom. 13.* Carnis curam ne feceritis in desideriis. Et pari modo, qui est secundum spiritum, hoc est, virtutibus praeditus, rectam habet intentionem finis, & ideo sentit secundum spiritum, quae appellatur eadem ratione, prudentia spiritus. Et quemadmodum prudentia carnis mors est, hoc est, causa mortis, ita & prudentia spiritus, est vita, secundum illud ad Gal.

*Gal. 6.* Qui seminatur in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Et est quoque pax, tum in hac vita, tum potissimum in futura: iuxta illud ad Gal. Fructus spiritus, charitas, gaudium, & pax. Et in psal. Pax multa diligentibus legem tuam domine. Et consultissimè congruentissimeque compositus hic vitam & pacem, ut sensuales homines pudesceret, qui arbitrantur, suis expletis desideriis, pace frui: iustos autem calamitatibus huius mundi attritos, &

persecutionibus compressos, pace carere, cum tamen contra stet veritas.

Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Probat etiam nunc proximam sententiam, quam ex superiori collegerat, huiusmodi syllogismo. Quicquid Deo inimicum est, mortis est causa: sapientia carnis inimica est Deo, eò quod legi Dei non est subiecta, quia neque potest, ergo est causa mortis. Sed tamen hic quoque neoterici isti latinissimi remordent interpretem, quòd idem graecum verbum diuersis reddidit latinè, neque sine vitiosa affectatione: eadem quippe vox quae est supra: nempe /φρόνημα/ est hic, & tamen superius veritit / prudentia carnis / hic verò / sapientia. Sed profectò (praeterquam quòd grauiores auctores id nunquam adnotarunt, sed utroque promiscuè vsi sunt verbo) S. Thom. doctè pro interprete respondet. Nimirum quòd sapientia est cognitio altissimae causae à qua aliae pendent: quamobrem in vnaquaque arte ille solus est sapiens, qui primam nouis causam: ut in aedificatoria, non ille qui caedit lapides, sed architectus habetur & est sapiens: iuxta illud ad Corinth. Ut sapiens architectus fundamentum posui. Et inde fit consequens, ut etiam in rebus agilibus spiritalis homo, qui bonam habet aestimationem de fine humanae vitae, sapiens dicatur, ideoque & prudentia, quaedam est practica sapientia. Et pari ratione prudentia carnis & sapientia carnis, idè sunt: tunc maximè quando ex adiacente verbo legitima deprehenditur significatio. Est autem modò in plurimis codicibus Graecis /inimicitia/ pro eo quod nos habemus /inimica/ sed cum minimè referat: credibile tamen est, ita legisse interpretem: quandoquidem & Origenes, ipse graecus & Theophyl. ita videntur legisse & Ambr. & August. & Hiero. in scholiis. Lutherani autem ad illam suam absurdam causam paulò ante memoratam, qua defensant quoscumque motus concupiscentiae, etiam naturales, peccata esse, & hunc quoque locum Pauli pertrahunt, ubi ait /quòd sapientia carnis inimica est Deo/ quibus lib. 1. de na. & gra. respondimus, quòd si prudentiam hic carnis pro sola pugna, qua se naturaliter attollit contra spiritum, accipias, tunc eo duntaxat modo vitium est & peccatum, quo claudicatio tibi, vel quaeuis alia deformitas peccatù est naturale.

*Defensio in epistola*

*1. Cor. 3.*

*Lutherani*

*Inimica est Deo.*

rale. Non quòd natura potentie concupiscentis non sit à Deo, ut Manichaei ex hoc quoque loco colligebant, sed quòd rebellio eius, vulnus est, quòd natura accepit ab Adà: quae idcirco eatenus inimica est Deo, quatenus, veluti legi Dei rebellis, insurgit praeraturque contra spiritum. Et isto quoque modo legi non est subiecta, nec subiecti in hac vita potest: quoniam huiusmodi insultus, naturales sunt. Haud tamè ita est ei inimica, ut cui aliquid insit culpa quoad usque voluntas, vel assentiat, vel saltem in mora sit & negligentia, quae venialis est. Et hoc forsitan pacto probè intelligitur Paulus appellans prudentiam carnis illas naturales affectiones. Si autem accipiatur, ut omnes prudentiae partes comprehendat, quae sunt, iudicare & praecipere secundum intentionem carnis: in summa, pro cura & studio carnis, tunc indubitato vera inimicitia est Dei. Quòd autem huiusmodi prudentia, siue rebellionem tantum carnis significet, siue veram culpam, non possit esse legi subiecta, facillimum est intellectu, potest enim legis transgressor subiecti legi, quapropter dictum supra est /liberati à peccato, serui facti Deo/ sicuti qui friget calescere potest. Quòd autem transgressio ipsa fieri possit subdita, non aliter est possibile, quàm quòd frigus in calore transeat. Et nota quòd proprie inimicitia non geritur cum lege, sed cum Deo: sed subiectio fit Deo per legem: & ideo ait /inimica est Deo/ quia legi Deo non est subiecta: nam qui cum Deo non est, contra Deum est.

*Inimicitia.*

Qui autem in carne sunt, Deo piacere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Id quod de prudentia carnis & spiritus abstractè tractauit, ad homines iam nunc in conclusionem huius primae sectionis accommodat, quasi repetens id quod supra dixerat /Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapientiae. Inde enim subinfert, eosdè deo placere non posse, adiuncta altera praemissa, quòd illa sapientia carnis inimica est Deo: hoc pacto. Quicumque secundum carnem sunt, sapientiae secundum carnem: sapientia carnis inimica est Deo, ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt. [Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.] Sanctissime profectò, ut suum erat peccus, in conclusionem non instituit solum intellectum docendo, sed affectum quoque excitat exhortando: huc enim euangelicum doctorem doctri-

nam ubique referre condecet. Et est quasi secunda praemissa alterius syllogismi de altero spiritus membro constructi, qui talis est. Qui sunt secundum spiritum, secundum spiritum sentiunt: vos autem in carne non estis, sed in spiritu: debetis ergo secundum spiritum sentire: ea scilicet quae spiritus sunt, probare, curare, conari & perficere, illis utique oblectari, & iis quae carnis sunt caducis & perituris post terga relictis, carnem pro humana facultate in spiritum conuertere. In hoc enim caro colluctatur aduersus spiritum, ut ipsum carnem efficiat, atque illam homo ferat sententiam, Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est. Atque in hoc quoque spiritus obnititur carni, ut illa prorsus subacta & exhausta, dicere valeat cum Paulo, Vivo ego iam non ego, sed uiuit in me CHRISTVS. Adiecit autem. [Si tamen spiritus Dei habitat in uobis.] Iuxta illud. 1. Cor. 3. Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis. Spiritum verò sanctum habitare in nobis, non per se intelligas, sed per charitatem, ut cap. 5. exponebam. Particula autem graeca /εἰς/ quae hic redditur /si/ tamen /anceps est, veluti latinè /siquidè/ que potest esse affirmatiua, & ita modo nonnulli transferunt, scilicet, vos autem non estis in carne, &c. siquidem, hoc est, quandoquidem spiritus Dei habitat in uobis: sed potest etiam esse dubitatiua, veluti /si quidè/ cum diuiditur in duas. Vetus autem interpretes ad tollendam amphibologiam, vertit dubitatiuè /si/ tamen. Poterant enim illi, quamlibet christiani, spiritum, hoc est, charitatem Dei, per peccati iniquitatem abieuisse. Praeterquam quòd dubitandi sensus germanior est huic textui, qui continuo subsequitur. Nam ad eius maiorem elucidationem subdit. [Si quis autem spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius.] Nam teste illo eximio charitatis doctore, in hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Vbi & hoc considerandum, quòd spiritus sanctus qui à patre & filio procedit, vtriusque dicitur, & ab utroque mittitur. Et ideo vtrunque ait CHRISTVS. Et, Quem pater mittet in nomine meo, Et, Quem ego mittam vobis à patre. In qua tamen verborum varietate prioritas quaedam originis dignoscitur: sanè quòd à patre, ut prius origine procedit filius, à quo & recepit, ut & ab ipso vnà procedat spiritus sanctus. Tamen si & hoc forte illic suggeritur nobis, quòd CHRISTO non solum quatenus Deus, sed qua ratione homo est

*Gen. 6.*

*Gal. 2.*

*1. Cor. 3.*

*1. Ioan. 4.*

*Spiritus Dei et spiritus Christi*

ac redemptor, atq; ideo sanctificator noster, competat, modo quodā, Spiritum sanctū mittere: non ea vtiq; ratione, qua missio processionem dicit: nam Spiritus sanctus non procedit à CHRISTO, inquantū homine, sed tamē ea ratione, qua respicit terminū in quo Spiritus sanctus illud operatur, quod nobis tribuitur beneficiū redemptiōis. Atq; hic inter alios bonus porro sensus illius est, Si nō abiero, paraclētus non veniet ad vos: si autē abiero, paraclētus veniet ad vos. Erat quippe congruens vt iret prius ipse in cœlum, vnde inquantum redemptor missurus erat Spiritum sanctum. Ob idq; ait, Pater mittet in nomine meo, & ego mittā à patre. Sed vt ad Paulum regrediamur, hoc insuper his verbis admoneatur, quod licet per fidē informem ea ratione membra simus CHRISTI, quæ sufficit vt Christiani simpliciter nominemur & simus, tamē quia illa fides mortua est, consequitur, vt & nos quoq; vita tunc Christiana careamus, quæ consistit in charitate. Nam vti ait Ioan. 6. Ioannes, spiritus est qui viuificat. Et ideo ait, Si quis spiritū CHRISTI nō habet, hic nō est eius, nimirum vt viuicum membrum. Est quidē eius creatura (vt ait Orig.) veluti fergyluarū, iumenta in montibus & boues: haud veruntamen spiritualiter Deus est in illo. Nā si quis, inquit redēptor, diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.

Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuuit propter iustificationē. Videbitur hic fortē Paul. alicui secundā partem capituli inchoare, in qua de liberatione à lege mortis agit, attamē primā potius censendus est concludere de redemptione à lege peccati, vt patet per ipsam verborum effigiem. Illi nanq; proximo negationis verbo, si quis autē spiritum CHRISTI nō habet, hic nō est eius, continuo opponit affirmationē. [Si autē CHRISTVS in vobis est, &c.] Nimiru eos praueniens, qui hoc modo redarguerent. Quid nobis Paule persuadere cōtentis, seruat nos esse à peccato, cū mortē cui in pœnam peccati addicti eramus, nunc etiā perpetimur? Est ergo respōsum, quod si CHRISTVS in illis est, quanuis corpus propter peccatū mortuū sit, hoc est, morti obnoxium, tamē peccatū ipsum nō viuuit, imò est extinctū. Sed quia tā vita, q̄ mors peccati, circa spiritū est, ait, spiritū viuere propter iustificationē, qua peccatum interiit. Orig. autē censet pro eodē

dictū esse, spiritū CHRISTI, et CHRISTVM. Cui nō defunt qui adhærēt, propterea quod CHRISTVS in nobis tantūmodo spiritualiter est per fidem & charitatem. Iuxta illud, *Eph. 3.* Habitare CHRISTVM per fidem in cordibus vestris: ob idq; idē est, CHRISTVM à nobis haberi, & spiritum eius. At verò quanuis CHRISTVS & spiritus eius inseparabiles sint, discernere nihilo seci videtur inter eos Paul. nam spiritum CHRISTI vocat spiritum sanctum, per quē iam ante cap. 5. dixerat diffundi charitatē in cordibus nostris. Quod si de spiritu etiam in nobis cepto intelligatur, licet per ipsum CHRISTVS in nobis habitet, differunt tamē CHRISTVS & spiritus eius, sicut causa & effectus: qui enim CHRISTVM induit, spiritum CHRISTI prę se fert. Sapit inq; redolet, gustat, operatur & sequitur, quæ CHRISTI sunt. Iuxta illud, Si cōsurrexistis cū CHRISTO, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite. Vnde (Origene interprete) CHRISTVS sapientia est, iustitia est, pax est, &c. spiritus autem CHRISTI est istorū charismatū imitatio. Ait ergo. [Si CHRISTVS in vobis est, corpus quod de mortuū est propter peccatū, spiritus autē viuuit.] Breuiloquētia hęc Pauli nō nihil parturit ambiguitatis, an de spiritu scilicet CHRISTI potestremū hoc verbū pronunciet, an verò de nostro. Cōfert enī hic, hominē in quo est CHRISTVS, cū CHRISTO ipso, cōmonitū eū faciens, qualiter CHRISTVM debeat imitari. De CHRISTO enim supra dixerat, quod semel pro peccato mortuus est, spiritus autē semper in illo fuit viuax, cuius vita nō fuit per mortē interrupta. Cōcludit ergo nunc pariter, illū in quo est CHRISTVS, corpus quidē mortuū gestare propter peccatum, id est, moriendi necessitatem, sicuti fuit in CHRISTO: nā ab hac morte temporali, sicut se ipse nō excepit, ita neq; nos eripuit. [spiritus uerò viuuit propter iustificationē.] Spiritus (scilicet ipsius CHRISTI) viuuit in illo propter iustificationē, vel quā adeptus per CHRISTVM est iustus in sua reconciliatione, vel cuius deinceps potitur operādo iusta. Mens ergo Pauli indubitata est de morte hic fari, quæ est animæ exhalatio, nā hoc ei propositum est, patefacere, quod nō obstantē hac corporis morte, quæ est pœna peccati, liberi sum⁹ à peccato per spiritū iustificatiōis: dū scilicet hoc beneficiū sortiti, vita viuimus spirituali, quæ nō abrumpitur per temporālē mortem, sed permanet in æternum. At verò nihil propemodum ab eodē scopo deflectas, si cum Origene & Chrysof. & aliis sanctis hoc

hoc ipsum quoq; verbum intelligas de mortificatione corporis, qua iusti macerant mortificantq; membra sua, mortem CHRISTI iugiter circumferentes, vt spiritus viuat propter iustificationem: scilicet vt liberius sese attollat ad excelsa iustitiæ opera. Nam & hæc corporis afflictio, iugis continuaq; mors est. Quinimò & videtur præterea hic Paul. simul & causam reddere, cur dum à peccato liberamur, non protinus & iura mortis cessant. Est enim causa, quod sicut oportuit CHRISTVM pati, & sic intrare in gloriam suam, ita & nobis congruens fuit, vt à peccato seruatis mortalia corpora relinquerentur, in quibus crucis nos nostras tollentes, ipsum sequeremur. Hac enim de causa quāprimū dicitur est, regno nos filiorum posituros, si tamē compati mur, vt glorificemur. Alii textus Græci nō habēt, spiritus viuuit, sed, spiritus vita (scilicet est) & ita crebrò hunc locum citat Aug. atq; ita hic legit Ambro. & Hilarius. Et consulto Chry. ait, quod nō dixit, viuuit, sed, vita. Nihilominus Orig. legit, viuuit, et scholia quę insulantur Hieronymi, atq; ipse etiam Aug. in quadam epistola ad Honoratum. Et consonantius respondet, viuuit, q̄, vita, ei quod dictum est, mortuū corpus. Atqui cum voces græcæ simillimæ sint, /*ῥῶν*/ & /*ῥῆ*/ vita & viuuit, facilis esse potuit lapsus. Qui autē, vita, legunt, intelligūt de ipso spiritu CHRISTI, qui vita est nostra. At verò profectò (vt est in scholiis Hieronymi) congruentius esse videtur, vt nomen, spiritus, perinde atq; nomen, corpus, de nostro intelligatur: qui dicitur CHRISTI, tanq̄ effectus eius: aliās minus esset antithesis speciosa. Neq; verò obstat, si legas, spiritus vita est, nā & si spiritus sanctus vita sit nostra spiritualis, nihilo secius idē spiritus noster per CHRISTVM viuificat⁹, vita quoq; neq; ineptē, dici potest interna: quatenus per ipsum in nobis habitat spiritus sanct⁹. Et hoc idē explicatur per subiunctum verbū iustificationis: spiritus enim per iustitiā vita est.

Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christū à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantē spiritū eius in vobis. Sequitur secunda pars huius capituli, in qua postq̄ prior articulus principalis conclusio nis cōmonstratus est, scilicet, quod lex CHRISTI emancipauerit nos à lege peccati, demonstrare properat Paul. posteriorē: puta quem

admodum eadē nos seruauerit et à lege mortis, cui in pœnam peccati subiecti eramus. In hac inquam secunda parte ostendit, quomodo hanc libertatē plenē in futuro seculo consequamur. Et in tertia, quo etiā pacto alleuemur & in hac vita, dum valentiores per eandem gratiam sumus aduersus incurfiones & molestias carnis. At cum idem sit, spiritus CHRISTI, etiam inquantum redemptoris, et spiritus dei, meditatio, nec sine optima causa ab spiritu CHRISTI ad spiritum Dei se infinuat, eò quod CHRISTVS, & si inquantum Deus excitauit sese à mortuis, tamen inquantum homo (qua hic ratione loquitur de ipso Paul.) ab spiritu Dei, in quo prima residet auctoritas, suscitatus fuit. Et est appositā, venustissimaq; collectio, & ex genuina causa procedens, dum liberatio à morte ex liberatione à peccato infertur. Etenim sicuti ex morte animæ sequuta est mors corporis in Adam, et per eius spiritum inhabitantem in nobis peccatum introiuit in orbem, quo secundū animam mortui nascimur, & per peccatū mors corporis, ita per inhabitantē spiritū CHRISTI in nobis prius viuificatur anima in hoc seculo, & per eundē spiritū, dum in futuro ab anima in corpus idē spiritus per dotes suas effunditur, viuificabūtur corpora nostra: siquidē dotes corporis à gloria animæ effluxurgunt in resurgētia corpora. Luculentissimē ergo postq̄ dixit, spiritū CHRISTI in Christianis viuere, etiā dum hic corpus moritur, exinde protinus ratiocinatur alterū effectū eiusdē spiritus respectu corporis: videlicet, quod si spiritus Dei qui suscitauit IESVM à mortuis habitat in eis, idē ipse, scilicet Deus, qui suscitauit IESVM à mortuis, viuificabit & mortalia eorum corpora propter inhabitantē eundē spiritū eius in eis. Chry. in prima persona legit nobis, sed plurimi sunt, qui cum vetere nostro interprete legunt in secunda, vobis. Est ergo syllogismus à positione eiusdē causæ ad positionē eiusdē effectus. Similem collectionem fusius dilucidat. 1. Cor. 15. Ex resurrectione CHRISTI arguens resurrectionē nostrā, & per hoc quod Deus suscitauit CHRISTVM, ostēdēs quod suscitatur⁹ sit et nos. Etenim propterea spūs dei Christū quatenus hominem suscitauit, quod sēp vixit in illo, etiā dū corp⁹ mortale gerebat, atq; adeo effecit, vt p̄ eiusdē mortē nostra delerēt peccata. Igitur cū idē spiritus cōmunicetur nobis per gratiā tanq̄ mēbris eiusdē CHRISTI, eundē in nobis habebit effectū. Sūt enim corpora mēbraq; nostra tē



plum Spiritus sancti, vt habetur. 1. Cor. 6. ob idq; vt sibi ea dignum faciat aeternum habitaculum, viuificabit illa, vt sint nunquam amplius interitura. At vero adnotandum est verborum discrimen. Etenim cum dixisset / suscitauit CHRISTVM / nō subiunxit / suscitabit / sed / viuificabit mortalia corpora vestra / quoniam generalis resurrectio mortuorum, quam sit effectus CHRISTI, qui vniuersalis est iudex bonorum & malorum, non tamen generaliter tam proprie est effectus spiritus eius, sed particulariter, quantum ad iustos, qui resurgunt in vitam aeternam. Omnes enim resurgemus, inquit Pau. quia oēs oportet stare ante tribunal CHRISTI, sed non omnes immutabimur, scilicet de morte ad vitam, sed illi qui participes erūt mortis, ac subinde spiritus eius. Vnde & ipse quoq; distinxit, vbi ait, Procedent alii in resurrectionem vitę, alii verō in resurrectionē iudicii. Etenim cū infernus, perpetuatio sit mortis, illi non dicuntur viuificari, sed potius in aeternā relegari mortem. Neq; verō ait solum / viuificabit vestra mortua corpora / sed / vestra mortalia / quoniam nō solū ab actuali morte seruabuntur, sed etiam a mortalitate, ne vllas scilicet mortis reliquias, puta passiones, vel molestias sentiant. Hoc est enim liberari non tantū a morte, sed a lege mortis. Quanquam illi, qui arbitrantur non omnes morituros, sed eos, qui in die iudicii viui inuenientur, viuos quoq; absque experientia mortis recepturos immortalia corpora: propterea hic putant, nō dixisse quod / viuificabit corpora mortua / sed / mortalia. De hoc autē. 1. ad Thess. 4. disputandum est. [Per inhabitantem spiritū eius in vobis.] Relatiuum / eius / siue Deum referat, siue CHRISTVM, perparui interest, liquidem idem spiritus est vtriusq;: tamen si non nihil energię & decoris adferat, si referat CHRISTVM, vt pote per quem communicatur nobis idem spiritus, quo eius effimur membra. Vbi obseruauit Chry. quod non tantū dixit simpliciter / habitantē / quasi ad tempus, sed / inhabitantem / vt ostenderet omnimodam & continuam mansionem.

Ergo fratres debitores sumus nō carni, vt secundū carnē viuamus: si enim secundum carnē vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis. Ex differētia, quam inter carnem & spiritum tanta verborum luculentia constituit, hoc demum exprimit corollā

rium, quod nō carni debitores sumus, sed spiritui. Hoc enim videre videor in Paulo innotatum propositum ab illo initio capitis. 6. vbi Christianos in morte CHRISTI baptizari & sepeliri adstruxit, vt longa deinceps instructa oratione, ac legū carnis & spiritus repugnantia interiecta, cōmonitos Romanos faceret, q̄ deberent seruitio se carnis subducere, vt subditi omnino essent obsequio spiritus. Intelligenda ergo est illatio hęc, tum ex verbis proximis, puta ex amplissimo beneficio viuificantis nos spiritus, tum etiā ex superioribus, vbi demonstrauit liberatos nos a lege peccati & mortis, atq; adeo a lege carnis, quoniam nō a lege veteri, in qua hoīes seruiebant peccato & carni. Etenim si beneficia hęc per CHRISTI gratiam & spiritū assequuti sumus, consequens planē sit, vt iam nō carni neq; antiquę legi, carnaliter intellectę, debitores sumus, sed spiritui CHRISTI, qui illic delitescibat, spirituiq; nostro pugnantē aduersus carnem. Est autē meditati dignum, quemadmodum Deum nunq; vt debitorem nostrum induxit, sed quasi vltionem largitorē, qui gratitudo nobis impertitus est huiusmodi dona: de nobis autē contrā nō satis duxit simpliciter dicere, quod deberemus quoq; vices illi gratis rependere, sed ait, debitores nos esse: maioris enī est emphasis / debitores / q̄ / debemus: Deus namq; per gratuita beneficia obligatos nos sibi, obstrictosq; iure habet, vt suis eisdem beneficiis ac fauoribus bene vtamur, iuxta illud. 2. Cor. 5. Si vnus pro oībus mortuus est, ergo oēs mortui sunt, & pro oībus mortuus est CHRISTVS, vt qui viuūt, iā non sibi viuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Et 1. Cor. 6. Empti estis precio magno, & c. At qui qua ratione nomen hic carnis, pro litera legis carnaliter intellecta vsurpatur, sententiā prę se fert aduersus Romanos ex Iudaismo cōuersos, qui legis vinculū vnā cū Euāgelio durare defendebant. Sed quatenus pro carnalibus affectibus et cupiditatibus accipitur, nos quoq; omnes in Romanis videtur suggillare, qui ita carni obsecundamus & seruiamus, ac si eius legi adstricti essemus & obligati. At verō quoniam quadantenus debitores sumus carni, scilicet vt quantum necessitas exigit naturę, cibo vestituq; corpora sustentemus, & dum agrotant medicatu etiam recreemus, non simpliciter negat, debitores nos esse carni, sed apposito moderamine, vt nō secundū carnem viuamus. Viuere enim secundū carnē, est eius imperio subesse,

esse, eiusq; viuere legib; desiderisq; parere. Cuius & illud simile est cap. 13. Carnis curam ne feceritis in desideris. [Si enim secundū carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis.] Reddit causam cur sumus debitores, non carni, sed spiritui, exponendo illud vbi dixerat, spiritum inhabitantem in nobis, corpora nostra viuificaturum: vt enim spiritus hic causa est corporum viuificatrix, ita & viuificandi modus est, si nō secundū carnem, sed secundū spiritum continenter viuamus: iuxta illud Galat. 5. Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Nam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: viuere autem secundū carnem, est peccato seruire, cuius stipendium mors est. Quasi dicat, Nō ideo quod spiritu CHRISTI donati estis, & in vitam animę restituti, tutam a Deo habetis vitę eiusdem perpetuitatem, quę futura est animę & corporis, vt vobis liceat in segnitie & socordia, carni indulgentes, vitam degere. Nam hac ratione, viuificantore spiritu extincto, moriemini, prius secundū animam spiritualiter in hoc seculo, post verō in alio quoq; secundū corpus aeternaliter. (Scriptum enim est, non permansurum spiritum domini in aeternum in homine, qui caro est) sed opus vobis est perpetuo indefessoq; conatu in seruitio spiritus perdurare, vt vita hac perpetuō perfruamini. Quoniam cessante exercitio spirituali, flauescere, marcescereq; protin; charitas incipit, & paulatim euanescere. Et ait / si spiritu facta carnis mortificaueritis / quia oīno extinguerenō possumus et interimere: nam (authore hic Aug.) carnis concupiscentiis non consentire, magna laus est, omnino autem non habere, summa perfectio. Hactenus ille. Hęc autem perfectio futura est in altera vita. Neque verō mortificatio huius vitę subito fit, vt ait Orig. sed paulatim: primō enim languescere carnē in iis qui incipiunt, necessē est: tum deinde, cum ardentius proficere cōperint, non solum languescere, sed tabescere: vbi autem ad perfectum venerint, tum demum mortificata sunt opera carnis. Interimit autem huiusmodi spiritus carnis opera contrariis administris. Vnde Paul. ad Gal. 5. operibus carnis, quę sunt fornicatio, immūditia, impudicitia, & c. ē regione locat fructus spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, & c. nempe vt per charitatem, mortificetur odium: tristitia verō huius seculi, per gaudium: sed per pacem, discordia. Es eodem Marte virtutes reliquę sua

quęq; contraria expugnant vitia. At quę opera mortificare nequimus, nisi per mortificationem membrorum, quę arma sunt iniquitatis, ait alibi, Mortificate membra vestra quę sunt super terram. Verū ne munus hoc Romani suis viribus adscriberent, nō ait simpliciter, si mortificaueritis, sed si spiritu (nimirū vobis diuinitus suffecto) opera carnis, quę natia vobis sunt & propria, mortificaueritis.

Quicumq; enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Subiicit rationē proximi verbi, scilicet, quod hoc nobis negotio agitur perpetuitas vitę, si spiritu opera carnis mortificauerimus. Recolere hic veruntamē illud oportet, quod initio capituli 5. proposuit, gloriari scilicet Christicolis spe cum primis glorię filiorum Dei, ac subinde in tribulationibus, intuitu illius toleratis. Illa nanque duo membra respiciens prius hic filiorum rationem dilucidat, ac mox tribulationum indigentiam, prę gloria quę illis proposita est: idq; eo loco, Non sunt condignę. Ratio ergo qua vtitur est huiusmodi, Quicumq; filii Dei sunt, ii & vitę quoq; perfruuntur diuina (quę est cum Deo sempiterna) quicumq; autem spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, ergo quicumq; spiritu Dei aguntur, viuēt. Quę erat propositio supra asserta: nam idem est, spiritu facta carnis quenq; mortificare, quod spiritu Dei agi. Posteriorē pramissam proponit hic, ostēsurus illic priorē / si autē filii, & hęredes / Hęreditas namq; filiorū est vitę aeterna. Est autē propria genuinaq; ratio filii, agi spiritu patris, & maximē spiritualis filii. Etenim sicuti animalis vita per vitales spiritus a patre deriuatur in filium, per quos tum completio patris, tum subinde affectus quoq; similes transfunduntur, ita & renatis in CHRISTO per lauacrum regenerationis Spiritus sanctus effunditur abundē: vt ait alibi Paul. quo ad nutum Dei ducuntur, aguntur, & gubernantur. Neq; verō ait simpliciter, vt Chry. annotauit / Quicumq; spiritū dei acceperūt / sed / quicumq; spiritu Dei aguntur / ad denotandum, quod ad adipiscendū filiorum hęreditatē nō satis est spiritu semel imbui diuino, nisi ducatu gubernatq; Dei, qui nauclerus est & auriga noster, continenter viuamus. Locum hunc pro seipsis pugnare Lutherani existimāt, qui demoliri cogitant libertatem arbitrii, contra quos lib. 1. de nat. & grat. disputationem latē protulimus. Ex hoc enim quod ait Paulus,

aguntur / quod illi interpretatur, coguntur, & compelluntur, confingunt ita hominem agi diuino numine, vt fanaticus agitur furore: vel pecus, stimulo: quo nihil potest absurdius cogitari, vt illic patefecimus. At quod ad presentem locum attinet, primum graece est / *ἀγούται* / quod latine vtrunq; significat, scilicet, & aguntur, & ducuntur. Vnde cum & Mat. 4. & Luc. 4. idem sit verbum, tametsi compositione differens, priori loco traductum est / Tunc ductus est *LESVS* a spiritu in desertum / posteriori vero / *CHRISTVS* agebatur a spiritu in desertum. Quod si / aguntur / idem sit, quod / ducuntur / argumentum euauit: nam ducuntur qui ratione & iudicio suapte sponte diriguntur ab alio & illectantur. Interpres autem intuitus hic non solum ductu Spiritus sancti illuminantis intellectum, inuitantisq; affectum gubernari nos in vita spirituali, verum & appellu praemouentis corda nostra trahi, quanquam potuisset vertere / ducuntur / iuxta illud psalmi, Spiritus tuus bonus deducet me', consultius tamen transfudit / aguntur / quo illam prauectionem exprimeret: haud tamen villo inde colore prauidicatur libero arbitrio, quominus liberè moueamur a Deo, vt in nostra sit potestate tactui digiti eius assentire. Sic enim attingit ad omnia fortiter, vt tamè singula disponat suauiter, iuxta cuiusq; naturam. Ita vt bruta & insensata naturaliter, hoc est imposta necessitate moueat, nos autem, qui liberi sumus, liberè: nimirum pulsando ad ostium, vt aperiri consentiamus: vocado, vt ad se veniamus, & alliciendo vti gallina congregat pullos suos. Tametsi ad commedandam vim energiamq; diuinæ motionis, nonnunquam in scriptura extent verba violentiam pra se ferentia. Vt Esa. 39. Cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus dñi cogit, hoc est, congregat vel pellit. Et Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Vbi non dixit / duxerit / sed / traxerit / vt ait expressè Aug. nō quod non liberè trahimur, sed ad significandum praemotionem, quam non tam apertè significat / ducere / Agi ergo a Deo non tollit libertatem. Cum enim *CHRISTVS* agebatur ab spiritu, neuti quam cogebatur.

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, pater. Probat eandem

minorem praemissam, nō modò a proprietate & qualitate doni Spiritus sancti, quod est filiorum proprium, puta amoris timorisq; filialis: verum & ex nostra ipsorum confessioe. Sed est ad intelligetiam huius literæ operæ precium de timoris amorisq; dono nonnihil praemeditari. Nam etsi vtrunq; munus sit Spiritus sancti, in timore nos tamen tanq; seruos Dei constituit, cui seruiamus vt domino: amore vero, ceu filios eiusdè, perficit, quem honoramus vt patrem. Vnde Malach. 1. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus? Timoris itaq; obiectum, est malum: quod duplex est: nimirum vel poena vel culpa. Sed & malum poenæ aliud est existimatum, videlicet illegitimum, & aliud verum. Et secundum hanc triformem diuisionem discernuntur timor mundanus, seruilis, & filialis. Timor ergo illius mali poenæ, quod contrarium est bono, non vero, sed existimato, puta quod peruersè diligitur, humanus est & mundanus: isq; effectus esse neuti quā potest Spiritus sancti, quoniam turpis est & prohibitus: vt cū quis metu temporalis incommodi recedit a Deo. Cuius illo mandato *CHRISTI* admonemur, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. hoc est, nolite pauore momētaneæ mortis in æternam obrudi. Sed alius est timor mali, quod contrarium est naturali bono, qui timor nascitur a proprio amore. Atq; is quidem, si nullam illi indecentem circumstantiā adiungas, actus est obiecto habituq; suo bonus: nā quod se homo diligit ( nisi illic finem mentemq; sistat) quodq; contraria sibi mala exhorreat, bonū est. Ob idq; si metus hic respectum habeat ad Deū, veluti eiusdè mali causam: vt cum quis vel inferorum tormēta, vel qualuis alias poenas, ne sibi a deo infligantur, pertimescit, tunc qua ratione Deus vt cunq; timetur, Spiritus sancti munus esse potest per speciale auxiliū. Atq; hic dicitur seruilis metus: qui verbis illis Deut. 5. cōmendatur. Quis det eos talem habere mentē, vt timeant me. Non quod sufficiens sit proximaq; ad gratiā praeparatio, sed quod causa esse potest, per quā homo tandē redeat ad bonā mentē. Ob idq; quādo ex ignauia vel praua qualibet hominis affectione non per talē metū permouetur in odiū peccati, vt cunq; sit effectus Spiritus sancti, non tamen est simpliciter virtus: sed potest esse actus moraliter bonus, sicuti actus fidei informis. Quinimò licet metus ille in causa sit vitadi futuri peccati, quod alias

Malach. 1.

Timoris obiectum.

Diuersa gra- dus timoris seruilis.

Timor filialis.

Initium sapientiae timor domini.

Ecclesi. 1.

Seruilis metus Deut. 5.

Psal. 13. Esa. 7.

Lex vetus donum timoris.

alias committeretur, dum tamen non eo pertingit, vt commissi poenitentiam ingeneret, quatenus Dei offensæ, neq; tunc absolute dignus est virtutis nomine. Et hoc est, quod ait August. quod licet talis homo bonum faciat, non tamen bene, hoc est, simpliciter bene: tã etsi nihil vetat, quò minus sit opus bonū moraliter, humanæ laudis dignum. At si ita praesens tali metu quis culpam effugiat, vt illa sit mente, quod nisi poenam metueret, minimè ob diuinam reuerentiam abstineret a malo, talis mens peccatum est. Diuersos ergo gradus secum patitur metus seruilis. Potest enim esse extra gratiam, etiam dum sit donum Spiritus sancti per auxiliū speciale. Neq; obstat quin actus similis haberi quoq; possit naturaliter. Potest item & genitrix esse causæ verae poenitentiae, dum quis metu poenæ perculsus, eo vsq; prouehitur, vt tandem detestetur peccatum, qua ratione est Dei offensæ: & tunc nequit esse nisi ab Spiritu sancto, atq; adeo manere aliquādiu potest cū charitate: tametsi adulta iam perfectaq; charitas (teste Ioanne apostolo) foras post demum hunc mittat poenarum timorem. Timor autem filialis & castus est metus & fuga mali culpæ, hoc est peccati ea ratione, qua est Dei offensæ. Qui quidē metus germē diuinæ amoris est, eamq; ob causam filialis dicitur: nam filii reuerentia est, vt patris potius metuat offensationem, quam proprium supplicium. Cuius contraria est conditio serui respectu heri. Quò fit, vt illud psalm. Initium sapientiae timor Domini, de vtroq; timore ratione sua & modo possit intelligi. Enimvero seruilis initiū esse potest sapientiae, veluti dispositio quaedam antecedens gratiam quatenus timore poenæ, vt dictum est, abominatur, nonnunquam homo, auersaturq; peccatum. Iuxta illud Ecclesi. 1. Timor Domini expellit peccatum. Nominatio enim illic sapientiae non solum cognitionem Dei, sed & directionem affectus cōprehendit, quæ fit per gratiam. Timor autem filialis est initium, veluti primus effectus gratiae, qui cum charitate vtiq; adolescit perficiturq;. Vnde eodē cap. ait Ecclesi. Plenitudo sapientiae est timere Deum. Et in psal. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. De quo heroico timore, & illud Esa. 7. De *CHRISTO* potissime decantatum, intelligendum est. Et repleuit eum spiritus timoris Domini. Quæ ergo res ad presentem expositionem attinet, Lex vetus dono Spiritus sancti data est, hoc est, speciali reuelatione & mo-

tionē Dei: per donum tamen timoris seruilis. Id quod perstreptentia illa tonitrua, micantia fulgura, ignisq; fumans, & densissima nubes designabant, quibus perculsus populus, veluti seruili metu pollicitabatur impletum se ire legem. Lex autem euangelica afflatu amoris donata nobis est, scriptaq; in mentibus. Quapropter & Gala. Pau. Primum testamentum praesignatum in filio ancillæ, ait, in monte Sinai populum illum in seruitutem generasse, quæ est Agar, sed nouum datum esse in Hierusalem, quæ libera est mater nostra. Qui idcirco spiritus donatus est Christianæ familiae, veluti ingenuis iam & liberis, vt casto amore flagrarēt, vt igne illo Spiritus sancti in Pentecoste significatum est, post vehementem de caelo sonitū, non quidem deterrentem, vt antiquus olim, sed excitantē apostolorum mentes & corda. Haud tamen ita hallucineris, vt cogites nullos ex Patribus veteris legis recepisse spiritum adoptionis filiorum: nam quemuis iustum gratia eadem quæ gratum eum Deo facit, & filium vnā cōstituit. Vnde in psal. Ego dixi dñi estis & filii excelsi omnes. Et Esa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Et supra Pau. credentes omnes demonstrauit filios esse Abrahæ per fidem. De quibus *CHRISTVS*, Multi autem ab oriente & occidente veniēt, &c. filii autem regni eiciantur foras. Sicuti & in Euangelio vice versa ratione timoris cognominantur saepenumero Christiani, serui, Attamen duo hic Paul. nobis suggerit inter antiquam nouamq; leges discrimina. Primum quod lex prisca, dum ex vna parte peccatum ostenderet, ex altera vero gratiam nō conferret (eo modo, quo crebrò supra repetimus, scilicet praeter eam, quæ in circuncisione per fidem donabatur) ita excusationē peccati auferebat, vt tamen nihil per se ad opera charitatis adiuuaret: & ideo veluti seruos deterebat: nostra vero per viuandā *CHRISTI* mortem, & viuam ipsius vocem, perq; sacramentorum gratiam ceu filios nos amore conciliauit. Sed alterū discrimen est, quod licet per fidem *CHRISTI* filii tunc olim constituebantur, erāt tamen vt paruuli, quemadmodum ait Gala. 4. nihil a seruis differentes, sub elementis mundi, sub tutoribus & actoribus hereditatis possessione cohibiti: quod paulò inferius repetendum nobis est. Nostrū vero Euangelium aperit nobis regnum, vt filiis iam adultis. Probat ergo eos, qui spiritu Dei per *CHRISTVM* sibi participato aguntur,

Gala. 3.

Sub lege erant filii Dei.

Psal. 82. Esa. 1.

Mat. 23.

Duo documenta Pauli.

Gala. 4.

filios esse Dei. [Non enim accepistis spiritum seruitutis in timore] Videlicet uti olim sub lege [Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.] Veruntamen perpende primum oppositionis energiam. Etenim spiritui seruitutis non simpliciter opponit spiritum libertatis, qui propria est illi ratione contrarius, sed, quod sublimius est, spiritum adoptionis filiorum. Non enim solum sumus ceu manumissi & liberti, sed asciti præterea in filios. Idem ergo hoc prorsus est illi, quod ait CHRIS TVS redemptor noster, iam non dicam vos seruos (nimirum uti antiq̄uitas) sed amicos. Nisi quod plus est filius, quam amicus. Et Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui talē potestatem non habuissent Patres virtute legis. Et rursus CHRIS TVS, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Frequētissimaque CHRIS TO fit mentio filiorum, ad extol lendū discrimen hoc inter legē suā & legem Moysi. At recentiores interpretes neque hic veterē sine culpæ nota prætereunt: est enim græcē vnica composita vox / υιοθεσια / hoc est, adoptionis: quam Interpres per tres reddidit, scilicet / adoptionis filiorum Dei. Quas quidem non solum aiunt superuacaneas esse, cū satis fuisset dicere / spiritum adoptionis / verum & ineptē constructas. Nam adoptio filiorum incongruē dicitur passiuē, pro eo quod est, adoptio in filios. At verō quantum ad genitiuum / filiorum / attinet, profectō non solum non est incongruenter appositus, verum fuit ad complendam sententiam necessarius, qui & in voce Græca continetur. Etenim vox / υιοθεσια / componitur ex duabus, scilicet, filius, & positio, ut idem sit, quod, filii positio: hoc est, loco filii substitutio, quod Latini dicunt adoptionem. At quia solent etiā extranei adoptari & subrogari, non in filios, sed in nepotes, secundum iurisperitos: nempe qui legitimo filio succedant, ut discriminet Interpres inter has adoptiones, distingregauit compositionem nominis Græci in duo Latina / adoptionis filiorum / quod sanē optimē dicitur pro eo quod est, adoptionis filialis: sicuti dicitur, creatio episcopi, quando ille qui non est episcopus, assumitur in episcopum. Adoptare enim filium, est illum instituere & creare filium. At genitiuus / Dei / forsitan adiectus est diligentia alicuius, ut exprimeret scopum desiderii nostri: quanquā neque probabilitate caret, illū existisse olim in Græcis. Nam supra ca. 5. similis est oratio, Gloriamur in spe glorię filiorum Dei. Ait autē / spiritum adoptionis filiorum Dei / ad differentiā naturalis filii, qualis CHRIS

TVS fuit, qui nec genitus est, nec procedit à patre per Spiritum sanctum, sed Spiritus sanctus. potius spiratur ab illo, prius origine genito à solo patre. Neque in quantum homo, licet fuerit cōceptus de Spiritu sancto, est filius adoptiuus, quoniam adoptari nos in filios Dei, est accersiri ad similitudinē & quādam participationē naturalis filiationis: siquidem (ut statim Paulus dicitur) prædestinavit nos Deus cōformes fieri imaginis filii sui: per gratiam autem vnionis factum est, ut homo CHRIS TVS sit filius, non participatiuē, sed verē naturalis: quapropter non factus est de non filio filius. Humanitas verō, licet fuerit assumpta, non tamē, nisi abusuē (uti Hilarius loquitur) dicitur adoptata: quia adoptari est proprium suppositi: quando quidem filiatio proprietas personalis est. Nos autem, quos Deus gratia & bonitate sua admittit ad suā beatitudinis hereditatē, propriē adoptamur. Hoc enim est & inter homines ciuilitate adoptari. Nisi quod homo extraneum adoptat, quia probum illum studiosumque nouit, Deus autem non sic, sed adoptando nos, bonos facit. Iuxta illud Phil. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei: videlicet absque ullis nostris præcūtibz meritis. Ac præterea, homo alienum sibi substituit in filium ad suam ipsius supplendam reficiendamque filiorum orbitatem, Deus autem ut suam exuberantissimam abundantiam, quin diuinitatem etiam, ratione quadam, nobis communicet. [In quo clamamus abba, pater.] / In quo / id est, cuius nomine appellu & suggestionē clamamus: hoc est, non voce tantum modo, sed intimo corde, altissimoque pectoris spiritu, nihil hæsitantes in fide, sed maxima cum fiducia ingemiscimus (ut ait inferius) & in hanc paternitatis vocē prorumpimus. Eodem ferē schemate ait Galatis. Quia estis filii Dei, misit spiritum filii sui in corda vestra clamantem abba, pater. Dicitur enim spiritus clamare, quia nobis dictat ut clamemus: sicuti paulo inferius ait hic, quod postulat pro nobis, quia nos postulare instigat. Compositus autem Paulus ambo nomina, quæ in Græco quoque extant, scilicet / Abba / Hebraicum & / πατήρ / Græcum. Ut admoneret ambos, quibus scribebat populos, Hebræorum scilicet & Gentium per vnū angularem lapidem I E S V M CHRIS TV M conglutinatos esse in vnā Ecclesiam, atque adeo in eandem filiationem arrogatos, ut pari iure compellere possent vnum Deum patrem. Quamobrem / pater / hoc loco non tantum in Deo

Christus non est filius adoptiuus.

Adoptari.

Phil.

Gal.

Abba pater.

in Deo opus creationis designat, nam eo iure non solum fidelium, sed vniuersorum est pater: iuxta illud Deut. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit & creauit te? Sed beneficium quoque representat redemptionis, per quod nos in filios conscripsit. Vnde, ut per munus creationis omnis creatura diuinæ bonitatis facta fuit particeps, ita & homines per beneficium reconciliationis compotes fiunt diuinæ filiationis. At verō paternitas hæc totius trinitatis est propria, ut cui toti conuenit adoptare nos: & ideo nominē hic / patris / Deus denotatur, ut communis est tribus personis. Sicuti & in oratione dominica, ubi precantes dicimus, Pater noster: tamen si per quādam attributionem & primam quoque trinitatis personam, patrem iure adoptionis appellare nos decet, quippe cui proprium est generare naturalem filium, cuius nos sumus adoptitiui fratres. Vnde Ioan. 20. seorsum pronunciauit, patrem meum & patrem vestrum, quia diuersa ratione eandem personam appellamus patrem: nam sicut ipse per naturam splendor gloriæ est, & figura substantiæ patris, tales nos, gradu & ordine nostro, sumus per lumen gratiæ. Hæc autem paternitatis appellatio, licet iustis omnibus fuerit semper competens, tamen profectō nobis maximē sub lege gratiæ. Nam etsi tam sub lege naturæ, quam sub lege scripta fuerint perfidem homines Deo in filios, Deusque illis in patrem, nunquam iussi sunt Deum pleno ore, uti nos, appellare patrem. Atqui ut adnotauit Chryso. adiecta Hebræa voce, quæ legitimorum puerorum potissima est. Alludit fortē ad nomen / abba / quod ex duabus cōgeminitatis initialibus literis alphabeti componitur, quia ideo voce pueruli Hebræi, prima elementa balbutientes, vocitabant aut patres suos, sicuti Latini aiunt Pappæ. Id quod & inditium magnum est diuinæ in nos tenere charitatis, nempe quod, velut proprios filios, hæc nos indulgentia dignetur in lege gratiæ appellandi ipsum / abba / et / pater. Illud namque Hierem. 3. Patrem vocabis me, de hoc nostro tuo nostraque Christianorum Republica vaticinium erat. Quam quidem sanctissimam habuit Ecclesia considerationem in illa præfatiuncula, Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere. Pater noster, &c. Quasi dixerit, alias nunquam hanc præsumeremus vocem ore formare. Atqui legem veterem perlustrantibus, cumque Euangelio conferētibus, liquidō

Deut. 32.

Paternitas.

Ioan. 20.

Filii Dei.

Chryso.

Hierem. 3.

Ecclesie cōsideratio.

apparebit discretio hæc, quæ est inter seruos & filios. Illi namque in primis opere tantum extra ut serui ad oculum seruibant: atque id quādiu flagellum ob oculos imminerebat, haud tamē ex corde, filialique constantia. Nam ut ait Propheta, quoties exacerbauerunt Deum in deserto, & in iram concitauerunt, cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et, Dilixerunt eum in ore suo & lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento suo. Et ut in eodem psalmo latē enarrat, ocularibus beneficiis, temporaliumque pollicitationibus allecti, præsentibusque castigationibus, uti seruilis populus, conterriti, vix in officio & legis custodia continebantur. Sed in lege euangelica omnia spiritualia sunt. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis, ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. In summa, nihil, aut pollicitus, aut cōminatus nobis est CHRIS TVS temporalium, sed omnia æterna, ut spiritum nostrum ad cœlestia raperet, ne metu, ut hero, seruiremus ei: sed amore coleremus, ut patrem. O inestimabilem charitatem CHRIS TI. Quisnam regis filius non iniquissimo tulisset animo, ut pater suus vnumquemlibet plebei bubulciq̄ filium in proprium adoptione ascisceret, in iusque admitteret regni, quod ei soli erat legitimum? Et tamen CHRIS TVS id non solum non inuidit nobis, verum effusione proprii sanguinis hoc nobis nomen comparauit, ita nos patrem nostrum cōpellare instituit, spiritumque suum dedit nobis, in quo clamaremus, abba pater, Videte ergo (ut cum Ioan. sic concludentes admiremur) qualem charitatē dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus.

Discrimen inter seruos & filios.

Psal. 77.

Mat. 9.

Christi benignitas.

Ipse enim spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Expositio illius est quod dixerat / in quo clamamus abba / Quasi sic adiecerit, Hæc enim vox, qua nos profiteamur filios, non nostra est propria, ut vereri debeamus, ne falsa sit (quia omnis homo mendax) sed spiritus ipsius sancti suggestionē illam proferimus. Quomodo id autem fiat, ostendit: quoniam ipse spiritus (scilicet Dei, qui fallere nescit) testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Id quod non est absque asterisco prætereundū. Nimirum quod idem spiritus, qui testimoniū tulit demissus cœlitus super CHRIS TV M ascendentem



dentem de aquis baptismi, quando clara voce testatus est pater, Hic est filius meus dilectus, idem inquam spiritus, non quidem palam externa voce, sed tamen interno, occultoq; dictamine cōtestatur spiritui nostro, & filios nos esse quoq; Dei per eiusdē **CHRISTI** baptismi. Textus hic veruntamen nonnihil habet ambiguitatis apud Græcos, propterea quod illic non est / testimonium reddit / sed vnicum compositum verbum / cōtestatur. Quam literam sic quidam ex neotericis vertit / Idem spiritus testatur vnā cum spiritu nostro, quod simus filii Dei / ita vt velit, hoc quod est / spiritus cōtestatur spiritui nostro / non idem pollere, quod Spiritus sanctus dat testimonium nostro, sed quod cōtestatur, hoc est, simul cum nostro testatur: sicuti ille mihi cooperatur, qui mecum operatur: quasi duo sint testimonia, vel vnum duorum cōtestatū. At verò profectio procul versio hæc distare videtur à Paulino ingenio: nam cum huiusmodi filiatio supra naturam nobis obtingat, nequit spiritus noster testis eius esse, sed totū testimonium est ab Spiritu sancto, qui & eiusdem est filiationis author. Quam ob causam **1. Cor. 2.** Paulus **1. Corin. 2.** vbi illorum meminit bonorū, quæ Deus præparauit diligentibus ipsum, putā que neq; oculos vidit, & c. statim subdit, nobis autem reuelabit Deus per spiritum suum, Et exemplō inferius, Quis enim scit que sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Spiritus ergo noster fidele testimonium ferre non potest quod simus filii Dei, nisi quatenus illud ei testimonium Spiritus sanctus fert. Vnde interpret vetus, quod alterū abigeret sensum, non transtulit / cōtestatur / sed, quod citra amphibologiam idem valet / testimonium reddit. Neq; est cur reprobetur verbū / reddit / in hoc significatu, quippè cū & pro eodem accipi latinē soleat, quod est, dare, vel ferre. Porro autem hic vnus est eorum locus, quos suæ opinioni illi obtendunt, qui, etiam inter catholicos in ea sunt opinione, vt existiment certum fieri quemcunq; iustum suæ cum Deo recōciliationis & gratiæ: atq; ea quidem certitudine, aut ei simili, quæ est fidei catholice, putā quæ omnem prorsus dubitationem auferat. Quam quidem opinionem in calce tertii libri nostri de nat. & grat. latissimè expugnauimus, tam contra Lutheranos, quā contra catholicos, qui licet diuersa ratione in eandem tamē conclusionem impingebāt. Quam quidem apologiam rur-

sus integrauimus aduersus quendam reuerendū episcopum, vbi prædictam opinionem monstrare curauimus, non solum aduersam decreto Concilii, verum & esse creditu difficillimam: an verò id præstiterimus, alii iudices sunt. Hoc inquam paralogismo protegabant sese, Testimonium Spiritus sancti non potest non esse certum, Spiritus sanctus testatur nobis (authore hic Paulo) nos esse filios Dei, ergo quemcunq; constituit filium, eundem ipsum certum vnā facit quod sit in gratia. Argumentum fuit antea Buceri in colloquio Ratisponen. ad quod ego securius iusto respondi eodem lib. concedens priorem assumptam: tamen de subiūctis exemplō verbis deprehendere quisq; poterat mentem nostram: explicuimus eandem tertius in præfata apologia. Concedimus ergo quod testimonium Spiritus sancti non potest non esse verissimum, attamen inde non protinus consequitur, vt fiat nobis certum certitudine fidei. Ad huiusmodi namq; certitudinem non sat est testimonium esse Spiritus sancti, sed præterea exigitur, vt certum sit, illud in particulari testimonium ab Spiritu sancto procedere, sicuti certi sumus, scripturæ reuelationē diuinit<sup>9</sup> eluxisse: vel sicuti beatissimæ Virgini & apostolorū & aliis quibusdam sanctis per singulare priuilegiū sua est salus reuelata, quos hic exceptos supponimus. At lege communi Spiritus sanctus testimonium non palam exhibet: sicuti fuit illud de **CHRISTO** super Iordanem, sed internè per coniecturas, quæ non sunt adeo perspicuæ, quin possit angelus Satanæ transfigurans se in angelum lucis per similem apparentiam hominem deludere. Et vt hoc omni proculdubio, manifestum fiat, potissimum argumentum ego mihi sumo ex præfenti hoc loco Pauli. Testimonium enim hoc, de quo hic loquitur, est, quod Spiritus sanctus in eis, quos inhabitat, amorem castū seminat, eosdemq; allestat, vt non timore, vt antiqui olim serui sub lege Moysi, sed prompto amore filiali pareant, iussaq; Dei spontanei faciant, tanquam filii iam idonei ad hereditatem adeundam. Quod quidem testimonium perhibere inchoat (vt hic edocet Pau.) cuius iusto, & tamen luce clarior experientia est, illos qui recentes sunt in gratia Dei, quos incipientes appellant, non protinus timorem deponere illum seruilem, vt supra diximus, qui via illis fuit ad veram charitatem, quo ad usq; adeo sit perfecta charitas, vt huiusmodi timorem radicatus conuellat. Ergo Paulus

Paulus loco præfenti solum habitum, ingenium, vim & naturā Spiritus sancti aperit, quæ est excellens hunc amorem ingignere, admonendo nos, quanta fuerit erga nos charitas Dei, qui filium donauit nobis, commendandoq; quanta illi nostri sit paterna cura. Huius autem certitudinem & firmitatem ob nostrā prauam dispositionem non facit subito, sed tēporis successu, accumulando roborandoq; magis ac magis coniecturas secundum progressum & exercitium in operibus virtutis: ex quibus planè inualefcit quotidie per auxilium Dei nostra fiducia. Quo circa paulo hic inferius, vbi tractat, quo pacto Spiritus sanctus interpellat pro nobis Deum, statim inducit scrutatorem cordium, qui discernit quisnam spiritus in nobis loquatur. Hoc tamen fatendum est, quod possunt huiusmodi testimonia Spiritus sancti eousq; in prouectioribus sanctis increbrescere & virescere, vt certus homo fiat sui status gratiæ, ea probabilitate, certitudine & firmitate, quæ sufficit inter homines humano more metum contrarium propellere, securumq; hominem facere: vt ego sum modò securus Romam extare, licet nō habeam certitudinem fidei diuinæ, an postq; ego illam vidi, iam modò non extet. Quam obrem in opusculis nostris citatis hanc certitudinem appellabam moralem aut humanā: non, inquam, quod causa illius non sit Deus, sed quod modus eius non pertingit ad certitudinem & firmitatem sacræ scripturæ, cui subesse non potest falsum, quinimò nescio an vllus vnq; ad tam altam certitudinem, quantum exemplo Romæ explicabam, fuerit subuectus: siquidem experientia constat & hæreticos sapissimè mendosis, fallacibusq; coniecturis adeo sibi habere persuasum, obsequiū se præstare Deo, quā inter catholicos iustissimum quemq;. Quæ quidem certitudo non prouenit ex obiecti veritate: quam ideo hæreticorum certitudinem in lib. de nat. & gra. appellabam certitudinem, nō ex parte obiecti, sed ex parte subiecti. Similis huic Paulina est & sententia illa Ioannis, Tres sunt qui dant testimonium in terra, spiritus, aqua & sanguis. Super quo verbo Bernard. sermone. **1. & 2. in octa. Paschæ,** testimonia, inquit, gratiæ Dei sunt, aut nullam habere consciētiam peccati post baptismum, aut lachrimarū fonte eorum sordes abluere, mox iugibus penitentia fructibus corpus affigere, & veluti sanguinolento martyrio prauas affectiones perimere, ac deniq; in operibus spiritualibus ex-

erceri. Hæc ille. Sed est aliud præterea indicium filiationis huius, audivitas audiendi verbum Dei: nam qui filius Dei est, verba Dei audit. Hæc autem omnia etiā in hæreticis videas. Vnde idem Bernard. ser. **17. super Cantica,** orandus inquit est tantum Deus, vt custodiat corda nostra & intelligētias nostras, ne fortè cum non aderit, adesse putemus, nostrumq; pro ipso sequamur sensum, deuiantes. Venit namq; & vadit prout vult, & nemo facile scit vnde venit, aut quo vadat. At sunt verba hic Chrysostomi, quibus videtur innuare hoc Spiritus sancti testimonium q̄ maximam, & quā firmissimam certitudinem, putā fidei catholice ingenerare cuius iusto, quod sit in gratia, ait namq; quod quando spiritus testatur, nulla relinquitur ambiguitas, vt si homo quispiam vel angelus id fuerit testatus vel pollicitus. Hæc autem & si quæ sunt id genus apud sanctos talia, quæ obiecta ri nobis solent ab istis assertoribus certitudinis gratiæ, nihil aliud comprobant, q̄ quod spiritus Dei non est de se fallax, sicut spiritus creaturæ: inde tamen solum colligitur, quod vbi certus ego essem, hunc qui mihi loquitur, esse Spiritum sanctum, certus cōtinuò fierem, verum esse testimonium, id quod nō contingeret, si ille qui mihi fert testimonium, esset homo. Sed de his plurima in illis, quos memorauimus opusculis.

Si autē filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si tamen cōpatimur, vt conglorificemur. Diximus iam dudum Apostolum probare sententiam illam, quod spiritus sit viuificator mortalia corpora nostra, si tamen eodem spiritu facta carnis mortificauerimus, hoc syllogismo. Quicunq; filii Dei sunt (scilicet vsq; ad finem) ii & vita quoq; perfruentur diuina: quicunq; autem spiritu Dei aguntur sunt filii Dei: ergo quicunq; spiritu Dei aguntur vita fruentur diuina. Posteriorē præmissam hæcenus illustrauit, iam modò ad priorē reuertitur: hæreditas enim Dei est vita æterna: ob idq; tantundem est dicere / si autē filii ergo hæredes / ac si dixisset / si filii, ergo vita uiuent æterna. Ac deinde, quos spiritus constituet filios, eorum & viuificabit mortalia corpora: quod fuerat antea propositum. Est autem hic perspectu dignum quemadmodum neq; vnguem à proposita differētia declinet inter statum antiquæ legis, & statum euangelicum, quod ille erat seruorum, iste autem filio-

Defensio  
interpretis.

1. Cor. 2.

Contra certitudinem  
gratiæ.

Certitudo  
gratiæ  
nostræ.

Argumentū  
tū validū.

1. Ioan. 5.

Bernard.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Chrysost.

filio

filiorum. Quinimò h'c eam maxime patefacit: nam etsi electi illorum, in filios fuissent recepti, erant tamen tanq̄ paruuli, quibus differre batur hæreditas: nobis autem, nisi per nos steterit, ab hac vita absq; mora transitus fit ad æternam: & ideo colligitur si filii & hæredes. Et quidem inter homines de adoptitiis neuriq̄ fallit illatio: nam ad hoc adoptantur, vt in bonis succedant: secus autem de legitimis & naturalib⁹, quorum primogenito obuenit sæp numero hæreditas integra. Vnde *Gene. 25.* vt legitur *Gene. 25.* Abraham soli Isaac hæreditatem reliquit, cæteris autē filiis elargitus est quedam munera. Quocirca Paulus vel illationem hæc fundat in eo, quòd de filiis adoptitiis sermonem habeat, in quibus constas est illatio: vel dignitatem filiorum Dei extollit, quòd non primogenitum suum tantū, sed omnes in ius recipiat hæreditatis: iuxta illud, *1. Pet. 1.* Regenerauit nos in spem viuam in hæreditatem. Etenim exiguitas angustiaq; temporalium bonorum, quorum quantum in plures dispertuntur, minores singulis partes obtingunt, in causa est, vt, reliquis filiis nonnuncquam abdicatis, hæreditas decernatur primogenito: hæreditas autem Dei, est Deus ipse, qui bonorum externorum nõ indiget, sed suas in se vnuerfas continet diuitias: vnde in *Psal. 15.* Dominus pars hæreditatis meæ: Deus autem infinitum bonum est, qui non per partes communicatur nobis, neq; dum communicatur minus ipse habet: sed (veluti sol) vt latissime beando profunditur, ita est eius gloria consummatissima. Vnde aliud quoq; patet discipulum, sanè quòd hæreditas inter homines non aditur à successore vsq; ad mortem præcessoris, eò scilicet quòd non posset vtriq; sufficere: hæreditas autem Dei non est defuncti successio, sed consortium Dei viuentis in secula seculorum. Tamen si hoc quod in humana hæreditate perfectionis est, nempe vt testamentum morte testatoris confirmetur: & in diuina quoq; hæreditate adnotauit *Heb. 9.* Paulus *Hebr. 9.* Testamentum enim, inquit, in mortuis confirmatum est, aliò qui nondum valet, dum viuit qui testatus est. Quare sicut vetus in sanguine hircorū & vitulorū dedicatum est, ita & nouum preciosissimo sanguine CHRIS TI, per quem aditus ad hæreditatem patefactus est, quem sanguis hircorum referare nequiuerat. Attamen non sumus hæredes CHRIS TI, sed Dei: & ideo subdit [*Hebr. 9.* Quoniam CHRIS TVS, in quantum homo, nõ

est pater noster, sed Deus, quem afflante Spiritu sancto appellamus, abba, patrem: CHRIS TVS autem & caput nostrum est & primogenitus frater, quem cõstituit hæredem vnuerforū, cuius idcirco & nos cohæredes existimus. Est ergo hæc dilutio argmēti, quo quis posset Paulum subnotare, quòd contraria dixisset, dum CHRIS TVM induxerit tantam datorem vitæ, quæ proprietatis patris est, & tamen simul nos nuncupauerit filios Dei. Ait, utiq; hæredes nos esse Dei, tanquam patris, cohæredes autem CHRIS TI, tanquam fratris. Quamobrem supra dixit eum ipsum, qui suscitauit CHRIS TVM IESVM, viuificationum corpora nostra. Neq; verò quod supra definiebamus, nempe CHRIS TVM non esse filium adoptiuum, obstat, quò minus sit frater noster, eò enim quòd filius naturalis est, non est adoptiuus: sed tamen eadem ratione, qua naturalis est, primogenitus quoq; constituitur in multis fratribus, vt ait inferius Paulus. Sed est hæc præterea commendatio eximia excellentissimæ charitatis Dei in nos, quam supra cœpimus denarrare. Etenim homo nõquam extraneum in ius filii adoptat nisi ob naturalium legitimorumq; inopiam, quasi alterum substituens loco naturalis filii, quo caret: Deus autem cum naturalem haberet eundemq; sib æqualem, neq; nostro indigeret, vel obsequio, vel honore, accersiuit nos in ius bonorum suorum: neq; verò in particulam eorum quampiam, sed in ipsam eandem hæreditatem, quæ filio suo vnigenito & naturali debetur. Hæredes ergo Dei sumus, quia sua ipsius diuinitate eius faciem conspicientes participabimus, cohæredes autem CHRIS TI, Primò quòd dum eadē visione similes futuri sumus Deo: iuxta illud, Cum apparuerit similes ei erimus, consimiles tunc erimus CHRIS TO, qui in summo gradu eadem perfruitur. Secundò quantum ad corpus, quòd reformatur corpora corruptionis nostræ configurata corpori claritatis suæ, vt eadem immortalitatis gloria cum ipso donemur: iuxta illud inferius verbum, prædestinavit nos conformes fieri imagini filii eius. Neq; id solum, sed in eundem locum subleuabimur: nam, volo, inquit, pater vt vbi sum ego, illic sit & minister meus. Et eodem nos titulo dignabitur: est enim ipse rex regum & dominus dominantium, atq; sacerdos in æternum. Sed & nos quoq; secundum verbum Petri, regale sacerdotium per ipsius gratiã. Et Prophetas, Constitues eos principes, &c. Quinimò vt probè

Solutio dubii.

Commendatio charitatis Dei. Charitatis diuine commendatio.

Cohæredes Christi.

Ioan. 17.

Apoc. 17.

1. Pet. 2.

Psal. 44.

Orige. probè Orige. meditatus est, cum pater omne iudicium dederit filio, idem fermè & filius suis cohæredibus tribuit, vbi ait, sedebitis & vos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel: vt non solum in partem hæreditatis, sed & in consortium eos potestatis ascisceret. Perspiciamus ergo atq; animo reputemus, quò Paulus perduxerit extuleritq; orationem ab illo proposito themate /Gloriamur in spe gl'oriæ filiorū Dei/ Quæq; altè & perspectè archana filiationis hui⁹ depromperit, cuius per gratiam CHRIS TO potitur. Sumus etenim iam à CHRIS TO passo per eius pretium sanguinis non serui, sed filii Dei, neq; qualescunq; filii, sed hæredes, neq; verò minoris hæreditatis q̄ Dei ipsius, cuius CHRIS TVS est hæres. At verò ne quis nimium securus socordix se dedat, quasi taliter hæc dona per gratiam obtineamus, vt nullis opus sit nostris laborib⁹: sicuti supra post gloriam spei filiorū, mentionē fecit gl'oriæ in tribulationibus, ita & modò subdit. [*Si tamen compatimur, ut glorificemur.*] Quemadmodum autē paulò ante adnotauimus super verbo /si tamen spiritus Dei habitat in vobis/ ita & hic anceps est dicitur Græca /εἰς ἡμᾶς/ potest enim assertiuè legi seu causaliter, pro eo quod est /siquidem/ vel /quandoquidē/ vt sit causa superioris sententiæ: videlicet quòd si filii, & hæredes, eò quòd ob hoc compatimur CHRIS TO, vt conglorificemur illi. At verò doctores non solū Latini, vt Ambr. & Aug. Verū & Græci, putā Orige. & Chryl. dubitatiuè & rationatiuè hoc legunt, vt est in translatione nostra. Et proculdubio lectio hæc fidelis ac puri⁹ refert mentē Pauli: qui quidē, cõstituto fine & scopo gratiæ Dei, viam sternit, qua illic per eandem gratiam perducamur. Quasi dicat. Hæc ita adipisci possumus per gratiam Dei: si tamen eadem gratia in nobis vacua nõ sit, sed eius ope compatiamur CHRIS TO, vt vnà cum illo glorificemur. Vbi & causam quoq; reddit, cur nobis vita immortalis corporū differatur vsq; ad futurum seculum: ea enim est (sicuti supra dicebamus) vt quemadmodū oportuit pati CHRIS TVM, & sic intrare in gl'oriã suã, eadem nos incedamus semita: nempe vt cõmortui in baptismo cum illo, crucē ipsius similiter baiulemus, eiusq; mortificationē cū Paulo circumferentes, & quæ defunt passionū eius in nostro corpore cõplentes, demus operam, vt viuat ipse in nobis CHRIS TVS, cū quo nos viuamus in æternū. Haud enim dissimiliter ait, ad Tim. Si cõmortui su-

Orige. Mat. 19. Egregia deductio Pauli.

Cur differatur nobis immortalitas

1. Tim. 2.

mus, & contiuemus: si substinemus, & contra gnabimus. Sunt verò quibus translatio /cõpatimur/ nõ placet, ex eo quòd hoc potius significet, cõmisereri: & ideo dicendū censent /simul cū eo patimur/ At verò interpres seruare voluit verbum compositum, vt est græcè, quod profectò, & simul pati significat, què significatū subsequens verbū /conglorificemur/ declarat. Atqui per hæc clarescit, q̄ sit nulla Lutheranorū argutia, quæ ex hoc loco necit contra operū merita. Arguunt etenim, quòd si nulla sunt merita recõciliatricis gratiæ, per quã cõstituitur filii Dei, minimè vlla sunt vitæ æternæ: nam, si filii, inquit Pau. & hæredes: atq; adeò si gratis filii, gratis & hæredes. Si autē argumētatio hæc firma esset, nunq̄ subiunxisset Apostolus /Si tamē cõpatimur. Reo spõsum ergo à nobis supra est in calce cap. 6. ex verbis Aug. in de lib. arb. exponētis illud/ Gratiã Dei vitã æterna. Vbi vsq; adeò nõ inficiatur, opera nostra esse verè merita vitæ æternæ, vt id ipsum iterum atq; iterū adstruat, sed quia gratia, inquit, per quam habet vt sine merita, gratis nobis donatur, vitã æterna dicitur & est gratia. Quocirca (vt li. de na. & gra. cap. 3. dicebamus) quãuis per adoptionis gratiã hæredes constituamur vitæ æternæ, nõ fit continuo consequens, quòd si gratiam nulla præcedunt merita, neq; vlla sint merita vitæ æternæ. Nam præterq̄ quòd officia iusti à gratia proficiunt, merita sint auctioris gl'oriæ, ipsa quoq; dispositiones gratiæ, quæ nõ sunt ipsius merita, sunt nihilominus merita gl'oriæ, quatenus eadē gratia in eodē instati tēporis vestiuntur: hoc est, quatenus opera sunt grati hois. Id quod tã pridē præfati sum⁹ cap. 2. sup verbo /Qui reddet vniciq; iuxta opera sua.

Existimo enim quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quoniam viam hæc adeundæ hæreditati cõmuniuit, si cū CHRIS TO vnã patiamur, neciã hoc durū & grauè existimaretur, quasi quòd magno cõstaret huiusmodi hæreditas, obuiã huic occurrit cogitationi, vt et passionū apparentē acerbitatē extenuet exinaniatq; respectu propositi braui, & simul excellentiã ipsi⁹ gl'oriæ cõmendat, vt cui afflictiones hui⁹ seculi, persecutionesq; ac dirissimæ immanissimæq; mortes, quas martyres olim pro CHRIS TO subibãt, pares nõ sint. Quã utiq; oratione animos Romanis & in illis nobis ad tolerantiam constātamq; & perseuerantiã irroboret.

Defensio interpretis.

Lutherani.

August.

Atq;

Gene. 25.

1. Pet. 1.

Deus hæreditas nostra.

Psal. 15.

Aliud discrimen.

Testamentum hæreditatis.

Heb. 9.

Ait ergo, nil mirum si qui heredes sumus Dei, coheredes autem CHRISTI, quascunq; perferamus molestias & cruces: siquidem hæc omnia indigna sunt, quæ cum futura gloria cõponantur. [Existimo enim quod nõ sunt condignæ, &c.] Alii transferunt/reputo/sed profecto simplex verbũ Græcum/λογίζομαι/syncerius transfertur per/existimo/ & ad propositum accommodatius. Nam reputare, hoc est, secum cogitare, quiuis potest, etiam infidelis, illud quod non credit: existimare autem maiorem habet energiã: significat enim indubitato sic iudicare & censere. Respuunt quoq; vocem/condignæ/vertuntq;/pares/ne probare videatur scholasticum verbum/condigni meriti. At verò non est, cur verbum receptissimũ, omniumq; Patrũ lectione celebratissimum deseramus. Neq; rursus transferunt/qua reuelabitur in nobis/sed/qua reuelabitur in nos/ob id quod græcè accusatiuus est. Attamè solet sæpè atq; sæpius datiuus Latinus commodissimè efferre accusatiuũ Græcũ: atq; hinc præcipuè. Nã lectio illa/Quæ reuelabitur in nos/refertur ad gloriã, quæ Deus ipse est, quæ in nos tunc irradias effundetur. Dum verò legimus/Quæ reuelabitur in nobis/illam significamus gloriã, putã visio-nem, amorem, honoremq;, lætitiã & requiẽ, quæ in nobis ipsis existet. De qua hinc gloria loquutus esse videtur Paul. Quam cum neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, hic dicit, tunc fore reuelandã. Vnde Paul. Vita vestra abscondita est cum CHRISTO in Deo. In hac verò compositione/passiones huius temporis ad futuram gloriã/vastissimũ interuallum depromit inter merita & præmia. Nẽpè quod passiones, temporariæ sint, breuiq; elapsuræ: futura verò illa gloria nullo sit tempore ementienda. Porro autem vt in tempore nihil esse grauissimum potest, ita neq; in æternitate potest non esse optatissimum. Vnde est illud, Id quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternam gloriæ p̄odus operabitur in nobis. Non dixit, actiones aut opera, quæ nos impendimus Deo, ne significaret aliquo Deũ pacto indigere nostrorum operum, sed passiones quas pro Deo patimur, vbi aliqua emicare videri poterat ratio meriti. Quocirca multò est maioris exaggerationis, quod nõ solũ mandata Dei absq; nostro detrimento facere, verũ & angustias, calamitates, cruciatuq; & mortẽ pro illo perpeti, non æquatur illi gloriæ. Sed & hoc præterea meditan-

Existimo.

Condignæ.

Reuelabitur in nobis.

Colo. 3.

2. Cor. 4.

Non actiones sed passiones.

dum, quod passionibus non opponit requiẽ, quæ tamen passionum terminatio est iuxta illud, Vt requiescant à laboribus suis, sed, quod amplius est/gloriã/hoc enim splendoris nomen homines ad laborum tolerantiam maximè excitat. Quo nomine & requies cõprehenditur summa. Obuiat hic autem argumentum nonnullum huic Pauli sententiæ. Nam si loqueretur de laboribus eorum, qui sunt extra gratiã Dei, manifestum esset, quomodo illi non sunt condigni futura gloriæ: nimirum quod nullius sunt existimationis apud ipsum: cum autẽ loquatur de afflictionibus iustorum, qui numine inspirati clamant, abba pater, quomodo verum est, non esse cõdignas gloriæ? Quandoquidem veritas est constitutissima, quod quatenus à gratia Dei promant dignæ sunt coronæ iustitiæ. Iuxta illud. Bonum certamè certauit, &c. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Id quod libro. 3. de natura & gra. diffuse aduersus Lutheranos tractauimus. Responso est autem, quod ipsa eadem iustorum opera, etiam martyrum, quos hinc Paul. denotare videtur, si ratione obiecti perpendantur: vt porrigere indigenti potum aquæ frigidæ, duo erogare minuta, quinimò & vitam atrocissimæ offerre morti nullo possunt momento librari cũ p̄dere infinitæ gloriæ: & hæc est doctrina hinc Pauli. ob idq; ait, passiones huius temporis, videlicet quæ bonis nos huius temporis orabant, cum illis æternis nulla proportionem cõferuntur. Si autẽ consideretur, quatenus opera amicorum & filiorum Dei, ipsius operantium fauore, condigna certè eiusdem gloriæ sunt, veluti mercedis ipsis proposita. Et hoc est, quod discipulum Timotheum docebat. At quamuis licitum sit alterum mentis oculum, iuxta verbum Dauid, ad retributionem conicere, selectissima tamen meditatio in rebus afflictis est, Deũ ipsum solũ tota mente spectare, qui per se quocunq; seruitio & obsequio nostro dignus est ob suã ipsius incomprehensibilem bonitatẽ: præterq; quod tormẽta & crucem, quæ pro nobis passus est CHRISTVS, nullis nos possumus nostris cõpensare.

Nõ quiem sed gloriã.

Apo. 14.

2. Tim. 4.

Psal. 118.

Iudicium duplex.

Nam expectatio creaturæ reuelationẽ filiorum Dei expectat. Subiungit causam, seu potius indicium inestimabilis futuræ gloriæ, quam pronũciauit incomparabilem esse laboribus nostris. Iudicium autem est, quod omnis creatura reuelationẽ illius gloriæ expectat:

pectat: Idq; primum patefacit in genere, deinde illic/Non solũ/in particulari de dignissimis creaturis. Estq; porro huiusmodi ratiocinatio aptissima. Nam cum natura habitusq; boni ex appetitu rerum quæ in ipsum feruntur, perpendatur: iuxta illud philosophi in Ethicis, Bonum est quod omnia appetunt, ex propriis pulcherrimè ratiocinatur Paul. gloriã illam, quam expetit vniuersa creatura, supremum esse bonum, atq; adeo bonorũ omnium spectatissimũ, quibus bonis per passionem huius tẽporis priuamur: quæ ideo passiones non sunt condignæ illius. Quocirca non ait/creatura vellet/quæ sanè cõditionalis voluntas esse vtq; potest impossibile, neq; solum/vult/aut/appetit/quæ verba rebus quoq; incertis coaptari possunt, sed/expectat/quod firmam certamq; appetitionem designat. Quinimò verbum Græcum/ἐσθωσ καραδοξία/nõ simplicem expectationem, sed vehementem significat: vt interpret Chrysostomi trãsfert, seu feruẽtem, vt est apud Theophylactũ: vel sollicitam, seu anxiam, vt alii volunt. Quam quidem emphasin interpret vetus non protulit, arbitratur fortè satis eam exprimi reduplicatiõe verborũ/expectatio expectat. Nũcupat eã aut, gloriã filiorũ Dei, illuc respectas, vbi cap. 5. proposuerat gloriãtionẽ in spe filiorũ Dei, quã & nuper hereditatem filiorũ appellauerat. Haud veruntamẽ inter doctores cõuenit, q̄ se hinc latè protendat nominatio creaturæ: quinimò Augu. ob hanc ambiguitatem reputat locum hunc difficilem. Orig. verò autumat nomine hinc creaturæ, solam rationalem comprehendit, vt quæ capax est illius gloriæ, cuius iam angeli perfruuntur: atq; hanc intelligentiam amplexatus est loco citato Aug. inquit, hominem omnem dici creaturam, eò quod omnis creatura vel spiritalis est, vel corporalis, vel animalis: quæ tria mēbra in homine numerantur, quãuis in lib. ad Orosium copiosius hoc edisserat. Et secundum hunc intellectum, creatura cõctum hinc significat tantum (vt quidam censent) iustorum, qui iam sunt filii, at nondũ hereditatem adepti: iuxta illud. Nunc filii Dei sumus, & nõdum apparuit quid erimus. Sunt etenim in hoc seculo iusti in CHRISTO, sicuti palmitis in vite hyemali tempore, nempe afflictionibus & calamitatibus attriti & compressi, expectantes (vt habetur ad Tit.) beatam spem & aduentũ gloriæ magni Dei. Qui idcirco dũ tẽpore suo fructus proferent suos, pauciori maximo & terrori erunt impiis:

Natura boni.

Ethic. 1.

Vehementer expectat.

Gloria filiorum.

Creaturæ nominatio. Aug. lib. 83. quæst. 87.

Orig.

Simile filiorum. 1. Ioan. 3.

Tit. 2.

qui ideo stupefacti subitatione (vt est in lib. Sapientia) insperata salutis in clamabunt. Hi sunt quos habuim⁹ aliquãdo in derisum? &c. Sap. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Vel fortè creaturæ appellationi multitu do hic subiicitur humani generis. Nam & ini qui ob hoc quod ad imaginẽ Dei creati sunt eiũsdẽ gloriæ capaces, naturali inclinatione illuc feruntur, sicuti materiã appetitus ad formam. Cui sensui accommodari exemplum potest Augustini loco citato de coloribus pictori subiectis, qui sunt velut expectantes imaginem, in quam efformandi sunt: eãdem quippe analogia & vniuersi mortales suapte natura appetunt per gratiã reformari, iidemq; in genere gloriã filiorũ concupiscunt, quæ ratione appetunt esse beati, quæ verè beatitas illic omnino perficitur. At verò Chrysost. interpretatio est, quæ proximè ad Paulinum institutum accedere videtur: nempe quod nomine creaturæ, rerum vniuersitas veniat: saltem cœlum cœliq; ambitu contenta: quæ vt propter hominem facta sunt, ita & in illa summa reuelatione filiorum Dei sunt cuncta innouanda. Vnde expectatio ait ille sanctus pater, ad fingitur hoc loco insensibili mundo, eò nimirum schemate, quo in scriptura dicuntur flumini plaudentes, collesq; & montes saltantes. Hæc etenim interpretatio plurimum adfert energiæ ad explicandam excellentiam gloriæ quam hinc Paulus instituit efferre: nam id quod omnis creatura tam anxie expectatione desiderat, esse non potest nisi summum bonum, & præterea cum hinc & in subsequẽtib; continenter Paul. videatur distinguere inter creaturam & filios Dei, argumentum est creaturæ nomen patere ad omnem in vniuersum. Non quod comminisci cogitemus expectationem hanc naturalem designare appetitum creaturæ insensibilis, siquidem innouatio illa futura mundi supernaturalis erit: sed tamen quia per æternam Dei dispositionem innouandus est mundus, & ab infectione repurgandus, quam ab hominum vitis contraxit, expectari innouationem illam ab vniuerso mundo, haud incongruè dici potest. Fuit veruntamen hinc exortus quorũdam error, quos illic refert Aug. colligentium ex hoc loco, quod & angeli ipsi ingemiscunt, expectantes mortalium resurrectionẽ, quasi antea non sint in æternam beatitudinem recipiendi. hoc autem nõ cogitauit hic Paul. vt qui alibi ait, Cupio dissolui & esse cũ CHRISTO. Et alibi, Quod cupiebat peregrinari à corpore vt

Sap. 5.

August.

Chrysost.

Error quorundam.

Phil. 1.

P presentis



præfens esset ad Dominum : apertè docens, post hanc peregrinationem absq; temporis intercapedine patère iustis conspectum Dei, nisi aliqua eos purgatio forsan remoretur in igne, atque adeo angeli non est cur non sint in diuina præsentia. Sed loquitur hic de creatura corporea. Quauis neq; abs re longè fateri possumus & angelos reuelationem hæc expectare : sine gemitu tamen : nam quibus gaudium est supervno peccatore penitentiam agente, nil mirum si & desiderium habeant, non quidem ad spei virtutem spectās, quæ nulla in eis est, sed ad ardorem charitatis, qua in nos sunt propensi: desiderium, in q̄, potiundi societate totius humani generis, nã de animabus haud dubium est, quin sint expectantes corporibus reuestiri. In dæmonibus verò nulla spes est, ob quam huiusmodi filiorum reuelationem expectēt, Nisi per abusum dixeris, sperare expetereq; vltimam iniquorum cōdemnationem, quos deinde cum corporibus discrucient. Sed hic iam sermo extra causam fit.

Vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Optimam assertioni suæ cōsignat causam, desiderium enim ex defectu rei nascitur desiderata, vanum autem est, quod caret suo fine: ex propriis ergo probat avidā expectationē creaturæ, ex eo videlicet, quod vanitati subiecta est proprioq; caret fine. Vanitas hæc igitur creaturæ non est ita prorsus mendacium, vt non sint quod apparent, sed est quædam quasi frustratio finis. Etenim cū vniciq; rei nativus sit amor sui, cui & subinde congenitus appetitus existēdi, hunc tamē finem cōsequi nulli sublunarium rerum perpetuò cōtingit. Veruntamē extat in eis quædam perpetuitatis imago, dum vbi vnū corrumpitur individuum, aliud gignitur. Qua ratione fit, vt omnia se mutuò interimāt, vt sua ipsarum internitione speciem suam seruent. Atq; hac de causa res haud constanter homini conferant quod pollicentur. Est namq; cibus propter vitam hominis, quam tamen perpetuam efficere nequit: & arbor vt fructus ferat, quæ nihilò minus fructificando senescit vsq; ad interitum. Id quod & in voluptatibus, diuitiis, & honoribus, quæ sunt vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, compertissimum est: nempè vt non eam præstent animis requiem, dum possidentur, quam, dum deside-

rabantur, promittebant. Quam quidem ob causam vanitas hæc, genus quoddam mendacii est. Vnde Dauid, Vbi desiderium harum dilabentium rerum increpat, compositè ait, Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium. Rursus, Quia vana omnia sunt, fit, vt eorum appetitus vanus idcirco sit. Atq; hoc fortè subnotavit Salomon illo verbo, Vanitas vanitatum, hoc est, appetitus vanus rerum futillum. At quia non solum singula, sed neq; omnia simul, quæ tandem vniuersa cessabunt, eandem hominis appetentiam cōplent, adiecit, Et omnia vanitas. Per hæc ergo dilucidatum dubium est, quod quis fortè sciscitaretur, nimirum quod cum hæc rerum vicissitudo & inconstantia, natura sit rerum sensibilem, cur vanitas iudicanda sit? Est, inquam, ratio quod quum res inde vana existimetur, quod suum non assequitur finē: finis autem omnium sit homo, fit, vt quia eius non expleat appetitum, vana sint prorsus. Quò fit rursus (quod ad intellectum Pauli plurimum adnotasse refert) quod si res in sua primæua conditione ante hominis peccatum reputentur, non censeretur tunc propriè homo vanitati subiectus, tamesi res essent suapte natura corruptibiles, quia per iustitiam originalem & fructum arboris vitæ habuisset non moriendi possibilitatem, essetq; miseriarum omnium expers, ab vniuersisq; malis incolumis. Et præterea, nisi iniquatione humanæ culpæ corruptibilitas naturæ versa nobis fuisset in exitium & perniciem, conditio hominis, creaturæ subiecti, miseranda non esset, nec deploranda: siquidem eiusmodi corruptibilitas necessaria est omnino humanis vsibus, ornatuq; & decori vniuersi. Si enim aer non esset corruptibilis & dissecabilis, tunc impossibilis esset animalium, tam progressus, quam inspiratio: neq; terra si esset incorruptibilis, culturæ esset proferendisq; fructibus apta: neq; lapides cædi, aut sculpi possent, neq; dolari ligna, neq; animalium cadauera alimento essent nobis. Qua quidem meditatione excurrere quisq; potest latius per alia rerum spacia. At propter peccatum subiectus est homo vanitati. Etenim dum illam subiit sententiam, in quacumq; hora comederis ex eo, morte morieris, tunc ea quæ naturalia sunt, versa fuere mortali homini in detrimentum. Cæpit enim terra tribulis spinetisq; & id genus herbarum nocuentis syluescere, aerq; noxias densare nubes, & excutere nocua fulmina

Angelorum expectatio.

Vanitas creaturæ.

2. Ioan. 2.

Psal. 4.

Eccles. 1.

Distin. opti. m. solutio.

Vanitas a peccato or. t. F. habuit.

Distinguen. da exposi. tio.

Pena non est voluntaria vt culpa.

Psal. 38.

Psal. 101.

Creatura ir. ratio. Van. subie. non volens.

mina, cæli utiq; nunc caumate, nunc aliis tēpestatibus nobis esse inclemētes, animaliaq; in nos sæuire, quibus homo ideo in pœnam delicti per sententiam mortis subditus est. His ergo præmiditatis distinguenda, distribuendaq; est huius textus expositio secundū diuersas acceptiones nomini / creatura / nuperrimè attributas. Si enim accipiatur pro viro iusto, ille porro vanitati subiectus est, putā huic rerū inconstantissimæ vicissitudini, quæ spem immortalitatis protrahit. Subiectus est autem. [Non volens.] Vel quia mallet dissolui & esse cum CHRISTO: vel quia non ex corde diligit hanc vanitatem, cuius contrarium Dauid de iniquis pronūciat: vel (quod rei magis consonat) quoniam istis molestiis atq; incommodis humanum genus subiectū est, non volens, sed propter Adæ peccatum, in quod filii propria voluntate non consenserunt. Et quauis ipse consensit in culpam, tamen in eius intentione non erat subiici huiusmodi ærumnis & miseriis, sed esse vt Deus scies bonum & malum. Quocirca culpa quidem voluntaria illi fuit, sicuti vnaquæq; nostra nobis, pœna verò inuoluntaria. Putā, vt mulier in dolore pareret, terra germinaret spinas & tribulos, vbi alia mala, quæ, vel ab elementis, vel ab aliis animantibus aut inanimantibus nobis existunt, comprehenduntur. Quod si creatura pro toto genere nostro accipiatur: iuxta illud, Vniuersa vanitas omnis homo viuens, eadem fermè expositione textus contentus est: nisi quod iniqui peius sua se sponte vanitati perniciosiusq; submitunt, dum propter hæc caduca Deum denegant. Si autem nomen pro vniuersitate rerum corporalium vsurpetur de his quidem manifestum est, quomodo omnia sint vanitati subiecta: etiam cæli, de quibus scriptum est, Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Cui itidem suo modo vanitati eadem ratione subdita sunt & intelligentiæ cælorum motrices. Quod autem creaturæ irrationales atque insensiles huic subdantur vanitati non volentes per metaphoram audiendum est, & bifariam meditandū. Primum respectu naturalis appetitus. Nam vt in rebus corruptibilibus palam liquet, cuiusq; rei corruptio contra suam ipsius est inclinationem. Cælum autem nihil non volēs patitur: nisi dicas, inferiora hæc præter suam intentionem ab eo corrumpi, ideo quod per se cælorum intentio non est nisi res progri-

gnere. At si ad rē proximè fari percipimus, subiectio hæc non volentium creaturarum ad peccati articulum referenda est, sicuti & de creatura rationali supra dictum est. Enim uerò sicuti subditus tunc homo fuit non volens naturalibus rerum cōmotionibus, quando fasceceri illi molestiam cœperunt, eadem tunc ratione & omnis creatura subiecta eidem tragicæ vanitati fuit, non volens, quia videlicet nocere homini præter suam inclinationem cœpit. Etenim quauis æstus & frigora & reliquæ aëris inclementiæ, herbarumq; & animalium qualitates à rerum natura proficiscantur, tamen quod homini officiant & noccant, præter eorum est institutum, sanè quum sint omnia propter hominem, hoc est, in bonum remq; ipsius effecta. Sed age aliter & hoc meditari tētemus. Non enim solum creatura non volens subdita est huic muneris offendendi hominem plectendiq; in pœnam primi peccati, sed huic quoq; iniquissimo oneri seruiendi illi ad perpetrandum alia vltro delicta, quæ pestilentissima vanitas est. Seruit namq; illi lux solis, vt illa videat quæ ipsum turpiter alliciant; seruit & umbra noctis, vt impudenter eadem perpetret: seruit & cibus & potus ad concitandos prauos affectus: seruiunt deniq; temporaria bona, in honos vsus illi permilla, ad ambitionem, luxum, dissidia, iurgia, & alia id genus pestifera flagitia & scelera. Qua quidem ratione totus orbis tanquam hominum mancipium ipsorum quoque facinorum quodam modo sit particeps, eorumq; vitiis non volens inficitur: à qua quidem contaminatio ne liberari perpurgariq; ingemiscens optat, quando libertas aduenerit filiorū Dei. Quin verò angeli Dei, quibus peccatum illud displicuit, subiecti etiam sunt quodam pacto nō volētes eidem humanæ tragediæ, quatenus destinati nobis sunt custodes, & vt ait Paul. administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis: adeo vt cum bella gerere, insignis sit mortaliū vanitas (meditatio est Orige.) tamen apud Daniele archangelus Michael intro ducitur contra principem regni Perfarum dimicans. Igitur nobiscum animo reputemus, qua nos hic confusione suffundat Paul. nēpe quod nos scelerum nostrorum nō depudeat, quibus non solū nobis exitium cōparamus, verum & totam mundi machinam, gratia nostri fabricatam, coinquinamus ac foedissimè polluimus. Qui ideo mundus in diuis-

O. tima me diratio.

Angeli subiecti vanitati humanæ.

Heb. 2.

Bona consideratio.

no tribunali accusator nostri exurget, ubi spiria, quibus nunc contra nos querulus ingemiscit, representabit. Subiecta ergo vanitati omnis creatura est non volens. [Sed propter eum qui subiecit eam in spe.] Videlicet propter Deum, qui ita res dispensauit ac disposuit. At cōsulto nihilō min⁹ arbitror, abstinuisse Apostolum ab his dispositionis verbis dixisseq; subiecit, vt non tā ad primā rerum institutionē hoc referretur, per quā res orbicularibus lationibus subsidentes mutua corruptioni & permutationi subiecta fuere, q̄ ad peccati articulū: ubi quēadmodū expositū est, nō solū homo verū omnis creatura submissa est huiusmodi vanitati & negotio, quod prauariatio Adā illis exhibuit. Subiecit autē eā, inquit, [in spe.] Id quod de viris iustis manifestum est: quoniam afflictiones & pressurā, quæ ab hac illis existunt vanitate, cedunt eis in bonum, nutriuntq; illis confirmantq; spem. Si autem ad iniquos id etiam extendamus, & illi quoq; quatenus imaginem Dei gerūt, per quam sunt beatitudinis capaces, sperare possunt reconciliationem per gratiam Dei: licet spes illa non sit apud Deum virtus. Facile etiam potest & ad vniuersam creaturam nomen spei transferri, quā nimirum diuini propositi Dei significatur, quo dispositum per vltimam orbis conflagrationē mundum ab hoc seruitio liberare, ab istaq; repurgare contage. Vnde & sequitur.

Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Declarat vltimum verbum quod dixerat in spe, & quantū ad prædestinatos attinet, certa nobis fide constat, quod liberabuntur ab huiusmodi corruptione. Et tūc quod ait / Quia et ipsa creatura per inde est, ac si dixisset, non modō selectissimi (vti erant ipsi apostoli) sed omnes iusti liberabuntur. Si verō totum humanum genus cōprehēdatur nomine creaturæ, reprobi quidē eatenus liberabuntur, quod immortalia corpora resument: verū non sic liberabūtur, vt libertatem recipiant gloriæ filiorū Dei. At tamen hic vehementer locus vrget, quod voce hæc tenus creaturæ, non solum rationalem designauerit Pau. sed totum, qui renouandus est, mundum: quia non ait, creaturam ita liberatū iri, vt adeptura sit libertatem gloriæ filiorum, sed quod liberabitur in libertatē illorum: hoc est, tūc à mortalitate & corruptiōe liberabitur, quando filiorū libertas, quæ finis

est, ob quam fabricata est tota mundi machina celebriter fiat. Et confirmatur expositio hæc, quoniam si liberatio hæc creaturæ sic esset intelligenda, vt libertate, gloriaq; filiorum sit potitura, tunc non posset nec in superioribus nomen creaturæ vsurpari pro omnibus iustis, neq; pro illis solis: quoniam neq; omnes qui in hoc seculo iusti sunt, beabūtur, quauis spe (vt supra diximus) expectent huiusmodi libertatē, sed illi duntaxat qui in gratia & iustitia decesserint: neq; verō omnes qui hic aliquando fuerunt iniqui damnabuntur: nam & plurimi resipiscentes obtinebunt eandem gloriam. Soli ergo, cunctiq; prædestinati perfruuntur hac gloriæ libertate. Paulus verō absq; discrepantia ait, quod creatura liberabitur in libertatem filiorum. Vbi ingenio meo hoc diuina hæc philosophia repræsentat, quod corporeus mundus, quem philosophi propter hominem esse docuerunt, tametsi ob totum humanum genus fuerit conditus, potissimum tamen ob prædestinatos. Nā hominum vniuersitas, si diuinam rationem rimari volumus, illorum penitus causa creata est, quos in consortium suæ beatitudinis Deus suscipiet, quæ finis est mundi. Atq; hūc quidem sensum & subsequētia verba explicatius pandunt.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsq; adhuc.

Quod enim ter dixerit simpliciter / creatura nunc explanationis gratia ait / omnis creatura. Et qui de sola rationali verbū hoc interpretantur, dictum putant / omnis / quasi omnium hominum natio, sexus, ætas, & cōditio: omnes vtiq; Iudæi. Græci & Barbari: quia nemo est, iuxta superiorum expositionē, qui non sit beatitudinis capax, quā ideo nemo non appetit, saltem in genere, dū omnis exoptat esse beatus. Atq; hunc quidē appetitū significat verbū / ingemiscit. Et ait / Scimus tanq̄ Apostolus, qui omnia iudicat. Et vsq; adhuc / id est, non solū sub antiqua lege, quādo neq; iustis dabatur aditus ad regnum, sed & nunc vsq; ad extremum vniuersalēq; iudicium. Attamen si de vniuersa creatura intelligatur, tūc / ingemiscit / & / parturit / per metaphorā rebus irrationalibus trās scribitur. Nō quod suapte natura cessare appetant ab hac vanitate mutabilitatis & corruptionis, quæ illis naturalis est, sed qua ratione supra diximus, quasi inuitas seruire mortali prauoq; & iniquo generi nostro, & ingemiscere quoq; dici

Transla-  
tionis va-  
rietatē.

Ioan. 16.

Aug. 16.

Eucern.

dici possunt, libertatemq; parturire. At verō litera hæc nimium variè transfertur. Alii quippe transferunt / cōgemiscit / & ita modō habent Græci codices: sed tamen (teste Orig.) variabant olim, quorum pleriq; habebant / ingemiscit / alii verō / cōgemiscit. At verō forsā / cōgemiscit / nihil aliud sonat, quā / ingemiscit, vt / con / idē sit quod / valde / Vel fortē, omnes simul creaturas ingemiscere. Sed & pro / parturit / alii transferunt / dolet / seu / condolet. Sunt veruntamen Græcē, ὀδύρας / & ὀδύρας quā simillima verba, quorū prius significat doleo, posterius verō parturio. Et est verisimile, hoc secundum interpretem legisse. Præter quā quod parui refert: nam dolere in proposito dolores parturientis significat. Nisi quod / parturit / significatius exprimit affectum potiundi gloria. Est enim luculentissima emphasis accomodatissimaq; ad exprimendū vehementiā desiderii, quod creaturam angit illius immē sæ gloriæ. Siquidem vt acerrimus est dolor parturiētis, ita & maximū puerperæ gaudiū. Quā ideo metaphora & CHRIS TVS in eodē proposito vsus est, Mulier cū parit tristitiā habet, cum autē peperit puerū, iam non meminit pressurę propter gaudium. De hac vniuersali liberatione quam hic Paul. / gemitu creaturæ / designat, tractat Aug. lib. 20. de ci. Dei, cap. 16. cuius sententiam theologi sicuti aiunt, suprema ignis conflagratione elementa quatuor repurganda, tuncq; orbis cælorum sistendos, quā ratione generabilium omnium corruptibiliumq; vicissitudo cessabit. Sed emerserunt iam nunc ex Lutheranis, qui vt nihil non detrectarent scholasticum, ad seuerare pergunt, non solum elementa, verū & mixta hæc corruptibilia innouanda, præter illa quæ imperfecta censentur, vt entoma & alia quæ putredine generantur. Argumentū nullum aliud adferunt, quā quod hic Paul. citra discrimen ait, creaturam liberandam, quam liberationem omnis creatura suspirās expetit. Sunt tamen isti ridiculi. Nam quod elementa perpetuò sint permansura, vti cælum, manifesta ratio est, quoniam suapte natura sunt secundum se tota perpetua, veluti præcipua membra quibus mundus consistit. De corruptibilibus verō ratio est longè diuersa. De quibus idcirco interrogandi isti stantim sunt, an illa quę iam effluxere, vti animalia bruta, arboresq; & mineralia rursus instauranda sunt: quod profectō affirmare non possunt: quin risum moueant. Quo enim pa-

cto eodem loco vnde successu temporis plurimę arbores succreuerunt, repullulare omnes simul possent? Et tamen deberent tunc pari iure vniuersa redire, quę ab orbe condito corrupta sunt. Sed & vrgeri sunt præterea ad quid essent reficienda, cum enim cuncta sunt propter hominem, cui nam tunc fructificarent? imò quomodo id, motu cælorum cessante, valerent? Si autem illa non sunt reditura, sed illa quę postrema die reperientur, sunt in æternum conseruanda, quā quælo huius figmenti causam comminisci poterūt? Præsertim quod cessantibus cælestibus lationibus, quibus hæc inferiora nutriuntur & vegetantur, durare illa nequirent nisi perpetuo miraculo. At verō aiunt, hæc nō esse perpendenda philosophicis rationibus, sed iudicio Dei altissimo relinquenda: hoc enim sibi per fugium iam pridē muniere, dum studiū philosophiæ abiecerunt. Profectō citius negandum illis fuisset, locum hunc de omni creatura intelligendum, quā in talem improbabilitatem collaberentur. Dicamus ergo quod cum iudicium Dei, qui omnia suauiter disponit, ex rerum fine & congruitate nobis rimari liceat, liberatum iri probè coniecimus omnem creaturam ab hac vicissitudinis corruptionisq; & generationis vanitate, per hoc quod perpetuæ mundi partes ab huiusmodi negotio in perpetuum requiescent.

Nō solū autē illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionē filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Postquā extulit celsitudinem gloriæ per testimonium ab vniuersali desiderio omnis creaturæ accersitū, seu vniuersum genus humanum intelligas, seu orbem vniuersum, argumentum confirmatius repetit ex particulari desiderio per alterum iudicium excelsius effert, excellentissimæ creaturæ inter eas corporeas, quæ merē sunt creaturæ. [Non solum autem illa.] In græco non est / illa / sed / nō solum autem / Sicuti superius cap. 5. Non solum autem, sed & gloriamur. Colligitur veruntamen relatiuum hoc ex præcedentibus & sequentibus, quod & expressu necessarium fuit claritudinis gratia. [Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes.] Orig. in postremo glossæ membris, cui & Ambro. adhæret, vbi Paul. ait / nos / sub persona Christianorū omnium id dixisse autumat. Quod & Hieronymianum scholium sic interpretatur. Videli-

Orig.

cet quod licet Patres sub lege scripta spiritū habuissent, per quem ingemiscerent, expectantes gloriam filiorū, atq; suo modo nonnulli in lege naturæ, non tamen tam ampla receperunt charismata, neque tantam gratiæ opulentiam, quantam Christiani. De quibus *Heb. 11.* Heb. idem Apostolus, Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionē, Deo pro nobis melius aliquid providente. Vniuersalior tamen doctorum schola personas hic apostolorum peculiariter designari arbitratur, qui & Christianorum fuerunt primitiæ. Sunt etenim primitiæ in frugibus, fructus primi eiusdem speciei cum reliquis, solo tempore & preciositate præstantes: qui idcirco tam de area, quam de torculari dicati erāt Deo in lege veteri, tanquam datori omnium bonorum offerendi. Vnde Pau. quicquid primū est gratiæ in area spirituali, primitias appellat. Qua ratioe & ad *Cor. 15.* *CHRISTVM* appellauit primitias resurgentiū. Et hic cap. postremo donum Epæneti, primitias Achaia. Et Thessalonicensium Ecclesiam, primitias quoq; in sanctificatione spiritus. Et pari ratione inter Christianos apostoli sunt primitiæ, nimirū quos *CHRISTVS* peculiariter elegit, quibusq; arcana fidei primitus reuelauit, ut irēt, & fructū ferrent. Quæ quidē apostolorū functio prima est in Ecclesia, iuxta illud, *11. Cor. 12.* Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, &c. Vnde ab Ecclesia receptū est, post sacratissimam Virginem, primo gratiæ & charitatis gradu donatos esse diuinitus, siue virgines, siue martyres cogites. Neq; obstat, si qui martyrum truciore mortis fuerint perpeffi, q̄ illi: sauiora enim illi parati erant obire. Præterq̄ quod prædicationes, itinera, & sudores eximitæ in illis erant charitatis testimonia. Hoc autem primitiarum nomen scholiū, quod Hieronymo inscribitur, vsurpat, ad probandum quod in superioribus non fuerit prælocutus Apostolus de creatura alia, q̄ rationali. Nam putathunc esse sensum Pauli. Non solū alia quælibet creatura, quæ Spiritus sancti fructus qualescunq; percepit, sed & nos ipsi, qui primitias eiusdem spiritus habemus. At vero non est adeo solidum argumentum, cōstat enim satis exaggeratio, si dicas, Non solum creatura vniuersa suo quæq; gradu & ordine, verum & nos qui non modo spiritū sanctum, sed eius primitias suscepimus, gemimus. Et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei. Nonnulli, dum nō penitus inspiciūt

phrasim hanc / ingemisco adoptionem / sed quasi incongruam ex eo reputant, quod / ingemisco / verbum est neutrum, figunt sic puncta, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, vt quod residuum est, scilicet / redemptionem corporis nostri sit appositio quædam. At verò sicuti Latinum est, maritus ardet, ac deperit uxorem, quam ardentem amat, cuiusq; amore deperit, ita hic, gemere adoptionem est, cum gemitu illam inhiare & fitire. Neq; græcè hic est / filiorum Dei / sed tantum / adoptionem / attamen in verbo ipso Græco ambæ voculæ abditæ continentur, vt supra iam expositū reliquimus. Ait verò, intra nos / hoc est, intimo pectoris suspirio, ad augendam orationis vim: nam spes quæ differtur (vt est in Prouerbiis) affligit animam. Vnde, Coarctor enim, inquit, è duobus desiderium habens dissolui & esse cū *CHRISTO*, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. Haud enim altius explicare poterat, quid erga illos amoris in animo gereret, q̄ quod desiderio suo commigrandi ad Dominum anteferebat ipsorum necessitatem. At non meminit in præsentia fortasse de huiusmodi desiderio: ipse enim se explicat de quo loquatur. [Expectantes redemptionem corporis nostri.] Ad expositionem nanq; inclinatur rationis, in qua adoptio filiorum consistit: quæ quidem nondum in omni moda possessione posita est, sed in spe, quæ, nonnulla ex parte, vsq; ad vniuersalem resurrectionem corporis perdurabit. Quasi dicat, Non ita filiorum adoptionem per Spiritum sanctum accepimus, vt hæreditatē fuerimus adepti. Quinimò non modo in hoc seculo non illius potimur, verū neq; plenissimè statim in futuro. Nam quanuis hac præ antiquis fruamur adoptione, quod quum illi nec secundum animam nec secundum corpus euolare in cœlum, nostris tamen animabus illud iam pateat, restat nihilò secius instauratio & reformatio corporum per immortalitatem, quæ complementum est huiusmodi adoptionis facienda in extremo iudicio. Dicitur hic autē redēptio corporis, id quod est, redēptio seu liberatio à mortali corpore: de quo paulò antè, Quis nos liberabit, &c. Vel quod eodem recidit, resumptio immortalis corporis.

Spe enim salui facti sumus. Apertius iam adoptionis rationem depromit. Vbi reargutioni occurrit quæ quis illi posset intetare, tali obiectionis præsumptione docuist nos

nos antea Paule, per fidem baptismi spiritum nos adoptiōis recepisse, iusq; acquisuisse certissimū hæreditatis, quid ergo subiungis, non modo creaturam aliam, verum & vos, primores inter filios, eandem adoptionem cum gemitu exoptare? Respondet ergo, non modo hæc nō repugnare, verum etiam esse germanè consequentia. Est enim fides substantia sperandarum rerum, argumentum non aparentium. Qua de re, vt fides cognitio est rei non visæ, ita & spes, desiderium est rei absentis. Hæc ergo propria ratio est iustificatrici fidei, vt nobis ostēdat quid sperare debeamus, atq; adeo nos confirmet, vt spe futurorum per charitatem legis opera faciamus. Igitur quo sensu illud supra enarrauimus cap. 1. / Iustus autem ex fide uiuit / eodem ait hic / Spe salui facti sumus. Nō enim operamur inuitupramii quo iam fruimur, sed eius quod nos manere credimus in futurū. Quamobrē non sola fide iustificamur, sed accedente spe, quæ sequitur charitas. Non enim sic seruati sumus à *CHRISTO*, quod illico introducti simus ad hæreditatē, sed quod missi ab illo sumus in spem hæreditatis: nempe ea lege, vt cōpatiatur ad hoc vt conglorificemur. Hoc enim superius pronūciatum, & hic iterato dilucidat.

Spes autem quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus per patientiam expectamus. Quoniam spei meminit, eius protinus diffinitionem supponit. Vtitur autem hic metonymia, quæ plus præ se fert ponderis, dum spem appellat, rem ipsam quæ speratur. Spes enim, inquit, quæ videtur, id est, res ipsa quæ possidetur, non amplius speratur. Ad exprimendum nanq; quæta sit cōnexio spei ad fidē, spē diffinit, non tã per rationē propriam, q̄ per rationē fidei. Est quippe fides, intellectualis habitus eorū quæ nō vidētur: spes autē habitus appetitiuus eorū quæ nō possidentur. Igitur cū ait / Spem quæ videtur non esse spem / quia quod videt quis nō amplius sperat, idem pollet, videre quod tenere & possidere. Potest enim athleta sperare brauium, & si illud ob oculos propositum videat, quia nondum illius est compos. Itaq; spes tandiu durat, quandiu euidentis nō est rei assecutio: est siquidem spes in appetitu irascibili, quæ ideo non est nisi rei non solum absentis, verum arduæ obtentuq; difficilis. Quocirca dum res ad euidentiam uergit, iam spes transit in gaudium: veluti vsu

venit Duci quando victoria iam illi aperte arridet. Quamobrem in cœlo nullus est virtuti spei locus, sed felices illæ animæ per charitatem optant, tam beatitudinem nobis, q̄ sibi corpora, eò quod futura hæc in verbo cōtinentur, iam non sicut ardua. At verò vt ad digressum illum redeamus, vbi dicebam, videre / hic pro eodem accipi, quod est, possidere, nescio quid mihi nihilò minus suggerere videtur hoc verbo Paulus, quod propriū est spei nostræ Christianæ. De aliis, inquam, præmiis, quæ non solo visū possidentur, congruentius significatiūq; diceretur. Spes quæ tenetur non est spes: nam quod tenet quis seu possidet, quid sperat? At de præmio illo infinito, quod Deus est, quoniam non alia ratione & modo, q̄ videndo comprehenditur & possidetur, appositissimè vsus est verbo / videndi / pro verbo possidendi. [Si autē quod non videmus speramus, per patientiā expectamus.] Confluentissimū est Paulo ea quæ prius simpliciter pronūciat, post exponēdo cōcludere. Spectat ergo hoc loco, tum ad illam admonitionē / si tamen compatimur, vt conglorificemur / tum ad conclusionē illius / expectatio creaturæ, &c. Spes enim in nobis, est patientiæ genitrix: ob idq; ex præfatis concludit, quod si ea speram⁹ quæ nō videmus, sed quæ obtentu difficilia sunt, multisq; euctis periculis ad eunda, per patientiā expectamus. At nō vnus simplicis generis patientiā insinuat hic nobis, sed duplicē. Illā videlicet primū quæ est lōganimitas æquanimiter expectandi bonū illud excelsum, quod cū anxie percupim⁹, diutissimè nobis protrahitur, iuxta illud, Patientes estote vsq; ad aduentū domini. Nā cū spes quæ differtur affligit animam, dilatio illa in genere malorum est, circa quæ patientia versatur. Sed præterea cū gloria hæc filiorū Dei nō nisi plurimis superatis pugnis subactisq; hostib⁹ obtineatur, quæ spe illius perpetimur per huiusmodi etiā malorū patientiā, hoc est, tolerantia, eandē gloriā expectamus. Quocirca nescio qua ratione quidā cogitēt, hanc illationē Pauli infirmare. Quod si quis sperat quod nō videt, per patientiā expectat: adferētes in contrariū argumētationē ab strenuo Duce, qui non per patientiā expectat victoriā, sed per magnanimitatem, qua hostem impetit. Hoc etenim argumentum infirmissimū est, nam Duci & priore patientiæ genere opus est ad deuorandum tadium temporis & æterno quoq; ad perferendū pondus & pericula belli. Et simili modo in vita Christiana.

In cœlo nō est spes.

Patientia duplex.

Iaco. 5.

Connexio spei cum fide.



Etenim & in Christiana quoque militia, quantum uis fauoribus & subsidiis Dei in ea militetur, tamen necessaria etiam est magnanimitas & fortitudo ad aggredienda obeundaque pericula, arduosque conflictus usque ad mortem: nempe ut oues sine pera & sine calceamentis armatos lupos deterreat & prosternat. Longe namque excellentior fortitudo est, eum qui inermis est, expectare mortem pro CHRISTO, quam armatum pugnam capessere. Quam quidem magnanimitatem nomine hic patientiae pariter complexus est Paulus.

TERTIA  
PARS CA  
PITVLI,

Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sequitur tertia pars presentis capituli, in qua postquam constituit Apostolus, quemadmodum lex spiritus vitæ eripitura nos est à lege mortis huius: hoc est, omnino à mortalitate in futuro seculo, edisserit quo etiam pacto nobis in presenti adiumento sit inter hostes & pericula, quæ nobis per totum vitæ spacium imminere videmus. Et quoniam primum omnium nostrorum operum, primumque ad virtutem aggressus debet esse oratio, imploratioque diuini numinis, unde nobis uelle prouenit & operari (quia neque cogitare per nos quicquam possumus Deo gratum) primum quod nobis Spiritus sanctus suppeditat auxilium, est docere nos orare, ac subinde ad orandum appellere. Vbi hoc primum sapienter adnotauit Aug. admonuisse hic nos, videlicet Paulum, quod non solum merita nostra non nobis arrogemus, quæ dona sunt Dei, verum & ipsam postulationem auxilii, quæ à nobis uideri posset ortum habere, Spiritui sancto transcriberemus, qui nos, tum docendo, tum etiam ad orandum excitando, prouenit. Et uide quam sit Pauli uerbis apta & coherens symmetria, quamque eidem spiritui Dei & CHRISTI, qui datus est filiis, omnia filiorum officia adscribit. Primum quod sit uiuificaturus nostra mortalia corpora, mox quod in ipso clamamus, abba pater: deinde quod testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii: nunc demum quod ipse qui in nobis clamat, pater, postulat in nobis pro nobis sedulo apud eundem patrem.

Ad hæc ergo superiora refertur quod ait *Scriptura*. Nam sicut alia spiritus facit, ita & *Adiuuat infirmitatem nostram.* Græci modo *codices pluralitue habent/ infirmitates nos*

stras/ nihil tamē refert. Et est uerisimile tempore Origenis in singulari numero habuisse: ita enim ipse legit in commentis, ubi ait, huiusmodi infirmitatem nostram à carne descendere. Nam teste ipso Salvatore, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *[Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.]* Ecce primum omnium præsidium Spiritus sancti, nempe mentem ad orandum instruere. Sunt nonnulli nescio quid commentantes in hunc locum, coniungentes scilicet particulam/ sicut oportet/ cum uerbo scimus: hoc modo, Non sicut oportet scimus, id est, non plene scimus, quid Spiritus sanctus in nobis latenter oret. Ita ut non uelit hic Paulus, secundum istos, taxare errorem nostrum, nescientium quid debeamus petere à Deo, sed admonere quod sæpe Spiritus sanctus intra nos imprecatur multa nobis, quæ nos, celat, gemitibus inenarrabilibus seu ineffabilibus: hoc est, nobis absconditis. At licet & hanc forsitan occultationem spiritus subnotet hic Paulus, ut quantotius uidebimus, nihil secius & alterius potissimum nostræ nos admonet ignorantie ac pariter beneficii, quod Spiritui sancto debemus. Et ideo particula quod oportet/ applicanda est ad uerbum/ oremus/ hoc est, nescimus neque quid, neque quomodo nos oporteat orare. Sed forte arguas contra, Nunquid non legislator noster CHRISTVS id plane nos perdocuit sub illo precationum compendio orationis dominicæ? Dubitatio est August. in libello de oratione Deo ad Edibiam, sed tamen intellectu facillima. Enim uero licet in genere planum sit, quidnam à Deo postulare debeamus, iuxta formam à CHRISTO nobis præscriptam: & quomodo: nam in fide nihil hæsitando (ut Iacobus nos instruit) in particulari tamē propter nostras, tum ignorantias, tum maxime cupiditates, hallucinamur sæpissimè. Ob idque utrunque membrum insinuat Paulus, inquit/ Quid oremus, sicut oportet nescimus. Petimus enim crebro, ut sanctificetur nomen Dei per aliquod nostrum opus, per quod iudicio nostro putamus illi obsequium præstare: quod tamen, licet genere suo sit honestum, caret tamen temporis, loci uel circumstantia. Nam (ut est in Proverb.) est uia quæ uideatur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Unde & sanctissimus Paulus (ut cap. i. meministis) obsecrabat frequentius in orationibus, si aliquo modo prosperum illi iter contingeret Romam, quod tamen dicitur illi

illi protractum est, & ideo subiungit in uoluntate Dei/ hoc est, si illi placeret. Et licet nobis panem nostrum quotidianum deposcere, sed tamen adeo auaritia iudicium corrumpt, ut sæpe necessarium appareat vitæ, quod est impendium superfluum. Unde sæpe numero diuitiæ (ut est apud Ecclesiasten) in malum domini sui conseruantur. Et nonnumquam metu, ne inducamur in tentationem plus nimio efflagitamus ab illa liberari, cum tamen ex re nostra quandoque fuerit tentationibus superbiam nostram deprimi. Unde Paulus tertio deprecatus extinctionem stimuli carnis, exauditus non fuit. Postremo & aduentum regni in nos optare quoque & petere sanctum est, & tamen filii Zebedæi aura humana tacti, id petentes, repulsi sunt. Unde August. tract. 6. super Euangelium Ioan. & 6. itidem super epistolam. ubi hæc fusius amplificat, Nonnumquam, inquit, tunc maxime exaudimur, quando quod petimus non adipiscimur: quia licet non audiamur ad nostram uoluntatem, exaudimur tamen ad nostram salutem. Igitur quantum precationes non inficiemur, quæ pro rebus temporalibus, petentiisque peculiaribus in particulari fiunt, ut quæcatenus licitæ sunt, quatenus per eas, tum Deum confitemur omnium auctorem & prospectorem, tum etiam nos illi submittimus, illa flagitates, quæ adminiculo nobis nonnumquam esse possunt ad suum ipsius cultum: conuulsi tamē cordatissimus quisque arbitretur, nihil sibi in particulari efflagitandum, nisi quo nullo ualeat pacto male uti: ut cor contritum, deduci in semitam mandatorum, & id genus reliqua, quæ à sanctis legitimus exposulati. In reliquis namque, quorum bonus esse potest & malus usus, consultius forsitan est nihil flagitare, nisi generali nomine, ut ethnicus etiam Socrates hisce uerbis docebat, bona à Deo petamus, hoc est, sub hoc generali nomine. Da quæ nobis bona sunt. Nam quantumcumque flagitationem nostram ita moderemur, si talis fuerit diuina uoluntas, tamen semper illuc sese insinuat occultique repens uoluntas nostra, auiditasque illud impetrandi, quod nostra est uoluptas. Sed satis fuerit generatim nostras illi proponere necessitates, atque illa quorum nos ipsi nobis uideamus egere, citra petitionem patefacere. Infirmitas enim si sapiens fuerit, nunquam à medico, uel aquam, uel aliam quantumuis medicinam postulabit, sed tantum representabit sitim aut dolorem: quid autem fuerit condu-

cens, medicus uiderit. Prudentissima illa insinuatio sacratissimæ Virginis in nuptiis exemplo nobis semper fuerit, quæ in intempesta penuria uini, neque pudorem protulit conuiuatoris, neque ullam aliam attulit persuasione, at unico breuissimo uerbo ait filio, Vinum non habent. Neque adiecit, Prospice illis, uinumque suffice, si tua est uoluntas, sed tantum proposita indigentia, iudicio suo & arbitrio prouisionem reliquit. CHRISTVM quidem qui in sua petitione errare nequie rat, condecuit ueritatem imbecillitatemque humanæ naturæ sub illa conditione patefacere, Pater si possibile est, & c. nobis autem nihil amplius dicere tutum est, quam fiat uoluntas tua sicut in cælo & in terra. Et quæ necessariò sunt & communia, petere, ut panem quotidianum. Etenim ut ad Paulinum institutum præsens reuertamur, admonitos hoc loco Romanos curauit, Christianosque uniuersos periculo subesse, ne dum identidem ea quæ non decent, Deum rogamus, uel annuens in nostra nos desideria tradat, uel renuens in odium nobis ueniat. Præuenit enim illos qui possent cum Paulo de Deo hoc modo conqueri, Si spiritus CHRISTI in nobis est, in quo clamamus, abba pater, cur non nobis impetrat apud patrem hanc liberationem filiorum, quam ingemiscientes affestamus, eruendo nos ab ista mortalitate, uel ab eius molestiis? Respondet, inquam, quia nescimus quid oremus. At pro amicis hæc petere temporalia, ut bonam ualitudinem & similia, charitas est. Sicuti quod Ecclesia pro bono tempore, uti in letaniis, uerisque temperie oret, sancta est institutio: quoniam est pro bono communi. *[Sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.]* Quasi dicat, Illa quæ petentes non obtinemus, nostro spiritu petimus: quæ autem decent, spiritus Dei in nobis postulat, idque creberrimè contra nostram sententiam. Ex hoc loco Arriani & Macedoniani exultantes arguebant, Spiritum sanctum esse creaturam: nam postulare non uidetur Deo esse congruens. Ignorantia quippe horum schematum scripturæ quam sapissimè hæreticos demontauit. Profectò si uilius fuisset momenti argumentum hoc, non modò conuinceret, Spiritum sanctum non esse Deum, uerum esse miseram creaturam à cælo exulantem: nam aliàs quomodo ingemisceret? Non ergo Spiritus sanctus in seipso ingemiscit (ut ait August. locis citatis supra Euangelium,

& super epistolam Ioan.) sed in nobis: quia gemere nos facit. Etenim quemadmodum id quod ait Paulus ad Galat. Spiritum sanctum clamare in nobis abba, pater, dixit hic supra expositorie / in quo clamamus / quasi eum clamare, sit facere nos clamare: ita quod ait / interpellat pro nobis / idem est, quod interpellare nos docet & instigat. Sicuti illum dicimus fecisse res nostras, qui nos consilio, vel re iuuat, vel imperio mouit.

*Aug.* Ingemiscit ergo Spiritus sanctus in nobis secundum Augustinum per charitatem, quae ab ipso in nos effunditur. Ob idque qui prudentia sua aliquid ingemiscens expetit, gemitum corui emittit, qui nunquam in arcam reuersus est: qui vero instinctu Spiritus sancti suspirat, gemitum edit columbae, quae testis fuit, tum baptizati CHRISTI, tum & gratiae baptismatis nostri. Quod autem ait / interpellat / potius quam interpellare facit, conicio, emphasin esse, quae exprimitur, quam debeamus opera nostra pluris pendere, quod dona sunt Spiritus sancti, quam quod officia sint nostra. Sed & hoc hic obseruandum est, & animo reponendum, quod non ait, interpellat orationibus prolixissimis & artificiosissimis, sed / gemitibus inenarrabilibus / hoc est, ineffabilibus. Quoniam orationis duplex est qualitas. Vna, ornate lateque postulata explicare: altera vero identidem cum omni humilitate reuerentiaque eadem efflagitare. Prior superuacanea est apud Deum: atque adeo nobis interdicta, ubi ait CHRISTVS, Cum oratis, nolite multum loqui sicut ethnici faciunt, scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis. Est enim duplex peccatum in tali multiloquio. Prius quod Deum inscitiae subnotamus: posterius quod nostras illic affectiones battologia quadam inculcamus, quae minus nobis expediunt. Posterior vero orationis conditio commendatissima semper fuit sanctis Dei: nempe frequentissimas orationes subinde integrare, gemitibusque & altis suspiriis illa, tum Ecclesiae, tum nobis ipsis imprecari, quae Deus scit nobis in bonum nostrum fore: iuxta illud Luc.

*Luc. 18. 1. Thes. 5.* Oportet semper orare & non deficere. Et ad Thes. Sine intermissione orate. Et ideo ait / gemitibus inenarrabilibus / id est, grauissimis & ex intimo corde profectis. Vel praeterea inenarrabilibus, hoc est, nobis absconditis: nam saepe Spiritus pro nobis intra nos petit, quod nos nescimus: ut in ecclasi patet. Hinc tamen non fit consequens opti-

nio illa antea impugnata, quod non loquatur hic pariter Paulus de altera ignorantia nostra, nescientium videlicet, quid nos orare oporteat, vtrancumque enim tangit. Quinimò ex eo quod quid oremus nescimus, fit ut ignoremus, quisnam Spiritus, nobis orantibus, in nobis oret.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Quonia dixerat nescire nos quid nobis orantibus expediat, ob idque alia esse nonnunquam quae voluntas nostra postulat, alia vero quae pro nobis precatur Spiritus sanctus, subdit, Deum solum iudicem esse, discretoremque horum spirituum, quippe cui soli competit corda renesque scrutari, non, inquam, inuestigando & disquirendo (quod verbum / scrutari / apud nos significat) sed simplici perspectu vniuersa usque ad primas causas penetrando. Et forsitan corda & renes ea ratione distinxit, qua supra dicebamus, intentionem ex hominis dispositione & affectione progigni: iuxta illud, Quaelis vnusquisque est, talis sibi finis videtur. Ideo, inquam, nomine renum, ubi sedes est concupiscentiae, cunctas hominis affectiones designauit, quae ad voluntatem attinent: nomine vero cordis intentiones atque proposita inde in intellectum promanantia. Scrutatur ergo corda, quia non solum proposita nostra, sed & radices intuetur: neque radices tantum, verum & effectus & euentus. Prospicit enim qualiter id quod petimus casurum sit nobis: nam licet forsitan temporaria bona nunc nobis quando ea expetimus conferrent, in causa tamen forte essent alicuius futuri incommodi: & viceversa licet ea, quae Spiritus petit, modo non sint ex re nostra, fortasse sunt nobis in posterum collatura. Ex quibus omnibus Deus pendit, an quod petimus, postulatio sit Spiritus sancti, an vero, seu carnis nostrae, seu Sathanae suggestio. Quem maxime locum animaduerti opto ab assertoribus certitudinis gratiae, ne ulterius de illo supra memorato testimonio Spiritus sancti hallucinetur, quod exhibet Spiritui nostro filiatiois nostrae: vnde paralogizantur, certos nos subinde fieri gratiae certitudine fidei tollentis omnem ambiguitatem. Etenim quemadmodum nobis non semper certo constat de petitionibus nostris, vtrum dictante Spiritu sancto fiant, an alter sit Spiritus, qui fatur in nobis, ita neque certo scimus vtrum in nobis habitet Spiritus sanctus.

Qui

*Defensio interpretis*

Qui ergo scrutatur corda, inquit Paulus. [Scit quid desideret Spiritus.] Scilicet, sanctus. Isti noterici non transferunt / quid desideret / sed / scit sensum Spiritus / quia graece, non verbum, sed nomen est / φρονιμα / Abstinet autem interpretis a nomine sensus, tum quia non adeo congruebat in Spiritum sanctum, tum etiam quia per verbum / desideret / quod dictioni quoque graeca quadrat, germani primitur orantis affectus. Atqui pari modo dicitur Spiritus sanctus desiderare, ut postulare, eod quod in nobis iusta suscitet desideria, ob idque subdit. [Quia secundum Deum postulat.] Spiritus quidem sanctus nihil potest nisi secundum Deum postulare: adiectum hoc vero censetur ad exponendum quod dixerat / scit / nempe ut intelligatur de notitia approbationis. Scit namque Deus & quid nos si nistrè desideramus, & quae nobis Sathan in animum inducit, sed hoc simplici intelligentia: ea vero quae Spiritus sanctus postulat, agnoscit approbando, eod quod sunt secundum ipsum Deum. [Pro sanctis.] Hoc est, pro iustificatis: quoniam Spiritus sanctus non habitat nisi in his qui sunt in gratia: tamen (ut non multo ante dicebamus) per subsidiū speciale suggerit iniquis nonnunquam bona desideria, quae remotae sunt dispositiones ad gratiam.

*Aug.* Vnde Aug. in epist. ad Sixtum ait super hunc locum, quod vnus idemque Spiritus aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum habitans, homines adiuuat ut sint fideles: inhabitans vero adiuuat iam fideles. Et super Ioan. ait, quod peccatores saepe exaudit. Ex hoc loco Pauli panditur Euangelii intelligentia, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Et, Omnis qui petit, accipit, &c. id enim vniuersum verum est, de eo quod Spiritus sancti inspiramine iusti postulant: idem enim est prorsus, quod petimus nomine CHRISTI, & quod petimus spiritu CHRISTI. Aperitur etiam & intellectus Iacobi, ubi nos admonet, ut petamus confidenter, nihil in spe haesitantes: haud enim haesitare, data hypothese, fas est. Hoc est, credere firmiter obligamur, quod si id, quod petimus, necessarium nobis fuerit ad salutem, id est, si Spiritus sanctus hoc postulet, obtinebimus. At vero quatenus haesitamus, an petitio nostra, postulatio sit Spiritus sancti, & haesitare quoque licet, an firmus petitionem adepturi. Meritissimò hic tamen attentissimus quisque lector haerebit. Offerit se enim extemplo argumentum, quod non quic-

*Dubitatio.*

quid Deus noverit nobis ad salutem conferre, praestiturus sit semper. Petit enim saepe peccator respicientiam, quam non obtinet: quinimò & ille qui est in gratia precatur & eandem conuersionem alteri, qui est in peccato, quam tamen non impetrat: & sibi aliquando cum sit pauper & priuatus homo exposcere contingit facultates, dignitatesque amplissimas, quae forsitan illi essent vsu ad culturam virtutum, conferrentque illi potius quam paupertas, ad salutem: cui tamen petitioni non est necessè ut Deus annuat, aliàs non tam infames essent cupiditates istae temporalium bonorum. In summa petit nonnunquam iustus aequissime protegi a malo & perseverare in bono, & optat sibi a Deo offerri locum, ubi martyrio possit amicitiam ipsius augere, quas tamen res non semper vnus quilibet iustus assequitur. Hic ad respondendum consideranda illa sunt conditiones quatuor, quas theologi in postulationibus requirunt, ut sit infallibiliter implenda, scilicet, ut quis, & pro se ipso petat, & necessaria ad salutem, & pia, & perseveranter. Quod est dicere, ut homo quicquid petat necessario, hoc est, infallibiliter assequatur, debet illud ad iustitiam & meritum condigni pertinere: hoc enim importat necessarium / nulla est autem nostra iustitia, nisi quae misericordia innitur, & praeueniente gratia Dei. Quapropter prima gratia, ut non cadit sub merito, ita neque necessario conferatur peccatori petenti, neque vero iustis pro peccatore eam deprecantibus: quoniam nec peccator sibi villo pacto, neque iustus alteri meretur de condigno gratiam: licet crebro uterque audiatur. Ob idque cogitatio Paul. pro illis orare ait Spiritum sanctum, in quibus inhabitat, tanquam in filiis Dei, atque has petitiones exaudiri a Deo. Praeterea ubi petitio, peccatum est, ut cum quis supra suam dignitatem & meritum quid petit, emanare non potest ab Spiritu sancto, qui tentator malorum non est: & ideo neque pie fit. Sed neque ubi postulatio temporalium contra culpam fit, etiam si id quod petitur in salutem animae casurum esset, inde sequitur, ut semper sit nobis impetrandum: quoniam diuina potestas nullis alligatur mediis bonorum temporalium, sed potest pauperem ad maiorem gradum iustitiae per pauperiem euehere, quam per diuitias, & infirmum ad altiore, quam per sanitatem, nisi eius sit culpa. Et eam ob rem licet bo-

*Quatuor conditiones petitionis.*

*Corda & renes.*

*Erbic.*

*Quicquid petieritis, &c.*

*Petere confidenter.*

*Contra assertores certitudinis gratiae.*

na temporalia instrumenta sint nonnunquam virtutum, attamen quia male illis uti possumus, non sunt necessaria media ad salutem. Ideoq; nō ait Euangelium, Quærite per temporalia bona regnum Dei: sed, Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. De perseverantia autem eadem est ratio, quæ de prima gratia. Enimvero cum ex iugi motione Dei inclinantis nos ad bonum p̄dula sit semper, quæ motio initium est totius meriti, nō cadit sub merito: vt in lib. de bono perseverantiæ author est Aug. At cum quis magnum gratiæ culmen deposcit, quia augmentum gratiæ sibi iustus mereri potest de condigno, absq; dubio obtinebit, si perseveranter petat. Sed est tamē notandum, quod quavis oratio & petitio quæ ab Spiritu sancto procedit, meritoria sit, non tamen semper tãtū præmii quantum petitur, nisi alia adhibeantur egregia officia. Ob idq; qui prouehi cupit ad gloriam Laurentii, si non martyrem esse datur, plurima diuturnaq; opera per Dei gratiam præstet, quæ æquari possint illius martyrio: quod est perseveranter petere. At plus iusto iam sumus in materiam orationis immergi.

Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Post explanationē fauoris Spiritu sancti, quo nobis in nostris dirigendisq; petitionib; præsto est, secundum subtextit munus, quod in hoc versatur, vt euentus quoq; omnium operum iustis, qui prædestinati sunt, bene vertat. Est autem appositissima sententiā hæc ad superiora. Etenim cum docuisset, salutem eā nos per CHRISTVM assequutos, quæ nondum in re, sed in spe posita est, nobisq; plurima opus esse patiētiā in hac nostra mortalitate, per quā ad futurā immortalēq; vitā perducamur, neq; verò iustos in suis afflictis rebus semper exaudiri, sed permitti vt calamitatibus premantur, congruentissimam iam nunc consolationem supponit, atq; adeo explicatoriam huius quod postremo dixerat: videlicet, Spiritu sanctum secundum Deum orare pro sanctis. Obiicere enim quis poterat, quomodo si Spiritu sanctum Deus nunq; non exaudit, permittit eius alumnos totperpeti incommoda. Respodet. [Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.] Ad cuius maiorem cōfirmationem præmisit/Scimus/hoc est spirituales (vt ait alibi) qui iudicant omnia, & altissimas causas diuini cōsili speculatur, sciūt, hæc, quæ videntur mala, in bonum suum ce-

dere dilectoribus Dei. In Græco idem verbum /συνεργει/seruire potest & plurali numero/omnia/vt sit nominatiuus quemadmodū legit interpret noster, & singulari, vt/omnia/sit accusandi casus. Atqui nonnulli eorū quibus posterior hæc lectio placet, verbo/ cooperantur/ supponi volunt Spiritu sanctum, vt sit sensus, quod Spiritu sanctus iustis omnia cooperatur in bonum. At verò hic sensus nullo pacto consistit, sed hac admissa litera, vt/ cooperatur/ sit singulare subintelligendus est Deus, de quo præmiserat/ secundum Deum/ & de quo statim in causa subditur/ Nam quos præsciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Et secundum hanc lectionem non ait/ operatur/ sed/ cooperatur/ quoniam iusti iam facti simul operantur per gratiam Dei. Est veruntamen plusquam probabile, vt verbum vsurpetur pluralitiuē, pro/ cooperatur/ siquidem Patres omnes non modò Latini, verum & Græci, vt Orige. Chry. & Theophyl. legunt cum interprete nostro. Vnde/ cooperantur/ idem est, quod omnia simul adiumento sunt iustis, vt promoueantur in bonum, siue prospera sint & læta, siue tristia & aduersa. Quocirca non dixit, Nulla eis tēporaria calamitas ingruit, sed/ omnia illis cooperatur in bonum/ vtpote quibus diuitiā instrumenta sunt misericordiæ: paupertas, humilitatis causa: bona valetudo, vires illis ministrat ad ferendos penitentiæ fructus: aduersa verò, materiam patientiæ, Sapientia, dum docent, promerentur Deum: ignorantia, dum discunt. In potestate constituti, felices sunt, quoniam iustitiam faciunt: & tyrannide oppressi, beati quoq; quoniam persecutionem patiuntur propter iustitiam. Infernus salutarem illis metum incutit, paradisi spem gignit. Peccata aliena cautiore illos faciūt: & propria, humiliore. Vnde Aug. in lib. de corrept. & gra. Adeo, inquit, iustis omnia cooperatur in bonum, vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeūt atq; doctiores. Vbi hoc obiter adnotandum est, quod non ita semper peccatum illis cedit in bonum, vt ad cōsummationem, vel certē parem gradū iustitiæ resurgat: sed ad hoc tamen, vt abiectiones sint in sua conscientia, & oculatius viuant, vt perseuerent. Vnde in Ecclesiastico scriptum est, Melior est iniquitas viri (hoc est, strenui militis Christi) quam mulier (hoc est, segnis homo & deses) benefaciens. Nam ille resurgit prudentior

Variatio lectionis

Cooperantur

De corruptione cap. 9.

Peccatum cedit in bonum.

Ecclesi. 4.

dentior, vt Petrus, Dauid, & Ezechias: hunc verò bona sæpe actio securū reddit, ob idq; negligentiore. Sed & hoc dignum est hic contemplatione, quod cum sint ambo inuicē consequētia, diligere scilicet à Deo, ipsumq; diligere, & amor quo nos ipse diligit prima sit causa, cur omnia iusto cooperentur in bonū, haud tamē dixit/ dilectis à Deo/ sed/ diligentibus Deum. Nempe vt vehementius nos ad amorem Dei pelliceret, qui amor instrumentum, causaq; est, per quam Deus operatur in nobis. Etenim vt calor naturalis in eo qui optima viget complexione, quicquid alimenti apponas, rectē concoquit in bonumq; digerit sanguinem, ita & qui amore Dei feruet, quicquid accidit bene vertit, meritumq; inde conficit.

His qui secundum propositū vocati sunt sancti. Moderatio est superioris sententiæ. Enimvero ne quis ita eam audiret, vt crederet iustis vniuersis omnia succurrere in bonum, definitionem adhibet iustorum, de quibus loquitur. Quasi dicat, Non omnes iustos intelligas, sed eos omnino qui secundum propositum vocati sunt sancti. Græca modò exemplaria non habent/ sancti/ sed/ His qui vocati sunt/ neq; doctores Græci id legunt. Aug. verò legit/ sancti. Nihil veruntamē sententiæ deperit vel accrescit per illam particulam. Et est phrasia Paulina, vt. 1. cap. adnotauimus/ vocatis sanctis/ Tameñ hic redundare videatur, nisi intelligas, Vocati ad sanctitatem. Quod verò ait/ secundū propositum/ Chry. interpretatur de proposito nostro: ac si dixerit Paul. Non sat est ad salutē vocatio Dei, nisi & nostrum accesserit propositum, puta, assensus. Neq; verò est, cur malè de hoc audiat Diuus hic, quem tamen nonnulli ex Lutheranis calumniantur: quasi videatur in Pelagianos propendere. Haud enim cogitauit proposito nostro quicquam meriti arrogare, quod sit causa vel prædestinationis, vel reconciliationis, sed hoc tantum, quod neminem Deus inuitū trahat, ob idq; subdit, Neq; enim necessitate coacta, neq; violenter facta est vocatio. Hoc ille. Quod profectò de adultorum vocatione verissimum est: nam in infantibus nullus est voluntatis vsus. At verò secundum hoc Chrysofomi interpretamentum nullos hic Paul. intenderet excipere iustos: quoniam omnibus adultæ ætatis, quauis sint ex numero reproborum, necessarium est vocationi Dei assentire. Paulus autem

Variatio lectionis.

Chryf.

Lutherani.

Propositū Dei.

Orig.

De correptione et gra. ca. 7. Et de prædest. cap. 16.

Ioan. 12.

Ioan. 8.

Mat. 20.

Heretici.

exceptionem videtur aliquorum facere, qui non sunt vocati secundum propositum. Ob idq; indubitato loquitur de proposito Dei. Id quod Orige. sic interpretatur, vt illi iusti qui sunt in timore seruili, non sint vocati secundum propositum, scilicet charitatis, sed illi in quibus perfecta charitas foras mittit timorem. At tamen syncerus legitimusq; intellectus Pauli est, quem Augustinus in lib. de correptione & gra. & in alio de prædestina. sanctorum exponit. Est enim duplex vocatio Dei. Vna generalis secundum præsentem cuiusq; iustitiā, quæ scilicet vocati omnes sunt quotquot gratiam receperint, vt Iudam complexaris, & illi similes. Altera est singularis prædestinatorū, atq; hi vocantur secundum propositum Dei: nimirū quod firmum fixumq; illi est perducendi eos ad gloriā. Quod quidem propositum illic appellatione voluntatis, expressit redemptor noster, vbi ait, Hæc est voluntas eius qui misit me, patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquid, sed resuscitem illud (scilicet ad gloriā) in nouissimo die. Et post, Quos dedisti mihi nō perdidisti ex eis quenq;. Atq; hos ideo vocat verè discipulos, vbi ait, Si maueritis in sermone meo (nimirum vsq; ad finem) verè discipuli mei estis: Eademq; ratione de alio vocatorū genere, putā à gratia recidentium ait Ioan. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permanissent vtiq; nobiscum: omnes itaq; dicuntur simpliciter vocati, sed soli prædestinati, secundum propositum vocati & electi: iuxta illud, Multi sunt vocati, pauci verò electi. De quib; electis ac prædestinatis tractatū hic exorditur Pau. quem protēsurus est per tria amodo capitula. Quibus igitur propriè cōpetit verbū Pauli/ Diligentibus Deū oīa cooperantur in bonum. Et viceuersa ait Chryso. illis qui nō diligunt Deum omnia damnosa esse, veluti Iudæis: quorum culpam tam & signorum ostensio per CHRISTVM, q̄ eius sancta prædictio degrauiuit. Et Iudæ ac reliquis damnatis, qui in aliquo fuerunt gratiæ culmine, ex hoc ipso beneficio accessio sit damnationis. Procul hinc veruntamen illorum absit hæresis, quos Cihbertus commemorat sub Honorio exortos, docētes, prædestinatis nihil posse accidere spiritualis mali, neq; reprobis quicquam boni. Ecquis enim dubitet complures prædestinatorum in peccato iacere nonnunquam? Vt in Paulo & Petro, Dauid & Magdalena videre est: aut quis eō sit vsq; blasphemus



mus, vt neget peccatum, quamdiu durat, noxium esse peccatori? Et pari modo cum reprobis saepenumero vsu veniat in gratia degere, quæ nulli tunc potest non esse utilis, fit vt & reprobis aliquid etiã pro tempore possit operari in bonum. Quod ergo ex hoc loco Pauli colligere licet, quantum ad gratiam & peccata, hoc est duntaxat, quod prædestinatis, cum sunt in gratia, tunc illa peccata in quibus iacuerunt, possunt per fructus poenitentię in bonum cedere, & reprobis contrã suscepta beneficia in supplicia grauiora, dum damnantur.

Nam quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, vt fit ipse primogenitus in multis fratribus. Exponit id quod postremò dixit / His qui secundũ propositum vocati sunt / ac perinde probat, huiusmodi vocatis omnia concurrere in bonũ, tali syllogismo. Quos Deus ad suam gloriam destinavit, ad quam eos ipse idcirco gubernando promouet, his nihil mali accidere potest, quod progressum eorum impediatur, sed omnia per diuinum fauorem ad eundem finem adiumento illis erunt: Deus autem quosdam secundum propositũ prædestinavit & vocauit ad suam gloriam: ergo illis nihil accidere potest detrimenti, quod non in idẽ bonum cooperetur. At suo more primò probat minorem, & potissimum quia maior assumpta per se est manifesta: quã nihilò minus dilatat locupletatq; in. 4. par. capituli: ab illo scilicet loco / Quid ergo dicemus? Ait ergo. [Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri, &c.] Iam inde à quadraginta retro annis adeò recruduit apud istos neotericos inuidia huius vocis / prædestinatio / vt nõ modò primo capite, vbi de CHRISTO fit sermo, pro / prædestinatus / declaratus / substituant (vt illic notabamus) verũ & hic in toto sermone, de nostra prædestinatione, ab eodem verbo abhorreant. Sed aiunt / præfinit / seu / prædefiniuit / id quã & scholasticis iam gratis, & nimium istis nouatoribus deferentes, suscipiunt. Cum nõ solum Aug. vbiq; verum & Origenis aliorumq; græcorum vetusti interpretes verbo prædestinatiõis vtantur. Per quod cũ significatio verbi / προορισω / fidelissimè redditur, tum etiam & res ipsa diuinæ æternæq; dispositionis significatius exprimitur. Est autem prædestinatio (vt in lib. eiusdem tituli author est Aug.) gratię præparatio. Hoc autem verbum nonnulli intelli-

Prædestinatiois nomen immunito inuisum.

gunt de præparatiõe temporali, qua quis per auxilium Dei disponitur ad gratiã. Atq; hac ratiõe discernunt hic inter / præsciuit / & / prædestinavit / Nimirum quos ab æterno præsciuit, in tempore prædestinavit. Est autem sinistra hæc intelligentia. Quandoquidem prædestinatio, æterna quædam præordinatio & dispensatio diuina est de rebus futuris: quod iam verbum sacrorum eloquiorum more & vsu accipitur pro illa Dei ab æterno destinatione, qua quosdam in supremum finem suæ beatitudinis destinavit: iuxta illud Pauli, Sicut elegit nos in CHRISTO ante mundi constitutionem, vt essemus sancti: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum. Et alludens ad propositum hic proximè memoratum, subdit, Secundum propositum voluntatis suæ, in laudem glorię gratię suæ. At vero supposito, vt ratiõe æternam esse in Deo, tam prædestinationem, quã præscientiam, sunt qui adstruant, præscientiã bonorum operum quę in æternitate Dei presentia sunt, causam illi fuisse prædestinationis eorum. Non quidem causam actus quoad eius substantiã, quippe qui Deus ipse est, sed quoad effectũ: in hoc sensu, quod propter præuisa opera prædestinati sint. Atq; hoc probant ex hoc verborũ ordine: nam sicut ait statim / Quos prædestinavit hos & vocauit (vbi præcedens prædestinatio designatur causa vocatiõis) ita ait. Quos præsciuit, et prædestinavit. Vbi vocula / & / secundum istos non fert imaginem simplicis coniunctiõis, sed causalis: ac si dicas, eos & prædestinavit: aliã manca esset oratio. Quod si istis opponas, quod non dixerit Paul. Quos præsciuit bonos, neu. Quorum opera præsciuit bona, sed simpliciter, Quos præsciuit fore, scilicet homines, vbi nulla designatur præuisio bonorum operum, respondent particulam / conformes fieri / & c. vtriq; verbo adiacere in hoc sensu, Quos præsciuit conformes fieri imaginis filii eius, eosdem ad eiusdem gloriam prædestinavit. Et reuera si tantum de supremo scopo & effectu prædestinationis sic opinarentur, atq; id de his qui vsq; ad rationis vsu adolescunt, nihil à veritate deuiarēt, in hoc videlicet sensu, quod statuit Deus propter opera quæ ex gratia Dei procedunt, elargiri gloriam: vt cap. 2. super verbo / Qui reddet vnicuiq; iuxta opera sua / disputabamus: paruulis autem propter solum CHRISTI meritum. Sed tamen quia prædestinatio non tantum gloriam, sed omne beneficiũ denotat, completiturq; quod

Eph. 1.

An præsciuit, sci. sue. can. p. prædest.

Præsciuit.

Expositio vulgata.

Impugnatio expositiõis vulgatae.

quod ad nostram salutem refertur: scilicet & gratiam & quemuis libertatis motum per singularẽ Dei opem factum, fit, vt dicere quendam propter præuisa opera prædestinatum, est manifestariẽ subscribere in Pelagianorũ errorẽ. Etenim (vt cap. 2. subnotabam, & nõno iam proximo emunctius discutiam) cum Deus ab æterno eo modo statuit reconciliare nos per gratiam, quo modo id in tempore facturus erat (blasphema enim hæresis esset hoc negare) consequens palam fit, vt si Pelagianum est sentire, quod gratia iustificans datur propter opera, idem sit prorsus error dicere, quod quis prædestinetur propter præuisa opera: vel quia præuisus est bene vsurus gratia: nam id quod effectus est gratiæ, magis repugnat esse causam prædestinationis, quã causa est gratiæ, quã esse causam eiusdem præcedentis gratiæ. Sed de hoc super loco de Iacob et Esau cap. subsequenti plura. Igitur præuisio meritorum non est prædestinationis causa. Quamobrẽ / præsciuit / in præsentiarum non dicit causam prædestinationis, sed solum ordinem. Atq; ob hoc existimant nonnulli subticuisse hic Paulum pronomen / hos / quod in subsequentibus membris profert. Hoc autem non planè intelligo: imò arbitror subintelligendum esse idem pronomen: aliã (vt dicebam) trunca esset oratio. Communis ergo vulgataq; expositio est, vt præscientia Dei accipiatur hic pro simplici cognitione rerum, quę neq; asserit neq; negat, eas fore: atq; adeo neq; dicit voluntatem Dei, neq; causam rerum: estq; communis bonorum & malorum, qua scilicet Deus tam bona, quã mala opera præuidet. Hæc namque præscientia natura præcedit prædestinationem, quę voluntatem includit destinationem res ad suos fines. Itaq; sensus est, Quos prænouit simplici intelligentia, hos & adiuncta voluntate prædestinavit. Atqui ex hoc communi sensu nouum extruitur argumentum cõtra illam modò impugnatam opinionem, quod præuisio meritorum sit causa prædestinationis: nam scire Deum quosdam conformes fieri imaginis filii sui, hoc natura non antecedit, sed subsequitur prædestinationẽ: quandoquidem hæc iam est scientia futurorum rerum & euentuum præsupponentium voluntatem Dei, quæ est eorum causa. At verò argumentum existit hoc contra hanc communem opinionem, quod Paul. videtur adæquare prædestinationẽ præscientiã: nempe quod eosdẽ omnes quos præsciuit Deus,

prædestinavit: cum tamen scientia simplicis intelligentiæ latior longè sit, vt quę ad reprobos quoq; (vt modò dicebamus) protendatur: imò verò vsus iam scholaris obtinuit, vt nomen præscientiæ ad reprobos peculiariter accommodetur, nempe quos vocant præscitos: vt distinguitur contra scientiam approbationis. Quamobrem alii (quorũ est Orig.) Orig. nomine hic præscientiæ, scientiã approbationis intelligit, vel huius saltem euentus, quod est, conformes fieri imaginis CHRISTI: iuxta illud, Nouit dominus qui sunt eius. Et CHRISTVS ipse pastor noster, Ego cognosco oues meas. Et de reprobis contrã, Amen dico vobis, nunquam noui vos. Veruntamẽ si de hac præscientia fatur hic Paul. necesse est dicere (vt modò arguebamus) quod intelligat posterius natura fuisse præscitos, quã prædestinatos: vt quos prædestinavit cõformes fieri, & c. eosdem sciuit fore cõformes filio suo, quoniam talis scientia prædestinationem supponit, per quam destinantur, vt sint conformes. Atq; hic quidem sensus perplacet nonnullis ex nostris. Sed tamen profectò durum esset, intelligentiam hanc obtrudere apostolicæ mēti: qui meditatò ordine præmisit / præsciuit. Dicam ergo quod in nostris prælectionibus scholasticis de hac re olim speculabar. Credo equidem Deum neminem prædestinasse, neq; de rebus quicquã disposuisse, nisi præuio iudicio: puta quod bonum id sit fieri: non quod discursu opus Deo sit, sed quod nihil de rebus statuat, nisi consultò id bonum censeat. Ecquis enim hæc præclarissimam inter homines partem prudentiæ Deo adiunxit, qui fons est totius sapientiæ, quicq; in numero, pondere & mensura condidit vniuersa? Quapropter non solum simplici intelligentia præscit quos prædestinat, sed bonum prius natura iudicat, eos prædestinare. Sic igitur hunc locum subaudiamus / Quos præsciuit / hoc est, quos bonũ iuxta suã regulã iudicauit beare, hos prædestinavit cõformes fieri imaginis filii eius. At verò est in promptu obuium argumentum: nimirum quod bonum esse hos beare, præsupponit voluntatem Dei, per quam est, quicquid est, bonum: ergo prius natura est, hos prædestinari ad beatitudinem, quã bonum sit in mente diuina eos beare. Est veruntamen solutio facilis iis qui percipiunt, quomodo vnum sit causa alterius, & conuersim in diuersis generibus causarum. In genere enim causã efficiẽtis prius natura est prædestinatio, quã quod

Orig.

2. Tim. 2. Ioan. 10. Mat. 25.

Opinio ac sententia authoris.

Argumentum.

quod verum sit, hos fore beandos. Sed tamē in genere obiecti & quasi causae finalis prius natura bonum iudicatur à Deo hos beare, quā eisdem ad beatitudinem destinaret. Ecce quo pacto defendere vtrunq; possumus, & quod de praescientia tantum praedestinatorum habeatur hic sermo, & tamē non concedamus praevia bona opera in causa fuisse praedestinationis. Si quae autem verba apud sanctos offenderis, quibus innuere videantur praescientia bona opera in causa fuisse praedestinationis: ut illud hinc Origenis, In quibus sciēs quales essent, amorem suum Deus affectumq; posuit. Et illud Ambrosii, Istos quos praesciuit sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa praemia capescenda, haec, inquam, & similia, vel intelligenda sunt quantum ad supremum finem praedestinationis modo prius exposito, puta quod ad gloriam, cuius in adultis praecedunt merita: quae sunt causa, non praedestinationis, sed effectus eius, videlicet gloriae: quod cap. proximo enucleabitur, vel si intelligatur de prima gratia, tunc quia praevia opera, licet non sint illius causa, sunt tamen dispositiones: in tali fortē sensu aiūt, quod illos quos praevia adultos assensum praebituros suae vocationi, praedestinavit, vocavit & iustificavit: haud tamen ita ut praevia illa assensus fuerit causa praedestinationis ad gratiam, sicuti neq; opera ipsa, sunt eiusdem causae gratiae, sed quod sunt praevia, veluti praeparamenta ad primum praedestinationis effectum. [Conformes fieri imaginis filii sui.] Ecce scopum supremumq; finem praedestinationis. Est enim CHRISTVS redemptor noster causa reparationis nostrae quatenus homo, non solum meritoria & suo gradu efficiens, sed velut exemplar, cuius instar beandi sunt oēs, quotquot participes sunt hereditatis suae. Est enī quatenus homo, in culmine participatae beatitudinis, ad quam altiori humilioriue gradu accedent beati homines, quantum per ipsius gratiam & fauorem plus minusue charitate profecerint: gradu, inquam, secundum dotes, tum animi, ut visionem, comprehensionem & amorem, tum corporis, quod configuratur corpori claritatis suae. De angelis modò nil loquimur. At sunt qui existiment, consultò dixisse per genituum/conformes imaginis/nā si dixisset/imagini/significaretur similitudo ad CHRISTVM per tertium mediū: ut si quis fieret conformis, non Caesari, sed eius imagini. Cum autem dicitur/imaginis/significatur fieri nos conformes CHRISTO per imaginem

ipsius quā gestamur: iuxta verbū Apost. Sicut portauimus imaginē terreni, portem⁹ imaginem & caelestis. Sed reuera idem est/conformes imaginis/&/imagini/sicut idem est/similis caesaris/&/caesari. Et ideo vel est locutio intransitiua, hoc est, conformes imaginis, quae est filius (est enim ipse imago inuisibilis Dei, ut alibi ait) vel quod certius conuicere possumus, hebraismus est, assimilari & conformari imagini caesaris, pro eo quod est, caesari, seu figurā caesaris. Vnde idem est, conformes imaginis filii, quod, conformes filii, seu filio. Cuius formae & illud est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostrā. Orig. autem meditat, CHRISTI animam potissimum esse imaginem Dei, & ideo nos fieri conformes imagini filii: id est, animae filii. At verò cui haec transitiua locutio ita multū placeret, intelligere forsitan aptius posset nomine imaginis visionē beatificam CHRISTI, per quam ipse, qua ratione est homo, similis est Deo, cui deitati per similes visiones beati omnes assimilatur: iuxta illud, Cum apparuerit similes, ei erimus. Quauis sublimius efferre audemus hanc nostri configurationē ad imaginem aeternā filii, in quantum Deus est. Etenim ut est ipse splendor gloriae, & figura substantiae patris, ita & beatorum chori splendore eiusdem deitatis rutilantes quadantenus praeseferunt deitatis imaginem: quod forsitan mysterium psallebat ille Dauid, In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. At cum sit ipse via, veritas, & vita, in hoc quoq; debemus mortali corpore specimen illius referre, qui ad ipsius exemplar contendimus immortalitatem induere: ut plantati (ut supra dixit) similitudini mortis eius fructus percipiamus & resurrectionis. [Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.] CHRISTVS non solum secundum aeternam generationē absq; fratrum consortio vnigenitus est (ut ait Ioan.) existēs in sinu patris, verum & secundum humanam est quoq; vnigenitus: nimirum qua factum est, ut homo sit, non adoptiuus (ut supra dicebamus) sed idem ipse vnigenitus Dei filius: ad cuius personam assumpta est humanitas. Attamen dicitur primogenitus in multis fratribus. Primum secundum diuersas genituras aequiuocē, ut sola vox sit communis. Nempe quod cum ipse sit filius naturalis, nos autem per eius gratiam adoptati: ipse est primogenitus: quoniam quotquot repositi in gratiam Dei sunt, per eius fidem constituti sunt filii: neq; tamen ad-

1. Cor. 15.

Col. 1.

1. Cor. 15.

Gen. 1.

Orig.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 14.

admissi ad hereditatē, quoad usq; uti primogenitus, ipse resurgeret primus. Quocirca secundum aeternā generationē appellauit eum Apost. primogenitū oīs creaturae, nō quod iuxta Arrianā impietatē creatura sit, at quod de summa essentiae cognitione, in qua omnis relucet creatura, genitus est. Sed praeterea & secundū humanā natiuitatē, quoniam primus omnium resurrexit, nuncupauit eum rursus primogenitum mortuorum. At verò potest et modo aliquo vniuocē, hoc est, per vnam formā dici primogenitus: nam eandē gratificantem gratiā, quam ipse, ut naturalis filius, factus homo suscepit, receperunt ab ipso alii, per quam filiorum albo adscribuntur. Atqui hoc honoris ad cumulū gloriae christicolis accedit maxime: nempe quod nō solum suā cū illis beatitudinem comunicauit, verū quod ita essent patris sui ipsius filii, ut fratres essent sui: atq; ideo quem ipse inuocat, pater mi, nos quoq; adsciti appellemus patre nostrū. Per hęc deniq; luculentius patet, quomodo ipse cōstitutus sit haeres vniuersorum, nos verò coheredes ipsius: nēpe quod ipsi etiā in quantum naturali filio, homini facti, debebatur hereditas, nobis autē per ipsum cōmunis sit, tanq; eius membris. Quò ideo primogeniturę mysterio ad priscorum morē alludit Paul. qui et modò inter nobiles viget, ut primogenito decerneretur hereditas, cui onus incumberebat alendi fratres. Idēq; mysteriū adumbratū est in Isaac, Iacob & Manasse: qui paterna benedictione praegenitis fratribus praerati sunt.

Quos autē praedestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Prosequitur explicare tum id quod dixerat/Vocati secundū propositū, tum etiā praedestinationis executionē. Contexit utiq; cathenā articulorum trium. Primus est. [Quos praedestinavit, hos & vocauit.] Praescientia igitur ac praedestinatio, causae sunt aeternae: vocatio verò, iustificatio, et magnificatio, temporales effectus. Porro autē quia primū iustificatiōis fundamentū est fides, quae per auditū suscipitur, primus praedestinationis effectus statuitur vocatio: nā vox ad aures fit. Vnde Pau. Quomodo credēt nisi audiāt: Quomodo autē audient sine praedicatione: Ob idq; duplex est vocatio: altera externa per praedicationē ad aures corporis: altera verò interna per inspirationē cordis. Sed vtraq; rursus duplex. Nempe altera nō pertingēs effectū ob duritiā cor-

Vocatio  
multi-  
plex.

dis obturantis aures suas: de qua duritie in Euāgelio, tum illa extat illorū parabola, qui vocati ad nuptias excusatiōes praetexuerunt, tum & illa sententia, Si nō venissem, & locutus eis non fuisset, peccatū non haberent. Es de hac vocatione nequaquā hic loquitur Paul. nā hoc utiq; modo non solum praedestinati, verū et vniuersi mortalium quibus tuba intonuit euangelica, vocati sunt. Sed altera est vocatio quae suum sortitur effectum, eorum scilicet, qui vel ante rationis vsum sacramēto baptismi tinguntur, vel post Euāgelio assentiunt. Enimuerò si ita esset fides opus Dei, ut nostra non esset assensio necessaria, cogeret nos potius ceu brutas animates, quā ut gallina congregaret: neq; inuitaret illo modo rogando, Venite ad me oēs. Et, Qui vult venire post me, & c. Sed quia nostro opus est spontaneo assensu, postq; dixit CHRISTVS, neminem posse venire ad patre, nisi quē ipse traxerit, subiunxit, Oīs qui audiuit à patre & didicit: hoc est, auscultauit & assensit, venit ad me. At verò et hęc quoq; efficacis vocatio nō vna est tantū, sed bina. Nā vna est (ut paulò ante dicebamus) vocatio in diē, videlicet, secundū tēporariā & praesentē iustitiā: quo modo fuit vocatus & Iudas: quae quidē in illa seminantis euangelica cōparatione delineatur, in parte scilicet seminis, quae cecidit, vel in petrosi, vel secus viam: dedit enim fructum ad tēpus, sed qui vel exaruit demū, vel ab auib; caeli cōsumptus est. De quibus vocatis ait Iohannes. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quocirca neq; de ista vocatione loquitur hic Paul. Sed est altera secundū aeternā praedestinationē, veluti proprius eius effectus. Vnde quod hic inquit, Quos praedestinavit, hos et vocauit/diffinitio est & explanatio illius quod dixerat/ secundū propositū vocati/ hęc siquidē vocatio certissima est, veluti ipsa sempiterna praedestinatio: iuxta illud, Iurauit dñs exercituum, dicens, Si nō ut putauit, ita erit: & quomodo mente tractauit, sic eueniet. Atq; propter hanc certitudinē protulit verbo praeteriti tres hos effectus more prophético, cum tamē tempore Pauli multi erāt vocati, multi autē vocādi. Praeterea quod voluit seruare decorum ac consonantiā omnium verborū cū priori, praedestinavit. [Quos autē vocauit, hos & iustificauit.] Quēadmodū vocatio effectus est praedestinationis, ita & vocationis, iustificatio: nisi quod cum ambae simul sint tēpore, vocatio natura duntaxat antecedit. Haud enim verē dixeris, quia hic iustificatus

Mat. 22.

Ioan. 15.

Ioan. 6.

Luc. 8.

Esai. 44.

Q catus

catus est, ideo vocatur, sed eo potius quod vocatus, iustificatur: vocatio enim, motio dei significat trahentis hominem: iustificatio vero terminus: hoc est, reconciliatione per infusionem gratiae Spiritus sancti in eum qui vocatio- ni auscultat. De his autem verbis Pauli nancisci possent haeretici occasione dicendi, quod nemo est vere iustus, nisi qui est praedestinatus: nam videtur hic insinuare Paul., eos solos iustificari, qui secundum praedestinationem vocantur. At vero cum diuina opera, fictione careant, diffiteri nemo potest, quin quicumque lauacro baptismi legitime intingitur, iustificatricem gratiam recipiat, tam paruulus, quam adultus: et pari ratione quemcumque vere poenituerit praue vitae: nam in quacumque hora conuersus fuerit peccator, omnium, inquit, iniquitatum eius non recordabor: quorum tamen multi sunt reprobi, multique (vt ait Pau.) a fide naufragantes. Sunt ergo plurimi ad tempus iustificati, vt paulo ante dicebamus, licet non sint vocati secundum propositum. [Quos autem iustificauit, hos et magnificauit.] Verbum graecum εὐδοκία, germanius forsitan verbum fuisset per glorificauit, quemadmodum multi sanctorum legunt, de gloria caelesti id intelligentes: vt est videre apud Aug. lib. de correptione et gratia, vbi ait, eam hanc gloriam intelligendam, de qua inquit ad Col. Cum CHRISTVS apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Significat nihilominus et eadem vox graeca id, quod honorifico et magnifico. Et fortasse interpret vsus est verbo magnificauit, vt non solum gloriam illam caelestem, verum et magnifica speciosaque dona, quae in hac vita sanctis accrescunt, complecteretur: puta, filios esse adoptiuos, vt ait Theoph. et similes filio Dei, vt ait Amb. qui etiam legit magnificauit. Quo et aludis Orig. quauis eius interpret glorificauit, trasterit. Refert tamen adeo nihil, vt nunc alii qui Latini textus habeant glorificauit.

Quid ergo dicemus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Hic designamus quartam sectionem huius cap. propterea quod tota haec portio exaggeratio quadam sit et conclusio beneficiorum, quae filiis et heredibus Dei impensa commemorauit Apost. Quae idcirco particula interrogationibus frequens est, tum charismata Paulini pectoris flagrantibus, tum et in amorem Dei inflammantibus Christianos animos. Insunt autem in hac prima interrogatione multa. Primum cum propositione illa Diligentibus Deum, et hoc syllogismo (vt dicebamus) instituerit concludere, Nemo

nocentum animam inferre illis potest, quos Deus gubernat: Deus autem diligentes se gubernat: atque haec minor haec tenus comonstrauerit, quia eorum curam ab aeterno gerit praedestinando, vocando, et magnificando, aggreditur modo maiorem, scilicet, a nemine eos qui sic a Deo gubernantur, posse laedi. Quapropter hic primum ostendit, quod non possunt poena vlla affici, neque ab hoste, neque per alicuius boni priuationem: mox illic. Quis accusabit, pergit ostendere, quod neque a malo culpa quicumque est, quod timere debeant. Sed est praeterea in eadem interrogatione vigor plurimum. [Quid ergo dicemus ad haec?] Hoc est, cum Deo cura nostri tam alte insideat cordi, vt ab aeterno nos praedestinauerit, deinde vocauerit, et iustificauerit, quibus et Spiritus sanctum donauit, qui profundis gemitibus interpellat pro nobis, quidnam dicere possumus? Hoc est, quibus verbis referre illi gratias possumus: aut quo non repleamur gaudio stuporeque expauescamus, quod tale habeamus Deum, tam propitium, tam beneuolum et nostri amantem. Aut quis poterit, id quod supra dictum est inficias ire, videlicet, diligentibus deum, omnia cooperari in bonum? Nam quae possunt voluntati Dei impedimenta resistere? Cum (vt est in Prouer.) Non sit sapientia, neque prudentia, neque consilium contra dominum. Aut quisnam hostis illum offendat, quem Deus protegit? Vnde et sequitur. [Si Deus pro nobis, quis contra nos?] Haud negat existere contra nos aduersarium: nam tunc contradiceret apostolo suo Petro, vbi ait, quod aduersarius non ster diabolus sicut leo rugiens circuit querens quem deuoret, et sibi ipsi, vbi ait, praeliari contra nos, non solum carnem et sanguinem, verum et potestates aeris et principes tenebrarum. Sed perinde est. Quis contra nos? ac si dixisset, Quis praualebit nobis. Vnde Iob postquam in afflictis rebus mirifice diuinum fauorem expertus est, Pone me, inquit, iuxta te, et cuius vis manus pugnet contra me. Et in psal. David, Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus defensor vitae meae, a quo trepidabo? Quo verbo vellicat exulceratque foecordia et prauitatem nostram, qui tantis praesidiis subsidisque diuinis suffulti, quibus superare omnem hostem possumus, ita miser succumbamus, non solum acerrima, sed leuiuscula etiam tentationi. Martyres fuerunt qui veritatem huius Paulinae sententiae satis comprobarunt. Si Deus pro nobis, quis contra nos? vt author est super Ioan. Aug. puta dum furens in eos, et infremens mundus non modo nihil eos deterrebat, sed ingen-

Haereticorum ansa.

Eccl. 18.

Col. 3.

QUARTA PARS CAPITULI VII.

Pro. 1.

1. Pet. 5.

Ephe. 6.

Ioan. 3.

Iob. 17.

Psal. 16.

Socordia nostra.

Martyrum magnanimitas.

Esa. 53.

ingenti stupebat admiratione, quod non esset potestas contra spiritum, qui vigeat in illis.

Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Progreditur ad persuadendum quod neque vllius rei defectum vel inopiam passuri sint, quos Deus ad suam gloriam destinauit: nam qui proprio, inquit, filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Relatiuum ergo qui indefinitum audiendum est videlicet, ille qui et c. In graeco non est pronomen suo, et est verisimile adiectiuum esse, tum quia proprio idem pollet, tum quod et Graeci omnes aethores illud silent. Quinimo et Hila. lib. 2. de Trin. adnotauit, dixisse proprio potius, quam suo ad explicandum quod sit ipsius patris solius: at nihil omnino incommodi sententiae affert. Sed et donauit etiam variatur graeco: nam complures codices habent de futuro donabit. Attamen et plurimi sunt in quibus praeteritum legitur. Neque vllius est momenti argumentum in contrarium, quod non sint in hoc seculo nobis omnia donata, sed in futuro donanda: siquidem iam sunt donata in spe certissima per CHRISTVM. Et ideo (vt supra diximus) prophetarum stylo vsus est exprimendo res futuras per verba praeteriti temporis. [Qui proprio filio.] Quasi dicat, non vnicuique eorum, quos memorauimus in filios per baptismum ascitos, sed naturali ab aeterno sibi genito, veluti splendori suae substantiae: huic non pepercit. Idem sermo est quod ait Ioan. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. At quod ait hic Paul. [Non pepercit.] Vehementissime est significatio. Nihil enim homo eorum quae possidet reliqui facit, vt proprio filio parcat, et tamen Deus non solum omnia nobis donauit, verum neque vt nobis parceret, qui filii eramus peccati et irae, pepercit proprio filio. [Sed pro nobis omnibus tradidit illum.] Et verbum hoc quoque tradidit, expressionem adfert eximia charitatis: nemo enim traditur poena nisi peccati reus: Deus autem vt hominibus parceret, iniquis et in seipsum iniuriis et impiis, proprio filio, qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, sed totus est fons bonitatis, non pepercit, imo in eam tradidit mortem, quam nos merebamur ipsi. Tradidit autem, dum ipsum misit in similitudinem carnis peccati: tunc enim (vt est apud Esa.) posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Quin et ipse se quoque tradidit, dum charitate succensus, passi-

oni se sua sponte obtulit. Aliter autem Iudas atque Iudaei eum tradiderunt, vt cap. 4. dicebamus. Sed ait pro omnibus quia non solum pro praedestinatis, in quibus obtinuit efficacia suae passionis, verum quantum ad sufficientiam, pro omnibus peccatoribus peccatisque (vt ait Ioan.) totius mundi passus est. [Quomodo et non etiam cum illo omnia nobis donauit?] Collectio est a maiori ad minus: vbi alludit ad id quod dixerat, Heredes Dei, coheredes autem CHRISTI: nam si filium nobis dedit, quem fecerat heredem vniuersorum, quomodo non et eiusdem vniuersorum hereditatis non fecit nos participes? Possessuri autem sumus vniuersa per visum dilectissimi nobis dei in patria: nam quid non videt (ait Greg.) qui videntem omnia videt? Neque illic tantum, verum et in hoc seculo omnium quodammodo rerum sunt sancti possessores, iure CHRISTI. Etenim cum omnia per ipsum, et in ipso creata sint, et ipse sit ante omnes, et omnia in ipso consistunt, et ipse sit caput corporis Ecclesiae, omnia iusti, veluti eius membra possident, dum perfundant, dum scilicet omnibus ad gloriam eius vtuntur, et nihil eos remoratur in virtutis via, sed omnia illis cooperantur in bonum. Ad hoc enim supra assertum reuocat hic quoque Pau. attentionem nostram. Adscripti inquam angeli nobis sunt, tum in ministerium terranae militiae, vt supra diximus, tum in consortium caelestis triumphi, et quae sub caelo sunt, in usum donata, et caeli ipsi in habitaculum et perpetuam sedem. Vnde ad Cor. Omnia vestra sunt: vos autem, CHRISTI CHRISTVS autem, Dei.

Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui eodem tenet? Postquam depulit Apost. e pectoribus filiorum Dei timorem mali poenae, progreditur ad malum culpam, vt eos securos faciat tam ab actore accusante, quam a condemnante iudice. [Quis accusabit aduersus electos Dei?] Quasi dicat, Nul- lus. Meditatio autem non dixit aduersus iustos, vel aduersus vocatos, nam qui utrumque vocati sunt et iusti ad tempus, quia non perseuerant vsque in finem, non erunt ab accusatione immunes: sed tamen electos, quos Deus praedestinauit, et secundum propositum vocauit, nullus offendet accusator. Et subest in verbo electos, propria huius rei causa: nam eligere, id est, quod probare: accusare autem id est, quod improbare: quos ergo Deus, falli nescius, probatos habet, iudicem nullum subeunt reprobationis discrimen. Pulchrum admodum est Chrysostomi exemplum. Si quis enim peritissimus eligendi, vel equorum pullos, vel aurum, vel quauis rem aliam, optimo

1. Ioan. 2.

Iustorum dominium.

Col. 1.

1. Cor. 3.



Aug. lib. 3.  
de doctri.  
Christi.

cōsilio rem eligeret suæ artis, nullus auderet in re electa quicquā reprehendere. [Deus qui iustificat, quis est qui condēnet?] Sicuti electionē Dei obiecit accusationi, ita & eius iustificationem opponit condemnationi. Aug. adnotauit, qua sit forma legendus hic locus: nam licet per se sit clarissimus, non tamen desunt qui arbitrentur, hoc quod ait / Deus qui iustificat / responsionem esse affirmatiuam præcedentis interrogati. Et quia vident nō esse accusaturum electos, viciant præcedentem orationē, hoc modo, Quis accusabit aduersantes, id est, eos qui aduersantur electis Dei? Deus qui iustificat, Sunt tamen (vt bona venia dixerim) ridiculi intextentes apostolicæ orationi nouum verbum. Vnde secundū Augustinū cuiuslibet interrogationi subiicitur sua responsio etiam interrogatiua, negationē includens: hoc modo, Quis accusabit aduersus electos? Deus qui iustificat, videlicet eosdē. Quasi dicat, Non. Quis condemnabit? CHRIS TVS qui pro nobis mortuus est? Ac si respōdeat, Absit. Hanc veruntamen lectionem ita existimo probabilem, vt qua tamen probabilior cui forsā censerī alia possit: nempe vt prima interrogatio / Quis accusabit, suā in se includat tacitam negationem, puta, nemo. Et hoc quod subditur / Deus qui iustificat / non habeat in hoc puncto interrogationē, sed sit pendens oratio: hoc modo, Cum Deus sit qui iustificat, quis erit qui condēnet? hoc est, nemo. Et est allusio ad tribunal supremi iudicis: cum enim prætor reum iustificat, puta iustum pronunciat, non omnis misero abstergitur metus, ne rex, si ad ipsum appelletur, eū condēnet: quem verō rex absoluerit, ei sane nullus sit amplius reliquus metus. Optima ergo est illatio, Si Deus, quē nihil latet, & cuius potestate nulla est superior, hominem iustificat, nullus relinquitur condemnationis timor. Vnde Iob, Ipso concedēte pacem, quis est qui condēnet? Et Dauid, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata, id est, ita abolita, vt nulla in perpetuum restet memoria ad confusionem illius, cui condonata sunt.

Christus Iesus qui mortuus est, imō qui & resurrexit, qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Diluit exceptionē, quam quis posset facere. Nempe quod CHRIS TVS tanq̄ legislator accusaturus sit transgressores legis: sicuti & de Mose ait, Est qui accusat vos Moses, in quo

speratis: & tanq̄ ille, qui cōstitutus est iudex viuorum & mortuorum, condemnaturus sit eosdē. Cum ergo ipsi etiā iusti sapenūmero delinquant, potuisset quis eis forsā talē metum incutere. Respondet autē Paul. quod cū CHRIS TVS mortuus sit pro nobis, non est cur sit à iustis metuēdus, pro quibus mortuus est. Potest ergo oratio hæc tota sub vna interrogatione proferri, præ se ferente negationē: nō solūm secundum Augustinū, verūm secundū lectionē, quā modō probatiōrē arbitrabar: hoc modo, Cū Deus sit qui iustificet, quis est qui condēnet? CHRIS TVS ne qui mortuus est, & c? Tanq̄ dicat, Nequaquā. Quod si lubet eā assertiuē pronunciare, ad eundem tamen sensum est referenda: nempe vt sit probatio superioris proximæ sententiæ: hoc pacto, Cū CHRIS TVS mortuus pro nobis sit, & c. liquidō constat, nullum existere posse contra nos accusatorem. Seu interroganter, Quisnam vel accusator contra prodibit, vel sedebit condemnator? [Imō & resurrexit.] Illuc retrorsum respicit, vbi ait cap. 4. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrā. Nam licet redemptio per mortē facta sit, tamen quia (vt ibi dicebamus) iustificatio, resurrectio quædā est de morte ad vitam, optimē dixit, resurrexit propter iustificationē. Et eadē hic ratio quia iustificationis meminit, mētionē quoq̄ facit resurrectionis, per quā venit ad supremū iustificatiōis finē. Vfus est autē cōiunctiōe / imō / ad augēdū oratiōis vim: nā cū (vt habet ad Cor.) crucifixus sit ex infirmitate nostra, viuat autē ex virtute dei, maiori esse debēt fiducia iusti, eō quod resurrexerit, q̄ si solū fuisset mortuus pro nostra salute: nā inde spes nobis augetur, cū resurrectionis nostræ, tum etiā adiutorii eius. Vnde & ad maiōrē quoq̄ vehemētiā addit. [Qui est ad dexterā Dei, qui etiā interpellat pro nobis.] Perspice ergo, q̄ ex ordine disposita gradatione quatuor membrorū euexit spem filiorum Dei, vt in tuto eos constitueret ab omnī malo. Et forsā pronomē illud / pro nobis / referendū est ad singula: quasi dicat, Non est, quod CHRIS TVM, vel tanq̄ accusatorē timeamus, vel tanq̄ iudicē: quandoquidē mortuus est pro nobis, resurrexit pro nobis, sedet ad dexterā patris pro nobis, & illic interpellat pro nobis: nā est CHRIS TO vt Dei filio naturali & resurrectio debebatur & thronus ad dexterā patris, hæc tamē oīa retulit in rē nostrā, quæ rursus salū in eius gloriā refunditur. Atqui, vt cōmēdati redderet postremū membrum

brum interpellationis, priorā præmisit, & maxime tertium: nam cum interpellator humanus apud regem coram ipso stet, etiam si filius sit, qua non inde nos fiducia sumus, qui filium Dei iure assidentem patri à dextris patrum habemus, qui pro nobis propitiator interpellat. Quod autē interpres trāstulit / interpellat / postulat quoq̄ potuisset transferre: sicuti supra / Spiritus sanctus postulat pro nobis / nam idem verbum est, vel sola compositione alterum. Sed tamen interpellare idem pollet. Quauis meditatō forsā quod illic vertit / postulat / hic traduxit / interpellat, Haud enim eandem nobis intelligentiam utrobique exhibet: etenim Spiritus sanctus neque mediator est, neq̄ naturā assumpsit creatam, secundū quam possit orare, sed facit nos orare: CHRIS TVS autem secundum proprietatem tanquam mediator inter nos et Deum orat pro nobis. Oratio ergo Spiritus sancti & nostra non est interpellatio pro nobis, sed tanquā rei & miseri postulamus: CHRIS TVS verō postulat pro nobis intercedendo tanquam medius aduocatus: iuxta illud, Aduocatum habemus apud patrem IES VM CHRIS TVM iustum, & ipse est propitiatio nostra. Quod quidem patrociniū & interpellandi munus etiam in hac vita mortali non solūm re ipsa præstitit, vbi ait, Rogauī pro te vt non deficiat fides tua, verūm & in futurum pollicitus est, vbi ait, Rogabo patrem, & alium patrem dabit vobis. ¶ At super verbo / pro nobis / sciscitabitur quis forsā, an pro omnibus in vniuersum interpellat CHRIS TVS: nā vtrinque militat argumentum. Cum enim passus fuerit pro peccatis totius mundi, consequēs apparet, vt & pro vniuersis intercedat, etiam reprobis. Sed ab altera parte alterum argumentum occurrit: nempe quod CHRIS TVS, nihil in cassum cuiquam precatur, neq̄ in terra neq̄ in cælo: ergo cum reprobi nunquam sint gloria posituri, non interpellat nisi pro iis quos Apostolus paulō ante designauerat vocatos secundum propositū. Est veruntamē facilis responsio, interpellationem Dei tam latē patere, q̄ eius passiōē, ac pari modo: passus est autē quantum ad sufficientiam pro vniuerso humano genere: sit ergo, vt in genere pro oībus interpellat: quæ oratio sufficientis de se est vniuersis: nisi iniqui sua obdurarent corda: iuxta illud, Auxiliū meum Israē, ex te autē perditio tua. Neq̄ illa oratio generalis frustranea est, quandoquidem in electis suum sortitur effectum. At verō in partio

culari nihil simplici, et (quod aiunt) absoluta petitione precatur, nisi quod plene impetrat, vt puta prædestinatis solis gratiam et gloriā: iuxta illud, Non pro mūdo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt: hoc est, secundum certum propositum tibi electi: reprobis autem illis, qui nonnunq̄ in gratiam repositi sunt, illam etiam impetrat ad tempus: quam & in cruce meritus est. Vnde paulō inferius, Non pro eis autē rogo tantūm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ex hoc autē apostolico loco tria Lutherani conficiunt argumēta in confirmationē trini dogmatis sui. Quippe ex illis verbis / Quis accusabit aduersus electos? Deus qui iustificat, quis est qui condēnet? Primō confirmat illud toties memoratum de certitudine gratiæ. Sic videlicet hoc intelligentes, vt neq̄ in hac vita conscientia illius, qui est in gratia possit ipsum accusare. Quinimō & catholici aliquot cū quibus nobis disputatio fuit, huic etiam sententiæ connitebantur. Sed reor equidem inter explicandum paulō superius testimonium Spiritus sancti commōstratum esse, hunc sensum nulla posse ratione defendi. Equis enim ambigat, illos quos incipientes vocant, quinimō & prouectiores à propria conscientia crebrō remorsos: nisi quis dicere audeat, neminē eorū, quos propria accusat conscientia, in gratia Dei stare: contra quē nō est amplius disputandū. Sententia ergo Pauli ad diem iudicii refertur, quādo nulli locus dabitur accusationi in eos, qui fuerint electi: vel si de statu huius vitæ audienda est, in hoc sensu est intelligēda, quod nullus nec dæmon neq̄ homo accusare iustū potest, accusatione procedente ad condemnationē: nil tamē vetat, quō minus dum quis hæret dubius an sit iustificatus, inquietudinem patiatur conscientie. ¶ Alterū ex eisdē verbis adiiciūt argumentum ad negandū, tã satisfactiones huius seculi, q̄ purgatoriū alterius: nā cū (doctore Paulō) quos Deus iustificat, nō sit qui condēnet, nemini eorū qui à deo iustificatur, vllē super sunt peccatorum reliquiæ, quarū ratione condēnetur ad pœnā, vel hoc, vel futuro seculo luendā. Existimāt enim, quod quæadmodū, tã gratia, q̄ satisfactio CHRIS TI per se fuit sufficientissima delictis totius mundi omnino delendis, ita copiosē cuius nostrū æqualiter applicetur, dū iustificamur. Nā aiunt per illā solā iustitiā, quæ in CHRIS TO est, nobis imputatā, oēs iustificari, quæ cū vna eadēq̄ oīb⁹ imputetur, omnes reddis, nō modō ab omnī

pœna æque liberos, verum ad eandem gloriam pariter acceptos: vnde inferebat Lutherus, non esse in maiori sanctitate deiparam Virginem (audi blasphemiam hominis) quam sit aliorum vnusquilibet seruorum Dei. Difficillimus autem hoc dogma de iustitia imputata lib. 2. de nat. & gra. cap. 20. & de satisfactioe lib. 3. cap. 6. Ob idq; satis hic fuerit adnotasse istorum absurditatem. Quis enim tam sit pertinaciter immerfus eorum commentis, vt persuadere sibi valeat, eum qui postquam totam vitam flagitiosissimè ac perditissimè degerit, quouis modo resipuerit, statim ad illud culmè sanctitatis subuehi, vbi nullos amplius debeat pœnitentiæ fructus, sed dignè habeatur cœlesti sede inter supremos sanctorum, perinde atque Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quia dilexit plurimum: ac Paulus qui ineffabili admirandaq; conuersioe factus est ex persecutore vas electio nis? Sanctorum igitur Ecclesia aliter semper alumnos suos docuit: nempe quod per gratiam & iustitiam CHRISTI in ratione meriti & causæ efficientis iustificamur, per eam verò gratiam quam nobis infudit, iustificamur formaliter: puta paruuli per sacramentum æquali gradu gratiæ: adulti verò, qui nō nisi diuinitus moti & appulli trahuntur secundum virtutis conatum, seruioremq; & gradum, quo vocationi Dei assentientes mouentur in Deum, tum iusti fiunt, tum & à reatu temporalis pœnæ absoluuntur. Vnde quantum ad præsentis loci enarrationem spectat, licet quos Deus iustificat, nullus alius possit condemnare, ipse autem æquissimus iudex, vtpote cuius iustitia æqualis est misericordia, cum non iustificet nisi volentem, exigit, vt qui minori contritione & dolore, quam pro grauitate suorū criminum par erat, conuertitur, is iam in gratia constitutus fructibus deinde pœnitentiæ teporem suum & negligentiam recompenset. Qua ratione Ecclesie prælati autoritate sibi à CHRISTO tradita huiusmodi satisfactioes deposcunt à pœnitentibus, quas si non persoluerint, exacturus est Deus in futuro seculo: vt iuxta verbum Pauli, saluentur quasi per ignem. Quocirca vbi ait Deus qui iustificat, quis est qui condemnet/nomine iustificatiōis, tres omnes partes pœnitentiæ comprehendit, per quas Deus iustificat adultos: quibus rite peractis, nemo est qui in extremo iudicio condemnet. Super ultimo autem verbo, quod CHRISTVS interpellet apud patrē pro nobis, obseruant idem

Lutherani, neminē præterea sanctorum pro nobis orare: nam interpellandi, inquit, officium mediatoris est proprium, qui vnus est CHRISTVS IESVS. At verò quauis hoc gratis illis largiremur, quod non sint à nobis orandi sancti propter illud infirmissimū euandumq; eorum argumentum, quod vt non audiunt, ita neq; agnoscut petitiones nostras, tamen quod ipsi, nobis etiam tacentibus, pro nobis intercedant, nullatenus inficias ire possunt, cum ex suis ipsorum concessis, quæ negare nequeunt, liquefcat. Respondeant enim rogo, num viri iusti in hoc seculo mutuis se iuuant, tum votis, tum etiam preceationibus, atq; id ob vinculum charitatis? Hoc planè concedunt. Igitur cum ad illam felicitatem admissi solidiori sint nexu charitatis nobiscum coniuncti, nonne & in eisdem persistent votis erga nos, vt eandē videlicet nobis beatitudinem exoptent, cuius ipsi potiuntur? Et hanc item illationem firmam esse agnoscut, quam quidem cauillari non possunt. Igitur si illam nobis optant gloriam, quis poterit diffiteri, quin eandem nobis deprecetur, atque adeo pro nobis Deum exorent? Profecto cū officium hoc tam sit iustis laudabile in hac militia, quod est pro amicis orare, planissimū est, idem nobis officium beatos præstare, cuius scilicet vident egere nos maximè. Vnde liquidum sit, vt saltem eos veluti in nos beneficos debeamus colere & venerari. Et adiuncto præterea, quod hoc Deus honore dignatur sanctos suos, vt ab illis exorari velit: facile est colligere, quod nostras illis preceationes representat, atq; adeo quod religio nobis sit preces ad eos fundere. Sic eis igitur respondeamus, quod interpellare, tanquam mediatorem, quem Deus inter se & nos constituit, cuiq; eodē iure debetur quicquid postulat, & à quo, veluti authore, expetendum est quicquid pertinet ad salutem, CHRISTO domino nostro proprium est: quē ideo à nobis precibus adiri, vt misereatur nostri, cultus est latriæ. At verò interpellare, tanquam Dei amicum, atq; ideo aduocatum nostrum, cui de condigno & iustitia non debetur quod pro nobis postulat, ob idq; neq; auctor est collati beneficii, hoc planè commune est omnib; sanctis: quos idcirco dum precamur, vt orent pro nobis, minimè colimus latria, sed dulcia.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio,

secutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptū est, Quia propter te mortificamur tota die: æstimate sumus sicut oues occisionis. En sum premam huius capituli interrogationē, quam Paul. ceu flammam Spiritus sancti de superiori oratione conceptam, expirat. Enimvero cum tot charismatum dona tāto seruiore denarrasset, & CHRISTVM demum induxisset, pro nobis natum, ac passum, tamq; multis in nos modis beneficium, non potuit non atdentissimo amore liquefcere, et velut indissolubili glutine cum eodem beneficentissimo Salvatore ferruminatus, in hunc tandem sensum prorumpere. [Quis nos separabit à charitate CHRISTI?] Quam orationē meritissimò Aug. lib. 4. de doct. Christ. in exemplum adduxit earum, quæ in sacra scriptura granditer et cum vehementia prolatae sunt. Habet ergo interrogatio hæc Pauli ex proximis verbis consequentiam hanc, Cum CHRISTVS Dei filius, vt prædestinatos vocaret, iustificaret, ac magnificaret, traditus sit, & vt fructus iustificationis iugiter vberiores nobis proueniant, ad dexteram patris continenter interpellat pro nobis, quis non illi, tot charitatis pignoribus prouocatus, in amore ita respondeat, vt nulla inde vi possit amoueri? Et est velut repetitio illius, Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Sunt veruntamen Lutherani, qui legitimum sensum huius loci perturbant. Aiunt scilicet, quod cum inquit Paul. Quis nos separabit à charitate CHRISTI? non de illa loquitur charitate, qua nos CHRISTVM diligimus, sed de illa, qua nos ipse amat. At, quæ nam sententia in hoc sensu inesse potest, Quis nos separabit, ne Deus nos diligit? Dicendum enim fuisset tunc potius, Quis Deum separabit à charitate nostri? Aiunt autē, Quis separabit/ idem pollere, quod/ Quis efficiet/ vt dubitemus de charitate, qua Deus nos diligit, & nō firma eam fide teneamus. Sed hæc manifestaria est distractio verborum ad improprietatem. Hæc autem omnia commenta confingunt, ne tantam dignitatem arrogant charitati & operibus nostris, quantam hic significat Pau. Quocunq; tamen se vertant, manifestissimum est, charitatem hic exprimere, qua erat in Deum ipse affixus. Nam Deus nunquam à nobis diligendis subtrahit sese, nisi quia ipsi nos ab ipsius charitate diuellimus. Atqui tribulationum huius vitæ, hæc est natura & contentio, vt ab ipsius amore nos & amici

tia propellant. Id quod in amicis Iob graphice depictum est, qui hoc moliebantur, & in tentatore CHRISTI. Contraria autem est charitatis virtus. Neq; tantam energiam charitati sanctorum tribuere, in iniuriam Dei vertitur, imò ad summam eius refertur gloriam: sane qui quos prior ipse diligit, ad tantum sui ipsius amorem prouehat. In digressionem ergo regrediētibus, nobis perspectum primū sit, quemadmodum in illa bimembri gloria tione perseuerat Paul. cap. 5. proposita, quæ est in spe filiorum & in tribulationibus. Hæc enim ratione, vt paulò ante post gloriam filiorum instinctu Spiritus sancti clamantium abba, pater, subiunxit, non esse cōdignas passionibus huius teporis ad futuram eorum gloriam, ita & hic commemoratis beneficiis & auxiliis CHRISTI, subdit, nullam in tribulationibus inesse vim, quæ nos ab eius charitate dissecare sufficiat. Est namq; charitas aliarum omnium virtutum forma & consummatio, quæ ideo quocunq; delicto quamlibet aliarum expugnante, disperit: atq; adeo eisdem vel affectionibus vel afflictionibus, quibus reliquæ impugnantur, concutitur & ipsa. At verò quauis non personas, sed res aduersas recenseat (vt tribulationem, &c.) haud tamē ait, quæ nam res, sed quis nos separabit. Primum (quantum conicio) vt persistat in eo quod dixerat/ Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet/ Nempe vt patrono adiutoriq; Deo hostilem opponeret personam. Et præterea quia hæc omnia mala & nocumēta, veluti instrumenta quædam sunt, machinæ & tela, quibus nos trinus noster hostis oppugnat, scilicet Sathan, & mundus & propria caro. Effert autem hunc suū amoris indissolubilem nexum septem verborum exaggeratione, vel fortè quod spiritus hunc illi numerum in animum suggestit, vel quod hisce gradibus calamitates omnes, & arumnas huius mūdi complexus est. Sed vide quàm nihili fecerit detrimēta illa et incōmoda, quæ filii huius seculi pro maximis ducunt: vt carere diuitiis, magistratibus & similibus ambitiois titulis: hæc enim neq; leuissimè deberent turbare Christianū, sed illa penitè cōmemorat, quæ possent iustū etiā quempiā deterrere. Horū autē tria faciē genera, scilicet præsentium, quæ vel actioes sunt, vel priuationes, tristitiā inferētes: & futurorū, quæ metū incutiūt. [Tribulatio.] Quæ à tribulo, vel ferreo, vel spineo ita nominatur. Cōplectitur autē hac voce aduersitates oēs

Luc. 7.

Resolutio.

2. Cor. 3.

Error Lutheri contra sanctorum orationes.

Aug. lib. 4. de doct. Christi.

Lutherani.

quæ nobis forinsecus ab hoste inferuntur veluti calumnias (vt ait Chry.) carceres, exilia, & id genus reliqua. [An angustia.] Tribulationi statim supponit angustiam: quæ duo etiam coniunxit cap. 2. in punitione malorum. Nam si in tribulatione vlla patet via, quæ possit elabi, solatium est: si tamen omnis præcluditur, tunc angustatur animus, & tribulatio recrudescit. Vnde David pro beneficio decantat, In tribulatione dilatasti me. Et Paulus, Tribulationem patimur, sed non angustiamur. Quapropter sicut tribulatio omnia significat externa bella, ita & angustia internas anxietates. [An persecutio.] Nonnulli Latini codices hoc tertio loco habent/an fames/et in sexto/persecutio/At tamen Græci omnes habent hic/persecutio/& vetustiores Latini vsque ad tempus sancti Thomæ, qui eodem ordine legit: & profectò appositius multò. Nā persecutio est insectatio miser, quousq; omnis illi sit occlusa via salutis: atq; adeo in extremas coniciatur angustias. Qua nimirum ratione optimè cum angustia componitur persecutio. [An fames.] Post tria positiua mala subiicit duo priuatiua. Nomine autē famis, sitim quoq; intelligit, & morbos, et quauis incommoditatem, quæ penitus est in corpore. [An nuditas.] Et hac quoq; voce indigentiam pariter tecti designat, & penuriam rerum aliarum, quæ nobis esse solent extrinsecus refrigeria aduersus aeris inclementiam. [An periculum.] Hoc iam demum in futuris malis est, quæ metum offerunt. Videri autem posset nimirum attento lectori peruersus hic ordo: nam periculum futuri mali minoris est vehementia, quam actio præsentis: ob idq; ab hoc dicitur fuisse inchoandum, vt oratio per gradus assurgeret. At verò vel Paulus hanc vilipendebat curiositatem: vnde eadem serie post carceres & plagas diuersa periculorum genera recensuit, quæ passus fuerat, vt fluminum, latronum, &c. Vel fortè hic periculum mortis subnotauit, quod vehementius est, quam prænominata alia mala. Ob idq; statim subdit. [An gladius.] Iam iam scilicet imminens capiti. Vbi vniuersa mortis genera, quæ diri tyranni in martyres disquirant, significat. Meminit autem huius speciei, veluti & ad Heb. In occisiõe gladii mortui sunt, tum quia truncatio capitis, nisi feritas humani ingenii truculentiores excogitasset mortes, deberet esse suprema, tum vt auctoritatem Psalmistæ venustius induceret. [Sicut scriptum est, quia propter te mortificamur

Psal. 4.  
2. Cor. 4.

2. Cor. 11.

Heb. 11.

tota die, estimati sumus sicut oves occisionis.] Scriptum hoc est in psalmo, vbi antiquorum affectiones continentur, qui ob conseruatam religionem & cultum Dei à tyrannis mactabantur. Qui pariter psalmus figura erat martyrum Ecclesiæ euangelicæ. At depingitur illic tyrannorum persecutio sub imagine querimoniarum martyrum, quòd immeriti sæua illa paterentur, Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitum sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, &c. Non quòd vera sit querimonia, neq; laus, quæ in ore proprio vilescit. Quò enim sancti consummatiores sunt, eò sese demissius humiliant: & sciunt præterea non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: quem locum versat hic etiam nūc exornatq; Paulus. Sed vsus est Propheta illo schemate, vt admonitos faceret filios huius seculi, ne dum viderent filios Dei tam crudelia pati, cogitarent in causa esse, vel eorum demerita, vel quòd deferti à Deo essent & obliuioni dati. Atq; ad hoc ipsum propositum infert huc testimonium hoc Paulus: nempe ne id quod dixerat, omnia diligentibus Deum cooperari in bonum, atque adeo neque tyrannorum immanitatem, neq; aduersitatem vllam deiicere eos posse ab eadē charitate, commentum eius esse & inuentum existimarent: sed scirent assertum fuisse prophetarum prædicantium Dei curam, quam gerit sanctorum suorum, quos videlicet per hanc mundi sæuitiam ad cumulatiores coronas illis submouet. At singula verba expendenda sunt. Et primum sunt qui mallent supprimendam hic fuisse latinè coniunctionem/ quia/ licet græcè extet, quoniam latino sermone non solet ita fieri citatio, sed simpliciter. Videlicet sicut scriptum est, Propter te mortificamur, &c. Est veruntamen, quicquid isti dixerint, receptissima phrasis apud Latinos. Ait autem/ propter te/ quia (vt author est in sermone de martyribus Augusti.) Martyrem non facit pœna, sed causa. Vt enim CHRISTVS inter latrones diuersa causa crucifixus est, ita & in hac area Ecclesiæ diuersis de causis eadem mala patiuntur homines. Traduntur enim latrones propter culpā: ambitiosi, propter vanā mundi gloriā: atq; alii propter alias cupiditates sese morti obiciunt. Ait enī & auari idolo suo, Propter te mortificamur tota die, sed respondeat martyribus CHRISTVS (ait Augu.) Si morieris inuenies & me simul & te, respondeat autem auaris aurum, Si nau

Psal. 43.

Aug.

Matt. 5.  
& 10.

2. Pet. 4.

Col. 3.

2. Cor. 4.

Ioan. 16.

2. Cor. 4.

fragaueris, & me perdes & te. Quocirca CHRISTVS non simpliciter dixit, Beati qui persecutionem patiuntur, sed adiecit, propter iustitiam. Nec, Qui perdidit animam suam, inueniet eam, sed, Qui perdidit propter me. Et Petrus, Nemo vestrum patiatur vt homicida aut fur, si autem vt Christianus, non erubescat. Quum enim CHRISTVS pro nobis, caput videlicet pro membris, & pro iniquis innocēs animam suam posuerit, quòd non membrum pro gloria summa ducat, capiti suo vitam rependere? Et eò magis quòd aliās natura sua id membra faciunt pro capite. Atq; ob hoc potissimè quòd CHRISTVS, honorum nostrorum non indigens, in hoc passus est, vt nobis à morte redemptis imperaret vitam: nos autem, vt mortale vitam pro immortali commutemus. At verbum/ mortificamur/ non vsurpatur hic pro eo quòd est, carnem macerare per opera pœnitentiæ: sicut ait ad Col. Mortificate mēbra vestra: sed pro eo quòd est morti addici, hoc est, occidimur. [Tota die.] Videlicet, iugiter, & sine interuallo, siue hoc ad plures referatur, eò quòd ex numero Christianorum vnus ac deinceps alius & alius singulis diebus surripiebatur olim in supplicium, siue quòd singuli perpetuò afflictabantur. Vt enim ait Chryso. Cum naturæ nostræ datum sit, semel mori, tam primitiui illi Christiani sua se sponte mille mortibus obieciabant propter Deum, iuxta illud, Semper nos qui viuimus in mortem tradimur propter IESVM. [Estimati sumus sicut oves occisionis.] Aptissimè martyrum specimē in ouibus macello destinatis exhibetur, non modò propter eorum, tum innocentiam, tum & patientiam, qui sine armis, sine pera & sine baculo expectabant lupos, verum & propter modum & animum, quo interficiebantur. Quando enim ille qui hostis est, iniuriam arbitratur inferre, minus est metuendus, quia restincto odio cessare potest, sopiri potest & ira: sed illi sunt maximè extimescendi, quicquid sint crudelissimi, existimant id ex lege & religione decere. Tyranni verò necessarium ducebant, apostolos ac reliquos Christianos, tamquam peruersores legum & religionis supprimere & extinguere: quos idcirco perinde atq; pecudes victui necessarias quotidie cadebant, discruciant, dissecabant ac dilaniabant, iuxta verbum CHRISTI, Venit hora, vt oīs qui interficit vos, arbitretur se obsequiū præstare Deo. Inter quos apostoli in primis habebantur, secundum illud, Puto quòd De-

us nos Apostolos nouissimos ostendit, tanq̄ morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo.

Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Priori membro, hoc est, interrogationi subnequit postterius, vt respondeat. [Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.] Græcè eadem præpositio/ dicit/ præposita genitiuo significat/ per/ cum accusatiuo verò, significat/ propter/ Et est coniectura variasse olim Græcos codices, quoniam inter doctores partim sequuntur priorem significationem, & maximè Græci, partim verò cum interprete nostro amplectuntur posteriorem: vt Ambro. Hieron. & alii. Atq; hi vt significet causam finalem, & quasi redactionem, quòd hæc videlicet mala redamando superamus propter eum, qui nos prior dilexit: quasi inde corroboremus dilectionem nostram, quòd videamus quāto nos ipse prior amore fuerit complexus. At tamen diffiteri nequeo, quin magis mihi arrideat lectio/ per quem/ vt significetur causa efficiens: de qua paulò ante, Si Deus pro nobis quis contra nos. Est enim mos Pauli celeberrimus, vbiuncq; in sermonem incidit de operibus hominis iam iustificati, vt concursum exprimat gratiæ cooperantis cum libero nostro arbitrio: vt est illud, Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Idq; ad elidendum duos extremos errores: alterum in quem isti etiam nunc Lutherani impegerunt, scilicet quòd ita solus Deus operetur in nobis absq; nostro libero arbitrio merita nostra, vt ipse dicatur mereri in nobis: alterum verò Pelagianorum, quòd non absq; Deo quicquā solidi meriti faciamus. Vnde postq̄ dixit/ superamus/ id moderatus est adiciēs/ per eum qui dilexit nos/ id est, qui sua nos dilectione præueniens, per Spiritum sanctum nos iuuat qui postulat pro nobis perq; mediatorem ipsum qui interpellat pro nobis, & per alia peculiaria subsidia. Haud tamen ex hoc loco colligitur, vt Lutherani censent, de charitate qua nos Deus diligit, proposuisse

Opinio auctoris.

2. Cor. 12.  
Duo errores.



Paulum, Quis nos separabit à charitate **CHRISTUS**. Imò sensus eius est, quòd ideo mala nequeunt nos separare à dilectione, qua nos ipsum diligimus, quia per suam ipse dilectionem nostri conseruat nostram ipsius. Superamus / autem idem hic pollet, iuxta verbi Græci cõpositionem, quod / superuincimus / vt quidpiam excellentiã vltra id quod est, vincere, inlligamus: putã, facilitatem (vt ait Chryso.) & admirationem, cum qua martyres trophæa aduersus hostes statuebãt. Primùm quòd nõ solum inermes, verùm suis ipsorum hostium armis confodiebant eos, dum quandoq; solo iussu dæmonia cogebant è delubris exire, ipsaq; confringere idõla, & aliquando ex ipsis incendiis, quæ martyrio parabantur, exiliens flammæ ministros absumebant. Deinde quòd moriendo stupefaciebant hostes suos demiranda constantia & alacritate, qua & expauctos infideles in fidem pertraherent & religionem. Pro qua fide qui modò occisores erant, subito sinebant sese in eadem supplicia surripi, adeò vt manifestè constaret, tyrannos illos non aduersus humanam potentiam, sed contra Dei virtutem bellum gerere. Vnde (vt habetur in Actis.) Videntes Iudæi Petri constantiam & Ioannis, intelligentesq; adeò quòd si eos occiderent, victoriam illis potius tribuerent, quàm ab illis acciperent, ambigui dicebãt, Quid faciemus hominibus istis? Optimè ergo ait Paulus, Superamus per eum qui dilexit nos / quoniam vel in hoc maxime dilectionem suam erga martyres ostendebat Deus, quòd tã illustres triumphos per eos de suis hostibus celebrabat: non modò afferens amicos suos in charitate aduersus oppugnantium impetus, verùm etiam frequentatis victoriis eandem charitatem in ipsorum peccatoribus vegetando, irroborendo, plurimumq; adaugendo. Hæc enim cuncta subsunt verbo / superamus / vt qui per carnalia prælia extinguere in sanctis spiritum moliebantur, & à deuotione Dei abducere, magis eum ac magis eisdem machinis accenderent ac Deo compingerent. Vide ergo quãta orationis luculentiã differuerit duo illa præmissa. Si Deus pro nobis quis cõtra nos. Et / Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. [Certe enim sum, &c.] Inexplicabilis est profectò celsitudo huius apostolici affectus, iis vel maxime fœcordibus, qui talem spiritum nõ sumus experti. Videtur enim per hæc quatuor contrariorum paria, mortis scilicet & vitæ, spiritualium & corporalium, instãtium &

futurorum, altitudinis & profundi, vniuersitatem creaturæ, vniuersasq; tentamentorum phalanges in certamen prouocare, vt publici tus agnoscat mundus ineluctabilem potentiam & virtutem charitatis sanctorum, qui anchora fidei fundarunt se in petra, quæ est **CHRISTVS IESVS**. Videre, inquam, tibi videaris bone lector hoc loco diuum hunc numine plenum, veluti nauim ita ad rupem colligatam, vt validissimis vëtis susq; deq; propulsata, nequeat tamè vlla procella conuelli. Aut tanquam solidissimum terræ elemētum, quod quanuis ventorum furiam intus visceribus susceperit, fremitu in contraria distantium, ac impellentium, nulla tamen vi potest dirumpi. Certus enim, inquit, sum, hoc est, ea sum in Deum fiducia, vt persuasissimum habeam, quòd neq; mors, neq; vita possit me separare, &c. In interrogatione quidè de futuro sciscitatus est / quis nos separabit / respondurum autem vis impetus non permisit illi responsum sistere, sed de possibili respondet, nulla nos res poterit separare. At qui cum interrogationem per gradus tentationum deduxerit, responsum multò maiori emphasi per contraria extrema amplificat, quibus mundæ omnes differentias amplectitur. Neq; tamen absq; ordinis pulchritudine. Exorditur enim à causa finali, quæ prima est inter causas, nempe à supremis duobus obiectis duorum affectuum, timoris scilicet & amoris, qui radices oim sunt passionum. [Neq; mors, neq; vita.] Primo verbo septè oia mēbra expedit, quæ in interrogatione posuerat: cuncta enim illa, scilicet, tribulatio, angustia, &c. præcipitia sunt ad mortem, quæ gladio consummatur. Breuissima ergo vocula mortis mala omnia comprehēdit, quorum metu deserere homo potest charitatē Dei. Morti autem adiunxit vitam: quo nomine vniuersa equidem bona veniunt, quæ allicere valent hominem. Ac si dixisset, Neq; qui mihi extrema supplicia minitarentur, quæ mortis atrocitã exaugent, neq; qui vniuersa bona promitteret, quæ vitam exornant, quicq; apud me hac parte efficeret. Aut fortè aliter. Neq; si Deus mihi mori præciperet, amor me vitæ villo pacto moueret. neq; si mihi ob necessitatē propagandæ fidei (vt insinuat ipse Phil.) permanere in vita iuberet, desiderium tunc mortis quod maximū habeo, vt solutus corpore essem cū **CHRISTO**, ab ipso me charitate distraheret. Nam magnificabitur, inquit, **CHRISTVS** in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem: mihi enim viue-

Phil.

te **CHRISTVS**, & mori lucrum. [Neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes.] Procedit ad causam efficientem, quam explicat per aliam contrarietatem: quasi dicat, Neq; in spiritualibus neq; in sensibilibus vlla est potestas, quæ mihi in hac re nocere valeat. At verò sublimis animus Pauli, in hac præcipuè verborum magnificentia, non est dignatus visibilibus potestates nominare, vt diceret, Neq; præsides, neq; principes aut reges: sed de repente affurgit ad spiritualia, in quibus suprema inesse videtur creata potentia. Neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes. Pleriq; sanctorum damnatis angelis duntaxat hoc intelligunt, eò quòd beati optare nemini possunt huiusmodi abstractionem à Deo. Chryso. verò tã hic, q; libro. 1. de compunct. cordis, de spiritibus hoc cœlestibus interpretatur. Videri tamè hic Paulum oculatissimo cuiq; potest, neq; de his, neq; de illis spectatim meminisse, sed in genere vtrosq; fuisse complexus, in nullis scilicet spiritibus talem esse potestatem cuiuscunq; sint voluntatis: putã neq; si principatus illos mediteris, de quibus ad Ephe. ait, coluclationem nobis esse aduersus principes & potestates, cõtra spiritualia nequitia: neq; verò filios, qui sunt ante thronum Dei, hæc finis prauam habere posse voluntatem. Etenim licet inter illos infernales nulla sit ordinis pulchritudo, sed sempiternus horror, est tamen in eorum confusione imago quædam ordinis principatuum, in malum nostrum instructi. Has tamen potestates eius virtute vincimus, qui (vt habetur Col. 2.) expoliavit principatus & potestates, triumphans illos in semetipso. At verò, vt de felicibus spiritibus commentatio constet, per hyperbolen intelligendum hoc est, qualis est illa. Si ego vel angelus de cœlo aiter euangelizauerit vobis, præterq; quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Est enim amor inter cunctas animi affectiones, qui huiusmodi maxime hyperbolis gaudet. Nã (vt author est loco modò citato Chryso.) amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant, sed necessariis suis & charis produnt, & flammæ suas intra pectus cohibere non possunt. Hæc ille. Adde quòd cum Deus (autore Bernardo) sine modo amandus sit, non potuit hic eximius amator modum torrenti orationis ponere, sed, vt ostenderet contra illam vim amoris nullã extare in creaturis facultatem, facilius, inquit, esset cœlicolis illis, diuino amore flagrantibus, velle me ab eodem amore diuellere, quàm vt hoc cõ-

ficere possent. Protulit autè tres hierarchias: nempe angelorum, qui sunt nũtii, & (vt ait ad Heb.) administratorii spiritus, quos mittit Deus in ministerium propter eos qui hereditatem capient salutis. Ex quibus superiores archangeli delegantur ad summa negotia, veluti Gabriel ad Virginem. Principatus autem sunt, qui prouinciis in custodiam præficiuntur: vt est apud Daniel. Sed virtutes, per quas prodigiosa fiunt miracula, vt fuit exsiccatio maris rubri, Sodomorum euersio, & similia. Ait ergo. Quanuis principatus omnes huic negotio prælati essent, cuius gratia & mitterentur omnes angeli, & virtutes miracula æderent, nihilò plus aduersum me proficerent, quàm si imbecilles creaturæ essent. Affurgit enim oratio ab angelis ad virtutes. Abstinit autem hyperbolen à superioribus hierarchiis, putã, dominationibus thronisq; & aliis, quas Colof. 2. connumeravit, eò quòd per has reliquas complectitur. Vel saltem nomine angelorum archangelos: nomine autè principatum dominationes: sed nomine virtutum potestates. Supremã enim hierarchiã non decuit in exemplum huius rei prodere: vt pote quæ non tam ad creaturas, quàm ad Deum respectum habet. Est enim seraph, idè quod ardor charitatis Dei, & cherub, splendor scientiæ ipsius, & throni, sedes eius. [Neq; instãtia, neq; futura.] Speciosè sanè ad duo causarum genera circumstantias quoq; adhibet, quæ sunt temporis & loci. Præterita namq; mouere non possunt, sed præsentia & futura tam ad amorem, quàm ad metum: de quorū obiectis in primo membro dixerat. Præsentia siquidem bona gaudium adferunt & lætitiã ex eorum amore: futura verò spem, sicuti præsentia mala tristitiã & pauorem: futura verò formidinem & metum. [Neq; fortitudo.] Multi sunt Græci codices in quibus hoc membrum non legitur. Quod cum non habeat, vt cætera, contrarium respondens, suspitio nonnullis est, non esse Paulinum. Attamen vel interpres illud græcè legit, quod est verisimilius: vel si adiectitium est, nihil officit. Quòd si apostolicum verbum est, vt credo, existimarem adiectum esse, non hoc loco, sed proximè post virtutes, veluti cõplementum spiritualium potestatum, putã neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; vlla, si quæ alia est sublimior fortitudo. Nam vt habetur in Canticis. Fortis est vt mors dilectio. [Neq; altitudo, neq; profundum.] Circumstantiam loci describit per dignissimas eius differens

Hebr. 1.

Dani. 10.

Col. 2.

Cant. 8.

differentias. Etenim sicuti in corpore ex tribus dimensionibus prima est longitudo, ita & in loco præstantissima differentia est sursum ac deorsum. Pluribus autem modis exponitur. Primum ut ambæ ad metum referantur, ac si dixisset. Neque si quis mihi præcipitum minaretur vel ab altitudine summa, vel in profundissimum mare, quicquid expauescerem. Chryso. autem in de compunct. cordis per hyperbolen & hanc quoque particulam intelligit de regno cælorum, atque infernorum fundo: hoc pacto. Neque si à regno cælorum perpetuo exulandum mihi esset, vel in gehennam descendendum pro Deo, ab eius discederem charitate. Quanquam luculentior forsitan esset distributio amoris & timoris: tali ratione. Neque amor altitudinis, puta, regni cælorum, si illuc (per impossibile) nisi contra voluntatē Dei, nequirem ascendere, neque timor gehennæ, si Deus illuc me demitteret, dimouere me possent ab eius amore. Alii autem tria hæc meditantur hæc, quæ hominem possent commouere: nimirum coactionem, per fortitudinem cogitatis: pauorem, per altitudinem autoritatis: seductionem, per profunditatē sapientiæ: quorum nullum se, ait, vereri Paul. [Neque creatura alia.] Conclusio est Rhetoribus solennis: ut qui post inductionem aliquorum singularium, tum demum appellatione generali reliqua omnia designant, ut generis vniuersitatē concludat: quali dicat, Nulla cuiuscunque generis creatura. Quauis Chryso. non solum veras res, sed possibilem quamcunque, & quæ excogitari potest, censet Apostolum significasse. Id quod verisimile est, cum non solum concludat/ separabit/ uti in interrogatiōe, sed nulla poterit nos separare à charitate Dei: quippe quæ diuinæ eius potentie innititur, cui nemo potest resistere. [Quæ est in CHRISTO IESU.] Illis qui hanc totam orationem de charitate, qua Deus nos diligit intelligunt, perinde sonat, in CHRISTO IESU/ ac si dixisset, Quæ charitas Dei per CHRISTVM applicata est nobis, & executioni mandata. Illis verò qui charitatem hanc qua nos ipsum diligimus (& quidem rectius) agnoscunt, idem est, in CHRISTO IESU/ quod in virtute CHRISTI IESU. Nam charitas quæ per Spiritum sanctum nobis infusa est, in virtute CHRISTI confertur nobis, & per eundem qui à dextris Dei interpellat pro nobis, custoditur & propugnatur. Hunc autem potissimum locum Pauli pro se agere arbitrantur defensores certitudinis gratiæ, scilicet, quo ait, Certus sum, &c. At verò nullo fauore patrocinator eis: nam vel de se proprie loquitur, ubi ait/ nos/ vel uti qui iam confirmatus erat in gratia. Quæ quidem confirmationem verisimillimum est fuisse ei reuelatam, ubi audiuit, Sufficit tibi gratia mea. Vel si nomine omnium vel iustorum, vel prædestinatorum loquitur, ingenium tantum & virtutē charitatis (authore hic S. Thoma) explicat, quæ quantum ad se attinet, semper nos retinet coniunctos cum Deo: curus paulò ante meminit Apostolus. At verò quantum ad conditionem liberi arbitrii, cuius facultas, seu potius difficultas & impotētia est, posse à gratia deficere, non sumus adeo certi. Quapropter & Apostolus ipse castigabat aliquando corpus suum, ne cum aliis prædicaret, efficeretur ipse reprobus. Sunt item qui opinantur de separatione finali dūtaxat hic Paulum fuisse loquutum, scilicet quod non poterat ita cadere à charitate, ut in peccato moriatur, non autem de illa separatione quæ est ad tempus. Nam Petrus qui (ut ipsi censent) in eadē erat certitudine, lapsus fuit nihilominus dum CHRISTVM negauit. Nescio tamen, an hoc ita sit. Si autem verum est, tunc nullum hinc argumētum colligere pro se possunt patroni certitudinis gratiæ: quippe qui asserere, neque debent, neque audent, quenquam, citra singulare priuilegium, talem suæ prædestinationis certitudinem habere. Reor veruntamen (ni fallor) non solum à finali, verum & ab illo quoque casu, qui est ad tempus, fuisse certotutum Paulum, eò quod in gratia erat confirmatus, sicuti & in Pentecoste alii apostoli, cuius reuelationem susceperat. Quocirca non eadem fuerat ratio de Petro, ut qui ante publicam missionem Spiritus sancti nondum erat in gratia confirmatus. Quod enim dixerat, Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo, non dixit, nisi explicando naturam præsentis charitatis, qua tunc fuerat infusus absque respectu ad imbecillitatem liberi arbitrii. Nisi dicere magis placet, quod iudicio id humano affirmauit. Quoniā & similem nunc confidentiam efferre nonnulli possent, qui se se amore Dei inflamatos præsentiscunt, qui nihilominus collabi possunt. Quinimò & temerarios hæreticos reperias qui talibus verbis, qualibus hic Paulus, adstruunt se non posse à charitate Dei semoueri, qua iuxta sua dogmata vigere se arbitrantur. Sed de his in lib. 3. deina. & gra. in eiusque apologia satis superque.

CAPVT

## CAP. NONVM.

Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Expediuit ergo Paul. secundum membrum eorum quatuor, quæ in prologo designauimus, scilicet, de virtute eximia, excellentissimaque potestate euangelicæ gratiæ, post quod sequitur tertium, in quo de origine eiusdem gratiæ orationem suborditur. Tres enim particulas dignouimus in propositione thematicis huius epistolæ, quas interlineauimus, super verbo/ Reuelatur ira Dei, &c. Primam/ virtus Dei est in salutē oī credenti. Secundam/ Iudæo primum & Græco. Tertiam/ Iustitia enim Dei in eo reuelatur. Hanc postremam tractauit in primis quatuor capitulis: primam verò in his quatuor proximè præcedentibus ut suis locis adnotauimus: & in hoc tertio membro quod per tria capitula deducitur, explicatur secunda: quemadmodum scilicet Iudæis simul ac Græcis beneficium euangelicum obtigerit, non ex meritis legis seu scriptæ, seu naturalis, sed solo diuino beneplacito. Vbi verbū illud expandit ac dilucidat, quod proximè dixerat, his qui secundum propositum vocati sunt sancti, Quos enim prædestinauit, &c. Huic autem præsentī disputationi causam obtulit hæc expauescenda conditio: nis permutatio, Iudæi & Græci: nempe quod cum soli Iudæi tot retro sæculis in cognitio: ne veri Dei fuissent versati, eiusque legem percoluissent, ipsisque adeo proprie promissus fuisset CHRISTVS, in eius tandem aduentu ita excæcati desipuissent, ut eū repudiatum crucifigerent. Eundem autem Gentiles, quibus illuc usque lex illa, ipsius prænūcia, ignota erat & inuisa, promptissima obedientia & alacritate suscepissent. Constituit ergo in hoc nono capite causam & modum, cur Iudæis pro maxima parte reiectis, Grætes per fidem in Ecclesiam Dei priores receptæ sunt. In decimo verò deplorat miserandum Iudæorum lapsum, quem tamē ostendit non habuisse usque adeo excusationem, quin sit graui culpa denotandus. Sed in vndecimo consolatur eos non nihil, tum quod eius casus non fuerit omnino vniuersalis, tum etiam quod post ingressum Gentium omnis demum Israel sit in salutem reuocandus. Hoc autem capitulum quatuor sectionibus absoluitur: prius enim ad captan-

dam Iudæorum beneuolentiam suam in eos propensum animum aperit, ipsorumque commendat dignitatem. Mox illic/ Non autem quod exciderit/ commonstrat eandem dignitatem non iure hæreditario ab Abrahamo secundum carnē illis cōpetere, sed secundum spiritum per æternam Dei electionem. Deinde illic/ Quid ergo dicemus/ appendit, soluitque vnam atque alteram dubitationem circa eandem conclusionem. Ac demum quarto illic/ Quos & vocauit/ concludit, eandem Dei electionem & vocationem non ad Iudæos tantum pertinere, sed patere quoque & Gentibus. Igitur ut ad exordium Pauli descendamus, Quum hætenus de necessitate fidei CHRISTI, quæ vnicum est fundamentum salutis, deique eius præclarissima virtute copiose dixerit, progreditur ut edisserat, quam miserè Iudæi ab eadem fide, cuius tandiu fuerant professores, excidissent. At verò quia grauisimum eis esset, durissimumque hoc audire, ne id pro contumelia ducerent, quam de odio Pauli proficisci existimarent, quo ipsos infestabatur, præmonstrat, quam eos indicibili amore fuerit semper prosequutus, non solum dum ageret in Iudaismo, sed iam etiam Christianus. Simili tramite ingressus est cap. 1. ubi eorum reprehensionem adornabat. Testis mihi est Deus quod sine intermissione memoriæ vestri facio, &c. Nouerat enim quantopere prælatorū referret, subditos persuasos habere, nil se nisi paterno affectu ergo eos gerere: & sua maximè illam gentem, quæ omni lenitate decebat ad fidem inclinare. Sed tamē erat exaggeratio hæc amoris, scilicet quod anathema pro illis esse cuperet, tum perse ipsa creditu difficillima, tum repugnantiam præse ferens cum postremis verbis superioris capituli. Qui enim ea charitate Dei flagrabat, à qua nullatenus separari poterat, adeo ut dissolui cuperet, & esse cum CHRISTO, quomodo & anathema ab eodē esse cupiebat pro fratribus? Hac ergo de causa asserit prius veritatem hanc cum attestatiōe CHRISTI, Spiritus sancti, & conscientie suæ. Iam enim simili loco cap. 2. tractauimus de iuramento, quam sit non modò licitum, sed condecens, ubi talis adest necessitas. [Veritatem dico in CHRISTO IESU, non mentior.] Potest quis, & dum falsitatem dicit, non mentiri, quando ut potestum arbitrat se dicere verum, & dum veritatem fortè dicit, mentiri: quia it contra mentem. Et ideo Paul. ambo copulauit. Optimè ergo obseruauit Orig. hoc quod ait/ Veritatem

Prælatorū  
minus er-  
ga subditosDistri-  
butio.Diuiso ca-  
pituli.Orige.  
in

Chryso.

Chryso.

De certi-  
tudine  
gratiæ.

in CHRISTO IESU: nam Caiphas licet verum prophetauit, tamen si eius intentionem spectes, non id dixit in CHRISTO IESU: quia quo ipse sensu loquebatur, non erat vera. Et Phytion ille, cuius spiritu puella veritatem in clamabat, iussus est nihilominus exire tanquam iniquus veritatis assertor. Qui ergo alio spiritu, quam CHRISTI, veritatem annunciat, mētur nonnunquam, dum quod se latet, affirmat. Paulus autem qui in CHRISTO loquitur, hoc est, virtute & suggestione CHRISTI (est enim hic idiotismus eius, sicuti, Charitas quæ est in CHRISTO IESU) veracissimè adiunxit. Et non mentior. [Testimonium perhibente conscientia mea.] Si compositionem verbi Græci obserues, dicas forsitan / cōtestante / seu / simul testante. At non est sensus, quod conscientia simul & CHRISTVS attendentur, sed, CHRISTVS est conscientia author veritatis. Ob quam ideo amphibologiam tollendam transiit interpres per hanc phrasin, quæ idem pollet, quod / contestante. Addit ergo testimonium conscientia, veluti explicationem proximi verbi / Non mentior / Nam loqui contra conscientiam, hoc est mentiri. Sed quia conscientia nonnunquam etiam potest errare, adiecit / In spiritu sancto / de quo paulo ante / Testimonium reddit spiritui nostro / quod nimirum infallibile est. Itaque sicuti quod ait / Testimonium perhibente conscientia / definitio illius est quod dixit / Non mentiri / ita & quod ait / In spiritu sancto / explicatio est prioris virtute / in CHRISTO IESU / eod quod spiritus virtute CHRISTI nobis infunditur. [Quoniam tristitia mihi magna est.] Quoniam / pro / quod / qua utique coniunctione exprimitur asserta veritas. Tristitia, inquit, magna, quia de re graui, impendioque infausta, qualis erat aberratio Iudæorum à fide. Et præterea ex magno amore profecta: nam amicorum mala, licet maxima sint, nisi maximè illi diligantur à nobis, non indolent nobis maximè. Ob idque adiecit. [Et cōtinuus dolor cordi meo.] Dolor enim, in corpore quidem est, sicuti tristitia in animo: vbi autem cum adiectione ait / dolor cordi / vehementiam significat & acerbitatem tristitia: est enim dolor cordis, discretiatio ipsius ex accepto vulnere. Et ait / cōtinuus / exaggerationis gratia: quia quotiescunque remissus, dolebat eorum miseriam. Sicuti cap. primo. Sine intermissione in orationibus meis / idem est quod, quotiescunque oro. Neque verò contrarius hic tibi videatur Paulus sibi ipsi, dum

Conciliatio  
locorum.

Philippensibus præcepit & Thessalonicensibus, gaudere in Domino semper: aut illi documento Eccl. 30. Tristitiam non des animæ tuæ. Haud enim probatur illic Stoicorum sententia, qui tristitiam passionesque omnes reprobabant: sed præcipitur, ut gaudium in Domino continuum sit, ne interrumpatur per aduersam tristitiam, illam scilicet mundanam, quæ de amissione bonorum temporalium, aut de passione malorum procedens, amorem Dei corrodit vel tollit: tristitia verò de malis quæ à Deo nos distrahunt, ut tristitia peccatorum adeò non interdicitur, ut sit etiam sancta: quippe conducens ad gaudium, quod est in Domino. Cohærent enim tristitia & gaudium de malo & bono, quæ sunt contraria: imò & tristitia de amissione temporalis boni, quatenus bonum illud instrumentum est & medium adipiscendi Dei, licita est, & nonnunquam decens: siquidem & CHRISTI anima sanctissima amissa, ra vitam, tristata est usque ad mortem. Comendatissima ergo est tristitia Pauli de peccato suæ gentis.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Ecce extremum amoris exemplum ac penè incredibile signum. Anathema / ad literam est, quod, sursum positum. Quod quidem nomen dona significat, quæ in templis pendebant, diuis sacrata, ab usuque humano seposita: ea vel maximè quæ ex hostium præda illis dicabantur. Inde tamen (ut Chryso. hic probè ait) per contrarium sensum nomen deductum est, ut significet quicquid semotum est à Deo vel Ecclesia: itaque separatio utrobique eadem est, modus autem diuersus. Alia enim sunt anathemata, à quorum usu honoris gratia abstinemus, ob id quod dicata sunt Deo: alia verò quæ vituperii causa à nobis alienamus, veluti sunt rebelles homines, quos ab se Ecclesia abruptit: secundum illud Apostoli, Si quis non amat Dominum nostrum IESUM CHRISTUM, sit anathema. At qui in hac postrema significatione usurpatur hic, uti ablatius / à CHRISTO / subindicat. At verò anathema à CHRISTO fieri bifariam contingit: vno modo, cum quis voluntate ab eo deficiat. Et hoc nullatenus licet, cum teneamur Deum super omnia diligere, atque id minimè Paulus poterat, quin illa re existimabat posse à charitate CHRISTI detur

Eccl. 30.  
Stoicorum  
dogma.

Anathema

Chryso.

1. Cor. 14.

deturbari. Sed sunt nihilominus qui hunc sensum Paulo impingunt, pro eo tamen tempore, quo sub Iudaismo Ecclesiam CHRISTI zelo Synagoga insectabatur. Et ideo aiunt, non de præsentia dixisse, opto, sed / optabam. At verò sensus hic agrè potest sustineri. Primum quod nihil egregium tunc dixisset in commendationem amoris, quo erat in illos: quia persecutionem illam tunc temporis non pro illis tantum, sed pro seipso, quinimò (ut putabat) pro Deo faciebat. Quandoquidem odium illud CHRISTI, non culpam, sed virtutem, officiumque reputabat, ac religionem. Et præterea quoniam non solum amorè illum, quo olim fratres Iudæos diligebat hoc loco commendat, sed quo tunc Christianus erga illos erat affectus. Accipitur ergo / anathema / hoc est, separatio in alio sensu, nēpè pro eo quod est, abesse à CHRISTI præsentia & fruitione, quam ardentissimè exoptabat. Ait verò / optabam / quia iam in præsentia cernebat, decretum esse à Deo, ut Iudæos in sua cæcitate permitteret: ob idque tunc forsitan non optabat cōtrarium, sed antea. Vel certè / optabam / idem est, quod, optarim (ut aliis placet) nam græcè affines sunt significationes eiusdem vocis. Et sic transfert interpres Chryso. in 3. lib. de sacerdotio. Nēpè ut idem sit / optarim / quod / vtinam anathema ego esse possem pro fratribus. Etenim quod vehementiā affectus deprimeret, non ait simpliciter, velim, sed / optarim / [Ego ipse.] Et hæc quoque exaggeratio est, scilicet, ego ipse qui tam auidè sitio conspectum CHRISTI, anathema esse optarim ab ipso, ut vos lucrifacerem, qui vltro per grauissimum infidelitatis crimen anathemata esse ab eo pergitis. Nam artificiosè sub anathematis nomine, & suum officium, & eorum vnà scelus subnotauit. Interrogas autem. Si elongari à gloria Dei nequit homo nisi per culpam, quomodo id Paulus optare poterat. Ad hanc interrogationem plerique respondent non nisi temporariam separationem, seu remotionem à gloria optasse pro fratribus: iuxta illud, Coarctor è duobus desiderium habens, dissolui & esse cum CHRISTO, multò melius, permanere autem in carne, necessarium propter vos. Neque verò si hæc receperis expositionem, exigua tibi videatur emphasis Pauli: cogita enim tecum, perpendeque, si vales, desiderium Pauli abeundi à corpore, fruendi que suo CHRISTO, vltra omnem modum excelluisse illud, quod mortales habent viuendi: vnde facile intelligas, quanto

Dubitatio.

Phil.

altius extulerit amorem suum erga fratres, dicens, optare se per annum, vel mensem in carne viuere, carereque pro illis beato illo cōspectu CHRISTI, quam si vitæ cupientissimus paratum se diceret mortem oppetere pro amico. Veluti Dauid vbi optabat tribui sibi ut pro Absalone moreretur, nēpè ut propria morte filium recuperaret, Tametsi dum Origenem Chryso. et Patres super hunc locum meditatus lego, sublimior emi mihi videor hic sensum intueri. Vis etenim amoris, vbi in ecstasi rapit amantem, non sinit rationes has circūspectare, ut sese latius proferat. Quocirca qui (ut paulo ante meditabar) neque exulare à cælo, neque in tartara detrudi vilius momenti arbitrabatur, ut se parari posset à charitate CHRISTI, eadem nunc charitate absque præscriptione, vel temporis, vel loci ait, cupere se anathema esse à CHRISTO pro fratribus: non considerans quo id pacto fieri possit. Quasi optasset charitas Dei in Paulo fructu gloriæ orbari, vè plures Deus haberet amatores. In quo profectò se maximè dilectio patefacit. Vnde merito irridet Chryso. eos qui appellatione hic anathematis intelligunt corporalem mortem, qua separatur homo ab humano cōsortio: tunc enim non dixisset, à CHRISTO. Igitur sicuti pater dilectissimum filium nonnunquam peregrè dimittit abire, honoris aucupandi gratia, vbi amor ipse filii in causa est, ut velit ab illo longè fieri, ita hic Paulus esse longè cupit à fruitione CHRISTI pro fratribus. At quoniam nos ab hac dilectione quæ longissimè absumus, neque intelligere hæc possumus. Et Orig. vel in hoc etiā verum habere putat Euangeliū. Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam: & qui perdidit, inueniet eam. Nam quid, ait, mirum, si Apostolus pro fratribus anathema fieri velit, qui sciat eum qui in forma erat Dei, exinanisse se de ea, ac suscepisse formam serui, & factum esse pro nobis maledictum. Hæc ille. Pari ratione & illud Moysi, Aut dimitte eis hæc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quæ scripsisti, quod nonnulli interpretantur de libro, in quo erat inscriptus dux populi: Patres isti intelligunt, de libro vitæ. Id quod subsequens responsum Dei cōprobare videtur, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. [Qui sunt cognati mei secundum carnem.] Alii trāsferunt / cōsanguinei / quod idem valet, nisi quod tunc redundaret / secundum carnem / nā cōsanguinei esse aliter nulli possunt. At quia cognatio communis est ad cognationes

2. Reg. 18.

Mat. 17.

Exod. 32.



gnationē spiritualem & carnalem, cum verbum Græcum idem polleat, quod eodem genere prognati, commodē trāstulit interpret/ cognati secundum carnem / id est, ab Israele descendētes, vt proximo verbo exprimitur. Vnde / secundum carnem / limitatio est illius, quod dixerat / fratribus / Nam qui fidem nō receperant, non erant illi fratres secundum spiritum. At verō quanquam cognatio esset in parte causæ tantæ benevolentia, tamen potissima erat honor Dei, ob quem illis optabat conuersionem. Hic autem noster pudeat tepor & pectoris siccitas erga fratres, quos vel nulla ratio, vel ad hæc tantū caduca bona diligimus: at pro pereuntibus, CHRIS T I Q; honorem ac fidem labefactantibus ac profugantibus neq; minimam curam gerimus, tantum abest, vt fieri velimus anathemata.

Qui sunt Israelitæ: quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum Patres ex quibus est Christus secundum carnem: qui est super omnia Deus, benedictus in secula. Amen. Subscribit amplissimā Iudæorū dignitatē, quā p octo priuilegia describit, vt inde tristitia suæ causam & doloris expandat, & commiserationem eliciat infelicitatis eorum & calamitatis, atq; adeo vt eos hac nobilitatis cōmendatione ad fidem alliciat. Sed est nobis adnotandum, nullam hic virtutem Paul. aut dignitatem humanam laudasse in Iudæis, quā sibi possent insolenter arrogare, sed diuina penitus beneficia. Prima dignitas est generis [Qui sunt Israelitæ.] Vbi rationē exponit suæ cū illis cognationis: iuxta illud, Israelitæ sunt: & ego. Non autem appellat eos tantum genus Abrahæ, sicuti & ibidē ait, Genus Abrahæ sunt: & ego, sed Israelitas, Neq; id solū, vt eos secerneret ab Ismaelitis, & à filiis Esau, sed propter singulare celebratissimūq; factum Iacob, lucetamen videlicet cum angelo. Vnde nomen datum illi est diuinitus Israel: quod est, videns Deum: vel secundum alios, potens Dei, hoc est, potestatem habens in Deum: iuxta verbum illud, Appellabitur nomen tuum Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis. Et sequitur, Vocauitq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Deum facie ad faciem, vbi significatur personæ quidem inditum fuisse nomē à fortitudine, loco verō à visione. Qua perindēratione pudore

illos foedissimo cōspersit, quod quum denomine illius Patriarchæ gloriantur, qui angelum Dei vicit, angelis ipsi Sathanæ tam turpiter manus dedissent, vt fidem Dei reciperent. [Quorum adoptio est filiorum.] Non superfluit / filiorū / vt capite superiori adnotauimus, sed est periphralis simplicis verbi Græci / υιοθεσία / idem pollentis, quod / positio filiorum / ad differentiam illius adoptionis, qua quis adoptatur in nepotem. Pulchrē ergo secundū priuilegiū primo subiecit: est enī multo præclarior adoptio filiorum Dei, quā Israelis genus: ob quam filiationem de Israele ait dominus, Filius meus primogenit⁹ Israel. Ad dubitabit hic veruntamen quispiā, quomodo hic Paulus huiusmodi adoptionem priscis illis legis veteris adscribat, cum capite superiori inter illos & Christianos ita discriminauerit, vt illos spiritum tantum seruitutis accepisse in timore, nos autem spiritum adoptionis filiorum Dei, pronunciet. Ad hanc autem dubitationem, licet sint qui respondeant, spirituales olim Patres adoptionē filiorum recepisse per gratiam, carnales autem spiritū in timore, tamen quia non sic distinguit Paul. legitimus fortē intellectus est, quem (vt illic prenotauimus) Apostolus ipse pandit Gal. scilicet, quod illi adoptionem quidem filiorum receperunt in circumcisione & sub lege, sed tamen tanquam paruuli, atq; ætate minores, quā quibus esset hæreditas tradenda, nos autem tāquam iam ætate legitima. Neq; obstat si qui, vel tunc olim, vel nūc, culpa sua huiusmodi adoptionis beneficiū vel nō receperūt, vel non seruāt: quia Paul. tantū demonstrat diuinū propositū in conferēda circumcisione & vtraq; lege, quod fuit, vt hoīes gratis reconciliati, & in filios asciti, Deum colerent, vt patrem. Quapropter licet ex Gentibus fuerint etiam nonnulli in gratiā filiorum recepti, populus ille tamen peculiare nomen filiorum Dei obtinuit in orbe. Vnde Moses, Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Atq; hanc filiationis primogenituram probauit CHRIS T V S, vocans eos filios. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. In cuius figuram, scilicet celestis hæreditatis, donata illis est terra promissionis, eiectis inde Gentibus. Quapropter & hoc quoq; verbo pudefacit eos, quod qui præ reliquis nationibus filiorum prærogatiua fuerint insigniti, iam tunc adueniente primogenito CHRIS T O possibiti fuerint Gentibus

tibus, cum quibus nunquam fuerat Deus cōuersatus. [Et gloria.] Non tam de gloria celesti loquitur, quā de virtutib⁹ miraculisq; & portentis, quibus suam Deus gloriam illis, ceu filiis, manifestauit: vt fuerunt prodigia in Ægypto, in mari & in deserto. De quibus Moses. Ecce gloria Domini apparuit in nube. Et dum ædebatur lex, Habitauit, inquit, gloria domini super Sinai. Et, Gloria domini impleuit tabernaculum. Idemq; legitur, de gloria templi. Et quod illa gloria figura esset celestis conferendæ per CHRIS T V M, docuit ipse, cum se in monte coram prophetis eiusdem legis transfigurauit. [Et testamentum.] Graphice profectō & ex ordine innētū filiorum qualitates. Græcē autem pluraliū legitur / υιοθεσία / testamenta: At verō idem nomen in plurali numero significat hæreditatum distributiones, quæ obeundæ sunt post testatoris mortem: sed tamen in singulari significat etiam pacta inter viuos atq; hæreditatem ipsam: & ideo, vt pacta & conuenta Dei, quæ cum ipsis pacifcebatur significaret, traduxit forsitan interpret / testamētum. Vnde Orig. Quoties peccauerunt, toties exhereditati videntur. Et rursus, Quoties propitiatus est Deus, reuocauit eos, & in hæreditatē suæ possessionis adduxit, totiesq; reparasse testamētum credendum est. Hæc ille. Et pepigit Deus fœdera cum Abraham & aliis Patribus: vt in Genesi relatū est. Alii in plurali legētes, verbum referunt ad duo testamenta: scilicet veteris & nouum, quæ Paul. adnotauit. Quorum primum concessum illis est, alterū verō promissum. Si tamen / testamentum / singulariter legeris, pristinum illud intelligito. [Et legislatio.] Illis enim peculiariter inter nationes totius orbis scripta fuit lex. Et quoniam in lege tria erant mandatorum genera, nomine legis moralia comprehendit & iudicialia: sed quantum ad ceremonialia, subdit. [Et obsequium.] Vnde Orig. Obsequium, inquit, sacerdotalia dicit officia. Alii transferūt, cultus: nam græcē est / λατρεία / & parui refert: nam & illa ceremonialia cultus quoq; erant. Nisi quod fortē / obsequium / significantius explicat exteriores illas ceremonias, quā / cult⁹ / quod nomen ad internam animi reuerentiam propius attinet. Præterquā quod eodem nomine officium omne & obsequium legis pariter designatur. [Et promissa.] Nempe promissiones quæ de futuro Messia, deq; eius lege & gloria factæ sunt Patribus: vt pote Abrahæ, Isaac & Iacob, & populo exeūtū de Ægy-

pto: vt legitur in Genesi à. 12. cap. vsq; ad. 22. Et in Exodo cap. 20. & duobus proximis. Vt intelligas adoptionem illam antiquitus filiorum in sola fuisse positam pollicitatione & spe venturi, nostram verō iam esse in re. Quam ob causam CHRIS T V S (vt infra. 15. habetur) missus est minister circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum. [Quorum Patres, ex quibus est CHRIS T V S secundum carnem.] Hoc est octauum postremūq; atq; ideo supremum Iudæorū decus, quod CHRIS T V S ex eorum prosapia fuerit deriuatus secundum carnem: iuxta illud, Dilexi Patres tuos & elegi semen eorum. Quo nam enim maiori honore dignari illam gentem Deus potuit, quā vt suo ipsius vnigenito matrem ex eorū genere optaret? Vt idem esset & Dei filius & eorum consanguineus. Sed quo præterea potuit Paul. acriori spiculo Iudæorum scelus cæcitatemq; & impudentiam compūgere, quā commemoratione hac cognationis eorum cum CHRIS T O? Vt inde maximē pudefierent, obruerētq; verecundia, quod non solum Deū, sibi ipsis promissum, & missum abnegassent, sed eundem in carne crucifixissimū, quā ab ipsis acceperat, eundemq; effudissent sanguinem, quem de suis ipsorū visceribus contraxerat. Quo profectō nefando facinore repudiari meruerunt, vt Gentēs alienigenæ, quibus eum perimēdum tradiderant, eundem fide & obedientia susciperent. [Qui est super omnia Deus, benedictus in secula.] Speciosissima est præhabitæ orationis cōclusio, eademq; pernecessaria. Primum, vt quem hominem secundum carnem nominauerat, verum eundem Deum astrueret: veluti cap. 1. Qui factus est ei secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei. Deinde, vt diuinitatis CHRISTI commemoratione Iudæorum tum nobilitatem, à quibus sanguinem duxit ad summum fastigium eueheret, si modō tantum beneficium agnouissent, tum culpam infamaret, quod Deum verum explosissent, qui tam multis priuilegiis, quā sunt in præsentia cōmemorata, eos illustrauerat, atq; adeo quem Patres eorum tam cupidē præstolabatur. Quocirca meritissimō hoc loco culpandus repellendusq; ille est, qui primus cogitauit vires huius loci eneruare, quas aduersus Arium Patres omnes, tam Græci, quā Latini semper agnouerunt. Ait enim ille, posse hæc clausulam ita distingui / Qui CHRIS T V S est super omnia / vt, interiecto colo, sequatur, Deus benedictus in secula, veluti gratiarum

rum actio. Vel aliter, vt hoc relatiuū non referat **CHRISTVM**, sed superiori textu concludatur clausula, & relatiuum accipiatur indefinitè, in modum gratiarum actionis: hoc est, ille qui est super omnia Deus, sit benedictus in secula. Secundum quas, inquit, lectio- nes non sumitur argumentū diuinitatis **CHRISTII**, idq; magno verborum molimine per- tendit defendere. Sed profectò non erat opus catholico viro hunc ingenerare scrupulum in re conspicua. At quia alii, tum diligentissi- mi, tum doctissimi iustas apologias aduersus hunc authorem doctè ac piè instruxerunt, inter quos est pius & verè catholicus Titel- mannus, nolo ego esse molestus. Est ergo planissimus hic locus de diuinitate **CHRISTI**: nan absque dubio, relatiuum refert **CHRISTVM**, & colon illic figendum est / qui est super omnia Deus, vt / Benedictus in secula / adiaceat **CHRISTO** Deo. Vel si colon præ- ponatur nomini, Deus / totum subsequens / Deus benedictus in secula / enunciatur de eodem **CHRISTO**. Vnde Origen. Ex ipsi- ergo est & **CHRISTVS** secundum carnem, qui est super omnia benedictus Deus in se- cula. **CHRISTVM** aliud secundum carnem esse, & aliud secundum spiritum, iam in prio- ribus huius epistolæ partibus designauit, vbi dixit, Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est fi- lius Dei in virtute secundum spiritum san- ctificationis. Quem ergo ibi secundum spi- ritum, filium dixit, hic, procedente doctri- næ ordine, proficientibus vtpote auditori- bus, Deum qui est super omnia benedictus, ipsum esse pronunciat. Hæc ille & alia in hanc sententiam plura. Quibus optimè ad- notauit, quòd quem prius Paulus non aper- tè Deum, sed filium Dei asseruerat, ne ado- ptium designasse crederetur, planissimè iam nunc appellat Deū. Et est calumnia indigna quæ à Christiano obiceretur, dicere quòd hæc non fuerit sententia Origen. sed interpre- tis correctio: nam est apertissima quoq; sen- tentia Cyrilli, Chrysostomi, & Augustini, & manifestissimè Ambrosii, qui ait, Si quis non putat de **CHRISTO** dictū / qui est Deus / det personam de qua dicatur. Et Hieronym. no- tauit damnatas hic esse hæreses Manichæi & Photini, qui negabant veritatem carnis **CHRISTI**, per hoc quod ait, Ex Patribus secundum carnem. Et hæreses Arii & Ne- storii, in hoc quòd eundem qui est secundum

Hiero. con- tra hære- ticos.

carnem, affirmat esse super omnia Deum be- nedictum in secula. Quinimò & hoc ipsum quod ait / super oia / certissima est & maxi- mè propria dignitas Dei, vt quæ nulli potest creaturæ competere. Vnde postquā de **CHRISTO** præmiserat, quòd non rapinam arbitra- tus est, esse se æqualem Deo, subiecit, datū illi nomen super omne nomen, vt in nomine **IESV** omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū, & infernorum. Et adiecit. Et omnis lingua confiteatur, quia dominus **IESVS** in gloria est Dei patris. Operosum autem esset Augu- stinum, Cyrillum ac reliquos doctores huc adscire, qui concorditer in hanc sententiam hunc locum exponunt.

Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex circunci- sione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abraham, omnes filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis existimantur in semine. Promissionis enim verbum hoc est, Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Sequitur secunda sectio huius capituli, in qua de origine gratiæ hoc Paul. constituit, quòd non hominum meritis, sed ex Dei prædestinatione ortum ha- beat. Vnde cum tot percensuerit Iudæorum priuilegia, explicatum pergit, quemadmodū illa omnia per gratiam Dei illis prouenerint. Et præterea cum miserum eorum casum fue- rit lamentatus, præoccupatione iam vitur aduersus eos, ne inde colligerent, incertas ac vanas fuisse promissiones Dei: quarum in- ter cætera munera, modò meminit. Fuerat enim Patribus salutem pollicitus per semen Abraham & Israel, ergo si tam numerosa pars eorū prospax orbata fuit illa fide & salute, cassæ videntur promissiones illæ. Hanc ergo collectionem præsecat, dicens / Non au- tem quòd exciderit verbum Dei / hoc est, non ob id tanto merore conficior de abces- sione vestra, quòd fides per vos pollicitatio- num Dei collapsa fuerit, & per culpam ves- tram, vel infracta, vel infirmata. [Non enim omnes qui ex circuncisione sunt israel, hi sunt isra- elitæ, &c.] Nō solūm in codicibus Græcis nō legitur / ex circuncisione / verū neq; in vetu- stis Latinis. Neq; est verisimile verbum esse Pauli, tū quia circuncisio nō sumpsit initium in Iacob, tum quia multò aptius cohærent hæc

Philp. 2.

SECUNDA PARS AD PITVL.

Tres inf- gnes patres

Gala. 3.

Magnificū ingenium Pauli.

hæc duo membra, sine tali actione, hoc pa- cto, Non enim omnes qui ex Israel sunt, neq; qui semen sunt Abraham. Sed tamen nihil sen- tentiæ deperit, si legatur, ex circuncisione. Neq; habetur græcè / Hi sunt Israelitæ / sed / ii sunt Israel / vt / Israel / sit in casu nominandi. Est enim celebre in sacra scriptura, vt gens noietur à capite illius stirpis: vt tribus Iudæ di- citur / Israelitæ / ad tollendā æquiuocationē. Nā / Israel / potest latinè esse genitiui casus: què sensum non præ se fert Pau. hic. Vel fortè (vti alii probè adnotarūt) quia Israel absolute di- ctū de gente, nō nisi vniuersam gentē Iudæorū significat. Israelitæ verò potest etiā accipi pro particula Israelis, de qua hic Paul. loqui- tur. [Neq; qui semen sunt Abraham, omnes filii.] Ambrosius nō legit / qui semē sunt / sed / quia semen sunt. Neq; huiusmodi lectio spernenda est: ita enim habent nonnulli Græci codices, hoc est / Non illa causa, &c. At pro litera di- lucidatione prænotemus, tres fuisse insignes Patres in lege celebratissimos, quib; data fi- de, promissus fuit Messias, nēpè Abraham, Isa- ac & Iacob. Patet enī promissa facta Abra- hæ in figura terræ promissionis in Genesi à cap. 12. vltq; ad. 22. quæ eodem libro cap. 26. re- petita sunt ad Isaac, & rursus ad Iacob ca. 28. Ob idq; Iudæi celeberrima appellatione di- ctitabantur filii & semen Abraham: vt crebrò videre est in Genesi: & filii quoq; Israel, vt patet in Exodo. Abraham quidem, quia illi omnium primo & semini eius factæ sunt pro- missiones, vt ait Paul. Israelis verò, quoniam omnes eius filii tam ancillarum, quàm præci- puarū vxorū connumerati sunt in populum Dei, cui per tribus distributo tradita est terra promissionis. Haud tamen solenniter nuncu- pabantur filii Isaac, quia neq; primus fuit cui facta esset promissio, neq; tota eius proge- nies hæreditatem illam adiuit terræ promis- sionis, sed solus Iacob, abdicato Esau. Quàm obrem in duobus tantummodò his semini- bus, scilicet Abraham & Israelis, ostendit hic Paul. non excidisse verbum Dei: idq; per quatuor oracula, bina vnus, totidemq; alte- rius. Neq; est prætereundum ingenium hic apostolicū. Poterat enim per hoc defendere certitudinē & firmitatē diuinarū promissio- nū, quòd particulariter quibusdam filiorū tã Abraham, quàm Israel eas impleuerat, at ne quis redargueret, non ideo fuisse illas pro- missiones satis solidas, quoniam neq; omni- bus quibus fuerat salutem pollicitus, persol-

uisset eas, neq; verò illis tantum, sed pluri- mis etiam ex gentilitate, commonstrat eas- dem promissiones in vniuersum fuisse com- pletas omnibus, qui legitime sunt filii Abra- hæ: atq; illis duntaxat obuenire hæreditatem æternam: de qua spiritualiter intelligebantur. Ob idq; ait / Non enim omnes / hoc est, nō mi- hi illos obiciatis, qui ex semine, seu Israel, seu Abraham aberrarunt ab scopo fidei: illi namq; non sunt legitimi filii secundum spiritum promissionum: quare ob excidium illorum, non excidit verbum Dei. Qui autem fuerint legitimi filii, hic prius ostendit in filiis Abra- hæ testimonio scripturæ Genesi. 21. [Sed in Isaac uocabitur tibi semen.] Et exponens spiri- tualem sensum subdit, id est, [Non qui filii car- nis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, ex- istimantur in semine.] Animaduertat hic er- go attentus lector diuinam expositionem Pauli præscarum promissionum. Vt enim ostendat nullo carnali iure, sed diuino bene- placito obuenire nobis adoptionem, addu- cit duo commodatissima exempla filiorum Abraham & Isaac. Quorum vtriq; bini fuere filii. Abraham namq; duas suscepit proies, Ismaelem scilicet maiorem natu, & Isaac minorem, quorum Ismaeli iure primogeni- turæ cōpetere videbatur hæreditas: non ob- stante quòd esset filius ancillæ. Nam in so- bole Israel nullum interiectum est discrimē inter filios ancillarum & vxorum in distri- butione hæreditatis. Sed nihilò minus præci- pitur Abraham eiicere filium ancillæ: quia in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen: Adie- icit autem Deus, Sed filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Optimè id ergo interpretatur spiritualiter Paul. quòd non qui filii carnis, id est, qui ius habēt ex carne, sicuti Ismael, ii sunt filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, id est, filii secun- dum electionem & promissionem Dei ex- istimantur in semen videlicet Abraham. Mul- tò autem explicatius habetur allegoria hæc ad Galat. vbi ait, filium ancillæ natum fuisse secundum carnem, hoc est, naturali virtute carnis ex iuencula: filium autem liberæ per repromissionem: nimirum emortuis iam & deficientibus viribus naturæ, sed per mira- culum Dei restitutus. Hæc enim omnia in ty- po facta sunt progignendi **CHRISTI** ado- ptandorumq; mortalium per eius gratiam. Nihil ergo hic restat dubitationis ab hoc ar- gumento, quòd neq; omnes filii Isaac salui facti sunt, neq; verò illi soli. Siquidem Genti-

Gala. 4.

les, siue ab Ismaele, siue ab Esau descendentes salui fieri poterant olim in lege naturæ per auxilium gratiæ Dei, qui & in aduentu CHRISTI Iudæos ipsos anteuertunt. Nulla inquam ex parte ab hoc argumento infirmatur promissionum robor, quoniam sensus illorum oraculorum, interprete hinc Paulo, spiritualis est: hoc tantum docens, quod quemadmodum Ismaeli seniori, qui secundum carnem, hoc est, naturali virtute carnis dumerat genitus, prælatum est diuino beneplacito Isaac, qui fuit sola voluntate Dei effecta iam anu miraculose præcreatus, ita intelligamus, eis tantum atque eisdem omnibus factam esse promissionem filiationis Dei, quos ipse secundum æternum propositum elegit: atque eosdem prorsus censeret filios Abraham, qui eadem fide generantur, quam Abraham habuit de conceptu Isaac. De qua Pau. supra cap. 4. illud antiquum elogiū citauit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Qua de causa superius cap. 2. distinxit Iudæum duplicem: nempe in manifesto, & in abscondito, & duplicem circumcissionem, cordis scilicet & carnis. Et cap. 4. commonstrauit, Abraham fuisse patrem omnium credentium. Et CHRISTVS in Euangelio ait, posse de lapidibus suscitare filios Abraham. Atque adeo hinc Apostolus in eundem diuinum sensum spectatissime adsciscit oraculum secundum ex Genesi. [Promissionis enim uerbum, hoc est, secundum hoc tempus ueniam, & erit Sara filius.] Id est, secundum hoc tempus mihi ab æterno præfinitum & præfixum. Vbi tempus gratiæ spiritualiter significatur. De quo tempore ad Galatas Paulus. Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, quippe ex Virgine per miraculum, præfiguratum in miraculosa generatione Isaac, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quod est uelut expositio huius, quod ait hic: Et erit Sara filius.

Non solum autem illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei: quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Procedit ad exemplum filiorum Isaac. Et quauis in Græ-

cis modo codicibus non sit relatiuum, illa tamen claritatis causa adiectum est: hoc ueruntamen oculationis est considerationis, quod isti neoterici reprehendere connituntur in veteri translatione. In Græcicis enim iam nunc exemplaribus ubi nos legimus, concubitu non est nisi /κοιτην/ qui est accusatiuus generis fœminini, significans idē quod cubile. Ob idque aiunt, deprauatum esse hunc locum ab interprete veteri, & quantum ad uerborum structuram, & quantum ad sententiæ fidem: nam ablatiuus /vno/ masculini generis nequiuerat cum accusatiuo fœminino copulari: sed supplendus inquit, erat ablatiuus /filio/ ut legeremus, Rebecca ex vno (scilicet filio) cubile habens, i. matrimoniale thorum, Isaac patris nostri. Vel ita, ut ablatiuus /vno/ coniungeretur cum Isaac in eodem casu. Nā genitiuus Græcus per ablatiuū quoque reddi potest latinē: hoc modo, Rebecca ex vno Isaac patre nostro cubile habens. Nam aiunt, nihil Pauli retulisse, an vno coitu concepti fuissent illi gemini. At uerò ut ab hoc posremo uerbo retundere horum censurā exordiamur, quoniam isti (ut sæpe adnotauimus) non sunt ita multum obseruantes theologiæ in scriptura sacra, ideo sunt tam nobis infestis: longē enim aliter sentiunt doctores omnes, non modo Latini, uerum & Græci de isto vno concubitu. Cum enim Pau. prius induxisset exemplum de Ismaele & Isaac diuersis matribus, diuersisque temporibus prognatis, quinimo sub diuersis patris conditionibus, qui Ismaelem sub præputio genuit, Isaac uerò iam circumcisus, ne quis electionem Isaac præ Ismaele meritis parentum transcriberet, attexit exemplum alterum, in quo nulla cogitari potest generationis discrepantia, duorum scilicet gemellorum, qui non tantum iisdem parentibus, sed eodem prorsus temporis articulo geniti sunt, ubi non potuit diuersus affectus esse parentum. Et ideo ait /Ex eodem concubitu. Neque erat uerbum adeo pudendum, quin deberet eo uti, ut fideliter mysterium expromeret. Nam præterquam, quod naturæ rei nihil repugnat semen unius congressus in diuersas cellulas matricis dispartiri, ex quo duo simul fœtus gignantur, haud dubiū quin & hoc mysterii gratia prouisum fuerit diuinitus: ut scilicet specimen diuine gratiæ esset expressius, qua gratia absque ulla meritorum differentia alios præ aliis elegit Deus ab æterno. Vnde Orig. Cum Rebecca ex vno concubitu Isaac geminos conce-

Defensio in  
interpretu.

Contra Græcos  
eos codices.

Similitudo  
inter Sara  
& Rebecca  
Gene. 25.

Orig.

conce-

concepisset, nondum partu æditi, neque ullis actibus puerorū boni, maliue inter homines habitū, erga Iacob diuina habetur dilectio.

Et ita legit Irenæus lib. 3. aduersus hereses. Et in commentariis Malachiæ Hieronym. Et Augustin. ad Sixtum. Cuius, reliquis prætermisissis, uerba audiamus in lib. de prædestin. & gra. capitu. 7. Vbi de hoc Rebecca conceptu ex vno concubitu latē differit. Verba sunt hæc inter alia. Sed hic quid egerit hæc Apostolica disputationis intentio satis admodum claret. Non solum enim fratres, sed & geminos, nec solum geminos, sed vno etiam concubitu fusos in uero comparauit, ut quoniam in nondum natis, nondumque aliquid operatis, nulla esse poterant momenta meritorū, nec ex parentum quidem meritis, quæ diuerso tempore uaria esse potuerunt, aliquid contra gratiā relinqueretur obstaculum. Hæc enim August. Debuissent ergo censores isti explorare citius, an aliqua esset mutatio in phrasibus Græca, quam sanctorum torrenti sese obiciere. Eo uel maxime quod lectio eorum nulli est Latinis recepta. Quid enim sensus præfert talis oratio, Cubile habens Isaac patris nostri. Et multo minus ad rem pertinet, Cubile habens ex vno Isaac patre nostro. Neque adeo haberi debet pro irrefragabili istorum regula, quod scriptura, quæ de Græca facta est Latina, sit ad amissim Græcæ lectionis corrigenda & collimanda. Nā potuit & Græca lapsu temporis etiam uitari, maxime cum per tot retro annos fuerit res Græca à Turcis labefactata. Adeo ut possent iam nonnullis in locis per translationem Latinam emendari. Ad rem igitur, si duas literulas Græcas permutates, tota lectio nostra constabit. Nempe si dicamus, ubi nunc Græcè habetur /κοιτην/ fuisse olim /κοιτην/ qui est genitiuus masculini generis, ablatiuo seruiens, idem significans quod /cubile/ & per figuram idem quod /co-cubitus/. Est ergo sic litera ordinanda. Non solum illa, scilicet Sara ex electione Dei peperit benedictionis prolem, sed & Rebecca ex vno concubitu Isaac patris nostri habens, id est, concipiens, nimirum peperit simili electione Iacob. Est enim Latina dictio /habere/ ex aliquo /pro/ concipere ex illo / Similitudo autem inter Rebecca & Sara patet, nam sicut Sara, sterilis fuit, ita & de Rebecca legitur Gene. 25. quod deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebecca: illa autem collidentibus in uero

ro paruulis, consuluit Dominum, qui respondens ait, duos populos ex uero eius produturos, sed quorum maior seruiturus esset minori. Et ideo hic Paul. exclusa ratione prosus diuersitatis meritorum ex parte parentum, eandem etiam præscindit ex parte puerorum dicens. [Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret.] Id est, ut liquid constaret, solum diuinum propositum fuisse in causa, non autem opus aliquod uel parentum, uel natorum [Non ex operibus.] Hoc est, non ob meritum operum. [Sed ex uocante.] Quod est, ex gratuito eius beneplacito dictum est ei, scilicet Rebecca, quia maior seruiet minori. Ecce primum testimonium secundi exempli, quod est hic tertium in ordine. In cuius confirmationem subiungit & quartum ex Malachia. Vbi conferens Deus cum Idumæis Israelitas, ait, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: cuius sensum paulo post explicabimus. At subire hic quempiam posset cogitatio, cum amor Dei erga nos, æternus sit, quidnam referebat in paruulis nondum natis exemplum statuere: si quidem & de adultis id pariter uerissimum est, quod antequam quicquam boni operemur dilecti sumus à Deo, per cuius dilectionem boni efficimur. Responsum est autem, quod uoluit Deus, interprete hinc Paulo, ad modum nostræ intelligentiæ arcana illa sua nobis pandere. Si enim exemplum in Cain & Abel, uerbi gratia, posuisset, aut in David, & Saul, aut in Nabuchodofor & Pharaone, cogitare quis forsitan posset, præuisa eorum diuersa merita in causa fuisse, ut alterum prædestinasset, alterum uerò reprobasset. In his autem, nullo libertatis usu pollentibus, rem oculatissime patefacit. Nempe quod cum ante eorum merita alter fuerit electus, alter uerò odio habitus, neque ulla fuerit facta præuisionis mentio meritorum, in hac, ceu tabella, perspectum nobis sit prædestinationis mysterium: scilicet quod neque meritorum momenta, neque eorum præuisionis fuerit causa huius diuersitatis, neque adeo in adultis & ratione utentibus hominibus, sed sola uoluntas diligētis & uocātis. Cui consonat illud ad Ephe. Elegit nos in CHRISTO ante mundi constitutionē, ut essemus sancti: id est, non ob præuisam sanctitatem nos elegit, sed electio fuit sanctitatis causa: ut quæ totius explicabimus. Tres ergo errores hoc uero uerbo repulsi sunt. Primus utique Manichæorū, qui diuersitatem ingeniorū

Malach. 2.

Dubitatio.

Ephe. 2.

Tres errores.



hominum, & eorum quæ illis contingunt constellationi natiuitatis transcribebant.

*Hier. 10.* Contra illud Hieremias. A signis cœli nolite metuere, quæ gentes timent. Secundus qui æquam Origenis circumfertur, Nempè quod ob merita animarum, quæ cum angelis simul creatæ extra corpora egissent, diuersitas in hominibus proueniret. Et tertius Pelagiano rum, quod ex præcedentibus meritis alii es sent dilecti, alii verò odio habiti. Contra Ma nichæos enim facit quod ait Paulus. Quum nondum nati fuissent / & contra secundum errorem, id quod addit / Neq; aliquid boni egissent aut mali. Sed contra Pelagium il lud subdit / Non ex operibus, sed ex vocâte.

*Maiores seruiet minori* Maiorem autem seruire minori duobus mo dis exponunt. Primò ad literam in propriis illorum personis, vel populis inde ortis. Nã licet Esau nunquam fuerit seruus Iacob, gēs tamen Idumæa, quæ genus erat Esau, serui uit nonnunquam Israelitis: secundum illud

*Psal. 59.* Psalmi, In Idumeam extendam calceamen tum meum. Et huc alludit oraculum Gene

*Gene. 25.* sis, Duo populi ex ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior serui et minori. Et Malachias, post illud supra ci

*Malach. 1.* tatum testimoniū, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, subsequitur, Et posui mōtes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dra cones deserti. Et rursus isti (scilicet Idumæi) ædificabunt, & ego destruam, & vocabun tur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsq; in æternum. Vel potest se cundo modo spiritualiter exponi in typo, vt maior populus intelligatur esse Iudæorū familia: quæ quidem, vt Apostolus paulò an te dixit, adoptionem primus accepit: iuxta illud Exodi, Primogenitus meus Israel: mi

*Exod. 4.* norem autem censeamus populum Genti um, qui fidem CHRISTI prius suscepit, & cui tanquam serui famulantur modò Iudæi, circumferentes scripturas, vnde Christiani le gitimos eruant sensus, quibus eos reuinciant. Circa hoc quidem verbū de libero Dei dis crimine inter Esau & Iacob enodanda est quæstio diuina, tam prædestinationis, quam reprobationis. Sed condecet prius subsequē tem textum exponere, vbi Paulus duas quæ stiones dissoluit, quæ plurimum ad rei euidē tiam conferunt.

**TERTIA PARS CA PITVLI** Quid ergo dicemus? Nunquid iniqui tas apud Deum? Absit. Moyse enim di cit, Miserebor cui misertus sum, & mise

ricordiam præstabo cui miserebor: igitur non volentis neq; currentis, sed mi serentis est Dei. Est igitur hæc tertia se ctio huius capituli, in qua Paul. obiectiones duas recutit ex proxima sententia emergen tes. Prima est, quod prædicta sententia vide tur æquissimum Deum iniquitatis arguere. Enimuerò cum Deus humanum genus ex ni hilo creauerit, sicuti omnium parens: qui qui dem quantum ad ea quæ ad naturam nostrā spectant, æquales nos condidit, nempè poten tiis & organis pariformiter præditos & or natos, iniquum prima fronte videtur, quod ita inter nos discriminauerit, vt absq; vllò no stro merito alios sempiternæ beatitudini de stinauerit, alios verò in perpetuum exilium.

Altera verò obiectio viceuersa est, quod vi detur ex eadem sententia consequens fieri, vt nulla sit in nobis iniquitas: quandoqui dem in nostra nō sit facultate voluntati Dei resistere. Interrogat ergo Paul. more suo id quod caro, diuinæ mentis ignara, obiectare ei posset. [Quid ergo dicemus?] Id est, quid ex superioribus colligamus. [Nunquid iniqui tas apud Deum?] Scilicet est. [Absit.] Famo liaris responsio est Pauli summa confiden tia freti. [Moyse enim dicit, Miserebor cui mi sertus sum, & misericordiam præstabo cui misere bor.] Cum sententia superior bimembris fue rit, scilicet quod Iacob gratis dilexerit, Esau autem odio habuerit, bipartitam quoq; sub dit defensionem Dei, vt vtroq; eum modo vendicet ab iniquitate. Vnde quantū ad gra tuitam dilectionem, inducit oraculum quod est Exod. 33. apprimè præsentis proposito cō gruens. Habetur enim illic sermo de impieta te populi, qui vitulum in Deum conflauerat. Cuius noxam cum Deum Moses depreca retur, respondit hæc verba, secundum transla tionem nostram, Miserebor cui voluero: & clemēs ero in quem mihi placuerit: quæ Apo stolus paulò hic differēter secundum septua ginta citat. Ac si dixisset, Remittere culpā & in gratiam meam quenquam euocare, nō est in meritis hominum positum, neq; vlla esse potest illius causa, nisi meum prorsus benepla citum. In Græco duo sunt distincta verba / ἐλεῶ / & ὀμιλεῖω / Ac si dicas / Misereor / & / commiseror / quorum prius internum desi gnat affectum alienæ miseria: posterius verò externum effectum ad eandē eleuandam. Et vtrobiq; copulatur præfens cum suo proprio futuro, scilicet, Miserebor cui misereor, & commiserabor cui commiseror. Sed inter

*Due quæ stiones.*

*Exod. 33*

pres

pres pro præsentis vertit præteritum / miser tus sum. Et vt lucidius in secundo membro exprimeret exteriorem effectum, vertit / Mi sericordiam præstabo. Nec est cur reprehē datur affectatæ copiæ, cum id fecerit expli cationis gratia. August. verò & nonnulli le gunt, Miserebor cui misertus fuero, & miseri cordiam præstabo cui præstitero. Atqui sunt qui futurum ad vocationem referant, præteri tum verò, ad prædestinationem: hoc est, mi serebor vocādo, cuius sum in prædestinatio ne misertus. At verò (nisi mea me fallit hallu cinatio) videtur mihi Paul. hac vsus verborū (vt sic dicam) identitate, vt significantissimè omnem prærumperet causam prædestinatio nis, præter vnam Dei voluntatem: quemad modum dialectici illius propositionis, quam appellant immediatam, nullam prorsus red dunt causam: Vt cur homo sit animal ratio nale, nulla est causa, nisi quia est animal ratio nale. Et in Metaphisicis Aristote. ridiculam existimat quæstionem, Cur homo est homo. Pari inquam modo si quæras, Cur Deus cu iuspiam præ aliis misereor, nulla est causa, nisi quia illius misereor. Seu, vt est in nostra translatione Exo. 33. quia illius vult misereri: & cur huic gratiam suam præstat, nulla est causa, nisi quia illi præstat, seu illi placet præ stare. Quanquam fortè interpres consultò vertit / Misericordiam præstabo cui misere bor, vt circulationē faceret ad primum ver bū, hoc modo, Miserebor cuius animo meo misertus sum, & illi auxilia misericordiæ in tempore præstabo, cuius secundum meum internum affectum miserebor. Vide ergo, q̄ fuerint commentitiæ omnes causæ prædesti nationis hoc vno verbo conuulsæ, quod scili cet nec natiuitatis sydera (vt Manichæi dice bant) neq; animarum merita extra corpora (vt in Origenis Periarcon legitur) neq; ope ra præcedentia (vt blasphemauit Pelag.) in causa sunt gratiæ Dei, sed sola eius voluntas. Imò neq; operum præuisio, quæ gratiam sub sequitur, seu bonus gratiæ vsus, aliās illa ad duxisset Paul. in causam, neq; dixisset ita nu dè / Miserebor, cui misereor. Sed de hoc pau lò post latius. Sed interim nota, quod non so lum diuinum elogium citauit, sed Mosen, cui illud responsum est. Nam si propheta tantæ authoritatis sic Deus præcisè respondit, non est cur nos aliam perscrutemur suæ miseri cordiæ rationem & causam. [Igitur non volē tis neq; currentis, sed miserentis est Dei.] Conclu dit vtiq; periodum. vt potē salutem nostram

*August.*

*Exod. 33.*

neq; volentis esse intrinsecus, neq; forinse cus operantis. Congruè autem appellat cur sum, exercitium operum. Vnde ad Corinth. Qui in stadio currunt omnes quidem currūt, & c. Est enim militia nostra, imago quædam currentium ad brauium. Potest autem con clusio hæc vel ad meritum referri nostrum, vel ad nostram facultatē. Primo scilicet mo do contra Pelagium, quod salus nostra no stris meritis nō debetur, neq; animi, neq; cor poris: iuxta illud. Ne dicas in corde tuo, pro pter iustitiam meā introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem. Sed tamen ad rem aptius exponitur de nostra operandi fa cultate: quod scilicet rectè velle aut operari, non est in facultate volentis posita, aut ope rantis, sed in diuina gratia & beneplacito.

Secundum illud, Deus est qui operatur in vo bis & velle & perficere. Et alibi, Nō sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Nemini autem censeatur hoc loco Paul. omnem nobis concursum adimere in nostra iustificatiōe, cum se res aliter habeat. Nam sicuti nos absq; Dei appulsu nihil pos sumus, ita neq; sine nostra assensione salutē nostram operaretur ipse in adultis. Sed caue in contrarium extremum relabaris, vt exiliti mes hoc tantum velle, quod non est solius hoīs volentis neq; currētis, sed simul Dei mi serētis. Tūc enim pari ratione, versa oratiōe, diceres, quod nō est solius Dei miserētis, sed hoīs quoq; simul volētis. Quæ blasphemiam retundit Augu. lib. 2. de bo. perseuer. his ver bis, Viuimus rectè, si totū Deo demus, nō illi ex parte, & nobis ex parte. Et in Enchirid. ca. 31. Si propterea, inquit, dictū est, Nō est vo lentis neq; currētis, sed Dei miserētis, quia ex vtroq; fit, id est, ex voluntate hoīs & miseri cordia Dei, cur non & e contrario rectè dici tur, non miserētis est Dei, sed volētis est hoīs?

Quia id misericordiæ Dei sola non implet. Quod tamen nullus Christianus dicere aude ret. Hæc ille. Has veruntamen ambiguitates pro captu nostro expediuimus lib. 1. de na. & gra. Vbi certos ordines diuinarū operationū discreuimus. Sunt enim quidā actus erga nos Dei, quos sine nobis agit: vt prædestinatio, vocatio, admonitio, & c. De quib; hic propriè loqui videtur Paul. sub figura nondū natorū Esau & Iacob. Quo ideo sensu absolutè ve rum est, nullatenus esse volentis neq; curren tis, sed omnino miserentis Dei, vt pote eligen tis alios, alios verò reprobantis. Aliæ verò sunt diuinæ motiones ita nos præuenientes,

*1. Cor. 9. Militia nostra.*

*Deut. 9.*

*Phil. 2. 2. Cor. 3.*

*Dubitatio.*

*August.*

*Lib. 1. de na tu. & grat. cap. 16.*

vt noster requiratur assensus, sicuti conuersio, ad quam adulti mouentur fide, spe, & charitate, de quibus nihilominus motionibus ita dicere debemus, non esse volentis neque currentis, vt minimè liceat conuersim dicere, non esse solius Dei miserentis. Nam quum Deus non solum nobiscum operetur, sed sit causa quæ nos mouet ad agendum, illi tota debetur actio, veluti principali agenti. Non enim dicimus, Instrumentum ædificat, sed per instrumentum artifex. Nihil autem veritat, quò minus dicamus cum eodem August. Qui creauit nos sine nobis, non saluabit nos sine nobis. Neque obstat, quin hominis iam iustificati voluntati, & operi debeat præmiū tanquam merito nostro, quod est donum Dei. Tametsi & ille meritorū prouentus Deo sit quoque adscribendus. Quoniam neque qui plantat est aliquid, neque qui regat, sed qui incrementum dat Deus. At forsitan scisciteris, quomodo hic Paul. Deū defendit ab iniquitate, quia id non videtur clarè constituisse. Imò profectò id satis lucidè respondet. Nam si non ex debito, sed ex mera voluntate gratiam suam dispensat, & vbi non est debitum, sicuti nulla interuenit iniustitia, ita neque accedere potest iniquitas, nulla prædestinanti Deo potest impingi. Sed de hoc statim fusius.

Dicit enim scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cui vult miseretur, & quæ vult indurat. Transit ad alterum membrum, quod ad probationem pertinet, vt ostendat, neque illic vllam subesse iniustitiam. Nam cum nemini fuerit Deus hominū debitor, antequam quicquam per suam gratiam operetur, sit, vt sicuti mera eius est beneuolentia & liberalitas quorundam misereri, ita neque vlla est iniquitas, si alios permittat voluntati suæ prauæ, quod hic appellat, indurare. Accersit autem testimonium Exodi de Pharaone, cui dixit Deus. Idem enim pollet, dicit scriptura, quod, dicit Deus per scripturam, seu, referente scriptura. Meminit verò Paulus scripturæ, vt significaret, non tantum dictum esse Pharaoni, vt illis tunc temporis præsentibus splenderet gloria Dei, sed vt absentibus etiam nobis per scripturam promicaret. Vnde duæ sunt partes diuini huius elogii, videlicet, In hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam (nimirum quantum ad præsen-

tes) & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra, videlicet quantum ad absentes. Litera quidem nostra in Exodo sic habet, In hoc ipsum posui te. Et (vt notauit Ambr.) secundum aliam literam, seruauit te. Sed eundem omnes exhibent sensum. Est enim animaduertendum, sententiam hanc fuisse prolatam à Deo post facta illa stupenda signa, postque terrificas quatuor plagas, ranarum videlicet, scyniphum, muscarum & hulerum, brutas animantes perimentium: quibus potentis commoueri debuisset Pharaon, vt Deo obsecundaret, atque ideo dignus erat, vt per eius iustitiam absumptus iam fuisset propter inobedientiā. Ob idque vbi iam iam percutere minaretur populū ipsum cū rege, ait, In hoc te hucusque seruauit, & si fueris tanta rebellione grauissimam commeritus mortem, seu, quasi à mortuis excitauit, seu, posui in exemplum, vt iam nunc ostendam, tum quanta sit hominum durities mihi renitentium, tum quæ sit mea in eos expauescenda potestas. Igitur cui vult miseretur, & quem vult indurat. Peroratio est præfata defensionis. Obiecerat enim, Nunquid iniquitas est apud Deum, & insinuanter concludit negationem, quam tu ita colligas, Si nulla est in hominibus ratio debiti, respectu diuinæ gratiæ, sed sola eius est clementia quorumpiam misereri, sit, vt neque vlla sit iniquitas, si aliis non impendat, quod naturæ ipsorum non debetur: quum scilicet gratia & gloria res sint supernaturales. Hunc autem locum prolixè tractauimus lib. primo de natu. & grat. aduersus Lutheros. Quorum inter cætera dogmata absurdissimum & communi sensui repugantissimum est, quod Deus non solum directè inclinatur homines ad malum, verum cogit, compellitque. Vbi inauditas eorum assertiones (vt peiori verbo abstineam) recitauimus. Videlicet, quod non est in potestate nostra malas vias facere, sed mala opera in impiis solò Deo operatur. Et quod sit Dei propriū opus, non minus proditio Iudæ, quæ vocatio Pauli & quod sit Deus efficax causa nostræ indurationis, nostrique traditionis desideria mala. Alias Deus inquit, non esset Deus: quoniā non esset potens facere, quicquid vellet, aliaque id genus, quibus non solum liberum nobis arbitrium eripiunt, verum nefanda adscribunt Deo. At quia amplam illic habuimus de hac re disputationem, quam & supra cap. super illud, Tradidit eos Deus, & c. summam perstrinximus, nihil aliud nunc, quam tædium

Notandū.

Lib. 1. de natu. &amp; grat. ca. 17. &amp; 18.

commo-

commoueremus eius repetita iam repetitione. Idem ergo pollet hic indurare (vt illic aupertissimis testimoniis & rationibus comonstrauimus) quod, permittere hominem, suam insequi naturalem inclinationem, qui abusus misericordia Dei, magis ac magis recrudescit: iuxta illud Pauli, Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autè duritiam tuam & impoentens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Et illud Iob. Dedit ei Deus locum poenitentiae, & ille abutitur eo in superbia: Deus autè vtitur mala inclinatione naturali hominis, tum ad alios bonos fines, tum etiam ad manifestandam iustitiam suam & potentiam, vt author est hic Paul. Vnde Orige. Vide, inquit, quia non dixit, Ad hoc ipsum te feci, alioquin ad conditorè referri videretur culpa: sed ait, Ad hoc ipsum te suscitauit: hoc est, vt per animi tui malitiam, quam tibi infrunitè & sine Dei timore viuendo quæstisti, & in alios irrogetur utilis & fructuosa correctio, & in te ipsum ad posteritatis exemplum famosissimum cõferatur. interitus. Multa alia in hanc sententiam super addit.

Iob. 24.

Orig.

Dicis itaque mihi, Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis resistit?

Cum quæstionè priorem expediueris, videlicet, cum à Deo iniquitatem omnem propulsauerit, gressum facit ad quæstionem secundam. [Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur?] Quidam & in hoc sensu locū hunc glossant, vt quæritur / id est sit quod / interrogat / à verbo / quæro / hoc est, cum tam proborū, quam reproborū nulla sit causa præter vnam Dei voluntatem, quid præter hanc alia quæritur. At nulla potest ratione consistere interpretatio hæc, neque cum præcedenti verbo / Dicis itaque mihi / quod est verbum cuiuspiam redarguentis Apostolum, neque cum subsequenti / Voluntati eius quis resistit? / Præterquam quod verbum græcum non id quod / quæro / significat, sed idè quod / conqueritur / seu reprehendit, seu accusat, vel culpat. Est ergo hic verbum / quæro / actiue significatiōis, vt subintelligatur / Deus. Itaque quæstio secunda est quæ à reprobatis proponitur, veluti ab Esay & Pharaone. Esto Paule Deum ab iniquitate tutatus fueris, propterea quod citra debitum cui vult miseretur, & quem vult indurat, saltem hac tua postrema sententia, & nos quoque protegis excusasque ab iniquitate. Neque est cur Deus conqueratur de nobis. Nā

si tales nos ipse fecit, cuius potestati nemo potest resistere, & vbi nulla est libertas, nulla subesse potest culpa, nulla sumus reprehensione digni, magis quam cœli rerumque naturalium vniuersitas, in quibus necesse est id peragi quod de illis Deus statuerit. Atqui relatiuum / eius / vbi ait / Voluntati eius quis resistit / edocet verbo / conqueritur / Deum subiecti, quem relatiuum refert: aliàs dixisset / Dei.

O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Eneruat ac dissoluit quæstionem per aliam interrogationem, qua obturare contendit eorum ora, qui ita insaniunt. Atqui verbum græcum non est simplex / respondeas / sed / compositum / contra, seu ex aduerso respondeas / hoc est, contradicis & aduersarius es. Id quod & Chry. adnotauit. Et Orige. distinguit inter fidelem seruum, qui volens intelligere ea, quæ decet, Deum interrogat, sicuti vir desideriorū Daniel, & eum qui causa disceptandi cum Deo submurmurat aduersus ipsum: ille enim dum quærit, inuenit, iuxta diuinum promissum, hic autem (quem subnotat hic Pau.) increpatione potius dignus est, quam responsione. Igitur vt ad interpretem reuertamur / respondeas / dixit, pro eo quod est / respondere / id est, obmurmurare: vnde respondatores famuli dicuntur, qui contra dominorum iussa, sua remittunt responsa. [Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?] Græcè non est pronomem / se / sed merito adiectum est elucidationis gratia. Attamen verba hæc non tam diluendæ præsentis quæstioni congruere videntur, quam superioris responsum confirmare. Qua verò ratione ad huius quoque solutionem pertineat, dicemus protinus. Igitur quoniam inde iudicari Deus poterat à filiis huius seculi non esse custos æquitatis, quod cum pater esset omnium per creationem, alios destinasset ad regnum, alios ad exilium, respondet Paul. per aliam similitudinē sumptam ab arte figulina. Illic enim cum ante operationem artificis massa illa lutea vna sit prorsus, eademque informis, atque eiusdem penitus qualitatis, tota ratio diuersarum formarum in opere resoluitur in ingenium arbitriumque artificis, qui pro libito suo aliud vas facit honorificum, aliud verò inhonorū. Ob idque nullum

Chrysoft. Orig.

Luc. 11.

R 5 eorum

1. Cor. 3. Dubitatio.

Exod. 9.

eorum conqueri de artifice potest, cur id tale finxerit: existeret enim in promptu ab illo responso, quia nihil in te meriti fuerat, ob quod te aliter efformare debuisses. Et hoc est quod subdit Apostolus, [An non habet potestatem figulus luti.] Hoc est, plenum ius & arbitrium: nam id possumus, quod iure possumus. [Ex eadem massa.] Hoc est, nullam in se habente meritorum discrepantiam. [Facere aliud quidem vas in honorem, aliud uero in contumeliam.] Quidam tanquam venustius sit pulchriusque schema, vertunt aliud quidem vas in decus, aliud uero in dedecus. Interpretis uero maluit proprietatem seruire latini sermonis, quam affectare venustatem: atqui, decus & dedecus ad honorem & inhonorem attinent, quæ ex rebus gestis comparantur, id quod rei presentis, in nondum natis, minime quadrabat: honor uero & contumelia, etiam ubi nihil præcessit meritorum, locum habet, transferturque ad vasorum usum. At uero quod lucidius pateat similitudo, non est referenda ad creationem hominum ex nihilo: nam quanuis & respectu talis creationis simus Deo, ut lutum in manu figuli, ut habetur Iere. 18. nempe, ut possit nos dissipare, sicut uasa figulus. Attamen in naturalibus omnes Deus plasmavit æquales: sed contemplanda est hic natura iam creata, quæ nullum ius habet ad gratiam, eò quod gratia & gloria supernaturalia sunt beneficia Dei. Hic itaque luceat exemplum: nam sicuti in massa luti nihil est, cur ex hac particula hoc figulus informet vasculum, & ex alia diuersum, præter solam eius voluntatem, ita neque in mera natura nostra, cur hunc approbet, illum uero reprobet, nihil existit. Quin uero si naturam tam angelicam, quam nostram in sua prima uel creatione meditemur, perspicacius erit exemplum. Destinavit enim Deus ab æterno totam angelicam naturam totamque humanam, nisi per primos parentes stetit, in gratia creare, quod semel est gloriæ: tales enim creauit tam angelos, quam primos parentes, talesque omnes posteros contulisset. Vbi ergo parentum culpa inde sumus filii deiectionis, iam generatio nostra non in puris naturalibus, sed tanquam infectum lutum considerandum est, et a diuina gratia reiectum. Quocirca si quos uult, in eandem gratiam restituit, eosdemque ad gloriam perducit, alios uero in sua culpa relinquit, non est cur isti conquerantur, potius quam uilis massa, cur non in uas decorum elaboratur. Si enim purissimum aurum in turpe conficitur, haberet forsitan unde posset conqueri.

Elucidatio  
similitudinis.

Iere. 18.

Quod autem vile lutum non efformetur in regiam phialam, nulla apparet iniuriæ ratio. Vnde postquam propheta deplaxit, quemadmodum inquinatus esset populus, uti panus mestruate, tunc subdit, Et nunc domine pater noster es tu, nos uero lutum, & fictor noster es tu, &c. Quæ ergo de causa, et si Apostolus hic, ubi agit de natura nostra dum informis est, & carere naturali dono, totam comparat massam lutæ, tamen ubi ad Timotheum de eadem loquitur, post prædestinationem & uocationem considerata, diuersitatem uasorum commemorat, In magna enim, inquit, domo non solum uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. Sed restat hic tam grauius dubium, quod Paulus non solum consulto nihil ad præsentem questionem respondet, uerum astute (si fas esset de Pauli sic fari) uidetur ad superioris responsum diuertere et subterfugere. Etenim, ut in suo persistamus exemplo, licet uas in dedecus effectum, non posset figulum postulare & accusare de iniquitate, quod tale id finxisset, cui nihil debebat: tamen si figulus increparet figuram et uilitatem uasis, merito potuisset seipsum excusare, imò culpam in artificem respergere, cui libitum fuit, ita illud plasmare. Pari modo sensualis ac reprobis homo posset dicere Deo, Esto nihil in te sit iniquitatis, quod me ita contuleris, tam enim non est, cur me infimiles, ac uisuperes, quod ego talis sim, qualis tu me fecisti. Debuisset ergo Paulus ad hoc secundum respondere, & non elabi & refugere ad primum. Bone Deus, quanta hic comminiscuntur isti Lutherani absurda & prorsus inopinabilia. Audi inter alios Bucerum hoc loco, ubi contendit obduratos homines ac reprobos, auctore Deo, imò cogente Deo, patrare mala, et nihil minus peccare. Quod licet nobis, inquit, non sit intelligibile, est nihil minus uerissimum, ob idque Paulus ait, nescisse quid responderet. Audi ergo Lutheranus istum, quoniam sensu legit hoc uerbum / uoluntati eius quis resistit? Uoluntati dei uolentis Pharaonem, aut quemuis alium scelestum peccare, quis resistit? quasi dicat, necessarium est ut peccet, ut ad id compulsum. Quocirca Deus ita, inquit, Pharaonem indurauit, ut uoluerit ne iussui suo obtemperaret: imò Deus ipse fecit, ut nequam ille ei repugnaret: atque adeo dum non obtemperabat, faciebat id quod uolebat Deus, eum facere. Imò uero neque permittere Pharaonem potuit exire populum, Deo sic disponente. Neque id de reprobo tantum Pharaone ausus est adstruere, sed & de Dauide idem pergit confirmare: scilicet quod

Esa. 44.

2. Tim. 2.

Dubitatio.

Lutheranus.

quod Deus immisit in cor eius, ut recenseret populum, quem ideo necessario numerauit, alias Deus fuisset, inquit, frustratus in opere suo. Et nihilo minus tam Pharaonem quam Dauid grauius peccauerunt. Quod si hanc inhærentiam culpæ in opere necessario intelligere nequimus, nihil inquit, miremur, dicente Paulo, O homo tu quis es? credere nihil minus incunctanter tenemur. Vide istorum portenta, & considera, ut non eis desint patulæ aures, in quastalia euomant. Nam, ut complura que capitulis nuper citatis lib. 1. de natura & gratia aduersus hæc monstra coniecimus, interim præmittam, equis cogitare ualeat, ut cum Deus per Mosen Pharaonem tam instanter imperitaret dimittere populum, non id intendere, quod præcepto exprimebat: esset enim tunc præceptio illa fictitia, quæ Deum non decet. Iam si Deus uolebat, ut Pharaonem obtemperaret, tunc non obtemperans præcepto Dei, obtemperasset nihil minus eius uoluntati, atque adeo peccatis non peccasset, quod est contradictio. Ad hæc, si in eius potestate non erat populum dimittere, cogente Deo, obstanteque ut non dimitteret, tunc præterquam quod non peccabat, respondeant isti nobis, ad quid Deus præcipiebat, ut dimitteret? Aium, ut Deus manifestam faceret potentiam suam. Sed profecto in promptu est manifestum inconueniens. Ita enim condecebat Deum ostendere suam uirtutem & potentiam, ut non posset redargui iniquitatis, sed laudaretur de summa iustitia: at dominus, qui seruum prius cathenis colligaret, moxque incedere iuberet, & quia iussa non faceret, flagellis usque ad necem verberaret, non posset non iniquissimus haberi. Virtus ergo Dei in Pharaone ex eo fuit commendatissima, quod summa erat iustitia exterminare hominem usque adeo renitentem, non solum iussui, sed uoluntati eius & intentioni, cum obedire potuisset. Quin uero, si non erat intentio Dei, Pharaonem emollire ut pareret, ad quid ita sensim & per gradus adhibebat flagella, dum eius iussa retinebat, remittebatque quoties obediebat, promittens dimittere populum. Quinimò, ut optime adnotauit Origenes, adeo erat propositum Dei obduratum illum nequam emollire, ut quadantenus emolliuerit, cum semel scilicet atque iterum confessus peccatum suum, ire eos sinebat in desertum iter trium dierum. Sed indurabat rursus, inquit eum Deus, dum largitate suæ misericordiæ indulgebat ei, permitiendo sequi suam pessimam inclinationem,

Orig.

ut ait Paulus. Tu autem secundum duritiam tuam, &c. Et hoc ipsum est, quod Augustinus in de gratia & libere arbitrii, cap. 21. significat, ubi ait, Deum quosdam inclinare ad mala pro suis meritis. Nam quod non solum non cogat, ut isti uolunt, uerum neque directe inclinet, expressè ipse docet in lib. de prædest. & gratia, cap. 4. his uerbis, Si pietas de Deo, sicut expedit, sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperimus. Et cap. 15. Inter Nabuchodonosor & Pharaonem nihil aliud discriminis dignoscit, quam quod cum ambo flagellis clementer fuissent admoniti, alter manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam ueritatem pugnavit arbitrio. Quocirca in libro ad Simplicianum discretè adnotauit, quod non sicut dictum est, non uolentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ita etiam dictum est, Non uolentis neque currentis, sed obdurantis est Dei. Quod si istorum uelantiam adhuc refricare lubet, nunquid non reprobi iussa Dei legitime faciunt, quorum ideo opera sunt ei accepta? Quis dubitet? Tunc ergo intentio eius est, ut illi, quanuis reprobi, eius obsecundent uoluntati: ergo quando obedire renuunt, eandem habuit Deus intentionem, cui planè resistunt. Ad hæc, cum prædestinatis aliquid Deus iubet quod non faciunt, nonne intentione præipientis nihil minus fuit, ut facerent? Quæ ergo apparentia est, ut non sit idem ei propositum in reprobis. In summa, si aliquos Deus ita reprobos, ut eosdem ad malum cogat, neque salutem eorum cupiat, neque uelit ut sibi obtemperent, tunc non erit uerum, quod Deus uult omnes homines saluos fieri, neque uniuersis diceret, Couertimini ad me. Et, Venite ad me omnes. Neque de uniuersis iniquis adeo per prophetas & apostolos in utroque testamento conquereretur, quod iussa sua excutiunt negligantque redire ad cor. Igitur cum nos Iacobus palam doceat, Deum intentorem malorum esse, constitutissimum nobis sit theologorum axioma, quod Deo auctore nemo sit deterior, quanto minus Deo coactore & compulso. Quocirca licet sacris elogiis doceamur, Deum quosdam excæcasse & indurasse, haud tamen usquam legitur, quod Deus uoluerit, uel intenderit eorum peccatum. Nam cum peccatum nihil aliud sit, quam dictum uel factum, uel cogitatum contra legem Dei, quæ regula est æternæ mentis diuinæ, tanta est repugnancia, Deum uelle peccatum, quanto ipsum uelle aliquid contra suam ipsius uoluntatem.

Aug.

Iaco. 2.



luntatem & regulam. At his & pluribus dimissis, quæ locis citatis aduersus Lutheranos de hac re cumulauimus, reuertamur ad secundam questionem Pauli, cur scilicet Deus conqueritur de iniquis, quos ab æterno ipse reprobauit. Porro autem legitima responsio est ad Paulum, inde esse laudabiles qui bene agunt, & culpabiles iniquos, nempe omnes delinquentes, siue reprobi sint, siue prædestinati, quod neque prædestinatio neque reprobatio necessitatem nobis imponit, neque tollit libertatem. Nam ubi nulla est libertas, nulla profectò, ut sæpenumero diximus, excogitari potest ratio vel meriti, vel culpæ. Et, ut existimo, ideo Pau. hoc tacitus præterit responsum, quia non dubitauit, compertissimū esse omnibus naturali lumine. Tamen si neque illud omnino subtrahit: quin verò in proximo statim textu illud nobis suggerit. At quia libertas arbitrii sine speciali auxilio Dei nihil potest boni agere, quod sit vitæ æternæ meritorium, reuersus prius est per metaphoram figuli ad priorem questionem, cur alios iuuat, alios verò minime. De qua quidem re hoc cum primis considerandū est in præsentiarum, quod licet prima causa, cur illos adiuuet, sit eius voluntas, tamen quod alios deserat, causa est voluntas eorum propria: iuxta illud Osee, Perditio, tua Israel: tantum ex me auxilium tuum. Documentum enim hoc altissima mente obseruandum est in hac materia: in hoc siquidem puncto, solutio posterioris huius questionis consistit: nempe quod propterea reprobis accusandis venit coram Deo, quod liberè delinquit, perque eū stat, quò minus ipsi opem Deus ferat, scilicet quia non auscultat eius monitis, neque assentis inspirati & auxilianti. Quæ quidem solutio ex subiunctis verbis Pauli liquidò colligitur.

Quod si Deus volēs ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Concludit utique Pau. ut sibi mos est, questionum solutionem. At verò trunca tibi & manca videatur oratio & pendula, aliter utique appetens membri. Est enim conditionale antecedens absque consequenti. Quamobrem nonnulli non transferunt. Quod si, sed assertiuè. Siquidem volēs Deus &c. Attamē licet patētior fuisset tunc sententia & facilius, non tamē seruata fuisset

fides interpretationis. Nam & græcè oratio ipsa Paulina habet schema hoc mutilum: id quod Orig. etiam græcus adnotauit. Quocirca ut lib. 1. ad Simplic. ait Aug. Ex superioribus desumendū est membrum, ad quod hoc referatur, hoc pacto, Quod si Deus volēs ostendere irā, &c. sustinuit vasa iræ, &c. quis es tu o homo qui respondeas Deo, seu, nūquid potēs esse figulus, &c. Vel supplendū, cur tu iniquitatē impingas Deo? Atqui etsi persistere videatur Paul. in sola priori questione terminanda, quod quidem facit prius quantum ad reprobos, & posterius quantum ad prædestinatos, subdit tamen aperta verba, per quæ & secunda etiam questio dilucidatur. [Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam.] Ecce bimbrem finem Dei & propositum in reprobandis hominibus, inque eorum malis perferendis, scilicet primum vasa ostendat iram, hoc est, iustitiam vindicatiuā, quæ speciem habet irati iudicis. In Deo enim (ut super illud Reuelatur ira Dei/ adnotauimus) nec passio est vlla, nec passionis imago, sed tamē effectus vlticis iustitiæ similes sunt effectibus iræ nostræ. Sed nō ait, ut exercent iram, ne videretur Deum ira depingere, qui irasci cuperet, sed ut ostenderet, hoc est, pate faceret suam iustitiam. Finis namque Dei extra operantis, manifestatio est sue bonitatis, aliarumque eius perfectionum. Bonitatis autē duplex est ratio, nimirum iustitia & misericordia: quarum ut primam ostenderet, reprobauit quosdam, alios verò prædestinauit, ut patefaceret misericordiā. At non solum, inquit, volens ostendere iram, sed adiecit secundò. Et notam facere potentiam suam. Nam etsi in operibus misericordiæ, ut in creatione mundi, & in redemptione, latè pateat eius potentia, ait tamen, notam Deum potissimum facere suam potentiam in malorum punitiōe, ob id, quod eadem potentia videtur occultari, dum eosdem tolerat in hac vita. Cum enim conscelerati & impii tam nefandis facinoribus Deum irrident, qui altissimo id silentio dissimulat, cogitare possent filii huius seculi, causam dissimulationis esse, quod non est in eo potentia, qua se possit vlcisci. Hanc ergo potentiam notissimam Deus faciet in die iræ, ubi eosdem, veluti fauillam efflabit in ignem æternum. Nam licet in hac vita nonnunquā etiam animaduertat in malos diuersis flagellis, id tamen fit perquam raro: neque semper apertè constat, vindictam esse Dei, nisi rarissimè, ut in inundatione orbis, & in Sodomo-

rum

Discrimen  
inter præ-  
dest. & re-  
pro.

rum exustione, & huius generis quibusdam. [Sustinuit in multa patientia vasa iræ.] Speculare hic attentè lector discrimen inter prædestinationem & reprobationem, quod est primum respectu finis: finis enim reprobationis est, ostensio iræ, prædestinationis verò, ostensio misericordiæ. Quapropter et vsus est quosque diuersus: nam utitur Deus ira in alteros, erga alteros verò, misericordia. Sed est tertio discrepantia ex parte preparationis Dei. Quos enim prædestinat, eosdem & præparat ad finem, nempe vocando, iuuando, & per bona opera promouendo: quos verò reprobatur, non item præparat ad damnationem. Nam opera mala ob quæ damnantur, sua ipsorum sunt propria. Et ideo nō ait hic, quod volens ostendere iram, voluit reprobos facere vasa iræ, & aptare in interitum: imò ut ostenderet illorum opera adeo esse proprii ipsorum arbitrii, ut sint contra suam ipsius Dei voluntatem, ait/ Sustinuit. Et alludit ad Pharaonē, in quo omnes pertinaces cumulantesque peccata peccatis subnotat. Quos Deus non protinus de medio tollit, sed sustinet procastinando vindictam. Et quantum ad ipsum qui dem spectat, ut sua benignitate (iuxta verbū Pauli cap. 2.) & longanimitate ad poenitentiam adducat, sed durities eorum est in causa, ut per accidens Deus velit in ipsis ostendere cumulatiuam iram suam. Quos ideo vocat/ vasa iræ/ sicuti contraria ratione dicitur, vasa electionis. Perseuerat enim in exemplo figuli, ut quos appellauerat vasa contumeliæ, cognominet nunc vasa iræ: id est, qui se capaces fecerunt, qui replerentur ira Dei. [Apta in interitum.] Hoc est, non quod eos Deus aptauerit, sed quod inuenit illos per se ipsos aptatos. Huc ergo si Lutherani liberius oculatiūque inspicerent, planè agnoscerēt, quam Deus neminem vult delinquere contra præceptiones suas, ut commentabantur superius in verbo/ Voluntati eius/ Quocirca neminem excæcat aut indurat, nisi eundē sustinendo in multa patientia. Atqui hisce verbis soluit Paul. secundam questionem. Quid adhuc queritur? Queritur enim Deus, eò quod non ipse est causa nostrorum criminum, sed nostra voluntas, quam ipse in multa patientia sustinet. [Ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.] Perspice diuersum finem, vsus & preparationem prædestinatorum. Finis enim est/ ut ostenderet diuitias gloriæ suæ/ vsus autē/ in vasa misericordiæ/ hoc est, implēdo illos misericordia: quos

Lutherani.

supra appellauit/ vasa honoris. Sed quantum ad preparationem, cum de reprobis præmiserit, quod sustinuit eos ut vasa aptata in interitum, de prædestinatis subnectit, quod ipse præparauit eos in gloriam. Ambros. autem quauis ait hic, quod Deus, sicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam, sanè audiendus est: non quod Deus sit causa reprobis suorum scelerum, sed quod eos destinauerit in interitum ob sua delicta. Conclude ergo pendulam orationem, ut diximus/ Quod si volens Deus sustinuit, &c. Tu quis es o homo qui respondeas Deo?

Verumenimverò cū inter exponēdū ne quiuerimus cōmodè grauiora discutere, non possumus non tantisper digredi, quò illa dilucidemus. Consistunt hæc autē in tribus punctis. Primum circa illa verba, Cum nondum nati fuissent, &c. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori. Et, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, dubitatio est, utrum vera sententia, indubitataque sit, quam hic Pau. constabilire videtur. Nempe quod sine aliquo meritorum respectu quosdam Deus ab æterno prædestinauerit, alios verò reprobauerit. Alia duo puncta sunt quæ in duabus subiunctis questionibus attigit Pau. videlicet, an vel Deus ab iniquitate excusetur, vel homo à culpa. Haud tamen est animus, omnia scholastica huc euocare, sed ea prorsus quæ pro ratione horum temporum arbitror necessaria. Prodierunt namque multi sub hoc ætate, non modò ab hæreticis, verum & à nobis, noua quædam euulgantes de hac re, quæ sunt animaduersione digna. Exordiar ab iis igitur, quæ vsque ad hæc tempora constitutissima fuere semper, ac receptissima inter theologos, ut per illa, neotericorum commenta examinentur. Et primum omnium, ut à significato verbi/ prædestinatio/ initium petamus, illud iam & cap. 1. & cap. item. 8. aperuimus. Est enim prædestinatio pars quædam subiectiua, & species prouidentia. Nam cum prouidentia ordinatio quædam generalis sit rerum æterna in suos ipsarum fines, siue naturalis finis sit, siue supernaturalis, prædestinatio (ut in vsu est inter sacrorum mistas) est particularis destinatio rationalis creaturæ in suum supremum finem, ad quem supra naturam suam ductu & fauore Dei perducitur. Reprobatio verò est æterna quoque voluntas Dei permittendi quosdam per suum liberum arbitrium aberrare ab illo vltimo fine. Vnde prædestinationis finis ( ut hic edocet Paul.) est

Ambros.

Digressio  
de præde-  
stinatione

Tria puncta.

Prædesti-  
natio, quid  
sit.

Prædesti-  
natio nil  
ponit in no-  
bis.

est ostensio gloriæ & misericordiæ Dei: reprobationis verò manifestatio iustitiæ ipsius & patientiæ. Quarum neutra quicquid ponit in homine, sed tantum in Deo: licet executio prædestinationis, ut iustificatio & glorificatio, aliquid ponat in prædestinatis. Et ut interim de reprobatione sileamus, quantum ad prædestinationem attinet, hoc semper rem hanc fecit dubiam: nepe quod si Deus pro suo beneplacito absque ullo meritorum momento quosdam peculiariter prædestinaret præ aliis, appareret tunc Deus personarum respector: & præterea quod non videtur stare posse libertas arbitrii vna cum tali prædestinatione, ut quæstionibus subsequētib; disputabimus. Prima ergo quæstio est, an Deus ab æterno quosdam gratis, hoc est, absque operibus, ut causa, præuisis, prædestinauerit, aliis prætermisissis, de quorum reprobatione posthabebitur sermo. Circa hanc quæstionem (ne alius, quàm pro commentariorum ratione disputationē repetamus) post definitionē Ecclesiæ aduersus Pelagium, diffiteri nequit, qui fidem catholicam confitetur, prædestinatos fuisse iustos absque operibus, saltē præcedentibus gratiam: hoc est, absque eo, quod præuisa illa opera, vera causa extiterint. Est enim in homine duo genera operum considerare, scilicet gratiam præcedentium, & gratiam consequentium. Quamobrem miror quosdam, quendam præsertim interpretem Chrysostomi, iam supra cap. 1. à nobis subnotatum, qui continenter per sua hæc scholia in hac hæret sententia, inquam et Chrysostomum cogere pertendit, quod nulla sit prædestinatio, tali modo, quo eam scholastici constituant, scilicet absque operum præuisione & causa: quin verò præuisa bona opera fuerint, inquit, prædestinationis causa. Et quia video opinionem hanc sensim irreperere nunc temporis in quorundam animos, molior ostendere, quod si de operibus præcedentibus gratiā intelligatur, vel de dispositionibus ipsis & assensu nostro, qui necessarius est in adultis cum auxilio Dei ad iustificationē (in quo iste sensu palam illam defendit) Pelagianus error sit manifestarius, ut cap. 1. & 8. dicebamus. Et primum supponamus publicam Christianorum confessionē, nimirum quod diuino conspectui in sua ipsius æternitate præsentibus fuerint & præuisis creaturæ oēs rationales cum suis operibus: cognitio etenim illius, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, nihil pendet ex tempore, cum in sua æternitate nulla sit successio, sed oia uti præsentia cõtue-

Contra Benedictinū  
quendam patrem, alius  
catholicum

Primum sup-  
positum.

tur. Præteritum namque & futurum differētię sunt temporis nostri. Neque vnquam quicquam, vel nouit, quod non ab æterno nouerit, vel voluit, quod non semper voluerit: esset quippe aliās naturæ mutabilis: cum tamē de se ipse enūciat, Ego Deus, & non mutor. At quia diximus, præuisas illi fuisse creaturas, non solum intelligimus, visas antequam sint, sed visas etiā, antequam ordinarentur in suos fines: visione autē simplicis intelligentiā, ut cap. superiori exponēbamus. Vidit, inquam, Deus hoīes & eorum finem atque opera, antequam eosdē ordinaret in talem finem, ad quem præuisa eius gratia venturi erāt per talia opera: sed tamen cognitio enunciatiua qua iudicat, cōsecuturos nos esse tales fines, non præsupponitur prædestinationi, sed effectus illius est. Etenim, si verum est, quod cap. superiori dicebamus, prius natura videt personam, post iudicat, bonum esse ad talem finem perducere, & post ideo eisdē ad eundem finem prædestinat, iuxta verbum Pauli, Quos præsciuit & prædestinavit. Post tandem iudicat obtenturas fore tales fines respectu temporis nostri, vel obtinere respectu suæ æternitatis, ubi nihil est futurum. Cum hic tamen audis /ante/et/post/nullā in Deo suspiceris successione actuum, sed signa tantum agnosce naturæ. Secundò supponamus, quod illa præuisa opera non possunt esse causa prædestinationis, quantum ad eius substantiā: hæc enim est diuina essentia, quæ causam sui habere nequit. Quæstio ergo est, utrum præuisa opera bona causa extiterint prædestinationis, quantum ad effectum. Hoc est, Vtrum propter illa opera statuerit, illos ad gloriā perducere, gratiamque suā & auxilia impartiri. Atqui, ut distinctior sit, luculentiorque disputatio, intelligi hoc potest, vel de operibus præcedētib; gratiam, vel de eandē subsequētib;. De præcedētib; inquam non tempore dum homo est in peccato: de illis enim, cum vel mala sint, vel non Deo accepta, nulla est dubitatio. Sed intelligunt isti de illis, quas proximas dispositiones vocamus ad gratiā: quales sunt assensio nostra, motusque fidei, spei & penitentiæ per inspirationem Dei: affirmāt, inquam, isti, quod Deus statuit restituere in suam gratiam eos, quos præuidit assensuros eius monitis et præmotrici voluntati. Ad horum autem impugnationem statuamus exemplum in conuersione Magdalene, de qua planius informabitur argumentum, hoc pacto, Aut nullam isti agnoscunt rationem veræ causæ prædestinationis in illis actibus conuersionis Magdalene,

Mala. 3.

Secundum  
suppositum.

dalene, nisi hoc tantum, quod Deus constituit impendere gratiam suam eis tantum, qui non renuerent, sed annuentes præberent illi assensum: & hoc profectò nemo inficias iuit vnquam: neque adeo esse quis potest ingenio obtusus, ut hoc neget: quandoquidem luce sit euidentius, eodem modo statuisse Deum reconciliare homines, quo re vera in tempore reconciliat: reconciliat autem adulatorum neminem, nisi liberè assentientem & per suum auxilium dispositum: ergo talibus præcisè in sua æternitate statuit huiusmodi gratiam elargiri. De adultis siquidem loquimur. De hoc ergo nulla est disputatio, nisi quod discerniculum fieri debuit inter infantes & adultos: nam illi absque vlla suorum operum præuisione prædestinati sunt. Aut verò vllam in illis actibus conuersionis agnoscunt veram causam prædestinationis, ut planè affirmant, in hoc enim versatur quæstio: & hoc procul dubio Pelagianum dogma est: id quod sic manifestum sit. Qui diceret, quod iustificamur ex huiusmodi operibus, quomodo cunctis, seu tempore, seu natura præcedētib; gratiam, publicus esset Pelagianus. Cum ergo Deus ab æterno destinauerit homines ad suscipiendum eo modo gratiam, quo suscipiuntur eam sunt, absque vlla dubitatione fit consequens, quod præuisio operum quæ in re non erant futura causæ gratiæ, non fuit causæ prædestinationis ad eandem gratiam: atque adeo subsequitur, ut quicumque adstruxerit Deum prædestinasse hominem propter præuisa illa opera, sit ipse Pelagianus. Atqui hæc est ignorantia quæ istos sefellit, videlicet quod non considerauerunt vnā eandemque esse rationem & prædestinationis & iustificationis: & per hanc quæ in tempore fit sumendum esse illius iudicium. Quapropter illi, qui defendunt meritum de congruo, antecedēs gratiæ, sequenter opinantur, præuisa merita fuisse etiam illo modo causam prædestinationis: puta de congruo. Instruximus autem lib. 2. de natura & grat. cap. 4. copiosam disputationem aduersus hanc opinionem meriti congrui in peccatore, quam profectò egerim congruere censo (ne peius dicam) non modò sanctis doctoribus, sed sacris literis & conciliis. Commonet enim Augustinus Hypog. lib. 3. super illud Ephe. 2. Cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos CHRISTO, non esse in peccatore aliter meritum, quam in mortuo. Et Paulus absolutè ait, Non ex operibus iustitiæ quæ se-

Contra me-  
rita de con-  
gruo.

Lib. 2. de  
nat. & gra.  
cap. 4.

Aug.

Tit. 3.

cimus nos. Et, Si ex meritis gratia, iam non est gratia. Et in Concilio Araulicano cap. 25. Ipse Deus nobis, nullis præcedētib; bonis meritis, & fidem & amorē sui inspirat. Cui nunc decreto Concilium Tridentinum subscripsit. Adde, quod in peccatore sicut nihil est condigni meriti, ita neque congruitatis ad gratiā, sed Deo congruit misericordiam impendere auscultantibus vocationem suam: iuxta illud Psalmi, Misertus est dominus timentibus se. Et quod peius ab ista opinione audio est, quod expressis verbis patronus eius confitetur, nisi ponatur hæc dispositio de congruo ex naturalibus, difficile esse saluare, quod apud Deum non sit acceptio personarum. Etenim ad hoc suum argumentum, quod faciebat Pelagius, non hoc sancti Patres respondebant, quod certè respōdissent, si tale agnoscerent meritum congrui, sed respondebant, acceptionem personarum nullam esse, nisi ubi vlla est ratio debiti. Attamen, ut ad neotericos istos authores reuertamur, hi profectò, nihil distinguentes de congruo, veram causam prædestinationis adseuerant in operibus nostris præuisis concurrentibus cum auxilio Dei ad iustificationem: qui ideo fateri coguntur, eadem exhibita opera causam esse iustificationis: atque adeo ad scopulum Pelagianum adiguntur. Fatemur autem illa dispositoria opera concurrere in genere causæ materialis, à qua non mouetur Deus, neque ad prædestinandum neque ad iustificandū. Sed est præterea argumentum efficax, quod cum opera illa, quatenus preparatoria sunt ad gratiam, effectus sint prædestinationis, quia fiunt per auxilium speciale Dei mouentis nos in prædestinationis finem, nequeunt, vel esse, vel dici causa ipsius. Quo circa quicquid isti offendissent, vel in Chrysostomo, vel in alio quouis Patrum, quod hanc sententiā auersari videretur, fateri potius deberent id se non percipere: quam catholicam definitionem Ecclesiæ aduersus Pelagium diffiterentur. Quæ quidem Ecclesia consultis omnium Patrum scriptis dum pronunciauit, iuxta sententiam Pauli toties inculcatam, non iustificari nos ex operibus, ex consequenti sanciuit, neque ex eisdem prædestinari. In cuius testimonium hunc potissimum locum euocabant, ubi ait Paulus, Cum nondum nati fuissent, &c. cum aliis quæ hic in eandē sententiā profert. Sed vide quod hunc bonum patrem sua pertraxerit opinatio. Etenim in scholio ante hæc verba, Cum nondum nati essent, &c. confitetur, quod

*Cavillus* quòd si Paul. ex proprio sensu cuncta hæc loqueretur, non essent absurda, quæ de prædestinatione dixerunt theologi, sed necessaria viderentur. At verò Paul. inquit, nō ex se, sed ex Iudæorum concessu hæc disputat. Et facit Chrysostomum eiusdem sententiæ auctorem, ubi ait, quòd Paul. hic quæ sita dissolvit ex illis, quæ Iudæi negare non poterant. Et subdit prænotatus interpres, quòd hoc non aduertentes theologi, ita de prædestinatione loquuntur, ut arbitrium tollant, & diuinas literas diruant, & c. Conglomerat enim infinita absurda, quæ ex prædestinationis opinione sequuntur. Ob idq; in subsequenti scholio concludit, causam prædestinationis ex parte nostri esse probitatem futurorū operum cum ope diuina. Vide inquam, cum negare nullo colore valeret verbis his Paulum pro sententiam de prædestinatione palam constituere, negare perrexit (quòd nemo ante ipsum ausus vnquam est) ex se eadem affirmare, quòd theologi, ait, debuissent animaduertere. Ac si scholastici primi rationem prædestinationis hoc loco agnouerint, & non potius Patres omnes & ecclesiastica concilia per hæc Paulina verba stabiliissent aduersus Pelagium, iustificationem nostram nō fieri ex operibus: vnde (ut sæpe diximus) planè consequens sit, neq; prædestinationem, causam ab eis traxisse. At quòd ait Paul. Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, & c. quisnam vel mutire ausit, non esse propriam eius sententiam. Sanè cum nihil prorsus aliud in hac epistola & illis quæ sunt ad Galathas, & ad Ephesios cōtendat, quàm quòd hic planè affirmat, videlicet quòd nō ex operibus, sed gratis per fidem & per gratiam CHRISTI iustificamur, atq; adeo prædestinamur. Neq; vlla est apparentia in verbis Chrysostomi in contrarium. Nihil enim aliud ait, nisi quòd vtitur Paul. testimoniis, quæ Iudæi inficiari non poterant. Iam verò si vsq; adeo constitutum est opinatoribus istis, quòd si prædestinatio causam nō habet ab operibus liberi arbitrii, tunc Deus esset acceptor personarum, non reddens vnicuiq; iuxta opera sua, quid nobis de paruulis respondeant prædestinatis, qui sacro fonte abluti, aliis pereuntibus, absq; vllō meritorum dicerniculo seruantur? certè nihil habet quòd sibi prætexat, nisi suffugiāt ad suam pythagoricam commigrationem animarum: nempe quòd puerorū animæ suscipiant alia corpora, in quibus bo-

na exhibeant opera, quorum causa prædestinati sunt. Sed de hac absurditate satis iam superius. Aliorū verò fuit olim opinio aliquantulò tolerabilior: nempe, quòd præuisa opera iustorum fuerint in causa suæ iustificationis, non illa quidem quæ in puncto iustificationis concurrunt, sed tamē ea quæ per vsum gratiæ subsequuntur. Vtputa quòd Deus eis dem penitus cōstituisset gratiam suam communicare, quos præsciuit bene illa vsuros: sicuti rex quisq; providentissimus eum donaret equo in bello, quē nosset strenuè illo præliatum ire, illiq; arcem concrederet, quē existimaret constanter propugnaturum. In qua quidem opinione complures olim fuisse antiquorum, vel illud testimonio est, quòd refert Prosper in epistola ad Augustinum sub his verbis. Illud etiam qualiter diluatur quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstras, quòd retractatis priorum de hac re opinionib; penè omnium par inuenitur & vna sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperūt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finē vniuscuiusq; præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit. Quin etiā video plerosq; multos iam nunc temporis hanc opinionem plausibiliter suscipere & fouere. Nam aliàs percipere nequeunt, quo modo non sit Deus personarum exceptor, & præterea quo modo prædestinatio nō tollat libertatem arbitrii. Præterquam quòd Paul. affirmat reddendum vnicuique iuxta opera sua, ubi explicitū à nobis est, gloriam reddi meritis, quæ effecta sunt gratiæ. Est nihilò minus opinio falsa, & sapientū iudicio, sacræ scripturæ aduersa. Cuius ratio est illa, qua iam nūc refutabamus præcedentem opinionem. Opera, inquam, quæ effectus sunt prædestinationis, nequeunt esse ipsius causa motrix & efficiēs, de qua isti loquuntur: opera autem illa effectus sunt prædestinationis: nō igitur sunt causa. Prædestinatio enim (vtdiximus) est destinatio ad illum supernaturalem finem, quem natura viribus attingere non valeamus. Et ideo quodcunq; nos mediū illuc perducit, effectus est ipsius prædestinationis, id quòd Paul. sapienter nos admonet, ubi prædestinatos nuncupat vasa misericordix, quæ Deus præparauit in gloriā. Quòd fit, ut illa quæ reconciliamur nos gratiæ, effectus sit prædestinationis: iuxta illud, Quos prædestinauit, hos & vocauit, & eosdē iustificauit,

*Secunda opinio.*

*Prosper.*

*Opinio falsa.*

cauit, id est, quia prædestinauit, iustificauit. Cum ergo opera quæ gloriæ sunt merita, effectus sint & munera eiusdem gratiæ, quæ re- & vtimur, fit, ut & eadem opera effectus item sint eiusdem prædestinationis. Atq; hic proditur latens fallacia. Concedimus enim quòd inter effectus prædestinationis vnus est alterius causa, at nullus esse potest causa prædestinationis. Etenim vti architectus prænosens præstituentisq; prius finem, materiā subinde adparat, ita Deus, Iacob, v.g. prius prædestinauit ad vitam: ob idq; contulit ei gratiam, adiuuatq; eius arbitrium, ut ea exhiberet opera, per quæ illuc perduceretur. Quæ idcirco opera tum effectus sunt gratiæ, tum & causa gloriæ. Quò demum fit, ut gloria quæ supremus est finis, sit quidem intentione Dei prima, sed tamen in executione postrema. Atqui hac ratione coherente Pauli asserta, vti cap. 2. declarauimus, qui ubi loquitur de gratia, illam ait gratis, & absq; operibus impendi nobis: ubi autem de gloria, illam propositam nobis esse adstruit propter opera. Est ergo paralogismus, dū sic infero. Opera quæ vsum sunt gratiæ, sunt causa gloriæ: ergo sunt causa prædestinationis ad gloriam: sed hoc consequitur, quòd Deus prædestinauit nos, ut per hanc gratiam ac talia opera promoueret nos ad gloriam. Atq; hinc præterea conficitur argumentū secundum cōtra istos. Etenim idem telum, quòd in nos contorquent, in ipsos retorquebimus. Aiunt quippe, nisi Deus ob præuisa opera iustorum eos prædestinauerit, acceptorem esse personarum: hoc autem nec ipsi profectò excutere valent, nisi ratione nostra. Nam si merita illa ob quæ homines prædestinantur, non nisi præueniente ope Dei fiunt, respondeant, cur è duobus, v.g. crucifixis latronib; alteri proposuerit efficaciter auxiliari, alteri verò minimè. Re vera nulla extitit alia causa, nisi quia neutri quicquam debebat. Sed tertio loco argumentum est hoc, Reprobis, ea malè vsuris, sæpenumero confert Deus gratiam: ergo & quam largitur prædestinatis nō confert, præuidēs tanquam causam, bonum vsum eius: eadem nanq; est ratio ex parte Dei communicandi omnibus gratiam suam. Nisi ridiculus quis dixerit, quando duo paruuli baptizantur, quorum alter reprobus est, alter verò prædestinatus, diuersis eos rationibus abluisse Deum ab originis labe, recepisseq; in gratiam suam. Vnde tunc præterea consequeretur, quòd gratia, prædestinato colla-

*Ex effectibus prædestinationis vnus est alterius causa.*

*Paralogismus.*

*Secundum argumentū.*

*Tertium argumentum.*

ta propter præuisa opera, minorem haberet rationem gratiæ, quàm illa quæ donatur reprobis omnimodè gratis. Adde quòd cum prædestinatis ipsis sæpè & sapius impartiat quoq; Deus gratiam, qua malè vtuntur relabentes in culpam, fallum est, quòd prædestinatorum gratia conferatur semper ob præuisa opera. Atq; adeò fit, ut nec prædestinatio fiat propter huiuscemodi opera. Præterea argumentum est ineluctabile, quòd in epistola ad Sixtum facit August. Gratia quæ paruuli in baptismo abluuntur, qui ante rationis vsum obeunt mortem, haud illis impenditur ob præuisa opera, quæ nunquam facturi sunt: ergo neq; si essent victuri illam reciperent tali ratione: vnus enim rationis est gratia illa baptismalis. Nisi in hoc forsitan deliramentum cum illis hæreticis quis præcipitetur, qui aiebant, referente in eadem epistola Prospero, quòd ex paruulis tales perduntur, talesq; saluantur, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit. Quam velaniam argutè in eadem epistola ad Sixtum, & in lib. de prædest. sanct. refutat, refutatq; August. Nempe quòd Deus opera quæ nusquam erunt, vel coronet, vel puniat. Si enim Deus ei qui futurus erat bonus, illa causa per baptismum consulisset, seruasset tunc illum profectò quoadusque talia bona opera præstaret. Neque si Deus vindicatus esset mala opera quæ iustus perpetratus erat, si superuixisset, vera esset sententia Sapientis, quòd nonnunquam iustus raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Ex his ergo illic August. & lib. 1. contra Iulianum & sæpe alibi concludit, quòd prædestinatio non fit ex operibus neq; præcedentibus neque subsequentibus. Id quòd planè, silente etiam Augustino, Paul. ipse ubiq; proclamatur, quippe qui absq; vlla operum discretione omnia excludit à causa gratiæ. Ait, inquam, Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Et si non ex operibus, iam gratia nō esset gratia: & talia quàm plurima. Neque verò satis isti quid dicant perpendunt: nam si Deus nos prædestinat propter futura opera quæ gratiā subsequuntur, necessarium illis fit, ut dicant quòd propterea quòd præuidit nos Deus dilecturos ipsum, dilexit ipse nos: quòd quàm sit diuiniis elogiis aduersum, nemo non videat, quæ-

*Quartū argumentum.*

*Sap. 4.*

*Definitio Augustini.*

*Tit. 3.*

*Nō perperam dicant.*



Ioannem & Paulum auscultauerit. In hoc  
 2. Ioan. 4. quippe, inquit Ioannes, est charitas, non qua  
 si nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse  
 prior dilexit nos. Et Paulus hic infra, Quis  
 prior dedit illi, & retribuetur ei. Et ad Ephe.  
 Ephe. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem, ut  
 essemus sancti. Non ait, quia prauit nos  
 sanctos, sed, ut essemus sancti. Cui conso  
 Ioan. 15. nat dictum CHRISTI, Non vos me elegi  
 stis, sed ego elegi vos. In summa, si hanc  
 prauisorum operum efficientiam agnouisset  
 Paulus in ratione praedestinationis, eor  
 rum sane meminisset operum, vel hic pro  
 discrimine inter Esau & Iacob, vel infra  
 cap. 11. ubi discriminat inter Israel & Gen  
 tes, antequam in illam admirationem pro  
 rumperet, O altitudo diuitiarum sapientiae  
 & scientiae Dei. Enimvero si prauis opera  
 causa fuissent praedestinationis, cessaret  
 omnino ratio dubitandi, aliquam esse in  
 Deo personarum acceptionem, atque adeo  
 nulla superesset admirandi occasio. Collig  
 gamus ergo tum demum, quod cum ex or  
 dine, qui est in executione, iudicari debeat  
 ordo praedestinationis, nequit absque pe  
 riculo adseuerari, prauis opera nostra in  
 causa ipsius fuisse. Sunt nihilò secius com  
 plura sanctorum Patrum scripta, quae ante  
 ecclesiasticam censuram aduersus Pelagium  
 potuissent legentium animos, in diuersam  
 forte opinionem propellere. Etenim Orige.  
 super illud / Cuius vult miseretur, & quem  
 vult indurat / Sciens, inquit, & praeuiscens  
 vniuscuiusque motibus & proposito utitur  
 ad ea opera perficienda, quae vniuscuiusque  
 animus ac voluntas eligit: veluti paterfa  
 milias, qui sagaciter contemplatus seruo  
 rum ingenia, singulos illis muneribus & of  
 ficiis deputat, ad quae aptos praeuiscens.  
 Et post illud / An non habet potestatem fi  
 gulus, & c. Iacob inquit, quia mundauit se  
 metipsum, fecit vas ad honorem, Esau au  
 tem, cuius animam non ita puram vidit, fe  
 cit vas ad contumeliam. Et Chrysostomus  
 super illud / Cum nondum nati fuissent / in  
 interrogans cuius rei gratia in nondum natis  
 vnum pro altero elegerit. Respondet, causam  
 esse, quod Deus non expectat quemadmo  
 dum homo, ut ex rerum fine bonum iudi  
 cet aut malum, sed antequam quicquam ge  
 ratur, nouit quod hic malus, iste vero non ma  
 lus sit. Quam quidem sententiam perpetuo  
 defendat. Atque in prologo super Malachiam  
 Hiero. Hiero. Omnino, inquit, Iacob dilexit, Esau

autem odio habuit, quia Iacob pius, Esau  
 autem sciebat futurum iniquum. Et super eun  
 dem textum Ambro. Sciendo quid vnusquisque  
 illorum futurus esset, dixit, Minor erit dignus,  
 & maior indignus. Et inferius super illud /  
 Miserebor, & c. id est, ei misericordiam da  
 bo, quem praescii recto corde reuerfurum ad  
 me: cui inter glossas ordinarias additur, &  
 permansurum. Et subdit, Quod eum Deus vo  
 cat, quem sciat obaudire, & eum non vocat,  
 quem sciuit minimè obaudire. At verò ad  
 haec omnia respondendum forte est, sicuti S.  
 Thom. respondit. 1. p. q. 23. ad hoc postremum  
 Ambrosii: nimirum quod loquuntur isti Pa  
 tres de operibus subsequenter gratiam: cui  
 us usus causa fuit praedestinationis, non qui  
 dem quasi efficiens, sed finalis: elargitur enim  
 nobis Deus gratiam propter eius bonum usum:  
 hoc est, non quia bene usuri ea sumus, sed ut  
 bene utamur. Quamquam fortasse hoc pro  
 fus sibi volunt, quod praedestinauerit Deus  
 inter adultos, eos penitus quos praesciebat ei  
 assensuros & cooperaturos. Non quod il  
 la prauis opera essent praedestinationis cau  
 sa, sed dispositiones in sensu supra nobis ex  
 posito ad eius effectum, scilicet ad gratiam.  
 De Augustino autem hoc loco non memi  
 nerim. Nam illud eius dictum lib. 83. q. 68.  
 super verbo Malachiae, Iacob dilexi, & c.  
 Cui vult miseretur Deus, & quem vult in  
 durat: sed haec voluntas Dei iniusta esse non  
 potest: venit enim de occultissimis meri  
 tis, & c. non existimo (ut quidam autumat)  
 sensum habere de meritis subsequenter gra  
 tiam, sed loquebatur de praecedentibus.  
 Tenebatur enim illo tunc errore antequam  
 esset antisites, ut in quaestionibus super hanc  
 epistolam videre est apud ipsum: de quo  
 postea errore retractauit se se lib. 1. Retract.  
 cap. 23. ubi cum Ecclesia damnante Pela  
 gium omnia haec merita diffitetur. Quod  
 denique ait Petrus, Satagite ut per bo  
 na opera certam vestram vocationem &  
 electionem faciatis, nihil obstat: quia neque  
 vult opera causam absolutè esse praedesti  
 nationis, sed tantum esse causam, per quam  
 Deus instituit ipsam exequi, scilicet qua uti  
 tur, ut nos ad praedestinatum finem perdu  
 cat. Fit ergo electio nostra & vocatio cer  
 ta per nostra opera, sicuti per causas secun  
 das certi fiunt Dei effectus, quos per illas  
 perficere constituit. At verò de reprobatio  
 ne, an causam habeat in reprobis, maioris  
 est momenti definire. Quod enim quospiam  
 Deus

Ambro.

Responsio  
ad sancto  
ad sancto  
rum auto  
ritates.De Aug.  
simo.

2. Pet. 1.

Deus

Deus ad suum, supernaturale nobis, regnum  
 gratis admittat, nihil aliud, quam bonitas ei  
 est. Quod verò gratis alios in exilium emi  
 tat, non potest non quandam crudelitatis co  
 gitationem offerre humanis mentibus. Quo  
 circa ex scholasticis nonnulli (ut Scotus) qui  
 praedestinationis nullam nobis causam ad  
 scribunt, contrarium magis probant de re  
 probatione. At S. Thom. ut praedestinatio  
 nis, ita neque reprobationis causam videtur  
 reddere in nobis. Tamen magnum interstitium  
 inter huius illiusque effectus agnoscat.  
 At quanta nunc bili nonnulli exardescat ad  
 uersus diram (ut aiunt) reprobationis opi  
 nionem, quamque id immerito, protinus per  
 pendemus. Igitur ut ad rem ambiguam per  
 ea, quae certissima sunt, aditum aperiamus, pa  
 tentissima est inter praedestinationem repro  
 bationemque discrepantia. Enimvero effectus  
 praedestinationis non solum est gloria, sed  
 omnia media, quibus ipsam assequimur: ipse  
 enim qui praedestinavit nos ad vitam, do  
 nauit nobis per suam gratiam velle & per  
 ficere: reprobationis autem effectus est, ex  
 clusio à regno, non autem culpa, cuius deme  
 rito infligitur illa poena. Hoc iam nuper ad  
 notauimus super textu Pauli, ubi vasa mise  
 ricordiae ait praeparari à Deo ad gloriam, va  
 sa autem irae aptata per se esse ad interitum.  
 Et est expressa sententia fidei nostrae Osee,  
 Perditio, tua Israel: tantum ex me auxi  
 lium tuum. Per haec ergo rimari causam pos  
 sumus reprobationis. Etenim primum om  
 nium considerandus Deus est ab aeterno sta  
 tuisse vtranque naturam, tam angelicam, quam  
 humanam ad seipsum creare, ad sui scilicet  
 imaginem, suamque ipsius beatitudinis capacem:  
 quibus ideo decreuit leges ponere, ac suppe  
 tias ire, neque villo modo quantum in se esset,  
 illis deesse, quò minus eadem beatitudine po  
 tirentur omnes, nisi sua ipsorum culpa obsta  
 culo illis esset. Qua de causa & angelos &  
 primos parentes in gratia, vel creauit, vel an  
 tequam peccarent, constituit. Vidit autem ca  
 sum Adae, atque per eius culpam infectum iri  
 omnes mortales, quorum alios nihilò minus  
 pro suo beneplacito praedestinavit ad regnum,  
 quos per suam misericordiam ad illud eue  
 xit, alios verò pro sua iustitia exclusit, quos  
 nihilò minus non nisi propter suam ipsorum  
 culpam punire statuit: quoniam poena suapte  
 natura non nisi ob culpam debetur. Quae  
 2. Tim. 2. propter illud, Deus vult omnes homines sal  
 uos fieri, vniuersim de omnibus est morta

Inter pre  
dest. & re  
prob. quo  
differt.

Philipp. 2.

Osee. 13.

Reproba  
tionis cau  
sa.

2. Tim. 2.

libus intelligendum. Sed est tantum animad  
 uertenda duplicis in Deo voluntatis distin  
 ctio, consequentis scilicet & antecedentis:  
 quam voluntatum differentiam theologi cum  
 antiquo Damasceno merito celebrant. Est  
 enim voluntas consequens absoluta quidem,  
 de qua scriptum est, Omnia quaecumque voluit  
 dominus fecit. Et, Voluntati eius quis resi  
 stet? Voluntas autem antecedens, est illa, qua  
 Deus vult aliquid, non in particulari, simpli  
 citer & absolutè, sed secundum aliquam ge  
 neralem rationem boni, & (ut more scholae  
 loquamur) secundum quid. In exemplum pro  
 fertur voluntas iusti iudicis, qui malefacto  
 rem, quatenus homo est & amicus, vellet ser  
 uare, quae tamen iuste suspendit. Pariter enim  
 Deus vult omnes homines, quatenus sua sunt  
 ipsius creatura & imago, suaeque beatitudinis  
 capaces, fieri saluos: licet vult iniquos suppli  
 cio affici perpetuo. Quocirca distinctio haec  
 non accipitur ex parte Dei, ubi nihil est pri  
 us posteriusue, sed ex parte obiecti, in quo  
 ratio generalis boni prius consideratur, quam  
 ratio particularis qualitatis. Est quidem Au  
 gust. qui alicubi auctoritatem hanc de vo  
 luntate consequenti interpretatur, quae cum  
 sic intellecta, nequeat vniuersaliter ad om  
 nes homines extendi, ait, distributionem il  
 lam non esse nisi accommodam, in hoc sen  
 su, quod vult fieri saluos quotquot fiunt sal  
 ui, de quouis hominum genere & conditio  
 ne. Sed profecto, ut eximia eius semper au  
 thoritas illa permaneat, aegre accommo  
 dari potest glosamen hoc menti illic Pauli,  
 ubi pro omnibus in vniuersum persuadebat  
 discipulo ut oraret: qua de re plausibilis  
 sequuntur doctores Damascenum, ut intel  
 ligatur omnino vniuersaliter, de anteceden  
 ti tamen voluntate, modo iam nunc expo  
 sito. At verò de voluntate hac saepe in scho  
 lis mecum deliberaui, an affirmarem illam  
 esse conditionalem: neque id tamen ausus  
 sum, propterea quod conditionalis volitio  
 in hominibus, quam scholastici velleita  
 tem appellant, imperfecta est: nempe quae  
 non habetur nisi ubi deest faciendi conse  
 quendive facultas: ut cum mercator in nau  
 fragio vellet seruare merces, quas tamen  
 pro vita proicit, & aequus iudex vellet ser  
 uare amicum, quem tamen condemnat sen  
 tentia capitis: Deo igitur omnipotenti non  
 videtur competens, ut quicquam velit,  
 quod non est facturum. At nihilò minus non  
 usque adeo pugnaciter renuerem, si quis  
 S 2 dice

Voluntas  
consequens &  
antecedens  
Psalm. 134.

Aug.

Voluntas  
conditiona  
lis.

diceret, vt quidam dicunt, illam esse conditionalem, eò quòd est de re, quam non ipse solus, sed nobis assentientibus facit. Saltem annuerem, vt conditionaliter more loquēdi humano exprimeretur: nempe quòd Deus vult omnes homines, & eorum quemcunq; quantum ad se attinet, saluos fieri, si modò ipsi voluerint, neque obstinauerint corda sua. Quæ idcirco voluntas non semper impletur, neq; suum sortitur effectum: eò quòd tali voluntati iniqui resistunt: vt patet in parabola vocatorum ad nuptias, qui renuerunt venire: & vbi ait CHRISTVS, Quoties volui congregare vt gallina filios tuos, & noluiti. De qua ideo resistentia sæpissimè conqueritur Deus in scriptura sacra. Neque August. hunc receptissimum sensum dictę autoritatis ignorauit, imò aduersus articulos sibi falsò impositos expressè illum probat: affirmans, Deum velle, vt omnes homines salui fiāt: iuxta verbum, inquit, Apostoli præcipientis, vt Deo pro omnibus supplicetur, ex quibus quòd multi, ait, pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum. Hæc ille. Idem fermè repetit in de spir. & lit. cap. 32. Et super Gene. contra Manichæos. Et quòd hic fuerit sensus Pauli, liquidum sit ex subiunctis illic verbis, Vnus est enim mediator, & c. qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Mortuus enim est CHRIS-  
Voluntas anteece. non semper impletur.  
Mat. 22. & 23.  
1. Tim. 2.  
1. Ioan. 2. Chrysof.  
Ioan. 1.  
Vtrū reprobatio habeat causam.

sa siue originalis tantum, vt in puero absq; baptismo pereunte, siue actualis tantum, vt in Christiano cum mortali crimine decedente: siue vtraq; vt in adultis fidelib; vera causa fuit legitimaq; & directa reprobationis: nempe meritoria. Neq; hoc S. Thom. negat, sed cõcedit hic planè in fine secundę lectionis. Prædestinatio enim, vt dictum est, eò nõ potuit esse propter opera, quòd quatenus sunt meritoria, effectus sunt ipsius: cum ergo peccata nullatenus sunt effectus Dei, sed nostri, consequens fit, vt quo instanti naturæ Deus gratis destinauit Iacob in regnum, eodẽ propter eius præuisam culpam constitueret inde Esau depellere. Atq; hæc est planissima sententia Augustini in epistola ad Sixtum, vbi ait, Querimus meritum indurationis, & inuenimus. Meritò nanq; peccati vniuersa massa damnata est. Querimus autem meritum misericordię, nec inuenimus, quia nullum est: ne gratia euacuetur, si non gratis donetur. At obuiam nobis fortè hoc argumento occurrat. Sicuti effectus prædestinationis, est gratia, quæ causa est bonorum operum, ita & reprobationis effectus est permissio & obduratio, quæ causa est finalis peccati: ergo quæ ratione opera non sunt causa prædestinationis, sit vt nec sint reprobationis: sed peccata effectus potius sint reprobationis, quàm causa. Punctum sanè aperis, vbi tota latet discriminis ratio. Gratia, inquam, causa directa est bonorum operum, atque adeò natura prior: permissio verò Dei non sic est causa delictorum, neq; obduratiõis, sed causa per accidens, scilicet ablatio misericordiæ, quæ peccatum vel impediret, vel remoueret. Quod quidem assertum est Augustini in eadẽ epistola, vbi ait, Non indurat Deus impartiendo malitiã, sed non impartiendo misericordiam. Quò fit, vt cum Deus paratissimus sit subuenire cuicunq;, ad ostium pulsans, prius natura sit quòd homo nolit assentire, quàm quòd Deus eum durato suo permittat arbitrio. Nam qui audit & didicit, venit ad me. Id quod maximè contemplandum est in verbo Osee, Perditio, tua Israel: tantum ex me auxilium tuum, nempe vt tota causa bonorum operum in Deum resoluatur, malorum vero in nos. Ob idq; præuisa opera mala, causa sunt reprobationis, bona verò nõ item prædestinationis. Quæ quidẽ meditatio ad elucidationẽ posterioris quæstionis Pauli obseruanda est maximè. Sed superest alterum argumentum ex dictis eiusdem. Pari nanq; ratio-  
S. Tho.  
Aug.  
Argumentum elucidatorium.  
Ioan. 6.  
Osee. 13.

S. Tho.

Aug.

Argumentum elucidatorium.

Ioan. 6.

Osee. 13.

ne

ne ait, absq; vllis propriis operibus Iacob dilectum, Esau autem odio habitum: ergo sicuti prædestinationis, ita neq; reprobationis vlla est causa. Nulla est verumtamẽ consequentia. Nam Esau odio habitus est, non tantum propter actualia, sed propter originale, quod à parentibus traxerat. Tametsi de actualibus pœnas luit sensus, quas non luisset propter originale. Et hæc de causa, quæ demeritum fuit reprobationis. Attamen si de causa scilicet teris reprobationis, quæ finis fuit Dei reprobantis. Quod est dicere, Cum Deus sic omnes prædestinare potuisset, vt cumulationib; auxiliis mutare potuisset iniquorũ omnium mentes, vniuersosq; perducere ad beatitudinem, cur quosdã perire permisit. Hæc profecto causa est, quam hic edocet Pau. Nimirum vt Deus ostendat iram suam & potentiam. Sicuti finis prædestinationis est, vt suã ostendat misericordiam. Neq; aliud quicquam noui S. Tho. comminiscitur in illa responsione ad tertium argumentum quinti articuli. p. q. 23. Quapropter nec quod ipse ait, vllus negare valet, neq; meritò circũfertur, veluti author talis opinionis, quòd sicut prædestinationis, ita neq; reprobationis vlla sit causa.  
Finalis causa reprobationis.  
S. Tho.  
Ambr. Ca. 1. 1. 1.  
Duplex prædestinatio.

saluos fieri, mediãq; adhibere, quantum in se est, quibus omnes si volunt, assequantur salutem. Ob idq; cum Pau. ait, Quos prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, & glorificauit, intelligit inquit, præ aliis singulari priuilegio destinatos. Hinc aduersus reprobationis opinionem colligit, nullos fuisse reprobatos, eo modo quo Aug. & scholastici volunt, id est, nullos ab æterno odio Deo habitos, antequàm illi sua propria volũtate quidpiam mali egerint. Atqui contrariam opinionẽ, ait diuina esse, & horribilem, & malè piã, & contra vniuersam scripturam militantem. In cuius confirmationẽ densissima argumẽta consarcinat. Et quoniam opinio hæc plebæis auribus applaudit, operæ precium duximus illã excutere. Primum igitur, quæ sit extorta expositio Paulini verbi, Quos prædestinauit, & c. vel inde palam sit, quòd nemo hæcenus illã cogitauit: omnes enim, tam Græci, quàm Latini Patres sub verbo prædestinauit, vnicuique quod prædestinationis percipiunt, in quo ideo respectum vnanimiter agnoscunt oppositionis ad verbum, reprobauit, & nõ relationẽ ad alios communiter destinatos. Nam præ non id subnotat, quod præ aliis altius destinati, sed præcessionem importat æternitatis ad tempus gratiæ. Non potuit ergo hic reuerendus pater citra temeritatis notam, non solum Augustinum, verum sanctos omnes noua inauditãq; sua commentatione contemnere. Id quod facit idem author, & super præsentis loco Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui, quo loco prædestinationis reprobationisq; discrimen oēs pariter consententur, quotquot huc enarratores prodierunt. Vbi tamen ipse negat, vllam subesse reprobationis significationẽ: sed dicuntur inquit, odio illi haberi, qui cõmuniter destinati sunt, & saluandi nõ simpliciter, sed respectu singulariter prædestinatorum, scilicet quòd nõ sunt electi ad gratiã tam excellentẽ. Perspiciat autẽ, perpendatq; sapiens lector, vbi ex æquo odium Esau oppositum est dilectioni Iacob, an non tam proprie accipiatur nomẽ odii, quàm nomẽ dilectionis. His autẽ prætermisissis, arbitror demonstratione manifesta istius opinionẽ conuinci erroris. Respõdeat enim quæso vtrũ iniquos oēs in sua iniquitate vita decedentes Deus odio habeat absoluto in altero secuto, illos, in quos missurus est in ignẽ æternum. Certè hoc negare non valet. Rursus vtrum ne illud absolutum odium, absolutaq; illa puniendi voluntas in tẽpore aduenit Deo, an potius fuerit in  
Nullos admittit fuisse reprobatos.  
Opinionis cõsuetudo.

S 3 ipse

ipso sempiterna, credo dabit hoc secundum: imò planè hoc ipse concedit, aliàs Deus esset mutabilis. Cōcedat ergo (ni fallor) necessum est, reprobationē, quæ nihil aliud est, q̄ absoluta voluntas Dei æterna excludendi quosdam à regno. Dico excludendi, vt generalē pœnam, quæ communis est etiā decedētibus in solo originali complectar, qui nō sunt passuri pœnas sensus. Et confirmatur hæc ratio illo tunc articulo (vt sic de æternitate loquamur, vbi signa naturæ distinguimus) illo, in q̄, articulo, quō Deus quosdā certa absolutaq; voluntate ordinauit ad gloriam, nunquid de reliquis aliquid etiā absolutè definiuit? Quis ambigat. Etenim author iste non negat, quin Deo futura omnia fuerint ab æterno præuisa. Cum ergo in finali iudicio duas tantū hominum sortes discreturus sit CHRIS TVS, eorū scilicet qui admittuntur in regnū, & aliorum qui demittuntur in ignem (vbi & infantium absq; sacramēto defunctorum exilium citra ignem comprehenditur) consequens fit, vt Deus in illa æternitate quotquot absoluta voluntate non ordinauit ad gloriam, absoluta contra destinauerit in exilium. Hoc autē est quod Patres intellexerunt nomine reprobationis. Non obstante quòd isti iidē reprobi antecedenti, & (vt hoc demus) conditionali voluntate fuerint dilecti, vtpote nisi se ipsi auerterint à diuina gratia. Fuit ergo manifestarius abusus, aliud genus prædestinatorum vel saluandorum comminisci, q̄ eorum qui absoluto proposito & voluntate prædestinantur. Prædestinatio nanq; & reprobatio secundum absolutam voluntatem existimari debet, & nō secundum conditionalem. Quapropter quantum reprobi, vt inferius dicturimus, in sensu diuino possint saluari, propterea quòd nulla illis libertas adempta est, non tamen sunt saluandi. Nam si gerundium, hoc sit, idem est, quòd, digni qui saluentur: si verò participium, idem quòd, illi qui saluabuntur: quarum neutra pars conuenit reprobis: quoniam aliòqui absoluta voluntate essent prædestinati. In summa sciscitor ab istis, an illi quos vocant saluandos, & nō prædestinatos absoluta voluntate, fuerint destinati ad gloriam, & tunc propriè sunt prædestinati, an verò non nisi conditionali & antecedenti, & tunc necessè est dicere, quòd nunq; perueniēt ad gloriam: nam aliàs voluntas conferendæ illis gloriæ æterna fuisset in Deo & absoluta: si ergo non sunt peruenturi ad gloriam, ergo neq; sunt saluandi, & ex consequenti mittentur

di sunt foras, atq; adeò exilium absoluta voluntate decretū illis est ab æterno, quod est, eisdem esse reprobos. Rursum si solum ob conditionalem voluntatem Dei dicuntur homines saluandi, fit, vt vniuersi mortales sint saluandi, vel declaretur præter illos, qui absolute proposito sunt prædestinati, qui nā sunt saluandi, & qui minimè: quòd si vniuersi concedantur esse saluandi, consequens fiet, vt damnandi, hoc est, qui verè damnabuntur, sint saluandi. At cum hæc opinionē tot subsequantur absurda, patronus tamē eius adeò illam habet pro euidētī, vt plus quàm cecos existimet, qui eam non ingenuè confitentur. Perstat ergo communis Patrum sententiā, nullos esse saluandos, nisi qui sunt prædestinati, hoc est, absolute proposito & electione destinati: quorum numerus certus est, qui nec augeri potest, nec minui, vt in de cor. & grat. & alibi crebrò author est Aug. Inter quos veruntamen sunt nonnulli eximie prædestinati, vt cum primis beata Virgo, et post apostolice, tum quòd ad excelsum gradum gloriæ ordinati sunt, tum quòd fuerint in gratia confirmati: sed hoc nihil ad rem. Ruit itaq; tota machina argumentorū, quæ aduersus constitutissimam sententiā Patrum iste author instruxit. Primum enim est, quòd exhorret animus audire clementissimum Deum, vt ostenderet iustitiam suam, meditatam fuisse pœnas ante peccatum, tantamq; multitudinē, quam creauit mortalium, odio habuisse, antequam esset odio digna. Hoc autem argumentū, si aduersus Lutheranorum sensum dirigatur, lethalius illos configit, vt qui aiunt, Deum pro sua voluntate odisse quosdam, atq; adeò ita indurasse, antequam quicquā boni agerent vel mali, ne iussa sua capessere valeant, & salui fieri: qua vtiq; ratione Deum faciunt auctorem mali: Patres autem & scholastici non sic impiè obloquuntur, sed hoc prorsus quod in tempore fit, aiunt æternum fuisse in voluntate Dei: vnde sicut neminē punit, nisi ob commissa delicta, ita neminē reprobauit, nisi ob preuisam eandē culpā. Quod autē diximus, id fecisse, vt ostenderet iustitiā suā, nemo profecto in sensu nostro negare potest. Nā quero ab isto authore cū quo disputamus, Cum omnib; pueris prospicere Deus posset per sacramentum, cur aliquos perire sinit? Itē cur illa signa quæ fecit in Israel, nō fecit inter Tyros & Sydonios: quos ait CHRIS TVS credituros fuisse, si ea vidisset? Præterea quā obrè quū Pharaonē & reliquos obstinatos potuerit cum

Tertiu argumentū.

Aug.

Respondetur ad obiectionē.

Lth. 10.

mulatioibus auxiliis emollire, perditum eos ire permittit? Respondet iste, quia nemini quicquam debet. At licet respōsio satis sit, vt Deus ab iniquitate vendicetur, non plenè satisfacit: nam cū neq; prædestinatis quicq; debet, superest scrupul; cur efficax fuit in illos; non autem in istos. Et profectò nulla est causa finalis, nisi quam dat Paul. vt iustitia Dei appareret, quæ, si nullus esset infernus, non esset adeò illustris. Quā ergo causam finalem cernimus in tēporariis effectibus, qui in æternitate Dei fuerūt præuisi, eandem tribuimus reprobationi: punit autē malos ad ostensionem gloriæ suæ, eadem ergo de causa permittit eos in culpa, atq; adeò eosdem reprobauit. Non quòd hic finis odium ingenerauit Deo, sed quòd odium, quod habebat ob culpam, illo fine non deleuit per misericordiam. Sed ais, crudelem fuisse Deum, dum tantam multitudinem odio habuerit. Respondet ipse quæso an sit crudelis propterea quòd tantam multitudinem permittit ire præcipitē in perditionem, quantam in die iudicii conspiciemus: quòd si non est ob hoc dirus, profectò nec fuit, si, quod facit in tempore, decreuit in æternitate. Obicit & illud Petri, quòd Deus nolit aliquos perire. Et, Quòd nō vult mortē impij, sed vt magis conuertatur, & sexcenta, vt inquit, huiusmodi alia. Sed respondeat ipse nobis, Nunquid Deus odio habet peccatores, & profectò odio odit illos, qui in peccato decedunt, & odio est Deo iniquus & iniquitas eius? Profectò respondere non potest, nisi sub distinctione, scilicet quòd voluntate antecedētī nolit aliquos perire, consequenti tamen permittit pereuntes perire, & odio habet illos. Has ergo voluntatum differētiās, quas per effectus Dei deprehendimus, concedimus esse illi sempiternas. Reliquam suorū argumentorum phalangem per hæc pariter euanescere videas. Non erat ergo, cur iste reuerendus episcopus in proloquio sui libelli tot verbis pollicendo diceret, purētū se prædestinationis vera ratione attigisse, quæ Augustinum ac cæteros antea Patres cælata semper fuisset. His vtiq; dilucidatis & præstitutis liquet responsio ad priorem quæstionem Pauli, nullam scilicet restare in Deo iniquitatem, eò quòd in sua prædestinatione nulla sunt præuisa humana debita misericordig, sed tantum reprobationis demerita. Et ideo quòd bonus fuerit in aliquos, nemo aliorū iniquitati tribuere valet, nisi cuius oculus, iuxta euangelicam parabolam, nequā est. Et est sanè mi

Responsio ad priorē.

Mat. 20.

randū inficiatores istos prædestinationis hoc non animaduertisse, quemadmodū neq; ipsi aliter possunt respōdere. Nam licet gratis donemus eis, prædestinatos propter sua præuisa bona opera electos fuisse, cū negare nequeant, eadē præuisa opera non nisi Deo autore perfici, respondere tenentur (vti supra dicebam) cur his præ cæteris fauit, opemq; tulit, vt suæ ipsius inspirationi assentirent. Ad quod respondere aliud nequeūt, q̄ quod nos respondemus: ergo in operibus meræ gratiæ nulla potest esse personarum acceptio, sed in operibus iustitiæ. Quod quidem perspicuus Paul. hic quidē non aliter liberat Deum hac iniquitatis macula, q̄ dicendo, quòd pro suo beneplacito cui vult miseretur, & quem vult indurat: sed tamen vbi cap. 2. de iudicio finali sermonē texit, quia in operibus iusti vera est iustitia, atq; adeò exceptio esse posset personarum, si non pro conditione operum redderetur præmium, nō recurrat ad beneplacitum Dei, sed ait, quòd vnicuiq; reddet iuxta opera sua. Ob idq; David misericordiam & iudicium cantabat domino. Et CHRIS TVS, Non, inquit, veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum, scilicet quia primus aduētus summa est misericordia: erit autem quando venturus est iudex. Igitur si in genere quæseris, cur quosdam prædestinauerit, quosdā reprobauerit, respondemus, quòd prædestinationis quidē nulla est in nobis causa: reprobationis verò, meritū quidem est in nobis, finis autē in Deo. Si autem in particulari scrutari pergas, cur hos prædestinauit, vt Iacob & Paulum, hos verò reprobauit, vt Esau & Iudam. Respondet super Ioānem Augustinus cur hunc trahat, & illum non trahat, noli iudicare, si non vis errare. Quauis tractationis alia ratio est, quia est prædestinationis effectus: ob idq; subdit, Nondum traheris, ora vt traharis. At non dixisset, Non es prædestinatus, ora vt prædestineris. Tameñ quia res nobis abdita est & recondita oportet sibi quisque apud Deum potest. Vtinam & ego domine in numero sim prædestinatorum. ¶ Subsequitur tandem, vt de posteriori quæstione Pauli nonnihil explicemus, quā sanè fatemur difficilem semper explicatu fuisse, scilicet cur de peccatoribus cōqueritur Deus, quos ipse reprobauit: cū ei; voluntati nemo possit resistere. Est nihilò min; respōsio, quòd neq; prædestinatio, neq; reprobatio quicq; nobis adimit libertatis: aliàs nulla esse posset ratio aut meriti aut culpæ.

In operibus meræ gratiæ non est personarū acceptio.

Psal. 110.  
Ioan. 12.

Epilogus.

Ad posteriorē quæstionē Pauli.



At verò hinc nobis offunduntur dubitatiōis tenebræ, nempe quòd cum Dei, nec scientia falli possit, nec voluntas mutari, iamq; Deus ab æterno non modò præsciuerit, verum certo proposito constituerit, quid nam cuiq; sit obuenturum, in cassum abire videntur nostri conatus: quoniam nulla nobis videtur superesse libertas: atq; adeo frustranea sunt præcepta, monitaq; Dei, consiliaq; prudentiæ nostræ. Diffiteri profectò nō possumus, quin angustiæ ingenii nostri ægrè hoc capiant, haud tamen ideo, vel omniscientiam Dei, vel eius æternam voluntatē abnegare debemus, vel quam experimur libertatem nostrā, per totā sacram scripturā explicatissimè assertam. At si aliud in re difficili præstare non valemus, facile est ostendere, quòd eadem difficultas quoscunq; premat quomodocunq; sentiētes de prædestinatione & reprobatione. Donec mus enim gratis (vt absit blasphemia verbo) Deum nihil de rebus prænouisse aut præstituisse. Tunc nihilò minus (vt à liberis contingentibus proferamus exemplum) altera istarū vera est / cōcionabitur Pau. cras / nō cōcionabitur Pau. cras / quoniam propositio de futuro nūq; incipit esse vera nec falsa. Est enim cōmunis omnium sensus, natura docēte, quòd si modò Paul. concionatur, ab æterno verum fuit, concionaturū fore, contrariumq; falsum. Quocirca mirari satis nequeo authorē hūc, cum quo paulò prius disputabam, qui in fronte statim libelli sui, vbi scholasticos tanto stomacho despectui habet, audacter pernegat futura contingentia, vera esse aut falsa. Nā quis negabit, verū heri ab æternoq; fuisse, me modò dictaturum hæc verba. Adde quòd vnā concedit ibidem, Deum, cuncta futura veluti sibi præsentia cognoscere, ac ideo negare nequit, quin ea cognoscat nobis esse futura. Ecquis ergo cōiunctim adseueret, vt quæ Deus vera esse cognoscit, ea non sint vera: & quæ iudicat esse falsa, illa non sint falsa. Sed vide qua ratione in contingentibus futuris negat inesse aut veritatē aut falsitatem: quia nemo, inquit, sanæ mentis vel affirmare, vel negare potest, quòd erit post decennium nauale bellum. Profectò eadē ratione neutra istarū vera esset / Astra sunt paria / astra non sunt paria / in fundo maris sunt lapides sexcenti / nō sunt sexcenti lapides / quia delirus esset qui alteram partem adstrueret. Est ergo quòd cunq; futurum verum aut falsum, sed tamen indeterminatè. Et hoc est quòd docuit Aristot. lib. 1. Peri. Nempe quòd futurum contin-

Egregium argumentum.

Cathari-  
mus.

Futurū indetermi-  
natè verum.

gens non est determinatè verum: quòd est dicere, postquam est verum, potest nunq; fuisse verum: porro quia est mutabiliter verum: ita enim hoc est verum / Concionabitur Paulus cras / vt possit non ita fore. Ad rem igitur, quanuis Deus vtrancq; ignoraret, altera nihilò minus contradictionis pars est vera. Sit ergo hæc / Concionabitur Pau. cras / vtrum propterea priuatur Pau. libertate sua, vt necessariò concionetur? Minimè gentium: nihilò ergo plus eripit libertatis præscientia Dei. Sicuti si ego viderem sagittarium dirigentem flecentemq; arcum in scopum, quanuis certo iudicarem missurum spiculum, nihil illi libertatis adimerem: ergo quòd scientia Dei certissima sit, nihil omnino mutat libertatis nostræ. Sed ais, non solūm Deus id præscit, at constituit per suam voluntatem. Credo equidem, at hoc profectò omnium potissimū cōstituit, videlicet concurrere cum vnaquaque re, iuxta eius ipsius naturam. Est enim ipse causis necessariis, necessitatis causa: contingentibus, contingentia: ac liberis, libertatis: ob idq; statuit alios præuia eius gratia, per sua ipsorum libera opera ad gloriam perducere, aliosq; propter sua itidem libera peccata extrudere: quinimò, nisi libera vtracq; essent, neq; merita quidem fuissent, quibus ad tales fines perducerentur. Adde quòd quanuis nullos ab æterno vel prædestinasset, vel reprobasset, hac nihilò minus admissa catholica veritate, quòd nihil, nisi præuio eius numine, præstare possumus ei gratum, eandem vim haberet vulgare argumentum. Delirare, inquam, tunc eadem frenesi quis posset hoc pacto. Sine auxilio Dei nihil possum, neq; eius auxilium viribus meis demereri, nullam ergo mei curam geram: quicquid enim fecero, si ipse me adiuturus est, ipse faciet, sin minus, nihil ego possum. Huic autem responderet homo sapiens, quòd nisi qui libertatis est compos suapte sponte assenserit diuino afflatui, non iustificabitur, neque iustus factus proficiet. Idem igitur dicendum est vtiq; de hominibus statuisse ab æterno Deum: ob idq; ait Petrus, vt satagamus per bona opera, certam facere vocationem nostram. Esset enim deridiculus qui diceret, Deus præscit nasciturum Oedipum Caio (vt Ciceronis exemplo vtar) ergo siue fuerit Caius cum muliere, siue non fuerit, verum erit. Hoc enim est quòd præscit, quòd si mulierem noueris, suscipies prolem, sin minus, minimè. Et quòd si armatus inie-

Exemplum

2. Pet. 1.

ris

Optima ratio quæ nos consolatur. Aug. lib. 3. de libe. arb. cap. 3.

Adnotadæ propositiones.

ris prælium, seruaberis, quòd si aggressus fuisses nudus, telo confixus cecidisses. Sed ait, non solūm finem prædestinationis constituit cuicumq;, verum & media, per quæ illic peruenturus est. Fateor equidem, sed tamen vt illa recipiamus media in nostro arbitrio reliquit: ad hunc sensum, quòd possumus ea renuere. Est præterea, & super omnia ratio quæ nos maximè consolatur, de qua meminuit Aug. Nempe quòd argumentum vulgi parigressu de Deo currit ac de nobis. Nouit enim, statuitq; ipse ab æterno quicquid ipse facturus esset secundum tempus, & tamen quis nam dicere audeat, non liberè eum operari quicquid extra se operis efficit? Liberè creauit mūdum, liberè nos redemit, iustificat & beat. Eandem ergo nobis libertatem, non obstante sua præscientia, & prædestinatione, reliquit. Adnotandæ ergo, explicandæq; restabant, quæ præpositiones in hac materia affirmandæ sunt, quæq; negandæ. Sed esset hoc commentarios ad operosam dialecticæ prouinciam demittere. Concedimus etenim hūc sensum diuisum, quòd qui prædestinatus est, potest damnari: sed in sensu composito non stat, prædestinatum esse, & damnari. Quocirca licet modalis illa diuisa vera sit, non est tamen admittendum quòd damnabitur, quia repugnat alteri, scilicet, prædestinatum esse. Sicuti eodem instanti, quo quis loquitur verum est, quòd potest non mouere linguam, siquidem contingenter & liberè mouet. At non coheret, Petrus loquitur, & nō mouet linguam. Quòd fit, vt neq; necessitas huius hypothese, si quis est reprobatus, damnabitur, neq; huius, si quis est prædestinatus, saluabitur, quæ ideo sunt necessaria, quòd contrariū consequentis repugnat antecedenti, vllam à nobis aufert libertatem: sicuti non tollitur libertas motus, eò quòd, si quis currit, mouetur: tolleretur autē, si simpliciter esset verū absq; hypothese, quòd ille qui prædestinatus est, nō potest nō saluari. Neq; e cōuerso, quòd Paul. qui prædestinatus est, possit in sensu diuiso, damnari, facit vel scientiam Dei fallibilem, vel eius voluntatem mutabilem: sed necessarium ad hoc esset, vt in sensu composito simul hæc ambo confisterent, Deus hoc præsciuit & statuit, quòd tamen non erit. Atq; eadem compositionis veritate opus est, vt numerus prædestinatorum possit augeri: nempe possibile esse, vt cum Deus tātum mille prædestinauerit, plures saluentur: quæ tamen compositio impossibilis est. Propter hoc autē quòd,

eadem fixa prædestinatione, verus sit sensus hic diuisus. Qui modò reprobus est, potest saluari, non sit consequens, vt possit numerus prædestinatorum augeri. At verò stant simul in sensu composito, hunc qui prædestinatus est, hoc vel illo modo delinquere, licet non stet in peccato mori. Quo circa in singulis peccatis nulla est difficultas explicandæ libertatis: sed in hoc quòd, vel prædestinatus possit decedere in peccato, vel reprobus in gratia. In summa, qua res ad posteriorem Pauli quæstionem spectat de reprobis, cur scilicet cōqueratur de illis Deus, nullus superest scrupulus, si illius serues intellectum sententiæ, Perditio, tua Israel. Quippè quòd Deus nulla sit causa mali: quinimò propter mala præuisa opera reprobaui iniquos. Nescio an vltra commentariorum lineam fuerim ad hæc disputationem digressus: reuertamur ergo ad apostolicum contextum.

Ad posteriorem quæstionem Pauli

Osee. 13.

Quos & vocauit, nos: non solūm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus: sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectā: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco vbi dictum est eis. Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viui.

QUARTA  
PARS CA  
PITVLI

Subsequitur ergo quarta quæ suprema est sectio huius capituli, in qua Apostolus postq; prædestinationis causam, non in nobis, sed in diuina electione sitam edocuit, latissimā eius amplitudinem aperit, vt quæ non ad Iudæos tantum, sed ad Gentes quoq; communi lege pateat. Primū ergo testimonio Osee adstruit ad Gentes protendi: mox teste Esaia idem confirmat de Iudæis: ac tertio illic. Quid ergo dicemus / conclusionem colligit vniuersalem. Repetit ergo verbum primæ illius propositionis capitis superioris / Quos vocauit / ac si per parēthesin hætenus interpollata fuerit oratio, & arridet præterea ad verbū Osee / Vocabo / Quos vocauit, inquit, non solūm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus. Vnde pronomen / nos / licet nihil orationis demutet, tamen neq; est græcè, neq; hic opus erat. [Sicut in Osee dicit.] Puta Deus. Neque existimo / Osee / datiuum esse verbi, dicit / sed genitiuū potius, id est, in Osee vaticinio: vel / in Osee / ablatiuo, vt alludat non solūm generatim ad prophetas in quibus Dominus loquebatur, verum peculiariter ad id, quòd habetur in eo

S s dem

Ose. 1.

Iudæorum  
privilegia  
communi-  
cata Gen-  
tilibus.

Ephe. 2.

dem propheta, Principium loquendi domini in Osea. [Vocabo non plebem meam, plebē meam.] Respicere hic mihi videtur præterea Paul. ad initium huius capituli, ubi privilegia Iudæorum recensuit, ut similia propemodum commoneat communicata esse per CHRISTVM Gentilibus. Primum enim privilegium erat, quod essent peculiaris popul⁹ Dei, & (ut est in Psalmo) Oves pascuæ eius: à quorum conversatione alienatæ erant Gentes, ut habetur ad Ephesios, quasi hospites testamentorum: CHRISTVS autem fecit utraq; vnum, ut qui non erant plebs Dei, asciscerētur in plebem. Vnde Ambr. & nonnulli Latini existimant hanc prophetiā ad literā fuisse prænunciatā de gentilitate. Orige. autē Chryl. & Græci arbitrantur de Israele potius literalē illic sermonē haberi: id quod verisimilius fit per prophetiā ipsam. Nam cū cap. 1. in odiū pessimi Iehu cōminatus sic fuisset dominus, Voca nomen eius, scilicet Israelis, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Postmodum diuino suo more ad misericordiam versus ait sub vaticinio venturi CHRISTI, Sponsabo te mihi in fide, & c. Et dicā, Non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicit, Deus meus es tu. Est ergo mens Pauli ita colligere, Si tu Israel, qui tua culpa, nō populus iam merito eras, in populum diuina misericordia reuocatus es, non mireris, quod Gentes quæ non appellabātur Dei populus, fuerint in populum accersitæ. [Et nō dilectam, dilectam.] In Osea non est hæc particula, neq; propositū Pauli est præcisā verba citare, sed sententiam. Est enim populo Dei peculiare, ut sit & ipsi dilectus. [Et non misericordiam cōsecutam, misericordiam consecutam.] Tertium autem hoc membrum non est græcè apud Paulum. Tametsi Hieron. in commentariis Osee varias meminerit fuisse lectiones apud. 70. et in aliis translationibus. Est autem in Osea secundum translationem vulgarem, Miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia, & dicam nō populo meo, populus meus es tu. Quocirca vel inde Pau. hoc citat, quod est credibilis, vel alii hoc adiecerunt, quod tamē nihil sententiæ officit. [Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea: tibi uocabuntur filii Dei uiui.] Accessio suprema ad privilegia Iudæorum erat, ut illorum esset adoptio filiorum: quæ admodum dixit Paul. in initio huius capituli: hoc ergo ait, communicatum esse per CHRISTVM vniuersis gentibus. In cuius figurā & testimonium citat verbū eiusdem propheta,

atq; id quidem significantissimè. Illic enim de infidis tunc Iudæis per opprobrium pronunciatum est verbum hoc, quod tamen tūc temporis propriè competebat in populum Gentium. Ait ergo Pau. quod in ipsis eisdem locis, nimirum Gentium, in quibus verè tūc temporis dicebatur, Non populus meus vos, propterea quod falsos deos colebant, ibidē non solum populus Dei, sed, quod cūmulatissimum est beneficium, filii Dei vocabuntur. Et filii Dei viui. Ad differentiam mortuorū, qui habebantur pro diis. Atq; id nimirū per Spiritum sanctum, clamantem abba, pater. Et ait / ibi / hoc est, ubiq; terrarum absq; vlla necessitate cōmigrandi in Iudæā: sicuti olim necessum erat profelytis, qui volebāt legem Dei suscipere. Perinde ergo hoc est, atq; illud quod CHRISTVS ait Samaritanæ, Venit hora quādo neq; in mōte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrē, sed in spiritu et veritate.

Esaïas autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanq; arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbū enim consummans & abbrevians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. Post vaticinia, quibus sub figura Gentium prædestinatio præcantata est, procedit ad duo alia Iudæorum, quæ sunt apud Esaïam. Comprimit autē eorū fastum. Nam cū sub figura Gentium sine vlla exceptione dixisset Oseas, Vocabo non plebem meā, plebē meam, inducit Esaïā proclamantē, id est, constanter & absq; vlla hesitatione clamantē, ut notum sit vniuerso orbi, hoc prædestinationis munus, non fuisse in vniuersos Iudæos protēsum, sed paucis impēsum: quam paucitatem, reliquias appellauit Esaïas, quo ideo nomine vtitur & Paul. infra etiam cap. 11. Ad huius autē intellectū perspicendus est penitus propheticus sensus. Est enī oraculū hoc Esaïæ. 10. Vbi ad literā, interprete Hieronymo, loquitur de obsidione Sēnacherib, qui post trāslatas decē trib⁹ Israel, regnante illic Osea, inuasit cæteras duas tribus, eisq; penē absumptis, obsedit Ezechia in Hierusalem, qui tum demum diuino fauore per Esaïā consolationē recreatus est, & per angelum à vi Assiriorū liberatus, ut legitur. 4. Reg. 19. & Esa. 36. Ob idq; ait propheta, Si fuerit numerus filiorum Israel, id est, omnes duodecim tribus, tanquam arena maris (ita enim legitur Gene. 22.) reliquiæ saluæ fient, hoc est, particula reliqua, quæ cum Ezechia

serua-

seruata est Hierosolymis, cæteris decem tribubus, plurimaq; duarum parte deperditis. Id quod in figura seruatoris CHRISTI peractum est, qui veluti angelus Dei redemit orbem à diabolica tyrānide, sed duritia Iudæorum obistente, non nisi particulam illorum lucrificat. [Verbū enim consummans & abbrevians in æquitate, quoniam verbum abbreviatum faciet Dominus super terram.] In translatione nostra nō legitur, nisi hoc pacto, Consummatio abbreviata inundabit iustitiam. Consummatio enim & abbreviatio Dominus Deus exercitū faciet in medio omnis terræ. Paulus verò citat crebrius lectionem Græcam septuaginta interpre. Ob id fortè, quod conuersis scribebat pro plurima parte ex Gentibus, quibus illa trāslatio celebratior erat: quæ neq; Iudæi repellebant, eò quod à suis fuisset facta. Id quod in subsequenti bus ferè perpetuò facit. Igitur si ad limā illius veteris lectionis hæc Pauli intelligere debeamus, idem est / verbum consummans & abbrevians / ac si dixisset, salutem enim consummauit, abbreviauitq; dominus, id est, in paucos coercuit, ut nomen / verbum / quod accusatiui casus est, usurpetur pro re ipsa salutis: solet enim in sacra scriptura / verbum / accipi pro re gesta: ut apud Lucam, Videamus verbum quod factum est. Et pariter quod sequitur / Quia verbum abbreviatum faciet dominus / idem est, quod / rem & salutem abbreviatam / At nihilò minus Hieron. illic, quinimò Latini omnes & Græci nomine hic verbi, fidem euangelicam intelligunt: euangelica enim lex in pauca summat, & abbreviat antiquum verbum, id est, legem veterem: quoniam his duobus mandatis pendet lex & propheta, Diliges Dominum Deum tuum, & c. Item sicut bus legalibus semotis, fides breuibus verbis pollicetur salutē. Nam, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Est ergo lex euangelica, & verbum, hoc est, sermonem abbreviās, & verbum abbreviatum, quod fecit dominus. Quod autem ait / In æquitate / propterea dictum, quod Euangelium sua veritate nullam intulit iniuriam legi, quin potius & figuras omnes illius re ipsa cōpleuit, & præcepta naturalia retinuit. Vel ad rem fortè propinquius, quia fides nostra citra iniuriam solas reliquias Israelis seruauit, licet longè fuerit patentior in nationes Gentium. Sunt qui interpretē culpāt, quod nō trāstulerit, sermonem consummans & abbrevians, ut caueret

ab amphibologia nominis / verbum / quod potest esse nominatiui casus, cū hic sit accusatiui. Sed nil mirum si id fortè fecerit, ut sub ampla significatione verbi libertatem illis permitteret, qui vellent intelligere verbum incarnatum, quod Deus pro salute nostra abbreviavit, hoc est, sub angustiis carnis exinanitum misit. Cui non malè consonat id quod addit / super terram / neq; oratio cōtinuò subtextu de semine.

Verbum  
incarnatū.

Et sicut prædixit Esaïas, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuisset. Inducit vaticinium aliud eiusdem Esaïæ in confirmationē superioris. Ait autē / prædixit / vel ad generalitatem alludens, quod propheta antiquiores fuere, vel quia oraculum hoc, quod est cap. 1. præcessit illud, quod modò citatū est. Atqui licitum est nomen hic seminis, eisdem utiq; significationibus vsurpari, quas tribuimus nomen / verbum / Primum ut reliquiæ ipse seruata dicantur relictum semen, ne funditus aboleretur Israelis genus: ut sensus sit, Nisi Dominus virtutum ac potestatum (hoc enim sonat sabaoth) cui conuenit humana scelera vindicare, sicuti Deo vltionum, hanc particulam seruasset, quæ veluti semen fructum ferret, sicut Sodoma & Gomorra fuisset: quorum genus extinctum est prorsus delectumq; nomen. Nam licet Loth cum suis sub figura fortè reliquiarum Israel seruatus fuerit, non tamē erat ex eorum sanguine. Atq; huc apud Chryso. quinimò & Paul. infra cap. 11. Nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nā & ego Israelita sum ex semine Abraham: Et secundum hoc similitudo Israelitarū & Sodomorum non refertur ad culpam, sed ad pœnam. Nō inquam, sensus est, nisi fuisset ob relictum semen, similia patrarent facinorosa: sed quod cū omnes fuissent in crimine, similiter fuissent prorsus absumpti. Secundò accipi potest & semen pro verbo fidei: nam semen est verbum Dei. Et secundum hoc cōparatio intelligi utroq; modo potest, putā quò ad pœnam: nam nisi nos fides seruasset, periissemus omnes, & quò ad culpam: quoniam nisi prædicatio euangelica nos sustentaret, eadem maioraq; crimina, quam Sodoma cōmitteremus. Quinimò si ad populum Israel hoc referatur, peiora ipsi admiserunt. Quādoquidem Sodomitæ (ut ait Orige.) contra angelos hospites ius naturæ violare tentarūt: Isaac

Semini nō  
men mult.  
plex.

Chryso.

Luc. 2.

Orige.

Isaac

Paul. ci-  
tat. 70.

Ioan. 4.

Luc. 2.

Latini &  
Græci.

Mat. 22.

Chryl.

Mar. 16.

Oraculum  
Esaïæ.Defensio in  
terpretis.

Israelitæ verò parentem Deum abnegantes ad idola defecerunt. Sed potest nihilò secius congruentissimè nomen seminis, de CHRISTO hic enunciari: vti sancti interpretes enarrant. Quàm ob rem ad Gala. Paul. non dicit, inquit (scilicet Gen. 22.) Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et tunc similitudo vtroq; modo constat: nisi quòd aptius quadrat quàm ad pœnas. Nempè quòd nisi per CHRISTVM redempti, seruatiq; fuisset, perisset totum genus humanū ob culpam tum Adæ, tum cuiusq; propriam. Quòd si semen pro fi de euangelica hic accipiatur, tunc locum habet quòd ait super Esaiam Hieron. porrò vti Dominus Sabaoth, hoc est, virtutum, prædicetur de CHRISTO: iuxta illud, Attollite portas, &c. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ: nimirum cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ipse enim est qui reliquit nobis huiusmodi semen. Sin verò nomine seminis CHRISTVS subnotetur, necesse est, vt dominus Sabaoth accipiatur pro Deo vno ac trino, qui nobis eum misit.

Quid ergo dicemus? Quòd Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: iustitiam autè quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.

Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. More sibi consueto sub interrogationis schemate concludit. [Quid ergo dicemus?] Id est, quid ex his quæ hæcenus tractauimus, dicamus colligi. [Quòd gentes quæ non sectabantur iustitiam, &c.] Id est, colligemus hanc expauescendam, nam mysterio plenâ, discrepantiam inter Gentes atq; Iudæos, vt potè quòd illi qui non sectabantur iustitiam, hos qui illâ sectabatur, anteuertunt, brauiū videlicet præoccupantes ac præripientes. Vti tur enī mirifica, ad remq; accommodatissima metaphora duorū, quorū alter id quòd sequitur nō cōsequitur, eò quòd aliorum respiciēs ad lapidem in itinere offendit, vbi concidit: alter verò ostēdo de repente scopo absq; vlla remora pertingit. Pari enim modo Iudæi per legem, quasi per vmbra futurorū bonorū sectabantur veram iustitiam fidei, & tamen oblatum eis CHRISTVM, eiusdē fidei auctorem, non agnouerunt: ob idq; in illum veluti in lapidem impingentes colapsi sunt. Gentes autem quæ (vt habetur ad Ephe.) erant sine

CHRISTO, hoc est, sine fide CHRISTI, alienatæ à conuersatione Israel, atq; adeò non sectabantur eius iustitiam, eandem receperunt. Lucescit ergo iam totus contextus Pauli, si nomine iustitiæ in hac perpetua oratione, illam quæ fidei est, intelligamus. Ait igitur, Gentes quæ non sectabantur iustitiam, quoniam licet essent naturali iure Gentiles imbuti, in quo præstare poterant naturalem iustitiam operum, hoc est, opera moraliter bona, quin etiam illi qui diuina essent ope illustrati ac suffulti, Deo valeret reconciliari, officiaq; illi grata offerre, tamen quia legem scriptam futuri CHRISTI prælagam, per modum doctrinæ non habebant, non sectabantur iustitiam fidei. Alludit enim ad philosophos, quorum dicuntur esse sectæ, propterea quòd in suis scholis sua singuli dogmata sectabantur. Apprehenderunt igitur Gentes quam non sectabantur iustitiam. [Iustitiam scilicet, quæ ex fide est.] Ne in dubium nos conuiceret, de qua loqueretur iustitia: nam aliæ iustitiæ, non simpliciter censentur hoc nomine. [Israel verò sectando legē iustitiæ, in legē iustitiæ nō peruenit.] Legē antiquā appellat hic nōnulli legem iustitiæ: vel quia rectè intellecta, iusta erat: vel quia faciebat iustos, non amore, sed timore. At verò genuinus sensus, si in metaphora persistere volumus, neq; nomen iustitiæ diuersimodè vsurpare, id sanè est, vt lex iustitiæ dicatur hic lex euangelica, quam per antiquam sectabatur, id est, inuestigabāt Iudæi, quamq; modò appellauit iustitiam fidei. Et ideo ait, quòd hanc legem iustitiæ, puta vbi vera iustitia est, præstolantes & inquirentes non inuenunt. [Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.] Videlicet quærebant eam. Subdit enim causam, cur non in eam legem iustitiæ peruenerunt, quam sectabatur. Et arridet ad eum, qui propterea rem propositam nō inuenit, quòd non ad rē, sed aliorum attentus est. Sic enim Iudæi quoniam iustitiam verā per literam legis consecrabatur, arbitrati ex operibus iustificari, & non per fidem, non crediderunt in eum, qui iustificat impium: nam (vt protinus dicitur est Pau. cap. proximo) finis legis, CHRISTVS est, ad iustitiam omni credenti. Vide quàm fuerit populo illi deprauatus affectus, nempè quòd cum legem veluti lumen Deus illis irradiasset, in quo CHRISTI fidem prospicerent, vt eum paratioribus susceperent, eadem lege ita sese obtenebrarunt, vt veluti in caligine oberrantes ad ipsum pro maxima parte allisi, corruerint.

Offen

Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum, nō confundetur. Subscribit rationem frustrationis Israel, & loquitur semper de Israele pro maxima parte, quæ ab alienata est à fide CHRISTI, prosequiturq; perpetuò ceptam metaphoram illius, qui in stadio offendit ad lapidem, cuius causa non venit ad metam. Impegerunt autè Iudæi in CHRISTVM, primum quòd velut pusillus aduenit, contusq; vilitate humanitatis nostræ in similitudinem carnis peccati: & ideo non solum nō fuit ab illis prospectus, sed etiam despectus: iuxta illud, Quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde non reputauimus eum: deinde corticem literæ antiquæ legis respicientes spiritum non penitus scrutabantur, in quo CHRISTVM cernere poterant. Et quoniam lapidē CHRISTVM comparat, in quo viator pedem lædit, subscribit rei vaticinium trimembre. [Sicut scriptum est.] Puta apud Esaiam: apud quem tamen non est sub vno tenore totum hoc elogiū: at cap. 28. sunt verba hæc, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem, &c. Qui crediderit nō festinet. Vnde desumptum est primū, postremumq; membrū citationis huius: medium autem ex cap. 8. vbi legitur, Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, &c. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel. Est namq; in diuinis eloquiis celeberrimum, vt dicatur CHRISTVS per metaphoram lapis. Qui excisus est de monte sine manibus, hunc enim descendētem de cœlo concepit Virgo sine semine. Et quantum ad diuinum propositum spectat, lapis dictus est propter allusionem ad ædificiū Ecclesiæ, quæ fabrica eius est: figuratus est in lapide illo reprobato ab ædicatoribus templi, postea verò constituto in caput anguli. Compegit enim veluti angularis lapis duos populos in vnam Ecclesiā vniuersitatē. Vnde alibi Paul. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quòd positum est, quòd est CHRISTVS IESVS. At verò diuersa hominum affectio in causa fuit, vt diuersis, diuersus fieret. Vnde ad Corinth. Paul. Prædicamus CHRISTVM crucifixū. Iudæis quidem scādalum, Gentibus verò stultitiam: ipsis autem vocatis, &c. Dei virtutem, & Dei sapiētiam,

Et, Ecce positus est hic in ruinā & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui cōtradicitur. En quid est offendere in CHRISTVM, ac veluti offendiculo confringi, nempè contradicere illi: nam si non venisset & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent. Vnde Matth. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum. Nam quando humilis apparuit, tunc qui se illi non subdiderunt, cadentes super illum, veluti vasa fictilia, fracti tantum sunt, quia poterant per misericordiā rursus consolidari: sed cum in montē creuerit, puta cum excelsus venerit ad iudicandū, corruet super illos tanquā lux potestati subiectos, & tunc sicuti obduratos lapides vsq; adeò conteret, vt nullus fiat reliquus reficiendi locus. [Et omnis qui credit in eum non confundetur.] In veteri translatione non est apud Esaiam, nisi Qui crediderit nō festinet. Paulus autem, citat translationes. 70. interpretum, vbi pro non festinet habetur nō confundetur quod idem est. Siquidem confusio innascitur credenti quando non ita accidit, vt credit, ob idq; sollicitus festinat, vt quòd credit cernat, ne confundatur. Igitur non festinet idem est, quòd qui in hūc lapidem crediderit, sedato sit animo, quia nō confundetur. Nam licet moram fecerit (vt est apud alium vatem) non tardabit.

## CAP. DECIMVM.

Fratres, voluntas quidē cordis mei & obsecratio ad Deum, sit pro illis in salutem. Postquàm in genere Apostolus cap. præcedenti de origine gratiæ disseruit, nempè quòd ex mera Dei voluntate procedat, vniuersisq; promiscuè exposita sit tam Græcis, quàm Iudæis, quinimò reliquiis tantum Israel seruatis, Gentiles reliquæ multitudini prælati fuerint, persistit hoc capite de eadem Iudæorū cæcitate tractare. In quo quatuor agit. Explicat enim primū ruinæ eorum causam, quæ cum ex ignorantia prodierit miseranda est. Secundo illic Moyses enim constituit discrimē inter legem iustitiæ, & iustitiam fidei. Tertio illic Omnis qui credit, explicat eiusdem latitudinem fructuumq; & promulgationis modū. Quarto illic demum Sed dico demonstrat, quòd eadē Iudæorū ignorantia nō fuit vsq; adeò innocens, vt culpam prorsus dilueret. Igitur in fronte statim sanctam vrbānitatem Apostolici

Luc. 2.

Ioan. 19.

Mat. 21.

Abac. 2.

Gal. 3.

Hieron.

Psal. 23.

Mat. 28.

Heb. 10.

Eph. 2.

Esa. 53.

Christus lapis. Dani. 2.

Psal. 117. &amp; Act. 4.

1. Cor. 3.

1. Cor. 11.



stolici peccatoris agnosce. Etenim (vt in initio præcedētis capitis adnotauimus) nullum vnquam locum accusationis, vel obiurgationis aggreditur, nisi amorem suum & beneuolentiam præfatus, qua lenitate acerbiter futu- ræ orationis mitiget. Cum ergo in conclusio- ne superioris capitis eos per illam compara- tionem ad Gentes, rubore suffuderit, quod si de illis Gentes anteissent, quam ipsi per legē sectabantur, lenit nunc verbi asperitatem, ne suspicionem illis faciat, quod præ odio id dixerit. Ob idq; ait, [Fratres.] Nomen enim est amoris, quo indiscriminatim conuersos pro- sequebatur ex vtroq; populo. Sicuti CHRIS- TUS admonet, Omnes vos, fratres estis. [Voluntas quidem cordis mei.] Verbum Græcum quod hic transfertur / voluntas / idem pollet quod / bona voluntas, id quod alii transfe- runt / propensa voluntas / sed tamen / bona / plus dicit, & accommodatius est ad propo- situm. Et subintelligitur in hoc quod subdi- tur / In salutē. Atqui / cordis mei / auxesis est, & exaggeratio amoris. [Et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.] Vtrumq; membrum ad hoc referendum est, quod ait / pro illis / id est, voluntas mea: nam votum & desiderium fit pro illis, & obsecratio item mea ad Deū: nisi quod / fit / congruentius refertur ad obsecra- tionem, & ideo alii vertunt / sit pro illis / vt / sit / referatur aptius ad voluntatem. Atqui lo- quitur de tertia persona, eò quod loquitur cōuersis de aliis offendētibus in CHRISTVM. Tamen in textu Græco non est nisi / pro Is- rael / quod idem est. Sed attende, quod non ait, obsecratio mea, seu oris mei, sicut, volun- tas cordis mei: nam obsecratio non solum ab illo, sed pariter ab Ecclesia quæ cum ipso erat, fiebat, Sed ait / voluntas mea / vt cuius so- lius poterat conscientia sua testimonium fer- re. Nam exterior obsecratio sine interna vo- luntate, inutilis est. Tamen parum refert si / cordis mei / ad obsecrationem quoq; suam propriā referatur. Addit autem / in salutem / iuxta verbum Iacobi, Orate pro inuicem vt saluemini. Vbi probè adnotant enarratores, orandum esse ex intimo corde pro infideli- bus, vt veniant in agnitionem fidei, quæ do- num Dei est.

Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationē quidem Dei habent, sed non secundum scientiā. Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Ecce nonnullam Iudæorum excusationem: est enim leuius delictum, quod ignorantia pa- rit: quocirca eiusmodi culpa cōmiseratione digna est. [Æmulationē.] Alii vertunt / studiū / sed profectō incongruē: est enim græcē / ζή- λος / quod quidem nomen feruorē significat, siue in bonam, siue in malam partem. Zelare ergo pro Deo idem est, quod feruenti amore aliquid in eius honorē persequi: iuxta illud, Æmulor enim vos Dei æmulatione: vbi non quadraret, studeo vobis Dei studio. Neq; ve- rō hic tā cōmodè diceretur, studiū Dei ha- bere, q̄ æmulationem, hoc est, amorem feru- dum. [Sed non secundum scientiam.] Huius qui- dem Paul. potuit certissimum testimonium perhibere, quippe qui in se ipse expertus id ipsum fuerat. Ait enim ad Phil. secundū æmu- lationem se fuisse persequutum Ecclesiā Dei: at quia non erat secundum scientiā, non fuit prorsus immunis à culpa. ob idq; se confite- tur fuisse blasphemū, persecutorem, contume- liosum, & c. Veruntamē, quia ignorantia non nihil adfert excusationis, alleuiantis culpam, subdit, misericordiam se consecutū, quia igno- rans fecit. Quod enim populus ille Iudaicus tāti æstimasset legem suam, vt eius operibus se crederent iustificari, à zelo Dei proficisce- batur, quem vtiq; authorē profitebantur eius- dem legis. Eodemq; zelo CHRISTVM, facien- tem se Deum peccatorū condonatore, per- dere procurarūt. Erat autē zelus cæcus, quia à lege ipsa, salutem per CHRISTI doctrinam explicita, erudiri poterant veritatē fidei. Por- rō autem adnotandum est hic, quod cum vo- luntas, bona non sit, nisi de obiecto, quod nō solum apparet, sed verè sit honestum, in- tellectus autem officium sit, cæcam volun- tatem edocere, fit, vt voluntas, quæ non se- quitur scientiam, bona esse nequeat. Vnde Arist. inter conditiones iusti hanc præsertim constituit, vt sciens operetur. [Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.] Graphicè sanè describit & ignorantiā Iudæorum, & culpā, & culpæ rursus nequā prolē. Internoscit enim primū inter duas iustitias, Dei scilicet alteram, atq; alterā Iudæorum propriā. Iustitiam Dei sæ- penumero diximus sic nuncupari, tum quod proprius eius effectus ac donum est, tū quod nos per eam, formaliter nobis inhærētē ius- tificat, hoc est, reconciliat remittēdo culpam. Iustitia verò nostra est iustitia operum, putā opus moraliter bonum per vires naturales exhibitum, quod personam iustificare non sufficit

sufficit apud Deum, sed apud homines ciui- li honestate: iuxta illud cap. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deū. Ignorantia ergo Iudæorū erat de iustitia Dei sine cuius fide impossi- bile est illi placere. Inde q; prima hæc culpa promanabat, quod propriam iustitiam in ob- seruatione legis, secundum substantiam ope- rum positam, stantebant veluti quæ ad salu- tem satis erat. Quo rursus timore deturgen- tes iniquitatem alteram cumulabant, nolentes CHRISTO authori iustitiæ Dei esse subie- cti. Est ergo explicatio hæc illius quod di- xerat, Offenderunt in lapidem offensionis.

Finis enim legis Christus, ad iustitiā omni credenti. Prodit, explanatq; hanc Iudæorum prauitatem, qua scilicet ratione non fuerint subiecti iustitiæ Dei. Neq; id so- lum, sed alias etiam eorum tenebras luculen- ter fugat. Poterant enim forsā (vt Chryso- st. perspexit differit) duas iustitias Dei Iudæi confingere: scilicet legem veterem & nouā, atq; ad eò respondere, quod licet non essent subiecti nouæ, fuissent tamen veteri: quin ve- rō recipiētes nouam, debere nihilò secius an- tiquam retinere: hoc enim erat quod pertina- cissimè defendebant. Vult ergo Paulus pate- facere, non esse has duas leges omnino di- uersas nec discrepantes, sed illam Moysis viā esse ad hanc CHRISTI: hanc autem illius finem & perfectionem: ob idq; qui hanc sus- ceperit, illam secundum virtutem custodi- re, qui verò hanc repulerit, eum neq; illam seruare. Ad huius autem liquidam intelligē- tiam cōsideratius meditandū est, quod finis cuiusvis legis (id quod & philosophi etiam- num profitebantur) est bonos facere ciues: quapropter & idem quoq; fuit finis Dei ve- terem edicētis legem. At quia bonitas apud ipsum supernaturalis est, quam ideo per se opera legis præstare nequuerant, finis pro- prius illius legis fuit CHRISTVS, qui per eam prænunciatus ac delineatus, author erat per suā ipsius fidē eiusdē bonitatis & iustitiæ. Er- go sicuti ciues non sunt subiecti iustitiæ à le- gillatore prospectæ, nisi legem colant inten- tione eiusdem legillatoris, scilicet vt tranquil- lus status in Republica perseueret, & hone- stas ciuili, ita neq; Iudæi facientes opera le- gis quò ad substantiam operum, non autem intendentes iustificari per fidem CHRISTI, qui finis erat legis, erant subiecti iustitiæ Dei. Ecce ergo cur ait, CHRISTVM esse finem

legis ad iustitiam, id est, ad consecutionem veræ iustitiæ, non quidem omni operanti, sed omni credenti: neq; verò ad assecutio- nem iustitiæ tantum, quæ est expiatio pecca- torum, sed ad culturam iustitiæ: nam quod lex requirit, fides præstat, hoc est, lex ad in- tentionem præcipientis non nisi per gratiam CHRISTI impletur. Et hoc est quod ait Mat. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere: & quod dixit Paul. cap. octauo, Quod impossibile erat legi, etc. Deus filiū suū mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Et quod ait ad Ga- lat. Lex pædagogus noster fuit.

Moyses enim scripsit, quoniam ius- titiam quæ ex lege est, Qui fecerit ho- mo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum? Id est Christum deducere. Aut, quis descen- det in abyssum? hoc est Christū à mor- tuis reuocare. Sequitur secunda pars huius capituli, illius quidem differentiæ expo- sitio, quæ est inter iustitiam legis, seu operum, & iustitiam fidei: quæ quidem differentia, duplex est: videlicet & ex parte causæ: nam iustitia legis consistit in operibus legis faciē- dis: iustitia verò fidei, in credendo ex verò puroq; corde: & rursus ex parte finis & fru- ctus: nam fructus iustitiæ legis est vita tem- poralis, fructus autem iustitiæ fidei, vita æter- na. Vtitur autem duobus prisca legis oracu- lis: altero quidem in sensu literali relato, alte- ro verò per mysterium allegoriæ exposito. Primum est Leuit. 18. quod citat: attamen nō ad literam, sed secundum sententiam. Sic enī habet secundum translationem nostram. Cu- stodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Et simile scriptum est in Ezech. 20. Sed & text. hic Græcus apud Pau- lum sic habet, Moyses enim scripsit, iustitiam quæ est ex lege: quoniam qui fecerit ea homo viuet in ipsis: vt / ea / referatur ad præcepta & iudicia sub quibus etiā verbis citatur idē lo- cus ad Gal. Quapropter isti cæsores interpre- tis nostri connumerāt hūc locū inter manife- stē deprauatā: sed celsura est nimīū acerba, cū nihil sententiæ demutetur: siue, dicas, q̄ fecerit iustitiam legis, siue, qui fecerit ea, puta præce- pta. Et præsertim quod oratio Græca videtur trūca: q̄ ob rē alii coacti sunt pmutare accusas

tium cum ablatiuo, hoc modo, Scripsit de iustitia quæ ex lege est, &c. Quancunq; ergo sequamur lectionem, vult Paul. admonere Iudæos, nosq; in ipsis quod cultura legis quantum ad substantiam operum præstat cultoribus per eadem opera vitæ solummodo hanc temporariam. Id quod trifariam meditari possumus. Primum quod finis civilis legis est pax, per quam vita hæc humana protegitur, & conseruatur. Secundò quod cum legislator non habeat iudicare de obseruantia legis, quæ iustitia est apud Deum, sed linguam tantum compescere, & manus cohibere, in hunc tatum finem pœnas mortis aliq; supplicia decernit. Quin Deus externe delinquentibus similes pœnas inscripsit, vt in Leuit. Qui maledixerit, &c. morte morietur. Vnde Heb. Paul. Irritam quis faciens legem Moysis absq; vlla misericordia morietur. Ob id igitur qui fecerit officia legis viuet in illis, hoc est, per illa. Sed tertio id peculiariter cõpetit antiquæ legi, eò quod temporaria bona pollicebatur, quibus aliter humana vita. Ecce ergo quomodo iustitia legis consistit in operibus, id quod cap. 2. super illud, Non eni auditores legis iusti sunt apud Deum, explicuimus. Ad differentiam iustitiæ fidei quæ consistit in credendo ex corde. Et hoc est quod explicat Paulus hoc subiecto testimonio. *[Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit.]* Inducit verba Moysis, quæ consideratè prælegenda sunt, vt perspectius enucleetur mysterium. Pollicetur enim illic primū Dominus, quod si dispersus fuerit Israel, captiuus inter Gentes, & fuerit pœnitentia cordis ductus, miseretur eius: rursumq; de cunctis populis congregabit reducetq; in terram promissionis: quod quidem vaticinium erat venturi Messæ ad congregandam Ecclesiam, inducendamq; in regnum cœlestis. Protinus idcirco Moses subiungit commendationem scriptæ legis, & vt reuertatur populus ad Dominum in toto corde, & in tota anima, &c. Et continuo quasi ore Dei subdit, Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non supra te est, neq; procul positum, neq; in cœlo sitū, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cœlū ascendere, vt audiamus atq; opere compleamus. Quocirca Apost. hic non citat hanc sententiam in sensu literali, is enim erat de præceptis legis, quæ in promptu erant ob oculos posita, vt implerentur, sed in sensu mystico. Qui quidem sensus auctoritate Pauli canonicus est & fides catholica: sicuti allegoria

cusensus, quem exponit ad Galat. de duobus filiis Abrahæ. Ob idq; non ait, Moyses scripsit, sicuti proximè dixerat, sed facit loquentem iustitiam ipsam, quæ abdebat in mysterio illo, seu fidem intelligas, seu CHRISTVM ipsum (vti sentit Orige.) qui, auctore ad Cor. Paulo, factus est nobis sapientia & iustitia, &c. Quocirca refellendus est ille grammaticus, qui accusatiuum vertit per ablatiuū, putā / De ea autem quæ ex fide est iustitia, sic dicit / scilicet Moses. *[Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est CHRISTVM deducere.]* Mysterium utiq; consistit in hoc, quod mandatum, hoc est, lex, vt seruaretur quantum ad substantiam operum, haud opus habebat, vt quis, vel in cœlum transcenderet, vel mare transmitteret: erat quippè præsto in ore & in corde populi, vt illic subiūgitur. Sed tamen, vt obseruaretur secundum intentionem præcipientis per opera Deo grata & ad vitam æternam accepta, præstolanda erat iustitia fidei quæ supernaturalis est, cœlitusq; delata. Atq; huius fortè causa mysterii, mentio illic facta est cœli. Illud autem populus reputare poterat impossibile. Est autem phras hęc Paulina, forsan Hebræa magis, quam, vel Græca, vel Latina, ob idq; duriuscula. At ne expositionum confusio intelligentiam interturbet, vnam tantum subiiciam, quæ omnium maximè videtur germana. Admonet inquam, iustitia mentem humanam quæ sedes est ei. Ne dixeris in corde tuo, id est, nec cogitatione talem dubitationem admittas, quæ desperantis est. Quis ascēdet in cœlum, nempe vt mandatum hoc, putā iustitiæ fidei inde ad nos deferat. Hoc est enim, ait Paul. CHRISTVM deducere, putā ab alto, seorsum deferre: hoc enim græcè significat κατὰ ὕψος. Ac si dicat Pau. Qui enim sic loquitur, perinde habet ac si dixerit, Quis ascendet in cœlū, vt CHRISTVM, qui auctor est talis iustitiæ ad nos deferat, quasi id reputans impossibile: veluti si necessarium esset, illuc quempiam ascendere, qui ad nos CHRISTVM deduceret, & non potius per suam ipse virtutem homo factus descenderit ac iustificantem fidē scripserit in cordibus nostris, opemq; adeò tulerit, ne opus sit, non modò in cœlum ascendere, verum nec peragere terrā, nec pedem loco mouere, ad complendam perfectè legem. Ob idq; qui sic vel hæsitaret, vel desperaret, negaret utiq; articulum incarnationis. Quā ob rem non est ferendus alter grammaticus, qui mallet interpretem vertisse, Noli dicere,

Galat. 4.

1. Cor. 2.

vt concinnè sequeretur illud, hoc est, CHRISTVM deducere. Nā præterq; quod græcè nō est nisi / ne dixeris / error absurdus est, orationē illā, hoc est, CHRISTVM deducere / facere veluti accusatiuum illius verbi / noli / cū sit potius expositio Pauli. *[Aut, quis descendet in abyssū? Hoc est, CHRISTVM à mortuis reuocare.]* In loco citato Deut. non est nisi sic. Neq; illud mada tum est trās mare positū, vt cauleris & dicas, Quis è nobis poterit trās fretare mare, et illud ad nos vsq; deferre. At quia abyssus (quod nomen propriè significat fundū maris) transfertur & ad significandum inferos, interpretatur illud Paul. de mysterio resurrectionis CHRISTI. Ne dixeris quis descendet in abyssum / vt inde eadē iustitiā nobis referat. Hoc enim est, inquit, Paul. / CHRISTVM à mortuis reuocare / nēpe negare eū mortuū fuisse, ad comparandam nobis iustitiā. Vel aliter, vt simul atq; præcedēs mēbrum exponatur. Hoc enim est dicere, necessariū esse, vt quis in abyssum descendat, vt CHRISTVM à mortuis reuocet: quasi nō per se ipse propria virtute deberet resurgere, & Patres inde reuocare. Et per consequens qui hoc diceret, negaret mysterium mortis & resurrectionis. In summa, docet nos Pau. quod illis verbis Deut. iustitia ipsa, putā CHRISTVS prædixit articulos incarnationis, mortis & resurrectionis, quibus parata est nobis salus, atq; adeò ora eorum occlusisse, qui de huiusmodi articulis veluti impossibilibus hæsitarent.

Sed quid dicit scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est, verbū fidei quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominū Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiā, ore aut confessio fit ad salutē. Prosequitur suā luculentius expositionē. Subsequitur nanq; eodem citato loco Deut. Sed iuxta te est sermo valde in corde tuo & in ore tuo, vt facias illud. Pau. verò solū citat / Propè est verbum in corde tuo, & in ore tuo / vt ex parte causæ discriminet inter iustitiā legis, de qua dixerat / Qui fecerit homo / quia consistit in opere: & iustitiā fidei, quæ consistit in corde, atq; in oris confessione. Ait ergo Pau. *[Hoc est verbū fidei quod prædicamus.]* Id est, hoc ipsū verbū quod illic asseritur esse in corde, & in ore, est illud quod nos prædicamus, putā euāgelica fides, quā non utiq; nobis opus est, cœlū quæsitū

euolare, aut tranare pelagus, quia scripta est in cordibus nostris. Iuxta illud, Dabo legem meā in visceribus eorū, & in cordibus eorū scribam eā. Vnde causa effulget & patefcitq; cur Iudæi, quæ sectabantur iustitiā, non sunt adepti, Gentes verò de repēte eā susceperūt: nēpe quod hæc iustitia non per longā scripturā aut exhaustos labores & sudores cõparatur, sed tantū promptitudine animi & assensione cordis suscipitur, scribēte eam in nobis digito Dei. *[Quia si cõfitearis in ore tuo Dominū IESVM, & in corde tuo credideris, quod Deus eū suscitauit à mortuis, saluus eris.]* Expositio est breuissimi cõpendii, quo iustitiā per fidē nāciscimur, atq; adeò vitā æternā quæ fructus eius est. Et alludit Pau. tū ad illa duo mēbra Deut. / In corde tuo, & in ore tuo / tū ad duos articulos fidei iam nunc expositos in descensu de cœlo, & recessu de abyssu: quibus sub epilogo continētur articuli redēptionis. Ait ergo, licet nulla in te opera tua præcesserint (quādoquidē ex operibus non iustificamur) sed tantū ore tuo cõfitearis Dñm IESVM, hoc est, Deum factum hominem: est enim Dominus nomē Dei, IESVS autē, hominis / & corde tuo credideris, quod Deus illū suscitauit à mortuis, saluus eris. Nō dixit, Si credideris quod mortuus est, quia vana esset confessio mortis CHRISTI, nisi crederemus resurrexisse. Nā & pagani credunt, mortuū fuisse illum hominē: sed quia Deū in illo non agnoscunt, resurrexisse negant. Nos autē resurrectionē credentes, tū ipsum confitemur Deū, tum & cū ipso speramus resurgere, qui supremus est fructus iustitiæ fidei. Vnde Paulus supra, Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. In circulo enim illo perfecta est, cõsummataq; salus nostra, vt qui captiuorū redemptor descēdit de cœlo, illuc fuerit regressus captiuā ducens captiuitatem. Ecce aliam differentiam inter iustitiā legis, & iustitiā fidei, ratione finis. Est enim, illius finis (vt diximus) / vita temporalis: huius autem vita & salus æterna. Quod si hic fortè hæreas, non satis esse credere & cõfiteri, absq; sacramenti susceptione. Nam, qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit saluus erit. Pete ab Augustino respōsum super Ioā. tract. 77. super illud, Iam vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis. Non enim inquit, mūdi estis propter baptismum, quo abluti estis, sed propter verbum. Nam detrahe, inquit verbum, & aqua, non est, nisi aqua: sed accedit verbum ad elementum, & fit

Hier. 31.

Alia differentia inter iustitiā legis &amp; iustitiā fidei &amp; iustitiā operum.

Dubitatio. Mat. 23.

August. Ioan. 23.

fit sacramentum. Nihil ergo vetat, quod fide eiusque confessione iustificemur, & tamen necessarius sit baptismus: quippe qui nihil aliud est, quam protestatio quaedam ac confessio fidei. Tamen etiam in adultis altera sit etiam necessaria per charitatem confessio, per quam fides operatur. Quocirca vana fuit haeretica Lutheri, quam li. 2. de na. & gra. prodidimus, negare scilicet, sacramenta villo esse pacto causam gratiae, atque afferere, quod solus assensus mentis, quo credimus? CHRISTO pollicetur nobis salutem, iustificamur. In cuius sententiam impendit quod subdole citat hanc auctoritatem Augustini: ac si loquatur hic Aug. de verbo, quod est pollicitatio Dei, & non plane de illo, quod profert baptizans, Ego te baptizo, & c. per quod perficitur sacramentum, quo gratia confertur, unde palam fit, non sola fide quam verbis Dei praebemus, sed verbo, quod est sacramenti forma, quin verò toto sacramento fidei conferri nobis salutem. Quocirca subiungit protinus Aug. Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Quinimò haereticus hanc Lutheri secum ipsa pugnat. Nam si iustificamur credentes verbis CHRISTI, cum ipse dixerit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, consequens fit, ut gratia ipsa virtusque fidei suppedietur nobis per baptismum. [Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] Hic Paul. rationem reddit praecedentis sententiae, illisque satisfacit, qui redarguere eum molirentur, pugnantia dixisse. Statuit enim haec ac perpetuo constabiliuit, quod iustificamur per fidem sine operibus: fides autem solo corde suscipitur: quid ergo modo expostulat praeterea iam nunc oris confessionem. Quinimò verba illa proxime antecedentia / Si confitearis, & c. videtur male cohaerere. Si enim requiritur ut confiteamur Dominum IESUM, pariter exigitur ut idem credamus resurrexisse à mortuis: similiter requiritur ut idem confiteamur: cur ergo distinguimus ac distributè in vno membro dixit / confitearis / & in altero / credideris. Respondet. Quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. At verò et in his verbis videtur subesse ambiguitas: nam cum eadem res sint iustitia & salus, quicquid ad unam est necessarium, est etiam operae precium ad alteram. Quid ergo ait, Corde credi ad priorem, confessionem autem fieri ad posteriorem. Est igitur mens Pauli, quod ad iustitiam, puta ad expianda piacula propiciandumque Deum atque ineundam gratiam amicitiamque cum ipso, satis est, corde credere;

Luth. Lib. 2. de natu. & grat. cap. 10.

Mat. 23.

nempè paruulis suscipere sacramentum fidei, & adultis verò credere viua fide. At quia haec spontanea voluntate suscipitur, adiecit / corde / iam enim supra exposuimus, cur nomine cordis voluntas designetur. Hoc enim differt inter scientiam & fidem, quod scientia vi rationis demonstratis ingignitur, fides autem quippe quae non demonstratur, virtute suscipitur voluntatis, captiuantis intellectum in obsequium CHRISTI, qui ipsam infundit. Unde Augu. tract. 23. super Ioan. Cetera, inquit, potest homo nolens, credere autem non nisi volens. At tamen si iustitia haec, salus quoque dicitur, & sit non tam est perfecta, sed initiata salus usque ad perceptum fructum aeternae vitae: iuxta illud, Salus autem mea in aeternum erit. Ob idque ait Apostol. quod quauis fide constituamur iusti, deinceps tamen necessarium est iusto ad obtinendam vitam aeternam, ore confiteri fidem, vbi cumque se obtulerit necessarium praeccepti tempus. Est enim triplex confessio, scilicet, peccatorum, & beneficiorum Dei, ac praeterea confessio veritatis diuinae. Et de hac peculiariter loquitur hic Paul. Haec siquidem necessaria est sub poena amittendae salutis: vel quando exigitur à persecutore fidei: quam porro confessionem martyres proprio sanguine celebrarunt: vel quando necessaria est subditis imminente periculo haereseos: quod munus proprie competit praelatis & doctoribus. Atqui hac ratione baptizatis delinitur chrismate in fronte signum crucis, ne erubescant fidem publicitus confiteri. Unde Paul. Non erubescio Euangelium, Et CHRISTVS redemptor noster, Qui me erubuerit coram hominibus erubescam & ego eum coram patre meo, qui in caelis est. Extenditur veruntamen & confessio laudis Dei, ac veritatis fidei ad obseruantiam mandatorum: quae utique post iustitiam, viua cordis fide susceptam, necessaria est ad salutem aeternam. Igitur supra non pro eo distinxit inter / confitearis Dominum IESUM / & / credideris resurrexisse / quod non sit in utroque necessarium vtrunque, sed ut vtroque alterum exprimeret: nempe ut admoneret, quod sicut confessio oris, nisi ex corde proficiatur, vana est, de qua Deus illic conqueritur, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, ita & fides cordis sterilis et infructuosa: nisi, vbi ratio exegerit, florè, frugemque proferat confessionis, non solum oris, verum etiam operis. Etenim quauis hic Pau. operum non meminerit, ne

2. Cor. 10.

Esai. 54.

Triplex confessio.

Luc. 9.

Confessio dei, obseruantia mandatorum.

Mat. 15.

vltra

vltra lineam citati elogii cordis & oris progredieretur, & ut iustitiam fidei seiuingeret à iustitia operum, haud tamen diffitetur, quin sint etiam iusto necessaria opera, per quae fidem itidem confitemur, fructificantem in vitam aeternam: secundum verbum dominicum, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Mat. 19.

Dicit enim scriptura, Omnis qui credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio Iudaei & Graeci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Hic designari potest sectio tertia huius capituli, in qua Paul. explicando duos articulos de fide cordis, & oris confessione, tractat fidei, tum infinitam professionem, tum ordinatissimam assentionem. Igitur quia dixerat / Corde creditur ad iustitiam / repetit elogium

TERTIA PARS CAPITULI

L. florū facies in hac vita.

Sapi. 5.

Mat. 7.

Col. 3.

Dives Dominus.

Esai. 28. quod iam supra explicatum est. Omnis enim, inquit, qui crediderit (nempe viuua fide) non confundetur. Nam quauis iusti in hac vita qui vero corde credunt, sine decore sint villo, ac veluti vinea sub inclementia hyemis, nihil aestimati, atque adeo apud iniquos, veluti confusione & rubore suffulti: vbi tamen in tremendo iudicio apparuerint eorum fructus, tunc omni abiecta confusione computabuntur inter filios Dei: quod ipsi etiam iniqui, praefusione gementes, inuiti confitebuntur, ut est apud Sapientem. Hi namque, ut qui non puro, castoque corde fidem colunt, tunc summa opplebuntur confusione, cum referentes CHRISTO, quem admodum in nomine eius prophetauerint, daemonia eiecerint, ac talia fecerint signa, audituri sunt ab ore diuino, Nescio vos. [Non enim est distinctio Iudaei & Graeci.] Id est, inter Iudaeum & Graecum. Simile huic, illud est ad Col. vbi non est Gentilis & Iudaeus, circumcisio, & praeputium, & c. Exponit enim quod dixerat / Omnis / perseuerans in explicatione illius, quod CHRISTVS est in salutem omni credenti. [Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.] Quod autem nulla sit apud Deum, hominum distinctio, manifestum facit per duas perfectiones Dei: ut pote quod Dominus sit omnium, & diues in omnes. Nam etsi illi tanquam vniuersorum Domino incumberet omnibus prouidere, opulentia eius tamen villo esset modo limitata, non posset in omnes effundere, quicquid singuli expeterent. Et rursus quis immensitas esset illius affluentia bonorum, nisi dominus esset

omnium, non esset eius muneris omnibus prospicere. Est autem sicut immensus dominus, immensaeque diues, quae hoc idcirco impensissimè à nobis postulat, ut amplissimè ab illo beneficia efflagitemus, quae nobis cupit affatim elargiri, ob idque nulla est apud ipsum personarum exceptio. In hac ergo sententia alterum adhibet testimonium quod est Iohel. 2. [Ois enim qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.] Enimvero postquam exposuit quod dixerat / Si credideris, etc. Et / Corde creditur ad iustitiam / restabat illi ut ad expositionem respiceret illius / Si confitearis, & c. atque illius / Confessio autem fit ad salutem. At verò, sicuti supra menditabar, nomen Domini bifariam hic dictum autem dire possumus, nimirum aut de Deo trino, aut de CHRISTO. Et enim quod praedictum est / Dominus vniuersorum / Deo conuenit: tum ratione creationis, tum etiam ratione redemptionis. Redemit enim sufficiens quantum in se fuit vniuersos quos creauerat, licet non omnibus applicata fuerit redemptionis efficacitas sua ipsorum culpa, Dominatus attamen ratione priori proprio est Dei, quatenus vnus est in trinitate: posteriori verò ratione peculiariter obuenerit CHRISTO, qui iure redemptionis constitutus est haeres vniuersorum rex regum, & gloriae Dominus. Ob idque nihil mirum si haec Iohelis propheta vaticinium sit CHRISTI. Atque adeo non incongruè Orig. inuocationem hanc nominis eiusdem CHRISTI hoc loco agnouit: iuxta verbum Pauli, Cum omnibus iis qui inuocant nomen Domini IESU CHRISTI. Est enim epithetum hoc Christianorum, sicuti inter Gentes antiquè singulae religiones & sectae suos inuocabant proprios deos, quos propriis sacrificiis colebant. Inde inquam forsitan nepe in idololatrarum exprobrationem, honoremque Christianismi usurpatum est ab Ecclesia, pro eo quod est / christiani / dicere / si qui inuocant nomen Domini IESU CHRISTI. Quocirca subdit hic Pau. Quomodo inuocabantur, nisi credant / ad Iudaeos conueniens, qui non credebant in CHRISTVM. Est autem ea hic inuocatio intelligenda, quae de legitima fide, affectuque proficiatur. Nam sunt de quibus ait David, Qui clamauerunt, nec erat qui saluos faceret ad Dominum, neque exaudiuit eos. Quapropter non abs re longè forsitan dicamus, quod in CHRISTVM fide prospiciebant antiqui Patres, quando inuocabant nomen Domini: uti Enos, qui cepit inuocare nomen Domini. Et Moses, & Aaron, & Samuel quos inter eos Propheta recenset, qui inuocabant nomen eius. Est igitur inuocare nomen Domini, idem quod, Deum confiteri vnicum salutis auctorem, atque adeo eundem ad-

Nomen Domini.

1. Cor. 1. Christianorum epitheton.

Psal. 17.

Inuocare nomen Domini.



rare, ab eodemq; petere fauorē & auxilia, si ne quibus nihil per nos possum⁹ apud ipsum.

Quomodo ergo inuocabūt eū, in quē non crediderunt? Aut quomodo credēt ei, quē non audierūt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittātur? Sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Haud tibi existimetur cathena hæc præter propositum fuisse ab Apostolo contexta, cū sit hic maximē oportuna, pluribus de causis.

Enim uero quoniam dixerat, Qui inuocauerit, necessarium fuit, inuocantium qualitatem subscribere, quæ est, ut credant: atq; inde suborta ratio est contexendi modum & ordinem uocationis populorum ad fidem: Nepe ut cōmonstraret, primū, neminē inuocare nomen Dñi, nisi qui legitimē uocatus prius, fuerit diuinit⁹ ad fidē, atq; hoc, ut ansam amputaret Iudæis amatoribus suæ legis usurpandi sibi hanc gloriam, quod ipsi essent soli in orbe, qui nomē Domini iuxta uerbū Prophetæ inuocabant. At qui hac de causa (quod hic oculatissimē est considerandum) ab inuocatione hoīm assurgit usq; ad missionē Dei, ut in eius diuinā bene uolentiā causas oēs salutis nostræ resoluat. Secundō hic declarare pergit, quod dixerat, Verbum fidei propē esse in corde & in ore, haud enim cordi imprimitur à Deo, nisi prædicatoris ministerio, credibilia proponentis forinsecus. Ac tertio demū intendit Iudæos uenia priuare, quod nō crediderint. Nā cū fidē audierint, cui non fuerunt obsequentes, nequeunt sibi profusū ignorantiam prætexere.

Quinq; ergo ex ordine coordinatur hic Paul. hæc speciosissima gradatione: putā, inuocare, credere, audire, quæ munera eorū sunt, qui uocantur: prædicare, & mittere, quæ officia sunt uocantium. Et primū demonstrat innexam istorū dependentiam, scilicet quod nec primū absq; secundo, neq; hoc sine superioribus inesse potest. Secundō illic, Sed non oēs, eodē uerso cōmonstrat, quod superiora tria adesse possunt sine duobus, quæ sunt, credere, & inuocare, quæ licet hic prima connumerētur, sunt tamē generationis ordine postrema. Utitur autem schemate interrogationis, uti solet ad maiorem ueritatem. [Quomodo inuocabunt eū, in quē nō crediderūt?] Hic uideas sermonē haberi de inuocatione legitima, quā, iuxta uerbū Iohelis, subsequitur salus, quæ porro fidē præsupponit. Etenim neq; inuocare homo potest, ni

si eū uide sperat salutē, neq; sperare utiq; nisi in eū, quē certo crediderit potētē succurrere. Quocirca iuxta qualitatem cognitionis est inuocatio. Gētilēs inq; in lumine naturali inuocare eum poterant, quē agnoscebant esse primā causam: & licet inuocatio illa non esset meritoria, illustrasset ueruntamen illos tunc Deus lumine fidei. Est igitur in hac, sicuti & singulis subnexis interrogationibus, inclusa responsoria negatio, putā, Minimē, sine fide inuocabunt. In simulatur hic autē Iudæi, quod licet Deū inuocassent, iniquē id tamē & instructuose: quoniam cū in CHRIS TVM nō crederēt, non illū inuocabant ut propitiatorē, per quē salus deriuanda esset omni credenti. Sed nunquid inuocatio fidē præsupponit formatā? Procul dubio præsupponit, ut meritoria sit. Possumus tamen laxius accipere inuocationem, id quod Orig. approbat, pro ea quæ cōmunis est oībus Christianis, à fide scilicet suborta, etiā dum est informis. Ut dignoscamus inter eos, qui generaliter inuocāt CHRIS TVM dominū, & eos quos inhabitans Spiritus sanctus facit clamare abba, pater. [Quomodo autē credent ei, quē non audierūt?] Hoc enim propriē nomē fidei designat, puta assensum, qui auctoritate dicentis gignitur in audiente. Hac quippe ratione secernitur à scientia & opinione, quarū altera per demonstrationē: altera uero probabili ratione ingenerantur. Ob idq; fides esse nequit, nisi ex auditu. Hac enim de re in Analecticis posterioribus Aristoteles addiscentē admonet, quod oporteat, eū credere auctoritati, scilicet doctoris in initio, fidē præbere, anteq̄ ille demonstrādo sciētiam doceat. Subdit autē Pau. [Quomodo autē audiet sine prædicatē?] Neq; uero hic nos perturbet, duplicē esse auditū, scilicet internū & externū, atq; adeo audire quē posse intrinsec⁹ fidē absq; ea, quæ forinsecus auditur prædicatio. Loquitur enī hic Apost. de lege cōmuni, quæ generalis est: illa enī intrinseca auditio peculiariter nō nullis, ob singulare priuilegiū accidit, ueluti prophetis et quibusdā eximiiis personis, iuxta illud, Audiā qd loquatur in me dñs De⁹. At uero cōmunia dispē santur à Deo sapiētē atq; suauiter, ut pote cū per superiores illa inferiorib⁹ impartitur. [Quomodo uerò prædicabit, nisi mittatur?] Ecce supremā radicē & fontem, unde causæ salutis nostræ promanant, quæ Deus est. Ipse nanq; olim Patrib⁹ in prophetis, post modū uerò locutus in filio, ac deinceps per apostolos, eiusq; successores lumine suæ fidei irradiauit orbem. Ob idq; ait Paul. Quo-

Dubitatio.

Orige.

Esai. 54.

Heb. 1.

modo prædicabunt, uidelicet mysteria fidei, nisi mittantur, à Deo scilicet, eius auctore. Nā filium nemo nouit nisi pater, neq; patrem nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Mittit autem Deus prædicatores, aut per se ipse, uti olim prophetas: sicut ait Esaias, Dominus misit me & spiritus eius. Et tempore gratiæ proprium filium, tanq̄ architectum, institutorem Ecclesiæ & prædicatorum magistrū: qui quidem sicuti legatus fuit à patre, ita & apostolos subdelegauit. Etenim, Sicut misit me, inquit, uiuens pater, & ego mitto uos. Cæteros autem Deus mittit Ecclesiæ auctoritate & prælatorum delectu. Vnde qui uos, inquit, audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Est ueruntamen discriminis plurimum. Nam quos per se Deus delegat, ut prophetas atq; apostolos, per se ipse edocet. Quibus idcirco præceptum est, Cū steteritis ante reges & præfides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquimini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Vnde ad illam primam euulgationem fidei expediuit delectum fieri rusticorum hominum, ut mundo persuasum fieret, non esse illam, humanam sapientiam, sed diuinitus afflatā. Iā uero post apostolos haud licet, aut doctoribus, aut concionatoribus, nouas reuelationes expetere, sed ea tantū elucidare, quæ prophetis & apostolis reuelata sunt, iuxta uerbum Pauli, Edificati super fundamentum apostolorum & prophetarum. Quapropter præsumptio est, & superbia nefandissima ac pestilentissima, in hanc se quæpiam functionem immergere, sine longo, seduloq; & improbo studio theologiæ, & citra Ecclesiæ, maiorumq; auctoritatem & iussum. Hæc enim uel pessima pestis Ecclesiam hoc ætatis deuastauit: nempe omni ecclesiastico ordine deleta auctoritateq; de medio sublata, ad ciuilemq; potestatem peruersissimē transmissa, quilibet, ut libitum est, iniussū prodeunt prædicatores, sua quisq; placita imperito vulgo in animos obrudētes, & sacrā scripturā de suo cerebro interpretantes, atq; adeo fidem unam in sexcentas profcidentes sectas. Ecquam enim aliam lernam edere potuit ille toties damnatus articulus Lutheri in proœmio suorum articuloꝝ, quod scripturæ proprio sint spiritu interpretandæ, neq; standū ulli conciliari uel ecclesiasticæ auctoritati, quam postmodū auctoritate art. 28. de medio tollere proscibereq; conatur, uniuersiq; permittēs suo sensu abundare. Quod, q̄ sit pestiferū documentum in propatulo est. Nam cū

Mat. 11. Duobus modis mittit Deus prædicatores.

Esai. 48.

Ioh. 20.

Luc. 10.

Mat. 10.

Eph. 2.

Pestis Ecclesiæ.

Lerna Lutheri.

Spiritu sanctus, quē ait Luth. præsentissimum esse scripturæ sanctæ, nō uia uoce loquatur: & natura, ingeniumq; hoīm sit, ut tot sint capita quot sensus, fieri nequit minus, q̄ ut diuersi hoīes quantocunq; polleant ingenio diuersas sequantur sententias. Neq; fidendū est internæ reuelationi, quādoquidē angelus Sathan transfigurare se consueuerit in angelum lucis. Neq; uero ulli hoīm sanctitati. Nam uideamus sanctissimos hoīes ignorantes, quod certē nunq̄ usu ueniret, si Spiritus sanctus paderet sese cuiuscunq; legenti scripturas. Quam ob causam cū eiusdē Spiritus sancti mun⁹ sit, scripturas quas ipse condidit exponere (nam in hoc promissus nobis est à CHRIS TO, atq; adeo missus qui permaneret nobiscū in æternum) non potuit sanē cōsultius providere Ecclesiæ, quā statuendo, sicut CHRIS TVS per ipsum instituit, auctoritatem unam, eandemq; in terris summam, quæ nobis uia uoce loquatur, cuiq; nos deberemus esse dicto audientes: etiā si rationes eius non intelligerem⁹, sed solū quia uerbo ita nos credere iuberet. Alias neq; inter doctos cōponi unq̄ possent cōtrouersæ de fide, neq; animi indoctæ plebis pacari. Nā cum vulgus rationes & argumēta doctorum non penitus calleat, imō nonnunq̄ uix intellectu capiat, quomodo conuinci potest ad credendū, ubi nulla sit auctoritas, quæ ius habeat cogendi. Hæc autē auctoritas profecto residere non potest, neq; in priuata persona, neq; uero in ciuili potestate, quæ iudex esse nequit spiritualiū: necesse ergo fuerit, ut in capite & pleno corpore collocata sit toti⁹ Ecclesiæ. Cui nimirū cōgregatæ incubat scripturā sacram rimari, & sanctorū Patrū exploratis scriptis & cōsultis, cūcta definire dubia, in suamq; sententiā populum cōpellere. Alio qui profecto esse nō ualet una fides, sicuti est unū baptisma. Siquidē unitas hæc nō in hoc tantū consistit, quod eodē suscipiam⁹ libros, sed quod eodē sensu scripturas teneamus, colamus & ueneremur. At citāt isti Augustinū dicentē, quod oīa quæ sunt ad salutē necessaria, tradita sunt expressē in sacra scriptura. At tamen hæc uerba nusq̄ sanē sunt apud Augustinū, sed hoc penitus in epistola contra Vincentiū Donatistā, quod nihil sub spirituali sensu, hoc est, mystico continetur in scriptura, fidei necessarium, quod non alicubi per literalem sensum manifestē tradatur. Vbi non sentit quod literalis sensus ita sit semper manifestus, ut non contaminari, corrupiq; ab hæreticis possit, atq; adeo ut non indigeat Eccle-

Spiritus nō loquitur uia uoce.

Ioh. 14.

Auctoritas Ecclesiæ.

Eph. 4.

Prædictum intelligitur Augustinus.

Quinq; ex ordine coordinatur.

Iohel. 2.

stia censura. Articuli namq; diuinitatis & humanitatis CHRISTI necessarii planè sunt, ob idq; in sensu literali expressi: at nihilò minus quot olim laborauerunt hæreticorū lacerationib; Sed rursus aiunt, possunt esse in œcumenico Concilio, viri, neq; moribus, neq; doctrina illustres, quomodò ergo obtèperandū est eorū sanctionibus? Profectò, si vel sanctitatè, vel humanā doctrinam, iudicem statuamus, non possumus non sæpè falli: tum quòd multī sanctimoniam mentiuntur, illudentes humanis sensibus. Nam de hæreticis dictum est, vestitos esse ouina pelle, cum sint tamen lupi rapaces: tū quòd & qui sanctissimi sunt, non protinus sunt doctissimi. Ad hæc, de doctrina varia sunt iudicia. Iam enim sub hoc ætatis illi habētur doctissimi, qui sunt eloquentissimi. Adde, quòd quantacunq; fuerint doctrina, non potest euitari, quin diuersi diuersa probent, & ex populo diuersi diuersos sequantur. Cuius quidē veritatis, vel ipsi modò hæretici in tot factiones discisi, documēto nobis sunt ac ineluctabili testimonio: appellandum ergo nobis est ad Spiritum sanctū Ecclesiæ gubernatorē, atq; adeò illi constanter fidentū, qui non permittet Ecclesiā legitimè congregatā errare in huiusmodi dubiis ac cōtrouersis definitiōdis. Vnde CHRISTVS summus ac prouidentissimus pastor, intelligens, nō posse Ecclesiā in hac vita internis inspirationib; satis gubernari, quippe quæ inspirationes sæpè numero ancipites nos habent, à quo nā spiritu oriantur, vicariū instituit suū, qui suas pasceret oues, pro quo singulariter pollicitus est orare, ne sua deficeret fides. Et, Vbiq; inquit, fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, in medio eorum sum. Igitur cū multa sint alia signa, quibus dignoscere possumus inter oues & lupos, certissimum oīm tamen, atq; infallibile est, authorias Ecclesiæ. Qui enī per ipsam non mittuntur, ex illis celsendi sunt & habendi, quos per Hiermiā Deus infamat. Falso enim, inquit, prophetæ vaticinantur in nomine meo, Non misi eos, & nō præcepi eis, neq; locutus sum ad eos: visionē me dācem, & diuinationē, & fraudulentia, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et cap. 23. Non nittebā prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Non potuit calamitas horum tēporum ab hoc verbo Pauli/Quomodo prædicabūt nisi mittantur/non deflectere nos in hoc diuerticulum. Tu autem pie lector tecū reputa, quemadmodum initium malorum, quæ aqua

lonaris status in Christianos conflauit, illud fuerit, quòd ecclesiasticā authoritatē turpiter proiecerunt. Ad rem igitur vt redeamus, pungit hic Paul. Iudæorū hulus: ex eo enim nō rectè ingressi sunt ad fidē CHRISTI, quòd Pharissæis prædicatoribus suis auscultabant, qui non fuerant à Deo missi: sicuti fuit Ioannes Baptista CHRISTI prænunciatus. [Sicut scriptum est.] Vtpote Esaiā. 52. [Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.] Vbi litera nostra sic habet, Quam pulchris super montes pedes annunciatis & prædicatis salutem, & c. Cuius simile habetur Nahum. 1. Loquitur enim illic Esaias de reuocatione populi à Babylone, sed est vaticinium venturi Messia. Ob idq; tã festiua congeminatione verborum/prædicatis pacem, annunciantis bonum, & prædicatis salutē affectū exprimit hominis gestientis præstolantisq; faustum aduentum CHRISTI. Species quidem & pulchritudo rei potissimū in ordine consistit: quapropter pedes speciosi tribuuntur prophetis & prædicatoribus, vel propter ordinē progressus, quòd non se insinuāt in talē prouinciam, sed maiorū ordini & iudicio oblectantes eā suscipiunt. Quā ob rē apostoli ordine & iussu distributi sunt per orbē. Vel forsitan propter rectitudinē affectuum, iuxta illud, Pedes eorū pedes recti, quòd non scilicet ob peculiare cōmodum, sed ob gloriam Dei & animarum salutem discurrūt. Allusio autem facta est, non ad aliud membrū, q̄ ad pedes. Primū ad significandum, quòd debent prædicatores perambulare per orbem: mox quòd quocūq; peruenerint, gratus iuctudusq; haberi debet eorum aduentus: deinde quòd cum pedes soleāt puluere & luto sordescere, etiam si totum corpus munditie niteat: debēt tamē prædicatores à leuissimis etiam cauere sordibus. Cuius mysterio CHRISTVS (quod probè adnotauit Orig.) cœna facta, anteq̄ sacrosanctum mysterium vnitatis & pacis conficeret, pedes discipulorum lauit, vti qui legatione fidei functuri circumire debebant orbem, annuuciantes pacem eādem. Quem pedum nitorem & pulchritudinem vt patulam circumferrent, nudis pedibus ire iubētur. Vnde sponsa, quæ Ecclesiam significat. Laui, inquit, pedes meos, quomodò inquinabo illos? Et rursus, Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. [Euangelizantium pacem.] Triplex bellum dissidiumq; triplex bellum, respectum hic nobis sit, quòd inimicus serpens

Speciosus prædicantium pedes.

Exech.

Ioan. 13.

Cant. 5. & 7.

Triplex bellum.

pens antiquus seminavit. Primum videlicet internum in homine inter spiritum & carnē, & secundum externum inter homines, ac supremum inter homines & Deum, quod aliorum est origo. Qui enim Deo non subditur, nulla frui valet vera pace. Trinam ergo composuit pacē rex noster pacificus CHRISTVS, quam angeli in suo aduentu decantarunt. Fuit enim cum primis Deus in illo (vt ait ad Corin. Paul.) mundum reconcilians sibi, atq; adeò pacificans (vt ait ad Col.) per sanguinē crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Coniunxit præterea duos Gentiū ac Iudæorum populos. Vnde ad Ephes. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & c. De interna demum pace ait propheta, Pax multa diligentibus legem tuam. [Euangelizantium bona.] De bonis hoc cœlestibus intelligitur, in quorum possessione est pax, quæ exuperat omnem sensum: hæc etenim absoluta voce dicuntur bona. Illis namq; vniuersa bona cōprehenduntur. Vnde, petēti à Deo Mosi, vt ostēderet ei gloriā suā, responsum est, Ego ostendam omne bonū tibi. Et CHRISTVS de fidelibus & vigilanti seruo. Super omnia, inquit, bona sua constituet eum. His ergo duobus nominibus pacis ac bonorū vniuersam materiam euangelicam complexus est Apostolus: tametsi propheta explicatus adiecerit/Prædicatis salutem/quam nimirū operatus est CHRISTVS in medio terræ.

Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine: quis credit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Prosequitur, vt demonstrat, non conuertit dependentiam & nexum propositæ gradationis. Etenim quāuis nemo credat, nisi audiat, non illicò consequitur, vt quicunq; audierit, is continuo credat. Hic porrò in genere inobedientiam carpit, quam statim in particulari est in Iudæis reprehensurus. Et respōdet argumēto, quod illi possent Paulo ex suis ipsius dictis obmoliri, tale, Si ais Paule, non esse volentis neq; currentis, sed Dei miserentis, & missos inquis, verbi precones, qui iam promulgarunt fidem, quid causæ reliquū est, cur non à nobis omnibus fuerit suscepta. Respōdet inquam/Quia non omnes obediunt Euangelio. Quasi dicat, Ita fides donū est Dei, vt à nostra etiam dependeat libertate, quam Deus non cogit. Atq; ideo vtitur obedientiæ verbo, quæ vltionem significat assensionē.

Pax triplex.

2. Cor. 5. Col. 1.

Ephes. 2.

Psalm. 118.

Exod. 33.

Mat. 24.

Fides ab humana pendet voluntate.

Et propterea quòd fides (vt diximus) non vigore rationis demonstratur, sed suscipitur obsequio voluntatis captiuantis intellectum. Atqui ne, ceu de re noua, demirarentur, adducit in testem Esaiam, vbi de euangelica prædicatione vīq; adeò apertè vaticinatur, vt merito censetur illic euangelista. Ait enim raros fore qui credant annunciatis CHRISTVM, quia apparebit despectus ac nouissim⁹ virorū, & quasi absconditus, ita vt non reputetur. Quāuis de præterito dixerit/Quis credidit/ad maiorem rei futuræ affirmationem more prophético. Neq; est/ Domine/ in vulgari æditione, sed in illa septuaginta, quā citat continenter Paul. Igitur vbi ait/ Quis credidit/ nō significat impossibilitatē, vt nemo sit crediturus, sicuti paulò ante dictū est, hic, Quis ascendet in cœlum, vt CHRISTVM inde deducat, sed difficultatē, vt raritas prænuntietur credentium ex Israel: veluti in psalmis, Quis ascendet in montē domini, Quis est homo qui vult vitā. Id quod Latinis vsurpatissimū est, Quis leget hæc? Vnus aut alter. At verò/ Quis credidit auditui/ phrasī hebraica est, pro eo quod est, Quis credidit auditis. Neq; verò est, cur verū tã amaro Latini isti huius temporis confoderent hanc phrasin interpretis, ceu solecismū manifestariū, vt aiūt, & inexcusabilē/ auditui nostro/ pro eo quod est, sermonibus nostris. Nam præterq̄, quòd græcè plane extat/ auditui/ omnes hoc pacto legunt Patres, qui non infimo loco habētur inter Latinos, vt Amb. & Hiero. non modò in his quæ suo nomine circumferuntur scholiis, verum & super Esaiā lib. 15. & Augu. & id genus reliqui: quin etiā & Origenis interpres. Adde, quod huic phrasī concinnè & illa cōsonat, qua inferius ait/ Fides ex auditu/ Etenim qui vertisset hic/ Quis credidit sermonibus nostris/ posset post respondēter vertere, Fides ex sermonibus. Neq; solūm apud Esaiā, verū in Abdia eadem dictio est, Auditū audiuius à Domino. Auditū/ autē hic Amb. accipit pro mysteriis, quæ apostoli audierunt à Deo, vt/ nostro/ accipiatur passiuè, hoc est, Quis credet quæ audiuius abs te, & loquimur. Sed forsitan commodius vsurpatur pro auditu, quem populus audit à prædicatoribus, vt/ nostro/ accipiatur actiuè. Sic enim speciosius respondebit id quod sequitur/ Fides ex auditu/ nam fides ex auditione prædicatorum proximè generatur: tametsi eadem sint, quæ apostoli internè audierūt à Deo, & quæ ab eorū ore populus audit extrinsecus.

Esai. 53.

Psalm. 23. & 33.

Quis credit auditui.

Abdia. x.

Ambro.

[Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum CHRISTI.] Nihil contradictionis conuoluit, fidem intrinseco appulso afflatuq; suffundi diuino, & tamen ex auditu extrinsecus fieri. Duo enim necessaria sunt ad comparandam fidem. Primum est inclinatio, qua quis appellatur ad credendum, & hæc per se Deus intus operatur. Sed requisitum est præterea, ut credibilia proponantur, exponanturq; : & hoc fit forinsecus per auditum: ut in Cornelio liquet, ad quem missus est Petrus, qui eum instrueret, & in Enucho, quem informauit Philippus. At uero utraq; ratio est donū Dei, ut habetur ad Phil. Nam & ista externa credibilium prædicatio munus quoq; diuinum est quod per apostolos, ac subinde per auctoritatem Ecclesiæ, quæ numine sancto gubernatur, defluxit. Atqui hoc Paul. tum supra tetigit, ubi dixit, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur, tum hic apertius indicat dicēs, Auditus autem per uerbum CHRISTI. Accipi enim hic potest casus hic gignendi, vel passiuè, pro eo quod est, uerbum quod de CHRISTO habetur: uel fortè actiuè, ut eius denotetur auctoritas, prædicatores mittentis: aut (quod eodem cadit) suggestio per suū spiritum facta, qua sacra eloquia ad uerū sensum enarrantur. Inspiratio etenim huiusmodi uel absq; medio fit ipsi prædicanti, uel per legitima Patrum interpretamēta descendit. In Græcis modò codicibus non scribitur nisi Verbum Dei/ ueruntamē coniecturam facit scriptum fuisse olim/ uerbū CHRISTI/ uel Græcus ipse Orig. qui nobiscum legit: attendens & ad CHRISTI prædicationem, & ad eam, quæ de ipso fit.

Duo ad fidē necessaria.

Act. 10. & 8. Fides donum Dei. Philip. 2.

Variat lectio.

QUARTA PARS CAPITULI

Sed dico, Nunquid non audierunt: Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ uerba eorū. Subsequitur quarta postremaq; sectio huius capituli, in qua postquam Iudæos quadantenus excusauit, propterea quod zelo cū ignorantia permixto fidē CHRISTI repudiassent, priuat eos iam uenia: quippè quos non ita multum protexerat ignorantia, eò quod non modò supina fuerat & crassa, uerū & à Pharisæico in CHRISTVM liuore oculis eorum offusa. Igitur quoniā prolocutus est, neminē credere, nisi audiat, fidemq; ex auditu comparari, ne sibi obtenderent Iudæi propterea non dedisse fidem CHRISTO, quod non audierant, interroganter, ut solet (qui affectus maximam præ se fert confidentiam) accusas

tionem eorū inuit. [Sed nunquid non audierunt] Descendit namq; sensim per gradus ad suggestionem cæcitatē Iudæicæ: & ideo in genere eos prius in uitio ponit. Excusatione inquam nudat non Iudæos modò, sed quotquot non crediderunt, siue ex Iudæis illi fuissent, siue ex Gentibus, Ad uniuersos quippè refertur quod ait/ Non audierunt/ ut hinc statim descendat illic speciatim ad Iudæos/ Sed dico, Nunquid Israel. Et ait/ Nō audierunt/ quod generalius est, quā, non cognouerūt: quod de Israele subiungit. [Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.] Oratorio quidem artificio respondet, dum nō simpliciter affirmat eos audisse, sed euocat à sua ipsorum lege testem, quo eos facit inexcusabiles, si audire renuerint: siquidem sonus uerbaq; prædicationis quocunq; terrarum peruenerint. Hoc uerum tamen oraculum non uño sensu intelligi huc potest inductum: etenim literalis sensus apud prophetam de cælis est, quos ait, enarrare gloriam Dei uniuerso orbi. Quocirca hebraicè non est/ sonus eorum/ sed/ regula eorum/ hoc est, regularis eorum cursus, qui ueluti publicus prece diuinā potentiam, sapientiamq; atq; in nos bonitatē proclamatus, persuadetq; adeo, q̄ debeat mundus uniuersus unum Deū adorare & colere. Quapropter forsan hic Paul. ubi ait/ eorum/ cælos ipsos ad litteram intelligit: sed utitur similitudine & analogia. Nempè quod pari cursu & uelocitate tuba euangelica uniuersum orbem perlustrauit, quo cæli, enarratores eiusdem gloriæ Dei, eundem percurrunt. Vel (quod maiori consensu receptum est) inducit uaticinium hoc in sensu allegorico, ut per cælos, apostolos ipso eorumq; successores significatos uelit. At uero nondum conuenit inter Augustinū in epistola ad Euchi. Episcopum & Chrysostomum de intelligentia huius Paulinæ citationis. Aug. etenim negat sub id tunc temporis Pauli impletam ad litteram fuisse prophetiam: quoniam multæ sunt gentes, quod certissimum, inquit, est nobis, in quibus nondum cepit impleri: ob idq; ait, uerbum præteritū neq; apud Prophetam, neq; apud Apostolū significare rem iam completam, at more prophetico certitudinem, ac immutabilitatem rei perficiendæ. Chrysosto. uero ait, impletam tunc fuisse, idq; affirmare Paulum. Pro Chrysostomo facit, quod si tunc non fuisset completa prophetia, nihil euinceret Paul. hoc testimonio: contēdit enim excusationē repellere

Multiplex explicatio.

Psal. 18.

Sonus eorū.

Dissensus inter Aug. & Chryso.

lere quorumcunq; nō credentium, propterea quod iam exierit sonus uerbi usq; ad extremos fines terræ. Nihilò minus Augustino patrocinari uidetur Euāgelium ubi ait **CHRISTVS**, Et prædicabitur hoc Euāgelium regi in uniuerso orbe, & tunc ueniet consummatio, uidelicet, mundi. Vbi insinuat, non fore implendum uaticinium hoc quoad usq; appropinquet consummatio rerum. Præterea uehementissimum est argumentum, quod ad remotissimas insulas, ac demum usq; ad antipodas tunc tempore apostolorum non fuerit peruulgatum Euāgelium. Hiero. super Matthæum uidetur ratione aliqua litem dirimere. Ait enim, nullam remansisse gentē quæ CHRISTI nomen ignoret. Et quanquam non habuerit, inquit, prædicatorem, tamen ex uicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare: opinionem inquit, hoc est, aliquem susurrum uel uocē. Vnde alii colligūt, quod fama tunc Euāgelii ad omnes permanuerat, puta à gēte in gentem, & à natione in nationem delata: tamē consummatū effectum, uidelicet ut uniuersus orbis fidem suscipiat, non obtinebit prædicatio usq; ad appetentē iam finem mūdi. Et hoc aiunt, est quod prægnunciat **CHRISTVS** loco citato. Profectò nihil ego de re hac definire auserim. Haud tamen facillè crediderim Apostolū affirmare usque adeo intonuisse tunc euāgelicam uocem, ut ad singulas orbis particulas penetrasset, ita ut nulla esset iam tunc persona quæ excusari posset. Nam quanuis Deo hoc nō solū possibile, uerū & facillimum fuerit, non est tamen necessarium ad miraculum tam ingens suffugere: quoniam fides non est propalata per angelos, sed per apostolos & discipulos per orbem dispersos: qui etiam si alati fuissent, nō potuissent ita perniter orbem peruolare: neq; uero eorum sermonem per manus, toto trāsmissio pelago usq; ad extremos mundi angulos perferre. Neque hoc erat necessarium ad conuincendū, tum Iudæos, tum etiam cognitās Gentes, quod nō essent excusabiles. Intelligit ergo Apost. quod iam tunc exisset sonus apostolorum in omnes plagas mundi, in Asiam scilicet, Africam & Europam: nam fuerant iam dispersi: ut Petrus & Paul. occidentem uersus, Matthæus uero ad Æthiopiā, & ad Indiam Thomas, atq; aliorum alii: ita ut quarta saltem nostra habitabilis plena esset Euāgelio: quæ quidem habitabilis pars in sacra etiā scriptura solet appellari, uniuersus orbis. Vbi enim ait Lucas,

Mat. 24.

Hiero.

Mens Pauli.

Uniuersus orbis.

exisse edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis, non comprehendit, neu abditissimos insulares, neu extremos antipodas, ut quorū nomen ignotum tunc erat Romanis. Quo etiam pacto intelligitur quod ait Apost. ueritatem Euāgelii esse in uniuerso mundo. Erant ergo tunc inter Gentiles remotissimi plurimi, qui excusabantur ignorantia fidei CHRISTI, hoc est, quos euāgelica prædicatio non constituēbat in culpa. At uero nulli excusabantur ignorantia iuris naturæ: quod quidem si legitime obseruassent, Deus illos irradiasset lumine fidei, uti cap. 1. prædictum à nobis est, mittēdo illis, nō dicam angelum, sed certè hominem, qui eos erudiret, sicuti misit Cornelio Petrum: & Macedonibus, Paulū. Quanuis ante promulgationem sufficientem Euāgelii non erat Gentibus necessaria expressior fides, q̄ ante aduentum CHRISTI.

Luc. 2.

Col. 1.

Excusabantur nonnulli præ ignorantiam.

Sed dico, Nunquid Israel non cognouit: Primus Moyses dicit, Ego ad emulationem uos adducam in nō gentem, in gentem insipientem, in iram uos mittā. Postquam in genere sustulit incredulis Paul. excusationis obtendiculum, descendit particulariter ad Iudæos. Poterant quippe sic forsitan suum uelare crimen, quod licet audissent Euāgelium, haud tamen intellexissent. Ob idq; ait Apost. [Sed dico, Nunquid Israel non cognouit?] Id est, Nunquid non ea erant lege eruditi, eisq; obseruationibus instructi, quibus præ Gentibus poterant mysterium CHRISTI percipere? [Primus Moyses dicit.] Primus/ uel quod prophetarū princeps haberetur inter Iudæos: iuxta illud, Nō surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses. Vel prior respectu Esaiæ, quem confestim adhibere cogitat in testem. [Ego ad emulationem uos adducam in non gentem, & c.] Sententia hæc legitur in cantico illo Moysi, cuius ore illic dominus conuestus de generatiōe illa praua atq; peruersa, quod eum in diis alienis prouocassent, & in abominationibus cōcitassent ad irā, quasi suum zelatus honorem, hanc subdit retributionis figuram, Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis, et ego prouocabo eos in eo, qui nō est populus, & in gente stulta irritabo illos: sequitur tamen semper Paul. interpretationē septuaginta. Simile est apud Esaiā, Eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis meis glorificat me, cor autē eius longè est à me,

Deut. 34.

Deut. 32.



me, &c. ideo ecce ego addam, vt admiratio-  
nem faciam populo huic miraculo gr̄adi &  
stupendo. Peribit enim sapientia à sapienti-  
bus, & intellectus prudentium eius absconde-  
tur. Tenendum hoc igitur mēte primū est,  
quemadmodum Deus in pœnā Iudæos ido-  
latriæ qua eum spreuerant, permittit, CHRIS-  
TYM verum Deum ignorare, quem Gentes  
veneratæ sunt: atque adeo permittit, vt liuida  
contabescētes inuidia ad iram excitarentur,  
veluti & ipsi cōcitauerāt ipsum. Igitur quod  
ait, in non gentem / idem est quod, in non po-  
pulum: idioma nanq; scripturæ est, vt popu-  
lus ille selectus dicatur populus: hoc est, po-  
pulus Dei, sicuti & ipse peculiariter nuncupa-  
tur, Deus Hebræorum & Abraham, & Isaac,  
&c. Sic enim sæpenumero eodem libro legi-  
tur, Te elegit dominus, vt sis ei populus pe-  
culiaris. Atq; idcirco Gētilitas dicebatur nō  
populus. Quod quidem idioma parum atten-  
dentes transferunt hic nonnulli / per gentem  
quæ non est gens / secum enim pugnant / gens  
quæ non est gens. At / non gens / & / non po-  
pulus / significanter dicitur. Nam sicut Genti-  
litas illum, qui verus erat Deus, habebat pro  
non Deo, ita & Deus habebat eam pro non  
populo: idēq; adeo comminatus est popu-  
lo ad idōla conuerso. At peius isti hoc, quod  
interpres noster traduxit / Mittam vos in  
iram / vertunt / prouocabo vos / quod sanè  
verbum scrupulum offert, quod Deus sit  
author iræ: prouocare enim, idem est quod,  
commouere: sed, mittere, mollius est, vt quo  
significatur permissio. Modus autē quo eos  
Deus ad æmulationem, hoc est, ad inuidiam  
adduxit, & exurētem zelum, fuit, quod Gen-  
tilitatem quæ non reputabatur eius populus,  
sed gens stulta & insipiēs, qua ideo nihil erat  
apud Iudæos abiectius, despectiusq; ac vili-  
us, eo fuerit honore dignatus, vt, ipsis postha-  
bitis, in suam ipsius cognitionem perduceret,  
in suamq; hoc est, CHRIS TY familiam reci-  
peret. Qua nimirum ratione factum est, vt ab  
illo vsq; seculo populus ille, Deo pridem cha-  
rissimus, omni sit vacuus honore & gloria,  
absq; regno & sedibus vagus, qui propriam  
legem, suis oculis occlusam, in alienorum ma-  
nus traditam conspēctat, à quibus veraciter  
intelligitur, reuelatisq; mysteriis colitur: iux-  
ta prophetiam Esa. loco proximè citato.  
Dabitur liber nesciētī literas, diceturq; ei, Le-  
ge: & respondebit, Nescio literas. In summa,  
id quod Gentibus illi olim exprobrabant,  
iam ipsi vt non populus Dei habentur. Per

Pœna Iudæorum de idololatria.

In non gentē.

Exo. 5. Mat. 22.

Error aliquorū interpretū.

Mittā vos in iram.

Iudæorū abiectio.

quam demum inuidiam in iram eos misit.  
Nā in inuidig sobole vna proles est ira. Ecce  
quā iusta talione pœnas populus ille pertu-  
lit spreti Dei. Græcè quidē in datiuo, qui ab-  
latiuo quoq; seruit, legitur / in non gente. In-  
terpres verò sensum intuitus, transtulit / in nō  
gentem / id est, aduersus non gentē, puta Gen-  
tilitatem, quæ habebatur pro non populo, &  
quæ inuidere deberet potius Iudæis, quod es-  
set peculiaris populus. Vel / in nō gētē. Hoc  
est, vt alios æmulemini, eō vos adducam, vt  
sitis nō gens: nempe vt zelo Gentilitatis que  
tunc fiet gēs mea tandem conuertamini. In-  
eptē ergo quidam transferunt / per non gen-  
tem / Nam præterq; quod datiuus græcus nō  
fert ita traduci, consonātor sensus literæ est,  
quod fuerint Iudæi adducti in inuidiā & irā  
aduersus Gentilitatem, q̄ quod per Gentilita-  
tem fuerint adducti. Et præsertim versio hæc  
tolerari nequit, si / in non gentē / eū sensum re-  
dit, quem proximè exponebam. Vide ergo  
q̄ ad rem aptē & commodè allatū fuerit huc  
ab Apostolo oraculum hoc: haud enim per  
reliqua tantū scripturæ loca debuisset illi po-  
pulo CHRIS TYVS innotescere, verū & per hoc  
quoq; quod viderent Gentes, quæ veluti bru-  
tæ despectui fuerāt semper habitæ apud Deū,  
tāta alacritate præcurrere, eisq; ad ipsum an-  
teire. Debuissent enim tunc reminisci, an illa  
esset non gens, & gens insipiēs, de qua fue-  
rat eis Deus comminatus. Quocirca non est  
Deus hic censendus crudelis, dum illos in  
hanc permisit inuidiam & iram, sed beni-  
gnus potius eorumq; salutis appetens. Nam  
quos diuinus amor nō adduxerat, debuisset  
inuidia saltem Gentium & æmulatio ad fidē  
CHRIS TY permouere, ne scilicet alienigenæ  
talem illis honorem præriperent, vt cum ipsi  
quem tam diu sectabantur non inuenissent,  
Gentes, quem non quærebant, subito repe-  
rissent.

Error quorūdam interpretū.

Altissimi testimonium.

Nō est Deo crudelis.

Esaias audet & dicit, Inuentus sum à  
nō quærentibus me, palām apparui iis,  
qui me non interrogabant. Ad Israel  
autē dicit, Tota die expādi manus meas  
ad populū nō credentē & cōtradicentē.  
Congeminat duo alia testimonia Esaiæ, que  
ambo quasi eodē cōtextu copulantur Esa. 65.  
Sed quoniā prius membrū ad Gētes, posteri<sup>9</sup>  
verò ad Iudæos spectat, secuit in duo. Est autē  
æquissima Dei querimonia, qua, nisi plus q̄ cæ-  
ci fuissent, apertissimè, & veluti in speculo  
eis repræsentauit historiā, sã ingressus Genti-

litatis,

litatis, quā Iudaicæ obstinatiōis. Atq; eam  
ob causam ait Paulus / Audet & dicit. Am-  
brosius legit / audit / puta à Deo / & dicit / sed  
tamen receptissima lectio est / audet / ac si di-  
cat / audet dicere. Commendat nanq; gene-  
rosum inuictumq; animum Esaiæ, qui nullo  
mortis pauore conferritus (quam demum a-  
trocissimā pertulit) propalām crimina ex-  
ulcerabat, & cuiusq; generis propalabat ve-  
ritatem. Ille, inquit, imò per eū Deus, ceu indi-  
gnato animo exteras Gētes cum domestico  
populo confert, nempe quod ab illis nō que-  
rentibus inuentus sit, ab his autem quos ipse  
anxiè auidissimeq; ad se vocabat alliciebat  
que, fuerit repudiatus. Litera nostra sic ha-  
bet, Quæsierunt me, qui ante non interroga-  
bant: inuenerunt, qui non quæsierunt me. Ec-  
ce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non inuoca-  
bat nomen meum. Sed Paul. citat septuagin-  
ta. De Iudæis autem contrā subdit. [Tota die  
expandi manus meas ad populū non credentē &  
contradicentem.] Emphasis est / Nō credentē  
& contradicentem. Manus autem expande-  
re, affectus illius est qui opem misero offert,  
si modò expādere, idem sit quod, porrigere:  
sin autem idem polleat, quod, aperire, amorē  
illius effert, qui vehementer cupit amplexu  
accipere alium in suam amicitiam: sicuti est  
& illud euangelicum, Quoties volui congre-  
gare filios tuos, quemadmodum gallina.  
Quin verò Orige. & Aug. etiam ad patibū  
lum crucis hoc referunt, vbi CHRIS TYVS ex-  
panfis manibus, tum genus vniuersum huma-  
num ad se inuitauit, tum & peculiariter præ-  
catus Iudæis est apud patrem veniam, tanq̄  
nescientibus quid facerent. Hoc igitur hic re-  
colendū est, quod sæpè antea adnotauimus:  
nempe quod vbicunq; Deus legitur, aliquos  
indurare & excæcare, nulla significatur eius  
intentio ad malum hominis, sed obstinatum  
humanum cor ad eius misericordiam. Hac  
quippe ratione hic Paul. sententiam Dei per  
Mosen, quod adducturus esset Iudæos in in-  
uidiam, missurusq; in iram, exponit per alte-  
ram, vbi affirmat / tota die / id est, perseueran-  
ter distētis brachiis Deum ad se eos illectaf-  
se, sed illi præ duritia cordis sui abusos fuisse  
diuina eius clementia.

Inuidius Esaiæ a-nimius.

Mat. 23.

Cruce Christi.

CAP. XI.

Dico ergo, Nunquid Deus repulit  
populum suū? Absit. Nam & ego  
Israelita sum, ex semine Abrahā,  
de tribu Benjamin. Ostendit Apostolus

superiori capite Iudæorum ruinam, quate-  
nus eorum causa & culpa id contigit. Puta  
quemadmodum in aduentu spectati Messig,  
non nisi exigua Iudææ gentis particula sulce  
pisset eius fidem: quæ quidem cæcitas licet  
non nihil habuisset excusationis, non tamen  
vsq; adeo, vt esset extra crimē. Iam nunc ve-  
rò capite præsentī de eadē ruina tractat, qua-  
tenus à Deo ob bonā causam permissa fuit.  
Vbi nonnulla eundem populū consolationi-  
ne recreat, tum quod neq; eorum aberratio  
& lapsus fuerit vniuersalis, tum quod neque  
sit irreparabilis: & vtrunq; ob diuinam cle-  
mentiam. Addit nihilò minus & quædā alia.  
Quocirca disseccare capitulum hoc possum<sup>9</sup>  
in quinq; vel membra, vel articulos. Primū  
enim demonstrat, quod Iudæorum casus non  
fuit generalis. Secundò illic / Dico ergo / do-  
cet eundem lapsum, vt non fuit inutilis, sed à  
Deo permissus, vt Gētilitas ingrederetur ad  
fidem, ita, neq; esse irreparabilem. Tertiò il-  
lic / Quod si aliqui / aufert Gentilibus ansam  
extollendi, efferendiq; se aduersus Iudæos,  
eò quod eorū ingressus mera fuit gratia Dei.  
Quartò vbi ait / Nolo vos ignorare / patefa-  
cit, quoad rei celsitudo permittit, mysterium  
eiusdem Iudaicæ cæcitatē. Atq; adeo in fi-  
ne / O altitudo / admiratione concludit capi-  
tulum. Igitur quoniam populū Israel testi-  
monio legis in crimine constituerat incredu-  
litatis & rebellionis, appellans eum non cre-  
dentem & contradicentē, sedatos statim con-  
solatione curauit eorum animos, qui amaritu-  
dine verbi perturbarentur. Reclamare nanq;  
possent, & cum Paulo sic expostulare. Nun-  
quid qui populus Deo selectus ac dilectus  
fuimus, cui facta est Messig promissio, in quē  
idcirco fuit templum, lex, sacerdotiū, circūci-  
sio & reges, quorum est sanguine progeni-  
tus, tam turpem debuissimus perpeti à Deo  
repulsam, tantaq; ignominia Gentilitati post  
haberi? Talem enim obiectionem quasi ab il-  
lorum ore præcipit Pau. hac interrogatione /  
Dico ergo, Nunquid repulit Deus populū  
suū? Similis penè interrogatio est apud Psal-  
mistam. Vt quid Deus repulisti in finē? [Ab-  
sit.] Responso est execrantis, iuxta verbum  
Psalmistæ in alio psalmo, Quia non repellet  
dominus plebem suam, & veritatē suam non  
derelinquet. [Nam & ego Israelita sum, &c.]  
Tripliciter confirmat conclusionem. Primò  
per suū ipsius exemplum. Ac si dicat, Si De-  
us concepto odio statuisset repellere popu-  
lū suum, nunquam me in hoc culmen fidei  
extul-

Diuisa capitula.

Psal. 78.

extw

Paulini ge-  
neris com-  
mendatio.

extulisset, qui sum non solū Israelita, verūm  
& ex semine Abraham: ad differentiam profe-  
lytorum, qui ab exteris nationib⁹ adunaban-  
tur ad populum Israel. Neq; ex vnaqualibet  
tribu, scilicet, vel ancillarum, vel Lyæ minus  
dilectæ, sed ex Benjamin patri dilectissimo,  
quem ei nouissimum peperit charissima Ra-  
chel. Hanc sui sanguinis laudem, vel ob hanc  
commemorat causam, quod censebat neces-  
sariam hic esse sui commendationem: sicuti  
ad Cor. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahe  
sunt, & ego. Et ad Phil. Ex genere Israel, de  
tribu Benjamin. Vel id fortè fecit ad maiore  
rei confirmationem, videlicet quod cum ex  
visceribus Israel fuerit euocatus ad fidē, nō  
gratis Deus ex suo odio repulit suā plebem.

Non repulit Deus plebem suam, quā  
præsciuit. Explicatē subdit conclusionem  
abditam sub verbo / Absit. Quæ quidē con-  
clusio secum adfert, tum suam restrictionem,  
tum pariter secundam probationē. Etenim  
ne quis cogitaret in vno tantū Paulo seruati  
fuisse populum Israel, subnectit hac ratione,  
quod Deus nō repulit quos præsciuit, ex quo-  
cunq; populo ii fuerint, vel natione, vel con-  
ditione: quinimō illos esse profus plebem su-  
am, propriūq; populum suū: iuxta id quod  
supra dixerat cap. 9, Non omnes qui ex Isra-  
el, hi sunt Israelitæ. Et hæc est secunda con-  
clusionis ratio, qua & Deum ostendit fidem  
suam liberaſse, quam suis pridem obſtrinxe-  
rat pollicitationibus seruandi populum suū.  
Quoscunq; enim Deus præsciuit, illi præciſe  
conscripti sunt in suum populum, eosdemq;  
adeo non repulit, quoniam Deus immutabi-  
lis est, nec falsus vnquam nec fallens: multos  
autem præsciuit ex Iudæa gente, eosdem er-  
go non repulit. Optima igitur est annotatio  
Augustini in lib. de bo. perseuer. super hoc lo-  
co, vbi sic colligit, Nullus ergo qui hæc intel-  
ligit, negare, vel dubitare permittitur, vbi ait  
Apost. Non repulit Deus plebem suam quā  
præsciuit, prædestinationem significare vo-  
luisse. Hæc ille. Nam quauis præscientia ad  
iniquos etiam extendatur, tamen de quibus  
præsciuit, bonū fore in gloriā ordinari (quem  
admodum cap. 8. declarabamus) eosdem &  
prædestinauit. Ex quorum idcirco numero,  
qui certus est, perditur nemo. De quibus ait  
Ioh. 6. CHRISTVS, Hæc est voluntas eius qui misit  
me patris, vt omne quod dedit mihi pater  
non perdam ex eo, sed resuscitem illud in no-  
uissimo die, resurrectione videlicet illa, quæ

est in vitam æternam. Chry. autem hic quod et  
Ambro. tendit, glossat / quem & præsciuit /  
hoc est, quē certō sciebat idoneum, fidemq;  
recepturum. At nō intelligunt diui isti, assen-  
sionem nostram in fidem, esse propriē cau-  
sam prædestinationis, sicut nec est iustifica-  
tionis: aliās initium fidei esset à nobis, sed ad-  
sensum supra à nobis explicatum, puta quod  
sit dispositio, eaq; prædestinationis opus.  
Quocirca nō est cur transferatur (vt à qui-  
busdam fit) quem prænouit / nimirum no-  
titia approbationis, vt isti traductores vo-  
lunt: hæc enim sequitur non solūm prædesti-  
nationem, sed collationem præuisam gratiæ:  
approbat enim Deus, quos videt iustos.

An nescitis in Helia quid dicit scri-  
ptura, quemadmodū interpellat Deum  
aduersum Israel? Domine, prophetas  
tuos occiderunt, & altaria tua suffode-  
runt, & ego relictus sum solus, & quæ-  
runt animam meam. Sed quid dicit illi  
diuinum responsum? Reliqui mihi se-  
ptem millia virorum, qui non incurua-  
uerunt genua ante Baal. Sic ergo & in  
hoc tempore, reliquiæ secundum ele-  
ctionem gratiæ factæ sunt. Si autem  
gratia iam non est operibus: alioquin  
gratia iam non est gratia. Tertiam eius-  
dem cōclusionis confirmationē extruit per  
Homæosin, hoc est, collationē ad Helia. Hu-  
ius historia est. 3. Reg. 19, quam hic Paul. sub-  
indicat figuram fuisse huius veritatis. Ait er-  
go. [In Helia] Id est, in historia Helia. Querit  
enim illic cum Deo propheta de nefan-  
da persecutione Achab & Iezabel sub ver-  
bis hic citatis. Ait autem prophetam interpel-  
lare aduersus Israel, nō quidem ex tali odio,  
vt mala precetur populo sempiterna: est e-  
nim sanctum potius seruorum Dei pectus, vt  
pro populo iugiter interpellent, iuxta illud,  
Absit hoc peccatum à me in domino, vt ces-  
sem orare pro vobis. Sed hoc dicit secundum  
ingenium prophetarum, qui ventura prædi-  
cunt nonnunquā stilo malè precandi: vt Hie-  
rem. Confundantur qui me persequuntur, Iere. 17.  
pro eo quod est, confundentur. Et tale est il-  
lud psalmi, Fac illis sicut Madian & Syfare,  
& cætera quæ sequuntur: cuius figuræ est to-  
tius psalmus centesimus octauus, Constitue  
super eum peccatorem & diabolus stet à de-  
xtris eius, & cætera. Tameſi nihil vetat, quō-  
minus sancti odio prosequantur malignan-  
tium

sium Ecclesiam, imprecātes defringi eorum  
potentiam, qui in Ecclesiam Dei hostiliter  
grassantur: liquidem in die iudicii lætabitur  
iustus cum viderit vindictam, vtpote æquissi-  
mæ voluntati Dei concurs. [Domine, prophe-  
tas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderūt, &  
ego relictus sum solus, & querunt animam meam.]  
Verba hæc non simpliciter in confirmatio-  
nem propositæ conclusionis adducit, verūm  
& in hoc quoq; vt Iudeorum truculentissi-  
mam tyrannidem vituperet, adumbratamq;  
demonstret per suos ipsorum vates, qui præ-  
dixerunt, quomodò non solūm repulsuri fo-  
rent, verūm & persequuturi Ecclesiam CHRI-  
STI. Pari nāq; iniuria ipsi & altaria eius quo-  
que diruere, & apostolos interimere conite-  
bantur. Iugulauit enim eorum tyrannus Ioan-  
nem, qui venerat in spiritu Helia, & Ia-  
cōbum: & videns quod placeret eis, ap-  
posuit apprehendere & Petrum. Ipsi au-  
tem non modò Stephanum, quinimò &  
CHRISTVM ipsum occiderūt, Deū Helia. Vn-  
de MAT. 23. in Evangelio, Ecce ego mitto  
ad vos prophetas, & sapiētes, & scribas, et ex  
illis occidetis, & c. vt veniat super vos oīs san-  
guis iustus, qui effusus est super terram à san-  
guine Abel iusti, & c. Hoc autē nec nos præ-  
tereat, quē admodū quod vitio dat & crimini  
illic propheta iniquis illis, scilicet suffodisse  
altaria, id laudi apponitur pientissimo Eze-  
chias, qui videlicet zelo Dei sustulit excelsa  
& altaria. Nam ratioe longè diuersa horum  
opera censentur. Erat enim præceptum, vt so-  
lūm Hierosolymis offerrentur holocausta et  
victimæ: sed ante templi ædificationem con-  
cessum erat, vt diuersis locis altaria construe-  
rentur: hæc autem Rachel & Iezabel abole-  
re cupientes diuinum cultū subuertebāt, quæ  
tamen ædificato templo religiosus Ezechias  
sanctè demolitus est. [Et ego relictus sum so-  
lus.] Relictus, inquit, sum solus, secundum suā  
existimationē, quoniam celauerat illuc vsq;  
illum Deus alios fuisse superstites iustos, de  
quibus confessim ipse testatur, nō incuruasse  
genua sua ad Baal. Vel ait / solus / qui zelo  
ita publico prædicet nomen tuum. Nam deli-  
tescebant alii. [Et querunt animam meam.] Op-  
timè ad literam græcam tranſtulit interpres.  
Neq; opus fuerat (quod alii faciunt) demu-  
tare literam, transferentes, Insidiantur vitæ  
meæ: nam idem latinè pollet / querere ani-  
mam / quod, insidiari vitæ. Sicuti, ponere ani-  
mam pro amico, idem est, quod, ponere pro  
illo vitam. Miserat nanq; pessima Iezabel

eī nuncium cum huiusmodi comminatione.  
Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, nisi hac  
hora cras posuero animam tuam, sicut animā  
vnus ex illis, scilicet prophetis Baal, quos in-  
terfecerat Helias ad torrentem Cifon. [Sed  
quid dicit illi diuinum responsum?] Neq; super-  
fluit / diuinum. Licet nō sit expressum in græ-  
co. Imò fuit operæ precii ad reddendam to-  
tam significationem nominis simplicis / Χρη-  
ματισμός, [Reliqui mihi septem millia virorum,  
qui non incuruauerunt genua sua ad Baal.] Lite-  
ra nostra futurum habet / derelinquam mihi.  
Respondit enim Dominus Helia, dum ita se  
afflicta ret, vt reuerteretur ad vngendum He-  
liazum in prophetam: Hazael verò & Iehu  
in reges. Vnde subditur, Et derelinquā mi-  
hi in Israel septem millia virorum, qui nō in-  
curuauerunt genua sua ad Baal. Erat enim  
celebris inter deos illos, quos colebāt Achab  
& Iezabel. Hoc est, Non perdam totum po-  
pulum, sed illa septem millia seruabo: quoniā  
non incuruauerunt adorantes scilicet & co-  
lentes pro Deo Baal. Vel forsā / reliqui / id  
est, non permisi vt incuruarent genua sua, sed  
præferuauī eos, ne delinquerent: & tunc qua-  
drat annotatio Augustini, scilicet quod signi-  
ficantè dictum est / reliqui / & non / relictæ  
sunt / quoniam per gratiam Dei fuerūt serua-  
ta. Qui quidem sensus libentius applicabitur  
ad prædestinationis opus. Et accipitur cer-  
tus numerus pro incerto. Haud enim præci-  
sus ille numerus seruorum credendus est,  
sed aliqua multitudo: solent enim septem, &  
mille, quoniam numeri sunt perfecti & cele-  
bres, pro incerta multitudine vsurpari. Neq;  
solos viros, coniectura est, fuisse seruatos, sed  
promiscuè & mulieres, quæ comprehendun-  
tur nominatione viri propter animi constan-  
tiam & robur. [Sic ergo in hoc tēpore reliquiæ  
secundum electionē gratiæ Dei saluæ factæ sunt.]  
Applicat exemplum ad rem propositam.  
Eodem enim, inquit, pacto, & in hoc tempo-  
re reliquiæ Israel, id est, perexiguus numerus  
respectu multitudinis, quæ erat sicut arena  
maris (quemadmodum cap. 9. expositū est)  
secundum electionē gratiæ Dei saluæ factæ  
sunt. Sic, inquit, in hoc tempore, sicuti tunc  
olim, nō solūm quantum ad paruum numeri  
quantitatem, sed quantum ad modum. Nam  
etiam illi tempore Helia misericordia Dei  
seruati sunt. Et dicuntur / reliquiæ / sicuti, con-  
tulis electisq; paleis, ait Theophyl. pura resi-  
dent grana. Cæterum / Dei / neque est græcè,  
neq; plurimum à Patribus legitur. Imò neq;  
saluæ /

salua Sed sic extat, In hoc tēpore reliquæ Israel secundum gratiam factæ sunt. At quicquid de genituo/Dei/concesserimus, qui nihil sententiæ officit, tamen salua/ab omnibus legitur, & ab græco Origene, quod certum est testimonium, fuisse olim talem particulam: eò cum primis, quòd absq; illa mutilatus videtur sermo. Hoc itaq; in præsentiarum consideratè meditandum restat, quòd non concedebat diuinam clementiam, vt populum illum, cui vni per totum orbem celeberrimo promissiones factæ fuerant, eousq; in aduentu CHRIS TI diuina sua ope destitueret, vt nullam eius haberet rationem. Quocirca, vt Aug. tract. psal. 87. luculenter edisserit, primitiæ fidei ex gente illa collectæ sunt. Etenim quando sola deipara Virgo inde fuisset electa, præclarissimè cum gente illa actû fuisset. Fuerunt nihilò minus eiusdem populi & sponsus eius iustus Ioseph, & cum suis parentibus Ioannes baptista, Simeon, Anna, Nathanael ac deniq; apostoli: quibus & Stephanus martyrio coronatus præiuit. Mox tria millia vno die sacro baptismate tincta, ac subinde (quod ante Augustinum Chrysofost. etiam considerauerat) quinque millia, atq; iterum decem millia, quorum erat anima vna, & cor vnum in Deo. Præter aliam numerosam multitudinem, cuius mentio non habetur expressa in scriptura. [Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.] Gratia in primo loco, efficiendi causus est. Hoc est, si ex gratia salua factæ sunt reliquæ, non sunt salua ex operibus: alioquin quod dicitur/ex gratia/non esset vera gratia. Pugnant quippe secum, gratis quicquam donari, & operibus reddi. Est enim hoc iustitiæ opus, vtpote merces vel præmium: quæ quidem iustitiæ rationem gratia excludit, cuius opus est mera donatio: id quod iam supra satis superq; expositum est. Gracè in iis qui circumferuntur codicibus continuò attestatur conuersio/Sin verò ex operibus iam non est gratia. Quod eadem ratione liquidum sit, si modò additio hæc legitima est. Nam etsi Theophyl. illam legerit, haud tamè Origene vel Chry. vel Latini norunt, neq; verò Aldina, neque Hispaniensis editio habet, quòd indicium est esse adiectitiæ. Præsertim quòd subnexa oratio/ Alioquin gratia iam non est/ tantundem valet.

Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem

cōsecuta est: ceteri verò excæcati sunt. Colligit tum demum ex his quæ dicta sunt interrogationis conclusionem. [Quid ergo?] Scilicet tandem concludamus. [Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus.] Hæc non interrogatio, sed negatiua est potius sententia, superiori concinnēs, vbi dixerat, quòd Israel sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit: quia scilicet non ex fide, sed quasi ex legis operibus suam statuentes iustitiæ, legi Dei non sunt subiecti. Quapropter nomen hic/Israel/non de toto, sed de plurimo illo numero enunciatum arbitreris, qui excæcatus perit. [Electio autem consecuta est.] Responso est per distinctionem. Hoc est, reliqua illa pars, quæ secundum electionem fuerat prædestinata, consecuta est, nempe iustitiæ, quanuis illam non quæsiuisset, vt supra enarratum est, quoniam oblatam fidem prompto obsequio suscepit. [Ceteri verò excæcati sunt.] Nimirum, vt scopum non cernerent, quòd sua ipsorum scripta lex per prophetarum, cerimoniarumq; lucem rectè ducebat.

Sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Verbum hoc/Dedit illis spiritum compunctiōis/nō extat apud Esaiam cap. 6. vnde subsequenti verba citantur, neque alibi vsquam. Qua de re Origene, coniectat adiectum esse ab Apostolo, veluti interpretamentum subsequentium verborum propheta. At quia formam induit allegationis, alii volunt accersitum ex eodem vate cap. 29. vbi legitur, Inebriemini & non à vino, & c. quoniam miscuit vobis dominus spiritum soporis. Quasi compunctio in præsentia idem sit quòd, ab alienatio à sensu præ dolore, sopori simillima. Huic veruntamen interpretationi licet supposita verba/oculos, vt non videant/& c. haud illibenter suffragentur. Attamen verbum græcum/κατάεισις/ non adeò patrocinauit. Idem enim pollet, quòd/compunctio/quæ est vel in bonam partem facti poenitudo, vel in malam. Vtpote si dixeris, renitentia, & contra pungentem

stimulus

stimulum recalcitratio: quæ quidem significatio ad rem hic proximè spectat. Ob idq; fortasse ex alio loco Esaiæ, puta cap. 19. desumptum hoc est, vbi ait propheta, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum, & c. Vt idem sit hic/compunctio/quòd, vertigo, hoc est, error, seu, seductio: sitq; allusio ad eum, qui mente consternatus circumambulans oberrat. Huic quidem simile illud est psalmi, Potasti nos vino compunctionis. Quòd & spectare videtur Ambr. vbi ait, compunctionem esse, habitum quandam animæ ad id quod peius est immutabiliter se habentem, vt, compungi, sit incusso clauo ad aliquid insigi. [Oculos ut non videant, & aures ut non audiant.] In propheta cap. 6. proluxior est imprecatio, Excæca cor populi huius, & aures eius aggraui, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat. [Vsq; in hodiernum diem.] Hoc ab Apostolo adhibitum fuit, vt doceret prophetiam illam de illo tunc præsentis tempore CHRIS TI ab illis ignoti fuisse præscriptam. Idem nobis litigium Lutherani, quòd antea sæpè, & hoc loco offerunt, quippe quòd Deus consultò immittat hominibus hanc oculorum cæcitatē, surditatēq; aurium. Sed hæc istorum enormem absurditatem iam satis supra depugnauimus, & latius lib. de nat. & gra. Vnde in præsentiarum Chry. causas inquit, huius cæcitatē in eorum ipsorum caput deduxit Paul. ostendens, quòd istud ex intempestiua contentione passi sunt. Et August. (prædestinatiōis aliàs reprobationisq; assertor) tract. 1. super Euangelium Ioannis, Istis, inquit, (puta Deum facientibus auctorem mali) respondemus præscium futurorum per prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum: prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominū peccata iam nouit: ipsorum enim præsciuit peccata, non sua. Vide quomodo si Deus author esset peccati, suum ipsius esset peccatum. Et infra super hunc præsentem locum Esaiæ ad hoc argumentum, videlicet quòd Iudæi non poterant credere, eò quòd (teste Esaiæ) excæcauerat Deus eorum oculos: respondet, quòd ex eo non poterāt, quia nolēbant: excæcat enim Deus, nō adiuuādo, sed deserēdo. Hæc Aug. Deserit autē, quia nos nolumus vti eius subsidio, vt illuminemur. Quid autē opus est sanctorū testimoniis, CHRIS TVS palam profert

huiusmodi cæcitatē causam, vbi ait apud Ioannem, Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est nō quæritis? Ambitus ergo gloriæ in inuidiā de CHRIS TO satrapas illos ac legis doctores coniecit. Quæ quidem inuidia obtutum illis mentis atra caligine obduxit, ne CHRIS TI prælagia recto sensu inspicerēt. Quocirca, vt agnouit hoc loco Chry. quòd hic ait / Dedit illis / non operationem quandam Dei, sed concessionem, hoc est, permissionem significat. At nescio quid mihi conuerti videor sub hac cæcitatē imagine, vbi non ait propheta, Erui illis oculos, vt non videant, conuellitq; aures, vt nō audiant, sed dedit oculos, vt non videant, & aures, vt nō audiant. Si enim non erant visuri, quid opus habebāt oculis? Discernere, inquam, mihi videtur propheta diuersos nō videndi modos. Etenim qui orbi sunt prorsus oculorum, non possunt visu seduci, quia neq; corpora vidēt: qui autē lippi sunt, caliginantibusq; oculis, corpora quidē vident, minutas tamē linearū figuras minimè deprehendunt. Qua sæpe hallucinatione seducuntur, aliud vtiq; pro alio iudicantes. Sic ergo Iudæi, legis quidē corticem cernebant, non autē ad medullam vsq; penetrabāt, ob idq; detortis sensibus seducebātur. Quò fortè refertur (vt paulò ante meditabamur) compunctionis verbum. [Et Dauid dicit.] Puta in psalmo. 68. [Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis.] Mensa/in proposito vt (aliis prætermisissis commentis) Origenem auscultemus, pagina est sacræ scripturæ: de qua meminit Sapientia ipsa, vbi ait, immolasse victimas, miscuisse vinum, ac proposuisse mensam suam. Hanc enim Dauid nominauit locum pascuæ: reficitur enim spiritus verbo Dei, eodemq; alitur & corroboratur in omni virtutum genere. Vnde Apostolus, Lac potum dedit vobis, non escam. At si reni penitissimè scrutari optas, verba in eodem psalmo antecedentia respice. Lamentatur enim illic per Prophetam CHRIS TVS, quemadmodum sitienti in cruce, qua siti desiderium salutis vniuersi humani generis proferebat, fel fuerit illi à Iudæis porrectum, aceto mixtum: hoc est, vinum scripturæ in falsitatem & amaritudinem corruptum. Qua de re talionis illis poenam imprecatus Propheta, quinimò prophético more eandem definiens, exponensq; gustus eorum corruptio-

nesm,

Horādum.

Laus Virginit.

Act. 2.

Psal. 59.

Ambr.

Lutherani.

Chrysof.

Aug.

Orig.

Compunctio.

Ioan. 3.

Dedit oculos vt nō videant.

Psal. 9.

Psal. 22.

1. Cor. 3.

Expositio.

Mat. 27.



nem, subiungit / Fiat mensa eorum coram ip-  
sis / puta scripta lex quæ ante eorum conspe-  
ctum posita est, vt veris eius sensus pascantur  
et potentur / fiat illis in laqueum & in captio-  
nem / hoc est, sinistra eius intelligētia extran-  
gulentur & pereant. Ac si aperte futura pre-  
nunciando dixisset, Propterea CHRISTVM  
felle potabunt, quod mensa eorum facta est  
illis in scandalum. Vel si conuersa ratio ma-  
gis placet, Ab illo vsq; tempore quo fel ace-  
tumq; Deo suo propinauerint, erit illis vi-  
cissim mēsa illorum in laqueum, & in captio-  
nem, & in scandalum. [In retributionem illis.]  
Vt qui ad mensam Deo suo fel in escam, ace-  
tumq; in potum apposuerunt, eisdē fiat men-  
sa in laqueum. Vnde August. super hūc psal.  
/ Fiat, inquit, nō optantis est, sed prophetan-  
tis: non vt fiat, sed quia fiet. Est autem allu-  
sio ad muscipulam, vel ad plagas, aliaue illa-  
queādi ingenia, sub quibus abditur viscus ad  
inescandum animalia. Pari siquidem modo  
Iudæi præ sua inuidia & superbia seducti sūt  
& irretiti per literam falso scripturæ intelle-  
ctu. Nec satis duxit dicere / in laqueum / sed  
quo maiori affectu & vehemētia rem depro-  
meret, adiecit. [Et in scandalum.] Hoc est, vt re-  
vera capiantur. [Et in scandalum.] Quod est,  
in offendiculum. Solent enim parari quoque  
machinæ captandis feris, in quas machinas  
impingentes, occumbunt. Hoc igitur verbo  
illuc respicit, vbi dixerat / Offenderunt in la-  
pidem offensionis. Orige. illam hic præterea  
captionem Iudæorum agnouit, qua per suas  
scripturas reuinciri possunt. Veluti fuit illa,  
vbi sciscitatus illos CHRISTVS, quid eis vi-  
deretur de CHRISTO, cuius scilicet esset  
filius, Responderunt, Dauid, quasi tenden-  
tes rete, quo inuoluerentur: subiungens enim  
confestim CHRISTVS, Quomodo ergo Da-  
uid vocat eum, dominum? dicens, Dixit do-  
minus domino meo, veluti complicati & vi-  
cti obmutuerūt. Eodē deniq; pertinet quod  
subditur. [Obscurentur oculi eorum ne uideant.]  
Nempe vt sic obtenebrati laqueo irretiātur,  
offendantq; in scandalum. [Et dorsum eorum  
semper incurua.] Multa hic comminiscuntur in-  
terpretes. Existimo tamē id prorsus Prophe-  
tam edocere quod obscuratis mentis oculis,  
quibus eruitur spiritualis scripturæ intelligen-  
tia, illi, qui reliqui fiunt literales sensus, tam  
multiplicium cerimoniarum ac rituum, nihil  
aliud sunt, quàm grauissimum onus: quod Iu-  
dæi ceu dorso gestantes, incuruantur: hoc est,  
veluti baiuli deprimuntur, qui onus succum-

bunt moli. Qua ex causa, vtpote quia intelle-  
ctus circa superna cæcutit, consequens fit, vt  
& liberum arbitriū (quod appellatiōe quo-  
que dorso venire potest, quo vitæ negotia ge-  
rimus) ad terrena procliuē, cœlestibus posi-  
habitis, demittatur.

Dico ergo, Nunquid sic offenderunt  
vt caderent? Absit. Sed illorum deli-  
cto, salus Gentibus, vt illos æmulentur.  
Præfatus deniq; Apost. Iudæorum ruinā non  
fuisse generalem, ad secundum transit articu-  
lum huius capituli, vbi ostendit eandem rui-  
nam neq; fuisse cassam, & inutilem, neq; ve-  
rò fore irreparabilem. Cum enim superiori  
oratiōe visus fuerit, tum Deo nonnullam no-  
tam crudelitatis inurere, qui tantam multitu-  
dinem perditum ire fuerit, tum Iudæos ama-  
rius increpasse, quod sic de via deflexissent,  
iam nunc & pro Deo honore respondet, &  
eos pariter consolatur. Prius ergo patefacit  
commoditatem eorum lapsus. [Nūquid offen-  
derunt ut caderent?] Græcanicis modò codi-  
cibus abest particula sic / & sunt quibus illi-  
us adiectio videatur sensum peruertere. Ap-  
paret enim taliter præposita, vt cui respon-  
deat coniunctiua / vt / atq; adeò reddat hunc  
sensum, Nunquid vsq; adeò offenderunt, vt  
re vera conciderent? Ac si dicas, Vsq; adeò  
casus est, vt fuerit occisus? Cum tamen Paul.  
nō vertat in dubium, an ceciderint, sed legi-  
timus sensus sit huiusmodi. Nunquid eo tan-  
tum sine & intentione permitti a Deo sunt  
offendere, hoc est, cadere, vt caderent: vbi  
particula / vt / nulli respondet, sed est finalis.  
At verò & quanuis adiectitia fuisset, mini-  
mè hunc secundum sensum vitiat, quò minus  
legi quoq; possit. Et quamuis faciat priorem  
sensum, minimè aduersatur Paulinæ menti,  
quippe qui ambos prosequitur sensus. Dupli-  
ci namq; ratione negationē hanc confirmat,  
scilicet non illo tantum sine eos offendisse:  
vna, quia offensio illa fuit utilis ac frugifera:  
& secundum hanc rationē sequitur hunc sen-  
sum, quod non illo sine permittit eos Deus of-  
fendere vt caderent, sed quò is lapsus utilis  
esset. At altera præterea ratione idē probat:  
nempe quia casus ille est reparabilis. Cui qui-  
dē rationi aptissimè seruit particula sic. Vt-  
pote, Nunquid sic offenderunt, hoc est, per-  
missi sunt corruere, vt vniuersi perpetuò  
lapsi absq; remedio iacērent. Hoc enim pa-  
cto legit Ambro. Nunquid sic offenderunt,  
vt curari non possent: sicuti diabolus legi-

SECUNDA  
PARS CA-  
PITVLLI

mus cecidisse? Similiq; modo legit tam Chry-  
sost. quàm Orige. [Absit.] Familiaris est Apo-  
stolo responsio, dum partem affirmatiuam  
per abominationem repellit. Subiungit igitur  
præfixæ negationis priorem causam ab  
utili. [Sed illorum delicto salus Gentibus, ut illos  
æmulentur.] Fuit enim Iudæorum cæcitas, ex  
re cum primis Gentilitati, mox eisdem eti-  
am ipsis Iudæis commoda. Veruntamen à  
duplici hic errore cauendum nobis est. Pri-  
ma cautio est, ne putemus neutiquam potuis-  
se Gentes viam salutis ingredi, nisi depulsis  
Iudæis: quasi adeò angustauerit, strinxeritq;  
Deus aditum ad se, vt non posset vniuersum  
humanum genus sinu infinitæ misericordiæ  
sue excipere. Est enim sinistra ac impia ta-  
lis de Deo cogitatio. Nam vtcunq; prædesti-  
natorum numerus certus fuerit, vult tamen  
omnes saluos fieri, vt supra expositū est: ob  
idq; CHRISTVS salutis viā strauit, aperuitq;  
omni credenti, Iudæo primū ac Græco: ac  
ideo si nulli credere renuissent, omnes intraf-  
sent. Altera cautio est, ne vel suspitio nos tan-  
gat, consultò Deum excæcasse eiecisseq; Iu-  
dæos, vt Gentes ingrederentur, ne eum con-  
stituamus authorem mali: malitia enim Iu-  
dæorum & cruditas cordis in causa fuit pror-  
sus incredulitatis eorum. Quid ergo? Nimi-  
rum quòd Deus qui nihil mali, nisi bona cau-  
sa permittit in nobis, Iudæorum malo, quod  
ab ipsis ortum habuit, bene usus est: sicuti in-  
duratione Pharaonis usus est ad exaltatio-  
nem nominis sui. Et ideo non ait Paul. quòd  
finis delicti fuit salus, sed quòd / delicto salus  
Gentibus comparata est. Imò verò neq; sim-  
pliciter (salua maiorum censura) confiterer,  
quòd illo sine permiserit Deus Iudæos in il-  
lam cæcitatem illabi: vt infra super verbo /  
cæcitas contigit in Israel / emunctius explica-  
bitur. Trinam autem vtilitatis rationem me-  
ditantur hic Patres in delicto Iudæorum ad  
salutem Gentium. Prima est quòd eorum de-  
lictum, fuit homicidium illud ac deicidium,  
de quo CHRISTVM affixerunt patibulo, vnde  
vniuersa promanauit salus. Nam nisi illi  
CHRISTVM detulissent fecissentq; reum mor-  
tis, mille in eum Gentes vsq; adeò impiè de-  
liquissent: siquidem Pilatus subducere se ni-  
sus est tanto scelere. Qua fortè de causa cum  
interpres, vt proximo verbo / caderent / arri-  
deret, vertere potuisset / illorum casu / vel /  
lapsu / vt alii faciunt, maluit vertere / deli-  
cto / quod vox itidem græca significat: vt  
crimen lapsus, delicti nomine exaggeraret.

A duplici  
errore ca-  
uendum.

Trina vti-  
litas.

Mat. 27.

Neque vllum est verbum, puta / fuit / aut / fa-  
cta est salus / eò quòd plura huius figuræ  
possunt subintelligi. Et præterea, quoniam  
sunt Hebræi verborum auari, suas videlicet  
orationes verbo sæpè orbantes substantiuo.  
Secunda ratio vtilitatis est, quòd propter  
repullam, quam ab illis apostoli passi sunt,  
reuerli sunt ad Gentes. Hæc autem cau-  
sa non fuit, vt simpliciter Gentes intrarent,  
sed vt Iudæos anteuertent, fidemq; pri-  
us suscipere. Vnde Paulus, Vobis oportebat  
primū loqui verbum Dei: sed quoniam  
repulistis illud, conuertimur ad Gen-  
tes. Etenim (vt adnotauit Chrysofomus)  
non simpliciter CHRISTVS inhibuit disci-  
pulos ire in viam Gentium, sed vt irent po-  
tius, id est, prius ad oues Israel. Id quod in  
parabola inuitatorum ad cœnam depictum  
est. Enimuerò quoniam illi conuiuium re-  
trectarunt, euocati sunt alii, corrasiq; ex vi-  
cis & plateis. Per quod rursus liquidò pa-  
tescit, quanta id polleat veritate, quod mo-  
dò dicebamus: nempe quòd Deus non ex-  
cluserit meditatio Iudæos, vt Gentibus lo-  
cum cederent, sed eos fuerit potius paratissi-  
mus suscipere, eosdemq; priores, nisi ingre-  
di abnuissent. Tertiam verò commoditatis  
rationem nacti sunt Gentiles ob Iudæorum  
lapsum, quam August. edisserit in enarratio-  
ne psalmi. 58. Nempe quòd ob suam impo-  
nitentiam dispersi sunt inter Gentes, baiu-  
lantes legem, vetusq; testamentum: cuius te-  
stimonio fulciuntur Christiani, ac suam con-  
stabiliant fidem. Est namq; robustissimum  
testimonium, fidem nostram irroborens (vt  
cap. 1. narrabamus) quòd tot retrò seculis  
promissus, expectatusq; fuerit CHRISTVS,  
cuius historia incorruptis illibatisq; scriptu-  
ris perpetuè fuit memoriæ prodita. Si au-  
tem vniuersa statim Iudæa conuersa fuisset  
ad fidem, decursis tunc demum aliquot se-  
culis, nationes reliquæ possent eam nobis  
inficiari, inquietes, commenta esse nostra.  
Vbi verò inimici ipsi nostri pernegantes ad-  
uenisse Messiam, vniuersum mundum ob-  
errent, confitentes ac prædicantes vetustis-  
simam promissi fidem, suumq; offerentes  
testamentum, in quo signa perspicuntur cla-  
rissima, testesq; inuictissimi, tum temporis,  
tum etiam qualitatum & conditionum eius-  
dem venturi Messia, maximo fides nostra  
stabilimento solidatur. Hoc ergo prophe-  
tabat Dauid, vbi aiebat, Deus ostendit mi-  
hi super inimicos meos, ne occidas eos, ne  
quam

Secunda  
vtilitas

Act. 13.

Mat. 10.

Luc. 14.

Tertia  
vtilitas.

Aug.

Psal. 30.

V quam

quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, &c. [Vt illos amulentur.] Diuus Tho. in hoc pro sua ingenii fecunditate assuetus, vt nullam, quæ vel excogitari possit intelligentiam prætereat, vtroque sensu particulam hanc enarrat, seu intelligas, vt Gentes, Iudæos amulentur, seu conuersim, vt Gentes amulentur Iudæi. Græcè tamen nulla est amphibologia: quippe vbi nomen/Gentium/neutrius est generis/Iudæorum/autem masculini: cui ideo soli coniungi potest masculinum relatiuum. Quinimò neque Latinis vlla est. Siquidem illos/masculinum est/Gentibus/verò fœmininum. Synce rus ergo intellectus est, Vt Iudæi amulentur Gentes. Ad quam cauendam amphibologiam, transferunt quidam, vt cos ad amulandum prouocaret, scilicet Deus. Est veruntamen hæc paraphrastica traductio: nam græcè nō est, nisi/ad amulare/hoc est/ad amulandum. Edocet ergo Paulus cæcitatem Iudæorum non solum Gentibus, verum & Iudæis ipsis in rem fuisse: nempe vt zelo & inuidia Gentium ad fidem properantius festinarent: quemadmodum in calce superioris capituli expositum reliquimus. Experientia enim comperimus, Iudæorum plurimos emulatione percussos Christianorum, in nostram se conferre familiam. Cernunt namque aduenisse nobis omnia bona pariter cū illa: Christianam, inquam, sapientiam, accessionem nobis fecisse rerum, quibus floret humana felicitas, vtpote regnorum, potentatum cum optima Reipublicæ administratione, ac dignitate: adeo vt si ad Christianas leges synoceret & candidè vitam exigeremus nostram, Christiani sint inter mundi omnes nationes florentissimi, honoribusque politicis, humanæ congruentibus dignitati fulgentissimi. Sed o nostrum Christianis indignissimum ingenium, adeo nos luxus & honorum ambitus exagitat, vt bellis nos continuis lacerantes Christianam pacem, profligatam iam exterminauerimus. Sed heu tempora luctuosissima. Quid pacem dixerim? Christianam iam prope modum Rempublicam habemus deploratam: adeo sub nomine libertatis velata exitiosissima carnis licentia scripturam peruertit, si dem dilaniat, religionem proscindit, apostasiam parit, rebellionem nutrit, hæreses fouet, fauetque dissidiis. Ecquis ergo iam modò, vel Iudæorum, vel certè aliorum infidelium, qui nostri sunt nominis infectores, amulato nos cogitent, nisi Deus pro gloria nominis

Luctuosa  
tempora  
sua.

sui, suam instauret Ecclesiam?

Quod si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum? Prosequitur Iudæorum solamen ratione secunda, ne animum despondeant, eò quod eorum iactura, & ruina recuperabilis sit. Hoc autem infra sectione quarta locupletius explicat: sed hic interim triplici ratione præmōstrat. Prima est hæc præfens, ab vtili quoque sumpta per hanc collectionem, Si Iudæorum delictum & culpa delicti sunt mundi (quoniam per mortem CHRISTI illiusmodi crimine patratam mundus vniuersus opulentissima misericordia Dei ditatus est) & eorum diminutio, hoc est, quod pro plurima numerosissimaque parte reiecti, rarissimi ingressi sunt, diuitiæ fuit Gentium, quanto magis plenitudo eorum locupletabit mundum. Et est argumentum à maiori: nam si de malo, quod per se aduersatur bono, per accidentariam occasionem diuina sapientia tantum eduxit bonum, quanto magis de bona ipsorum conuersione, quæ per se ordinatur in bonum, poterit mundum ad optimū perducere statum. Tunc enim vterque conuersus populus absque vlla emulatione iustitiæ Dei vnanimitè percolent. Huic si addamus ratiocinationi, diuinum propositum ad optima semper ferri, colligitur, quod tandem vniuersus Israel perducendus ad fidem sit, vt plenitudo salutis & gratiæ CHRISTI ante finem mundi consummetur. Id quod paulò inferius Apostolus expressa sententiâ pronunciat. Sunt qui inter delictum & diminutionem ita discernunt, sicuti inter culpam & pœnam: nempe vt diminutio accipiatur pro deiectione à celsitudine gloriæ, qua Iudæi refulgebant in orbe apud Deum. Planus veruntamen sensus non est, nisi quem tetigimus de diminutione numeri ingredientium ad fidem. Est enim secundum membrum, veluti prioris definitio & explanatio. Quod enim dixerat/ delictum fuisse delicias mundi/ exponit, subdens/ eorum diminutionem fuisse diuitias Gentium. Nam (vt iā hæcenus, & infra fusius explicabitur) quò pauciores ingressi sunt Iudæi, plures Iudæi factæ sunt Gentes. Quæ quidem quoniam multò erant maiori numero, quàm Iudæorum populus, idèque sexcenties multiplicatus, maiori longè accessione per eas ditatus est mundus, quàm fuerit Iudæorum iactura. At verò non dixit/ conuersio eorum/ sed/ plenitudo/ tum

Triplex  
ratio.

Inter delictum & diminutionem.

vt comparatio fieret ad diminutionem, tum maxime vt exprimeretur complementum, consummatio, & perfectio Christianæ salutis per reconciliationem mundi vniuersi, iuxta verbum domini, Prædicabitur Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Atque adeo, qui (iuxta verbum Dei) si mandata eius seruassent, constituendi erant in caput, culpa sua constituentur in caudam.

Mat. 24.

Dent. 28.

1. Ioan. 5.

Vobis enim dico Gentibus, Quam diu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad amulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? Adhibet rationem secundam ad id quod recuperatio Israel non sit desperata. Ratio autem est prudentia, vllam suscipere curam: secundum illud Ioan. Est peccatum ad mortem, nolo vt quis oret pro eo: ego verò (ait Paulus) etiam nunc conitor, si quos Iudæorum emulatione vestri ad fidem prouocem, non ergo desperata mihi est deplorataque eorum salus. Sapienter autem hanc iniiit rationem per apostrophen ad Gentes. Ab initio enim statim epistolæ hucusque, vbi causam communem agit fidei, omnes simul conuersos alloquitur, Omnibus qui sunt Romæ, gratia vobis & pax, &c. Hic verò vbi peculiariter Iudæorum salutem procurare se munit, singulariter ad Gentes sermonem conuertit, ne suspicarentur, quod qui earum esset institutus Apostolus, transferret se ad Iudæos. Ait ergo. [Vobis enim dico Gentibus, Quam diu quidem ego sum Gentium Apostolus. Alii transferunt/ quatenus/ id est, qua ratione Apostolus sum. Attamen cum vox græca vtrunque permittat, aptius hic quadrat/ quam diu/ hoc est, quanto tempore fuerim vester Apostolus: nō quod subindicauerit, aliquando se abdicaturum eiusmodi functionem. Sed eo schemate fatur, quo dicimus/ Quam diu vixero. [Ministerium meum honorificabo.] Hoc est, quam diu vestri curam gesserò (gram autem vsque ad mortem) in honorem huius muneris cessurum est, si prouocem, &c. vt subsequitur in textu. Alii in præfenti ver-

tunt/ honorifico/ sed cum futurum & præfens græcè vnica litera discriminet, facilis est coniectura, interpretem legisse futurum. Et licet parui referat, tamen congruentius esse videtur aduerbio/ quam diu/ si legamus/ honorificabo. At non ait/ honorifico vos/ ne vitium illis vanæ gloriæ offerret, sed/ ministerium meum/ quod in gloriam Dei cedit. Vel forsitan vt eos haberet admonitos, non ea se causa meminisse eiectionis emulationisque Iudæorum, vt inde Gentilitas inflesceret, sed vt tanquam fidelis minister ministerium diuinum panderet. Haud veruntamen ex eo quod Paulus decretus fuerit Gentibus in Apostolū (vt compertū est in Act.) vlla consequentia elicitur, interdictum illi fuisse Israelitis prædicare. Legimus namque in Actis ad Ananiam dictū, quod esset vas electionis, vt portaret nomen Dei coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel. [Si quo modo ad amulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.] Nempe vt Iudæi vos amulentur. Duplici enim de causa per hunc suum affectum honestabat suum ministerium. Prima quia fouebat propositum Dei, qui (vt paulò ante dixerat) eorum delictum in salutem Gentium vertit, vt easdem amularentur: mox quod & hoc ad cumulum honoris Gentibus accresceret, quod ita elucerent in orbe, vt vel Israelitæ ipsi, qui pecculium fuerant Dei, illarum emulatione reuocarentur in gregem. Vbi autem sermonē stringit angustiis illis, si quo modo saluos faciam aliquos/ remordet (secundū Chrysostomum) Iudæorum obstinationem & difficultatem, vt possent vel illa ratione adduci ad fidem. Sed tamen verbo/ carnem meam/ naturalem præcipue affectum sanguinis profert, qui vsque adeo est penitus homini ingenuus, vt in illo etiam epulone tartareis flammis tradito perduraret, qui reuocari in lucem exoptabat, vt quinque suos fratres admoneret. Qua de causa nihil mirum, si in sanctissimis visceribus Pauli ardentè vigeret. Deinde eadem verbi teneritudine, & Iudæorum animos demulcet emollitque, vt fraterna sua monita amanter excipiant. At verò quod inquit/ saluos faciam/ non est arrogantia illi vertendum: nouerat enim proprium esse Dei munus saluos facere credentes: sed tamen faciam, inquit, tanquam fidei minister, colendo agrum dominicum: quemadmodum ait alibi, Ego plantauit: Apollo rigauit, Deus autem incrementum

Act. 13.

Act. 9.

Chrysost.

Luc. 16.

1. Cor. 3.

dedit. [Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?] Videtur hæc veluti explicatio repetitio illius quod antea dixerat, Si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, quanto magis plenitudo: nam & illud pariter vt hic, post verbum æmulationis subiunxit. Est nihil secius & expositio huius quod præmiserat, Saluos faciam. Cum autem illis dixisset, delictum/hic non nominat, nisi/amissionem/quæ per delictum facta est. Dicitur enim casus eorum/amissio/propterea quod essent veluti serui familiares & domestici Dei. Sicuti per serui fugam iactura fit domino. Tameñsi verbum græcum emunctius redderetur fortè per/abiectionem/vel/reiectionem/nisi quod hoc ad reprobationem Dei referretur, amissio verò ad malam eorum voluntatem. Et ideo nihil interest ad rei veritatem. Ait ergo. [Si amissio eorum reconciliatio est mundi.] Alludens ad recompensationem amissionis vnus amici, quæ fit, dum vno deperdito, plures acquiruntur. [Quæ assumptio, nisi vita ex mortuis.] Est veruntamen mihi illatio hæc Pauli non ita multum patens, neque vbi ait / vita ex mortuis / constitutum est inter interpretes, quid sibi velit. Origenes, nanq; atque Chrysostr. ad resurrectionem hoc referunt vniuersæ carnis in die iudicii. Quod si verum est, possumus hoc pacto consequentiam Pauli interpretari. Si amissio Iudæorum reconciliatio fuit reliqui orbis, consequens fit, vt eorum assumptio (ait assumptio, quia Deo trahente facienda est) vita fit ex mortuis: hoc est, consequens fit, vt Iudaismo ad fidem assumpto nihil amplius restet, vt resurrectio fiat vniuersalis: quippe quæ tunc futura est, cum euangelica buccina intonuerit, suumq; effectum obtinuerit in vniuersum mundum. Vbi probè notauit Chrysostr. quod sicuti Iudæorum amissio non fuit causa, sed occasio reconciliandæ Gentilitatis, talis occasio erit resurrectionis, eorundem susceptio. Neque incongruens hic sensus est ad explicandum quomodo honorificet Paul. ministerium suum: nam finis euangelici muneris illa est vniuersalis conuersio. Attamè non ita tunc planè exponitur quod dixerat, Vt saluos faciã aliquos, quod procurare hic videtur. Potest ergo secundo modo hic locus intelligi de morte spirituali per peccatum Iudæorum, & de vita per gratiam Gentium. Et tunc collectio eius est huiusmodi, Si amissio illorum/hoc est, spiritua-

lis mors/reconciliatio/hoc est, vita spiritualis fuit mundi, puta, occasio vitæ, susceptio illorum erit resurrectio ab eadem morte in similem vitam: quod cum ego procurem, opto eos saluos facere.

Quòd si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Tertiam deniq; adhibet rationem, ad confirmandam spem instaurandæ salutis Iudæorum ex natura & conditione Iudaici generis. Græcè *ἀραιωσις*/generaliter significat id, vnde principium ducitur alicuius rei: quod ideo interpretatur supra cap. 8. traduxit/primitias / Sed & ipsi primitias spiritus accepimus: sic enim nominantur fructus primi, qui offeruntur Deo. Alii transferunt/fermentum/vnde initium fit corruptionis massæ, quæ bonum est eius temperamentum. Hic autem interpreti visum est, accommodatius esse/delibatio/quæ est id, per quod iudicium rei sumitur. Parum ergo refert, si Origenis interpret legat/primitias / atque alii/fermentum/quod nescio cur Theophy. idem esse dixerit, quod/delibatio. Nam/delibatio/non est nisi degustatio fermentatæ massæ, ad deprehendum, optimum ne habeat temperamentum. Igitur, quantum ad Corinth. idem nomen græcum, respectu fermenti translit / conspersionem/puta fermentatam massam, hic, quoniam/primitiarum/nomen incongruè erat, cui responderet, vel/massa/vel/conspergio/translulit/delibatio & massa. Et est allusio ad legem iliam pacificorum, qua iubebatur populus pro gratiarum actione collyridas offerre olei admistione consperfas, de quarum gustu sumebatur, inditium totius massæ, vt quales essent collyridæ, talis esset & tota massa. Est ergo argumentum Pauli per metaphoram huiusmodi efformatum, Si delibatio Israelis, puta Abraham & ceteri Patres ac propheta, qui fuere sicuti primitiæ illius segetis, sancta re vera fuit, fit, vt massa quoque sancta sit aptitudine: hoc est, non sit omnino veluti inhabilis reiecta, quin possit, licet modò acescat, fermento prædicationis euangelicæ in sanctitatem restitui. Et si radix sancta/scilicet iidem Patres, à quibus fuit soboles illa Hebræa propagata, fit, vt & rami, etiam si nunc ad tempus arefcant, repullulare valeant per culturam eiusdem apostolicæ prædicationis. Secundum hanc itaque expositionem repetitio est hæc, dum quos prius appellauit, deli-

Delibatio.

1. Cor. 6

Leui. 7.

delibationem, post nuncupat, radicem, & quos prius, massam, postea nominat, ramos. Si autem aliorum sententia magis probatur, vtrinq; ducit argumentum, puta & à prioribus ramis, & à primis radicibus: vt delibatio vsurpetur pro apostolis, insignibusq; conuersis ex Iudaismo: radix verò pro antiquis Patribus, in hoc sensu, Quòd si ex illo populo tales sunt primitiæ oblatae CHRIS TO, quales sunt apostoli, non est massa a deò corrupta & inepta, quin possit fermentari: & si radix, & c. sicut prius. Et forsan diuersis fundamentis nituntur illationes istæ. Prior quidem de massa fundatur in sanctitate obseruata per gratiam legis. Videlicet, quòd si delibatio idonea erat cultura illius legis, poterit & massa idonea esse per eandem gratiam. Posterior verò de ramis annuitur conditioni naturæ & sanguinis Iudæorum: vt si natura radices apta fuit suscipiendæ gratiæ, erunt & rami: siquidem eiusdem naturæ sunt & sanguinis. Vnde Paulus ad Petrum, Nos natura Iudæi. Quod quidem in præsentiarum, in commendationem Iudæorum commemorat, ne Gentes, vel ratione, vel legis naturæ, vel sanguinis & generis cristas contra Iudæos erigerent. Origenes nomine vtroq; & primitiarum, & radices/vnum dominum IESVM CHRISTVM cõcipit, qui est primitiæ resurgentium, & radix renascentium in eius membra. Vt argumentum Pauli sit, Quòd si ille fuit sanctus sine macula, & massa, & rami ei insti eius fient participes sanctitatis. At forsan non ita prope expositio hæc accedit ad metaphoram Pauli: vt vel ex subiunctis verbis compertius fiet.

Gal. 2.

1. Cor. 15.

TERTIA PARS CAPITULI VITVLII

Aptissima metaphora

magis hucusq; dilucidat. Nempe quòd, quia promissio facta est Abraham, in cuius semine prænuñciatæ sunt benedictum iri omnes Gentes, gratia Euangelii non est donata nisi filiis Abraham: at non illis tantum qui secundum carnem, sed cunctis qui secundum spiritum filii eius sunt, puta qui sectantur vestigia filii, etiam in præputio. Vnde ad Galat. Prouidens, inquit, scriptura, quia ex fide iustificat Gentes Deus, prænuñciauit Abraham, quia benedicentur in te omnes Gentes. Atque hac de causa cap. 8. constituit, non omnes qui sunt ex semine Abraham, esse eius filios: neque verò eos tantum, iuxta verbum CHRISTI, Potens est Deus de lapidibus istis, puta Ethnicis suscitare Abraham, fidelium Patri, filios. Hac igitur de causa hic Paulus stirpem Abraham appellat oliuam, iuxta verbum Hierem. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuum. Etenim quàm significantissimè germen, quod Spiritus sancti succo alitur & fructificat, oliuæ inter fertiles arbores comparatur, propter lenitatem, suauitatemq; & pinguedinem olei, quibus vbertas representatur diuinæ misericordiæ. Quòd si populus ille, eò quòd peculium esset Dei, cum oliua conferebatur, cui nam potuit Gentilitas assimilari aptius, quàm oleastro, qui cum imagine quandam præ se ferat oliuæ, sterilis tamen est, & infructuosus: Nam & si Ethnicorum, vt sæpè diximus, nonnulli per gratiam Dei salui fiebant, erant tamen quàm rarissimi, maximè vbi iam vitiorum tempestas caliginem obduxerat naturali lumini. Igitur quoniam sic collegerat Paulus, Si radix sancta, & rami sancti/per eandem analogiam, subdit. [Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.] Nempe de hac fructuosa oliua, quinimò pars maxima, vt præmonstrauit. Non quidè quòd Deus eos detruncauerit, sed quòd suo se ipsi vitio & crimine defregerint: & ideo abscidet eos Deus de terra viuentium, secundum verbum domini, Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur. Vbi hoc interuallum haud nos prætereat, quòd à fide & gratia in hac vita non prorsus excidimur, sed frangimur: quoniam possibilitas nobis remanet, spesq; esse potest regerminandi: sicuti cum fracti rami truncus restat in stipite. At verò in die iudicii excidentur stirpites iniqui. Vnde Ioan. nō ait, quòd arbor nō ferēs fructum abscinditur, sed quòd iā securis posita est ad radicem, et quòd abscidetur. [Tu autē cū oleaster esses.]

Gal. 3.

Mat. 26

Hiere. 23.

Mat. 23

Mat. 23



Hier. 17.

Scilicet syluestris olea, & mirica in deserto qui traditus in reprobum sensum, & in ignominiam carnis, vt supra dixerat, plus quam beluinis moribus, idolis addictus, viuebas.

[Inferus es in illis.] Infitus / elegatius dixisset: sed legunt nihilò fecius / inferus / in eadem significatione, non solum alii Latini, vt August. sapè & Hiero. verum & Origenis interpretres & Theophyl. Sed hoc tamen non est ferendum, quod isti faciunt politi traductores, elegantia studentes: abiiciunt enim præpositionem / in / quæ extat græcè, transferentes / Infitus illis. Vbi non animaduertunt peruertere tunc sententiam: Gentes enim non sunt infitæ truncatis ramis: quomodo namq; infererentur defractis & absq; succo aridis, sed certè ipsi infitæ sunt oliuæ & radici. Igitur idem est / in illis / quod eorum loco subrogatus in eandem stirpem, vt veluti verus Israelita, eadem viuas oliuæ medulla, qua ipsi priuati sunt. [Et socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.] Non ita commodum est / vbertatis / quod alii transferunt, quam / pinguedinis. Tum quod vbertas fecunditatem potius significat fructuum, pinguedo autem naturam arboris ex qua prouenit vbertas, tum quod pinguedo qualitatem singularem olei præ se fert: iuxta illud Iud. vbi de se ait oliua ipsa, Nunquid deserere possum pinguedinē meam? [Noli gloriari aduersus ramos.] Vide quanta eloquētia & Iudæis exprobrat quod infracti sint, & Gentilibus vicissim amputat elationis ansam. Poterant enim insolescere, non solum ob hoc, quod cadentibus Iudæis, ipsi starent, verum quod illa causa Iudæi essent abscessi, vt ipsi subrogarentur in eandem sobolem: quorum vtrunq; refutabit statim.

Sed tamē interferit hunc prius textū. [Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.] Non satis enim visus sibi est Paul. gloriatiōnem Gentilium iugulasse, ob idq; alia ingreditur via. Si enim, inquit, non potes non gloriari inde aucupari, quod tanto te fuerit Deus dignatus honore, saltem ne Iudæi vsque adeo tibi sint vituperio, eos existima, tanquam tuum ipsius fundamentum, & qua sustentaris stirpem. Haud enim Iudæi à te vllam nacti sunt vnquam causam salutis, veluti tu ab illis. Vnde CHRIS TVS, Salus, inquit, ex Iudæis est: vt pote tanquam ex illa sancta radice Abrahæ, cui promissum est, quod in ipso essent benedicende omnes Gentes.

Ephe. 2. Quamobrem ad Ephe. Paul. iam non estis hospites & aduenæ, sed citis ciues sancto-

rum & domestici Dei, superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO IESU.

Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inferar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autē fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Hactenus generalib; verbis deterruit Gentes à tumore superbiæ: iam nunc verò rem apertius expedit, obiectas eorum exceptiones refutando. Poterant enim, vt diximus, de duabus rebus efferre animos. Primum quod non ipsi, vt Iudæi, cecidissent, quod quidem constantia, & ingenuitati suæ attribuerent. Secundò quod Deus Gentilitatem Iudaismo hoc honore antetulisset, quod Iudæos proiecisset, vt Gentes seruaret.

Quemadmodum plurius facit caput, qui brachii dispendio saluti ipsius consulit. Ambas ergo insolentiæ fibras rescindit hic Paulus. [Dicis ergo, Fracti sunt rami, vt ego inferar.] Respondet Apostolus. [Bene.] Quod quidem verbum esse videtur annuentis. Non quod hoc illis concedat iuxta eorum intentionem, sed fortasse fatetur, occasionem illos habuisse sic cogitandi. Nisi fortè reuuentis, ridensq; sit interiectio. Ac si dicat, Probè, seu, pulchrè arguis. Vel concedit forsitan, vt dixit, quod Iudæorum delictum occasio fuerit salutis Gentium propter bonum vsum Dei. Sed tamen quod illa non fuerit intentio à Deo causa, vt propter salutem Gentium sponte sua proiecerit Iudæos, subdit ostendere. [Propter incredulitatem fracti sunt.] Deus nanque, quantum in se fuit, nullum non lapidem mouit, vt illos seruaret. Misit enim illis filium suum, qui illis prius tanquam domesticis prædicauit, dilucidauitq; veritatem, tanquam lumen quod illuminat omnem hominem. Quamobrem conquirebatur, quod cum veritatem illis diceret, cur illi non crederent. Imò fecit inter eos signa, quæ si facta fuissent in Tyro & Sydone Gentiles illi credidissent. Et, vt ait alibi, Propter incredulitatem ipsorum non fecit in illis virtutes plures. [Tu autem fide stas.] Aufferit Gentilibus, & alteram superbiæ ansam, ostendens, haud eos stetitisse viribus suis naturalibus subnixos, sed fide: quia scilicet misericordia Dei infiti sunt in fide Abrahæ, à qua

Ioan. 8.  
Mat. 23.  
& 13.

Infitio con-  
traturā

qua naturales filii defecerunt. Quinimò hoc post Origenem, tam Augustinus, quam Ambrosius hic mirificè considerauerunt, quod infitio hæc, facta non fuit secundum leges agriculturæ: non enim sterilis arbor fecundæ preciosioriq; impingitur, sed surculus illius, quæ fecunda est, inseritur sterili agrestiq; stipiti. Nam insertus ramus est, qui alimentum sterilis sua virtute verat in suam ipsius bonam substantiam, vnde fert fructus. Deus autem vice versa, vt qui sit vniuersæ fons iustitiæ, sterilem oleastrum insauit oliuæ, vnde fructuosum exurgeret succum. [Noli altum sapere.] Concludit rationis consequentiam, non esse, vt elato sint animo, sed potius vt timeant. Prudenter autem dixit / Noli altum sapere / hoc est, reconditas rationes Dei perscrutari: nimirum cur Iudæos non vgentioribus stimulis instigauerit, iuueritq; te autem adduxerit, hoc enim esset, altiora te querere, eoq; insolentiæ efferri, vnde præcipitatus interires. Quocirca / sapere / non hic ad intellectum tantum refertur, sed ad voluntatem etiam, quæ inde afficitur. Et ideo interpret potius transtulit / sapere / quam / sentire / vt alii faciunt, quod ad intellectum duntaxat spectat. [Sed time.] Veluti ille qui in fastigio es fidei. Nam etsi Deus prompta te voluntate custodiat, non te tamen compulsus retinet, sed potes libertate lubrici tui arbitrii corruere. [Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.] Phrasî hæc quantis sub eadem forma iaceat græcè, neque Græcis tamen germana est, neque verò Latinis, sed vel perpetuanda fuisset vna hæc oratio / Sed time, ne fortè cum Deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi parcat. Aut si diuideretur in duas, transferenda sic tunc videbatur / Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, caue contingat, vt ne tibi parcat / & ita nonnulli transferunt. Est veruntamen hæc, non translatio, sed longa periphrasis: in qua multa sunt verba quæ non extant græcè: atque ob id interpret maluit seruare hyperbaton Pauli, quandoquidem intellectui peruium est. Et quod dixit / fortè / licet non sit græcè, nullatenus tamen mutat, sed illustrat potius sententiam. Haud enim dubitantis hoc loco particula est, sed quæ rebus contingentibus adaptatur. Est ergo argumentum Pauli à maiori ad minus negatiuè, Quod autem

ait / naturalibus ramis / nemini potest scriptulum iniicere: vt Paulus, qui tanto negotio extulit fidem, cui soli per charitatem operanti tribuit salutis causam, velit iam modo naturalibus viribus eandē causam transcribere, puta quod natura sua Iudæi fuerint oliuæ rami. Sed vel dicit / naturalibus ramis / hoc est, illis qui natiuum genus & sanguinem ducebant ab Abraham, cui facta fuit promissio gratiæ: in quibus idcirco aliqua apparere posset causa, vt Deus illos in beneficio eiusdem gratiæ præferret reliquis. Vel (quod consentaneum magis est præsentis proposito) naturales vocat eos, quos domesticos & familiares, & quæ perpetua serie, non tanquam forinsecus infiti in oliua floruisent, sed tanquam illius sanctæ radicis proles: quibus ideo Deus, quasi propriæ hæreditati, singulariter erat in Deum. Sicuti natura filios iræ, vocat nos alibi: non quod peccatum sit naturale, vti oculi, sed quod generatione naturali contrahitur. Nam quanuis gratia non deriuetur successione naturali, speciem nihilò minus quandam habebat in illo populo, secundum humanum modum intelligendi hæreditariæ successions. Hac ergo de causa poterant Iudæi quodam modo præ Gentibus, dici naturales rami. Vnde Paulus ad Petrum, Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores. Quod autem ait / illis non pepercisse / hoc penitus sonat, quod propter eorum obstinatam perfidiam non pepercit illis, sed communi lege sine personarum acceptione, etiam si casum eorum præuidisset, fuit eos sua sponte & arbitrio agere. Quod cum in vniuersum cum omnibus obseruet, idem sibi metuere debent stantes per fidem Gentes. Vnde Sapientis, Beatus homo qui semper est pauidus.

Naturales  
rami.

Ephe. 2.

Gal. 2.

Proh. 20.

Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inferentur: potēs est enim Deus iterum inferere illos. Nā si & tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturā insertus es in bo-

nam oliuam, quanto magis ii qui secum dum naturam inferentur suæ oliuæ.

*Seueritas.* Concludit utiq; documentum, quo inter metum & spem constituti recta ducantur. Seueritas nihil vitii significat, sed censoriam iudicis grauitatem, nihil de rigore iuris remittentis, quæ idcirco pars iustitiæ est. Iubet ergo Gentibus, vt seueritatem Dei in Iudæis meditantibus non efferantur animis, sed sibi formidantes caueant: & Deo de eius bonitate (quæ in presentiarum idem significat, quod benignitas vbertasq; diuinæ misericordiæ) gratias referat. Iudæos autem clanculum admonet, vt à seueritatis metu, quam in se experti sunt, percussis, & spe bonitatis, quam in Gentibus contuentur alleciti, gnauius, seduloq; satagant, vt reducantur in viam. Atqui

*Saluberrimum documentum.*

*Luc. 18.*

& nobis id ipsum documētum saluberrimū est, vt qui sibi iustus videtur, nō nimium sibi placeat, vt pharisæus publicanum despiciens, sed sibi idem metuat, quod in misero cernit, illiq; optet, quod se putat per misericordiam Dei possidere. Iniquus autē non desperet, sed de benignitate diuina, cuius alterū potiri existimat, spem concipiat, qua animetur ad virtutem. [Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.] Perseuerat utiq; apertissime patefacere, ita salutē nostram, munus esse Dei, vt tamen in nostra sit positum libertate, tam opitulanti assentire, q̄ eius fauorē auersari. Quocirca quod ait / tu excideris / licet ad populum ex Gentibus conuersum dictum sit, eadem nihilō secius admonitio ad singulos nostrum pertinet, contra quam hic docent Lutherani.

*Lutherani.*

Atiunt enim, quod licet alicui populo totum Euangelium nonnunquam auferatur, sicuti Græcis compluribus & Sarracenis, & utiq; hæreticorum Reipublicæ, tamen singuli homines, qui Euangelium verè receperūt, excidere regno Dei non possunt. Volutantur nanq; in illo errore, quod ad solos prædestinatos verè pertineat Euāgelium, atq; eius gratia. Cum tamen orthodoxa veritas multo diuersè nos doceat: etenim tā reprobi, q̄ prædestinati, & verè sunt sæpenumero in gratia, à qua excidūt, & verè rursus in culpa, à qua resurgunt. Vnde ad Cor. singuli admonentur, illo verbo, Qui stat, videat ne cadat. Et ad

*Orthodoxa veritas.*

*1. Cor. 10.*

Gal. Vide ne tu tenteris. Ac demum in Apocalypsi, Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. [Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inferentur.] Quauis iniqui re non vtantur auxilio Dei, veluti iusti, quoniā tamen præsto Deus illis est, qui nō sese auer-

*Gal. 6.*

*Apoc. 3.*

tunt, dicere possumus, quod licet in facultate peccatoris nō sit salus immediatè posita, hoc saltem in eius est arbitrio situm, vt suppetiis diuinis vtatur, quibus illam obtineat. Et ideo ait, si non permanserint / hoc est, si non sua pectoris obfirmata cruditate peruersum sensum retineant, inferentur. [Potens est enim Deus iterū inferere illos.] Sciscitetur hic forsā quispiā, Ecquid sibi vult scripturarum mos, quæ potentiā Dei frequēter solent nobis persuadere, vt est illud, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham, cum tamē homines, qui Deum semel confessi fuerint, de eius omnipotentia nihil addubitent, sed hæsitare tantū fortè aliqui possunt de eius voluntate propter sua ipsorum crimina? In causa est forsā, quod de nulla re magis Deus persuasos nos vult habere, quàm de sua ipsius bonitate ac beneficentia, quam est effundendi cupientissimus, vsq; adeo, vt de hoc securissimos esse velit cunctos mortales. Quocirca diffidentiam nostram hoc mucrone iugulat, quod qui de sua promptissima voluntate nullatenus deberemus esse dubii, de sua omnipotentia videmur hæsitare. Igitur ad vellicandum malam existimationem Ethnicorum, si desperatam forsā habebāt Iudæorum salutem, ait / Potens est Deus. Et adhibet rationem firmissimam. [Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & cōtra naturā, & c.] Vehementiorem nanq; exaggerationem habet collectio hæc, quàm superior, vbi collegit / Si Deus naturalibus ramis non pepercit, & c. Vehementiorem, inquam, quanto micantior est ac fulgētior misericordia Dei, quàm eius iustitia. At verò quod ait / Contra naturam / non crude, vt sonat, excipiendum est. Deus enim cui natura, veluti auctori suo, obedientissimè paret, nihil agit contra naturam: quia neque vim vsquam infert rebus. Sicuti fluxus ac refluxus maris, tametsi esset aliquo pacto contra particularem naturam, quia tamen fit ab influxu cælorum, cui mare subditur, non est simpliciter contra naturam. Agit nihilō minus Deus supra naturam, vt cum visum cæco, mortuoq; vitam restituit. Insitæ ergo sunt Gentes contra naturam, eo significatu, quo Iudæi dicti sunt naturales rami, id est, contra quam naturalis ratio dictare poterat: nempe vt abiectus populus agrestisq; oleaster, familiæ Dei, hoc est, fidei sanctorum Patrum (quod hic Paul. appellat suam ipsorum) infererentur.

Nolo

Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israel saluus fieret.

*QUARTA PARS CAPITULI*

Secundum diuisionem nostram hæc quarta est sectio huius capituli, in qua Paul. propositionem hanc de errore Israelitico ampliori, quàm hæctenus, luce edisserit. Vocat autem mysterium rem hanc, tum quod arcanum sit sub altissimis Dei rationibus recoditum: vbi summæ rerum causæ delitescunt, tum quod hæctenus sub metaphoræ anigmate de oleastro & oleastro, illud quodammodo occuluerit, quod iam palam profert. Sicuti ad Cor. Ecce

*1. Cor. 5.*

*Luc. 8.*

mysterium vobis dico. Apostolis nanq; ait CHRISTVS, Vobis datum est nosse mysteria regni Dei. Cum ergo Iudæorum sobolem, oliuam fecisset, Gētilitatem verò, oleastrum, loco cadentium ramorū suffectum, admonuissetq; adeo eundem Gentiū populum, ne altū saperet, subdit extēplo / Nolo enim vos ignorare fratres mysteriū hoc, vt non sitis vobis metipsis sapientes. Alii trāsferunt / prudētes / sed iam diximus / sapientes / rei magis præsentī conuenire, vt quo noīe affectio inflati animi subnotatur. Vnde cū ea de causa potuissent insolescere, quod Iudæi fuissent prorsus absq; vlla spe salutis in æternum proiecti, ait, se nolle, vt mysterii ignoratiā obtenebrati sibi metipsis videātur sapientes, cū reuera nō essent. Et ideo dicit / apud vos metipsos. [Quia cæcitas ex parte cōtigit in Israel.] Sunt qui Ambrosii autoritate vtuntur, vt asserāt nomē hoc / ex parte / non ad numerum referri Iudæorū, sed ad tempus cæcitatē, quod non est perpetuum. At profectō hoc non dicit Ambro. neq; cogitauit, sed hoc penitus, quod ad tempus cæcitatē obtusio data est Iudæis, his qui dū æmuli legis sunt, non viderunt donum venisse. Vbi hoc quod est / ex parte / ad numerum refert: sicuti pleriq; faciunt enarratores, & facere dubio procul debent omnes. Nam & si pars illa excæcata multo fuerit numerosior, quàm saluæ reliquiæ, nō est cur non designetur appellatione partis. Hic autem nihil verborum iterum atq; iterum repetere, quod Deus illius cæcitatē nullatenus fuerit effectrix causa: cuius contrarium non solum legi apud hæreticos, verum & nonnunquam catholicos id mussitantes audiui. Qui profectō Deum non solum tentatorem faciunt malorum, sed coangustant, vt non possit simul omnes visceri-

*Ambro.*

bus suis capere: cum tamen (vt ait alibi Paul. *Eph. 2.*) diues sit in misericordia, & hic paulo ante, Diues in omnes qui inuocāt illum. Quam ob causam Iudæis tanta sedulitate prædicauit CHRISTVS, vt ad se omnes pertraheret.

Imò cum tam iusta indignatione olim Deus, post verò CHRISTVS de eorum huiusmodi cæcitate conqueratur, quis dicat eundem Deū fuisse eius authorem? Vnde quod Esaias dixerat, Excæca cor populi huius, Paul. veluti

*Esa. 6.*

expositor, ait / Cæcitas cōtigit / ne videlicet cæcitatē causam Deo transcriberet, qui tamē nihil aliud fecit, quàm permittere. Neq; verò ait, quod / cæcitas cōtigit, vt plenitudo intraret / ne quē suspitio irreperet, illo sine Deum illos excæcasse, sed / donec plenitudo. Quinimò (vt paulo ante insinuabam) neq; simpliciter concedendum est, quod Deus illo fine talem permisit cæcitatē, in hoc videlicet sensu, quod cum Iudæi non detrectassent, sed parati essent suscipere eius fauorem, ipse tamen amplioris lucri causa eos, vel recusauit, vel deseruit: sed secundum hunc potius intellectum, quod cum ipsi recusassent eius auxiliū, permisit eos in manus sui arbitrii: quod cum ab æterno præcisset, inde constituit sua permissione, quinimò eorum peccato vt ad illū finem. Quocirca mysterium hoc non in hoc positum est, quod cæcitas Israel illo fine facta est, sed hoc vocat mysterium, quod cæcitas illa non est perpetua, vt Gentes opinari possent, sed temporaria. Quæ quidem cæcitatē caligo, ingressis Gentibus, abstergenda est Iudæorum oculis. Excæcauit ergo eos, vt diximus, inuidia sua & legis zelus, vt ait hic

*Ambrosii Augusti.*

*Ioan. 9.*

Ambrosii. Et in sermone de illuminatione cæciti luculenter Aug. Illud quippè miraculosum beneficium, mysterium illuminandæ Gētilitatis adumbrabat: & ideo subdit CHRISTVS, In illud iudicium venisse in mundum, tanquàm lumen quod illuminat omnem hominem, vt qui non vident, videant, id est, qui se non videre humiliter contententur, vt Gētes, illuminentur: & qui vident, cæci fiant, id est, qui cæcitatē suam non contententur, vt elati Iudæi, grauius obdurētur: & eōvsq; grauius, vt lumen ipsum suum crucifigant, quæ crucifixæ lux cæcos illuminat. Tametsi Orig. *Orig.* Iudæorū inuidiam in illam diaboli resoluit, qua peccatum intrauit in mūdum. Ait enim, cæcitatē hæc ab illis sine dubio angelis obtentu inuidiæ & æmulationis illatam, qui cæterarum Gentium sortiti fuerant principatū. Quod quidem, inquit, passus est Deus. Ab

V 5 ange

angelis inquam malis. De quibus subdit, Auertentes enim ad se per peccati illecebras Dei plebem, locum fecerunt Gentibus ingrediendi in hereditatem. [Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.] Vide ordinem & seriem conuersionis Iudaeorum ac Gentium. Primitiae quidem Iudaeorum primitias antecesserunt Gentium: in cuius signum prius pastores adorauerunt natum saluatorem, quam Magi. Prius Baptista & apostoli & Simeon & tales susceperunt eius fidem, quam Cornelius & Paulus Sergius, qui primitiae fuerunt Gentium. Atque id nimirum in honorem legis: Haud enim fieri aliter decebat, quin quae in hoc tot retro seculis posita erat illi populo, ut viam, veluti dux fidei, sterneret venturo Messiae, eadem venienti primam faceret oblationem mundi. Sed tamen quia Iudaeorum caecitas per occasionem via fuit, qua Gentes essent ingressurae, duratura est quoad usque plenitudo Gentium, quae saluanda erat, fidem recipiat: & tunc (ut sic loqui nobis liceat) perfuncta eadem caecitas vices suas, per eiusdem lucem fidei abstergeretur, ut omnis intret Israel.

Sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem a Iacob. Et hoc illis a metestamentum cum abstulero peccata eorum. Confirmat asertam sententiam auctoritate prophetica. Oraculum autem hoc desumptum est a prophetia Esai. Quauis neque omnia illic sint verba, neque in additione Hebraea eodem contextu. Sic enim nos legimus. Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius, cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit, & venerit Sion redemptor. Vbi manifestum est / Sion / datui esse casus, ut subiuncta declarant verba, Et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Quae quidem verba punctim & quasi digito indicant conuersionem Israelis in verum Iacob. In septuaginta vero, quos more suo citat Apostolus, legitur. Et veniet de Sion, qui liberet & auertat impietates a Iacob. Tamen etsi Orige. legisse videatur / propter Sion / & Hiero. / propinquus Sion / ut / propter / id est sit quod / prope. Et profectio huic sensui, quod videlicet venerit / propter Sion / vel / Sion / in datiuo ad stipulatur concors Zacharias, ubi ait, Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, Ecce rex tuus veniet tibi. Venit enim **CHRISTVS** ad saluandum Sion, puta lu-

Esai. 59.

Orige.

Zach. 9.

daos, quibus metropolis erat Hierusalem, ubi erat arx Sion. Sed venit nihilominus etiam ex eodem populo. [Et hoc illis a metestamentum cum abstulero peccata eorum.] Hoc neque in Hebraeo habetur, neque apud septuaginta, sed adiectio est Pauli, ad interpretandum quomodo eripuerit auerteritque Deus impietatem Iacob: haud enim hoc fecit beneficio testamenti veteris. Nam (ut ait ad Heb.) impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferre peccata. Quapropter Hiero. (vnde nonnulli autumant, petatum esse hoc testimonium a Paulo) Feriam, inquit, domui Israel & domui Iudaeae domum nouam. Dabo legem meam in visceribus eorum, &c. Est enim Paulus, in perpetua vigilia, ne vllam Iudaeis ansam relinquat arrogandi suae legi salutis beneficii.

Hac autem hic forsan dubitatio occupare cuiuspiam animum poterit, an ne plenitudo haec Gentium vniuersitasque saluandi Israelis ante extremum diem ita sit prorsus auscultanda, ut nullus fiat reliquus Iudaeus aut Gentilis, aut Mahometus, qui non fidem **CHRISTI** suscipiat. Videtur enim hoc Paulus, hic palam adseuerare, & tamen testimonium hoc subscriptum non idem apparet euincere: at hoc solum, quod **CHRISTVS** esset venturus vniuersalis redemptor. Neque vero illud Matthaei, Praedicabitur Euangelium hoc vniuerso orbi, & tunc erit consummatio. Illic enim hoc penitus praedixit **CHRISTVS**, quod vox euangelica in vniuersum sit mundum perferenda: quod & illud spectat, Videbit omnis caro salutare Dei. Quod autem vniuersi sint ei auscultaturi, non definitur. Neque vero illud Ioannis. Alias oues oportet me adducere, quae non sunt ex hoc ouili, ut fiat vnum ouile & vnus pastor, hoc omnino comprobatur: quippe ubi **CHRISTVS** de vocatione Gentium potius loquebatur in vnam Ecclesiam, extra quam non est salus, uti fuerat ante aduentum **CHRISTI**. Quod autem vniuersi adscribendi essent eidem Ecclesiae, non affirmatur. Orige. ergo, Quisnam, inquit, sit iste omnis Israel qui saluus fiet: vel quae erit ista plenitudo etiam Gentium, Deus solus nouit & vngignitus eius, & si qui forte amici eius sunt. Vbi ad plenitudinem praedestinatorum respicit: ita, ut illi sint prorsus conuertendi, qui sunt praedestinati. At profectio Pauli, aliud quidpiam magis egregium videtur docere: nam hoc, quod Orige. innuit, nulli poterat esse dubium. Et tamen Esai. non solum, eo capitulo, quo hic ab Apostolo citatur est, verum a quadragesimo usque ad finem, non tractat nisi de hac conuer-

Heb. 10.

Hier. 31.

Dubitatio.

Mat. 24.

Luc. 3.

Ioan. 10.

Orige.

conuersione. Et, Si ad cardines caeli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus. Hiero. super psalmum. 20. & in de ciuita. Dei Aug. authores sunt, imo publicitus hoc Ecclesia amplexata est, quod circa finem mundi mittendi sunt Helias & Enoch, qui superstitites modo sunt: Vti apud Malachiam pollicitus est Deus, quorum praedicatione conuocandus conuertendusque est populus Israel in Ecclesiam **CHRISTI**. Sic enim Malachias, Ego mittam vobis Heliam prophetam ante quam veniet dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Etenim aperiendo spiritualem sensum scripturae efficiet, ut sensus populi tunc superstitis concors sit sensui Patrum. Vbi & inspectanda est illius populi tenacitas, qui **CHRISTVM** cum apostolis repellentes, solis suis prophetis fidem dabunt. Tenendum ergo est inconcussae, plenitudinem Gentium omniumque Israelem receptum iri in Ecclesiam **CHRISTI** ante diem Domini: siquidem irrefragabile est Pauli testimonium. At utrum nomen plenitudinis / eo usque sit arctè intelligendum, ut nulla in vlllo mundi angulo persona remansura sit in sua perfidia, an vero plenitudinem / vocat eum solum numerum, quem Deus decreuit adducere, ut ait Orige. vel (quod verisimilius est) plenitudinem, cesset ferè omnem Gentilitatem (sic enim usurpari etiam potest plenitudinis nomen) aliorum esto iudicium. Haud enim dubium est, quin dies illa, qua Antichristi persecutio anteibit, inuentura sit plerisque in diuersis criminibus: hac quippe de causa ventura praenunciatur, ut fur in nocte, & quod sit homines occupatura, ut ait **CHRISTVS**, sicuti in diebus Noe edentes & bibentes, & uxores ducentes. Si ergo aliorum scelerum genera illuc usque durabunt, coniectura fit, ut & infidelitatis quoque impietas sit in aliquibus duratura.

Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem, charissimi propter Patres. Sine poenitentia enim sunt dona & vocatio Dei. Corollarium est hoc proximae conclusioni appensum. Id quod Aug. in de praedest. sanct. diligenter ait esse intelligendum. Intelligit hoc autem ipse veluti expositionem esse superiorum appendicem: nempe quod Iudaei inimici facti sunt nostri secundum Euangelium, quia scilicet eorum delictum occidentium **CHRISTVM** Euangelio profuit. [Propter

uos.] Quod est, propter vestrum commodum, illo iam haecenus exposito modo. Quod autem additur / Secundum electionem charissimi propter Patres / referendum est, inquit, ad electos. Nempe ut de quibus paulo ante dixerat, quod quaerebat Israel, hoc non est consecutus, eosdem hic appellet inimicos. De quibus vero subiunxerat. Electio autem consequuta est, eosdem nuncupet amicos propter Patres. Neque vero est, cur hic a quibusdam etiam catholicis, flagelletur Aug. quod docuerit reprobationem Iudaeorum meditatio fuisse factam a Deo ante eorum prauiua peccata, ut illis Gentes anteferet. Hanc enim sibi maculam Aug. ibidem diluit, ubi subdit, Est ergo in malorum potestate peccare: ut autem peccando, hoc, vel hoc, illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenet. Vbi malitia bonum usum tribuit Deo, causam vero, non item, sed inquis. At quauis hoc Augustinianum glossamen Ambrosii & theologorum plerique amplectantur, forsan alius est apostolicus sensus, quem Orige. & Hieronymiana scholia inspiciunt: nempe ut sit haec praecipua occupatio & ad Gentes responsio, quae sic possent disputare cum Paulo, Vt cumque Iudaei excacati fuerint, tamen cum aperte Euangelium oppugnent, nosque interdicere conentur ingressu ipsius, commeretur quidem, ut Christiani homines cum illis vicissim inimicitias geramus: atque adeo tu ipse cum primis Paule, qui es Christianorum informator. Colligit ergo ex dictis Pauli huiusmodi responsum, aduersus Gentes. Quauis inimici nostri sint secundum Euangelium, hoc est, in causa & receptione Euangelii, cui suas obmoluntur machinas, & inimici quidem propter vos, eo quod occludere vobis contendunt salutis viam: qua de re & repugnare nos illis obniti que tenemur: sunt nihilominus secius diligendi secundum electionem, propter Patres. Secundum quem sensum nulla cogit necessitas, ut inimici & charissimi ad diuersos (ut vult Augustinus) referatur: nam iidem diuersa ratione, & inspectandi sunt veluti hostes, & diligendi merito Patrum: iniquos enim odio habemus propter iniquitatem: illis tamen optamus precamurque salutem. Paulus ergo nihil distinguit de personis, sed in genere loquitur de illa prole & sobole Abraham: docens ita esse a nobis reprehendendos, ut tamen procuremus eorum salutem propter Patres. Quam ob rem quod ait / secundum electionem / non refertur ad illos qui venientem **CHRISTVM** acceperunt

Falso accusatur Aug.

runa



runt, sed vniuersaliter ad prædestinationem. Et quod ait/ propter Patres / non tale designat meritum Patrum, quod dicitur de condigno, vt propter illud conferenda sit filiis salutaris gratia, sicuti ob meritum CHRISTI confertur nobis (blasphema enim est talis cogitatio) sed ait/ propter Patres/ hoc est, propter promissiones factas Patribus. Eò enim miserabiles sunt Iudæi reliquis totius orbis, quòd beneficio, suis maioribus ac parètibz promisso, sint orbat, eòq; sunt à nobis maiori ex charitate, tum orationibus adiuuandi, tum etiam instantius exorandi & adducendi. *[Sine pœnitentiâ enim sunt dona & uocatio Dei.]* Interpretatio huius loci Ambrosiana, non vsq; adeò amice adhæret superiori textui: nepe, vt pœnitentiâ hic accipiatur pro sacramento pœnitentiæ, quod ante baptismum nõ est necessarium, & ideo in hoc sensu, sine pœnitentiâ fiat vocatio per donum baptismale. Est ergo sensus planus, vt Paulus hic respondeat alteri argumentationi, quam potuissent Gentes integrare. Videlicet, quòd etsi Deus electionem pridem fecisset illorum Patrum, qui essent radix sancti germinis, tamen iam pœnitentiâ ductus, totam illam profapiam abdicasset hæreditate. Respondet ergo, non esse tale ingenium diuinum, quinimò tum alia eius dona, tum maximè vocatio sine pœnitentiâ sunt, quoniã nunquam eum propositi sui pœnitet: ob idq; paratissimus est complere in filiis, quod promisit eorum Patribus: in filiis videlicet, qui non detrectauerint eius fidem. Vnde græcè vnum est adiectiuum nomen/ Impœnitibilia (vt sic loquamur) sunt Dona Dei. Sed arguis, Nunquid nõ multos in suam recipit gratiam, qua eosdem rursus expoliat, vt Iudam & similes: iuxta illud, Tollite talentum ab eo, & date ei qui habet decem talenta: ergo aliquando Deum pœnitet collati beneficii. Ob hoc argumentum distinctione nõ nulli vtuntur: nempe quòd propositi prædestinationis nunquam eum pœnitet: sed tamè quantum ad gratiam, qua quis secundum præsentem iustitiam donatur, nonnunquam eum subit pœnitudo. Profectò nulla est necessitas quæ in talem nos cogat distinctionem: nunquid enim eum pœnitet propositi sui in conferendis bonis, eò quòd semper propositum est optimum: qua propter neq; deest ille vnquam nobis, sed nos & nobis ipsis, & gratiæ eius: iuxta illud. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Ob idq; propter mutationem nostram, & quia nos tædet amicitia, eamq;

Mat. 23.

Heb. 10.

deponimus, priuat nos collatis beneficiis: vt illum seruum talento, quod suffodit in terrâ. Eodemq; intellectu dixit, Pœnitet me fecisse hominem: nempe quia homines eum deseruerant: ita absq; pœnitentiæ affectione animaduertit in illos, atq; animaduertet in filium pater, quem genuisse pœniteret.

Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclufit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur. Adhibet tum demum conclusionis postremam confirmationem à simili per se locum, Ab eo quod minus videtur inesse ad id quod magis: vbi latè resplendet dispensatio Dei ordinantis in bonum mala. *[Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo.]* Initiũ inde ducit, vnde orbis in duos populos scissus fuit: videlicet quando Deus genus Abrahæ, cum quo de fide venturi tractare cœpit, caractere circumcisionis insigniuit, quo esset à reliquo orbe internotus, eò quòd Iudæi verum Deum adorarent, & colerent. Ab illo enim tunc tempore vsq; ad CHRISTVM Gentes extra synagogam in incredulitate detinebantur. Non quòd legem verterem tenerentur recipere, sed quòd plurimũ idòlis seruebant, neq; vnum venerantur Deum: iuxta illud, Eratis illo tempore sine CHRISTO in hoc mundo. Et tunc quidẽ Gentium incredulitas fidei Iudæorum seruebat. Nam inde animos accipiebant, vt ingentiores Deo gratias referrent, qui eos ex toto orbe delegisset. Tamen nonnunquã exemplo earundem Gentium peruertebantur ad idòla. At in aduentu CHRISTI res conuersa fuit, vt Iudæi incredulitate excæcati aditum facerent Gentibus ad eandem fidem: & sic per occasionem viceuersa incredulitas Iudæorum seruit nunc Gentibus. Attamè sicuti non omnes olim Gentes perierunt in incredulitate: nam saluari per gratiam Dei poterant in lege naturæ, ita neque in aduentu CHRISTI caligo infidelitatis Iudæis omnibus offusa est. Colligit ergo rationem ab vno ad alterum extremum per diuersa media, hoc modo, Sicut vos ab incredulitate ad fidem & misericordiam venistis, propter incredulitatẽ, hoc est, incredulitate, seu, per incredulitatem Iudæorum, ita & isti, scilicet Iudæi, nunc non credi-

Gen. 6.

Eph. 2.

Alia dona causa cecitatis Israel.

Gal. 3.

crediderunt in vestram misericordiam, id est, in Euangelium, quod vestra est misericordia, non crediderunt, seu vt per occasionem, incredulitas eorũ cederet vobis in misericordiam. Sed tamen ob hunc demum finem non crediderunt, vt ipsi consequantur misericordiam: nempe vt æmulatione vestri (quemadmodum iam dictum est) misericordiam etiã consequantur. Est ergo sedes argumenti hæc à minori ad maius. Si incredulitas ergo Iudæorum quæ de se perniciofa est, ita per beneficium facta est vobis commoda, puta mediũ vt euocaremini ab incredulitate, quæ vobis erat ceu natia, ad fidem, multò erit maioris vigoris mediũ, vestra fides, vt quæ lux de se est mundi, vt ab incredulitate sua, quæ accidentaria illis fuit, reuocentur in suam, veluti natiam, si dem. Appellamus natiam incredulitatem Gentium, natiam autẽ Iudæorum fidem, eo significato, quo Gentes appellauit Paul. natura oleastrum, Iudæos autẽ, naturales ramos. *[Conclufit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.]* Et hæc pariter responsio est ad tacitã interrogationem, quam oblicere posset admiratio humana. Quid enim opus erat Deo hac vicissitudine fidei & incredulitatis, vt alterna ope sibi multo seruirent duo populi ad consummationem & plenitudinem credentium? Hæc enim dubietas facile quidẽ per hoc dissolui poterat, quòd Deus non fuit causa incredulitatis neq; Iudæis, neq; Gentibus: ita enim hic adnotauit Orig. scilicet quòd nõ eis ipse iniecerit incredulitatis propositum. Hactenus ille. At verò propterea quòd Deus non permittit mala, nisi vt prouentus fiat bonorum locupletius, respondet Paul. nempe, quòd permissio hæc diuina, conclusio fuit totius humani generis in incredulitate, vt omnium miseretur, id est, vt patetissimum esset atq; illustrissimũ, quòd per solam misericordiam Dei exorta fuisset orbi salus. Etenim si totus Iudæicus populus de improviso lumen suscepisset fidei, ansem perinde nacisceretur dicendi, quòd merito legis à se tandiu obseruata promeruisset salutem, quæ illi erat, veluti hæreditarium ius. Igitur vt omnes in vniuersum mortales exæquaretur, permissi sunt in incredulitatem corruere. Simili ratione & schemate supra cap. 3. totum reũ constituit Apostolus humanum genus, vt omne os, inquit, obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Et ad Gal. Cõclufit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide IESU CHRISTI daretur credenti-

bus. At præter hæc causam, aliã explicuimus in calce superioris capitis: nempe quòd fuerunt permissi Iudæi excæcari in pœnam suæ pristina idòlatriæ.

O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: Conclufit vtique in hac quinta vltimaq; sectione huius capitis superiorem tractatũ, prorumpens in admirationem. Quæ quidem conclusio pulcherrima est, eademq; appositissima, non modò huic postremæ sententiæ, verum & rei toti prædestinationis, quam in hac tertiã parte huius epistolæ, à calce scilicet octauis capitis hucusq; pertractauit: quippe quæ res, in abyfso profundissimè, inaccessibilibz lucis ac sapientiæ Dei sit recondita. At verò huic proximè orationi propriissimè cõaptatur, qua constituit excitationem Israel contigisse, vt plenitudo Gentium intraret, qua ingressa, saluum tunc demum factum iri omnem Israelem. Vnde Orig. existimat, stupore hõ & pauore correptum fuisse Apostolum, quòd cum ditissimum agnouisset Deum in misericordia, inq; omnes qui inuocant ipsum propensissimum seruata vtriq; populo, quinimò singulis mortalium sua libertate, malitiã Iudæorum, quæ perniciofa erat ipsis vtentibus, palmam cõferret Gentilibus. Sed profectò & inde quoq; poterat in eandem admirationem traduci, quòd vsq; adeò permittat Deus homines suã perfrui libertate: vt cum Gentibus & Iudæis idem prædicaretur Euangelium, eisdemq; signis asseretur, Iudæi, qui Dei erant peculium, oculos occluderent: exteri verò mortales, nunquã antea instructi, tantã obedientia susciperent lumen fidei. Imò verò inde etiam potuit eodem pauore affici, quòd cum potuisset Iudæos multiplicatis forsitan auxiliis & appulsibus pertrahere, non illos prædestinauerit, statueritq; seruare, sicuti Gentes. Id quod in vniuersũ de discrimine inter prædestinatos & reprobos cogitare quisque potest. Atq; ideo dixerim non solum ad proximam clausulam, sed ad totam causam posse admirationem hanc referri. Qua quidem admiratione significare curauit Apostolus, ita se docuisse rem hanc, vt nemo tamen arbitraretur ad supremam causam, materiam resoluendo retulisse: cum sit admiratione potius contegenda, quàm nimio adeunda eloquio. *[O altitudo.]* Hoc est, profunditas & impenetrabilis abyfssus: sicuti & puteus dicitur altus

QUINTA  
PARTIS  
CAPITULUM

Orig.

Causa  
admirationis  
Pauli.

altus, & altum mare. [Diuitiarum sapientia & scientia Dei.] In Græco bina est coniunctio, scilicet diuitiarum & sapientia & scientia Dei, & ita legit Orig. atq; Theoph. qui ait, diuitias bonitate appellari, quæ à sapientia, scientiaq; ratione distinguitur. Veluti Apost. supra cap. 2. An diuitias bonitatis eius, & c. Neq; verò nos ter interpret vsq; adeò aperte auersatur hæc lectio, quin possit in eodem sensu audiri: nam solet Latinus sermo subdicere coniunctionem, quæ virtute intelligitur: ac si diceret, immensitas bonitatis, sapientia & scientia. Tamen si forma substantiuum diuitiarum / aliud nobis exerit intellectum, nempe vt sapientia / & scientia / sint genitui recti, à diuitiarum.

Col. 2. Iuxta illud, In quo sunt omnes thesauri sapientia & scientia absconditi, eò vel maximè quòd diuitias / nusquam sine suo profert genituo. Neq; verò lectio Græca hunc sensum respuit, quoniam geminata coniunctio non impedit, quin ambo genitui regantur ab eodem nomine. Dicimus enim, Est mihi thesaurus & argenti, & auri. Suspexit autem ad sapientiam & scientiam Dei, per quam res inferiores gubernat & dispensat secundum suas secretissimas regulas. Quidam autem non aliter dignoscunt inter sapientiam & scientiam, quæ inter speciem & genus: nempe quibus scientia idem est, quod cognitio: sapientia verò, species illa scientia, per quam supremum fit de rebus iudicium, ordòq; earum disponitur. At verò tunc non dixisset, Sapientia & scientia / sed viceuersa: quoniam genus non addit super speciem, sed species cõtra supra genus. Et ideo forsã sapientia refertur ad cognitionem diuinorum. Est enim cognitio altissima causarum: scientia verò, ad cognitionem rerum creaturarum, quas in sua essentia intuetur Deus. Atq; hanc forsã differentiam verbis proximè subiunctis iteratò subindicat. Neq; verò satis arbitratus dicere, Sapientiam & scientiam / neq; diuitias sapientia & scientia / duabus superlationis vocibus rem auxiit / ò altitudo diuitiarum / hoc est, consummatio & sine vllò termino infinita opulencia & thesaurus sapientia & scientia. Est enim Deus per se sapientia, atq; adeò perennis fons luminum, vnde omnis promanat creata cognitio. Propter immensitatem ergo & infinitatẽ obiecti cogniti, quod est sua essentia, dixit / altitudo / sed propter affluentiam, qua in angelos & hoies, reuelationes, tam scientiarum naturalium, quæ supranaturalium mysteriorum effundit, adiecit / diuitiarum / vltus namq; diuitiarum

Sapientia & scientia.

est earum magnifica dispensatio. [Quam incomprensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius.] Explanatio est altitudinis. Possunt autem ambo hæc membra eodem referri, putã ad sapientiam, per quam iudicium inicitur, accipiturq; de rebus, vt vias, humano more appellauerit, rationes, quibus cõsultatio vtrinq; agitur, vestiganturq; mediã, ad finem commodiore, de quibus feratur iudicium. Vel forsã / iudiciũ / respondet verbo / sapientia / cuius est de altissimis causis iudicare / viã / verò nomini / scientia / per quam res condidit, vt vias nuncupauerit, rationes rerum, quibus extra se Deus exit operando. At verò res bifariam dicitur comprehendendi. Vno modo quãdo cognoscitur quantum secundum naturã suam cognoscibilis est. Quocirca cum Deus infinita sit substantia & essentia, infinito modo cognoscibilis est, atq; adeò à se solo comprehensibilis. Et quia quicquid est in ipso sua est simplicissima essentia, quicquid habet est simpliciter incomprensibile, quod hic de eius iudiciis affirmat Pau. Alio modo dicitur res comprehensibilis, eò quòd apprehenditur & tenetur: tenet namq; prædam vertagus, licet non totam ambiat bestiolam, quo pacto beati comprehendunt Deum, cõprehensione nimis illa qua terminatur spes: iuxta illud, Sic currite vt comprehendatis. Sed illa comprehensio nihil vetat, quò minus Deus sit simpliciter incomprensibilis, eiusq; pariter iudicia. Viã autem dicuntur & verè sunt inuestigabiles, hoc est, imperscrutabiles, siue ad rationes iudicii id referas, siue ad rationes externarum rerum, quæ à Deo prodeunt. Alii transferunt / inuestigabiles / ad cauendam amphibologiam: nam / inuestigabiles / si ab inuestigo deriuetur, affirmatoria vox est: at satis dilucidatur ambiguitas per negationẽ præcedentis vocis: qui enim dixit / incomprensibilia / palam est eundem dixisse / inuestigabiles / pro eo quod est / non vestigabiles. Dispositissimè autẽ distribuit nomina, dum iudicia appellauit incomprensibilia, rationes autẽ iudiciorum, inuestigabiles vias. Ex eo enim iudicia nequeunt comprehendendi, quòd rationes indagandæ rei non sunt nobis perscrutabiles. Quibus vtiq; vocibus altitudinem diuitiarum sapientia & scientia exposuit, eadẽ nihilominus elucidare adhuc pergit luculenti.

Duplex cõprehensio- nis modus.

2. Cor. 9.

Vic inuestigabiles.

Optima nominum dispositio.

Quis enim cognouit sensum domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

Confir

Confirmat etenim, iudicia Dei incomprehensibilia esse, testimonio Esaia, cuius litera secundum nostram translationem sic habet in cap. 40. Quis adiuuit spiritum domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Septuaginta verò habet, Quis cognouit sensum. Etenim qui consilium ab alio petit, cuius prudentia adiuuetur, mentem suam ei reteggit & patefacit: quapropter idem est, ab alio tuum iuuari spiritum, quod, tuum ab eo cognosci sensum. O idq; secundum mebrum optimè potest accipi tanq; expositoria descriptio prioris. Vt idẽ sit / Quis nouit sensum Domini. Et, Quis consiliarius eius fuit. Sed, tamen quia alia etiam via quis potest cognoscere alienum sensum, licet non si adhibitus in consilium, propter acumen suum & solertiam ingenii: veluti duo etiam distincta intellegi comodius possunt, quæ simul ambo penitus enucleat incomprehensibilitatẽ iudiciorum Dei. Quasi dicat, Quis vnq; non dicam cõprehendit, verum (quod minus est) nouit sensum domini, per propriam scilicet sapientiam ac diligẽtiam absq; diuina reuelatione.

Sap. 9. Vnde Sapiens, Sensum tuum quis scire poterit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? [Aut quis consiliarius eius fuit?] Hoc est, Quis potuit eum perinde consilio iuuare, ac si non sit ipse omnisciens, atq; ideo ob indigentiam alteri reuelauerit diuinam suam mentem. Vnde Hier. 23. Quis affuit in consilio domini. Quòd si neutra ratione vllus nouit eius sensum, imò neq; nosse potuit (huiusmodi namq; interrogationes impossibilitatem præferunt) fit, vt incomprehensibilia sint eius iudicia, viãq; ipsius inuestigabiles. Adiecit autem. [Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Eadẽ ferè verba sunt apud Iob, Quis antè dedit mihi, vt reddam ei. Nescio tamen an Iob citauerit hic Paul. Conferunt tamẽ ad rem præsentem plurimum: nempe ad ostendendum, neminem vnquam à Deo affici iniuria. Verbi gratia, Quamuis Israelitas in sua cæcitate iacere permiserit, & Gentes illuminauerit, quia vbi nulla extat ratio iniustitiæ, nulla subesse potest iniuria nota: cum autem nullus prior dederit Deo, cui tanq; debitor teneatur iustum rependere, nemo aduersus illum agere potest de iniustitia & iniquitate. Demonstratur præterea hac noua ratione altitudo diuitiarum Dei, in exhaustusq; eius thesaurus: per hoc scilicet, quòd nostrorum honorum non indiget. Nam hac de causa à nemine prior ipse recipit, sed prius ipse in omnes effluit largissimè, quæ ei

Sap. 9.

Hier. 23.

Iob. 41.

nos retribuam. Iuxta illud, Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Ecce ergo si à nullo Deus est, neu instructus scientia, neu cõsilio adiuutus, neu ditatus dono, altissima sanè ei est ac profundissima sapientia sua & scientia abyssus, secundum quã dispensat vniciq; citra iniuriã, quodcũq; vult. De cuius idcirco rationibus nihil nos aliud debemus perscrutari, quã quod nobis ipse reuelauerit.

1. Para. 16.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, Amen. Elegantissima profectò est non solum cõprehensio totius clausulæ, verum peroratio totius causæ de fide & gratia Christi, deq; virtute Euangelii: de quibus à principio statim epistolæ cõstituere proposuit, in illis proposita nobis esse nostram salutem. Quam quidẽ causam hucusq; locupletissimè peregit. Hanc etenim veritatẽ sic concludit, vt postrema sententia sit, Deum esse optimum authorẽ, tam naturalium bonorum, quã supernaturalium, eundemq; absq; vlla vel dependentiã, vel indigentia cuiusvis alius generis causæ, que sit illi vel materia, vel exemplar, vel minister, vel adiutoriũ, vel instrumentũ. Quatuor enim causarum genera philosophis innotuerunt, putã finis, qui primũ mouet agentem: & materia, quæ recipit formã: & agens quæ in materiam inducit formã: atq; adeò forma quæ dat esse, speciemq; rei. Quorũ vtiq; singula genera singulas habent peculiare propositiones. Fit enim res propter finem, ex agente, per formã, & de materia. Igitur si mundi creationem spectem, vbi nulla fuit materia, oia sunt ex ipso efficiẽte, & per ipsum, in genere causæ formalis, & in ipso, hoc est, propter ipsum in genere causæ finalis. Vnde quod ait / ex ipso / initium significat motus: quod quidẽ in causis secundis triplex est. Fit enim res ex agente & de materia, & ex cõtrario: vt phiala ex aurifce, & de auro, & ex non phiala, vt ait philosophus: putã ex informi auri massa, vel ex alio vase. Deus autẽ neq; ex materia creauit orbem, neq; verò ex contrario, sed ex nihilo, iuxta illud, Ex nihilo nati sumus. Vnde eius arguitur infinita potentia: nam si formã ex aliqua materia potentia educere, virtutẽ magnã arguit in agente, eandem formã de minori educere potentia, maioris erit virtutis indicium: atq; adeò fit, vt virtus, quæ de nulla subiecta materia creauit orbem, sit infinita. [Et per ipsum.] Hoc in primis quod ait / per ipsum / & formã cõpositionis excludit, & accidens, & exemplar, quæ res

Quatuor causarum genera.

Sap. 2. Infinita potentia Dei.

res ab ipso Deo non distinguuntur: agit enim ignis per suam formam perque calorem, & instar exemplaris à natura propositi. Sicuti pictor de exemplari exprimit imaginem: Deus autem per suam simplicissimam essentiam, quæ virtus est infinita, atque etiam exemplar in qua rationes lucent, ac ideæ rerum vniuersarum. Sed excludit etiam alienam auctoritatem & consortium, ac genus denique iuuenis & instrumenti. Agit enim artifex per instrumentum & prator per regem: hoc est, per eius auctoritatem, & rex per consiliarios & per prætorem tanquam per ministros: Deus autem nullo usus est instrumento in prima rerum conditione. Neque ministro: saltem dum angelos primam, rudemque materiam creauit: nam ipsis fuisse usum administris in rerum post dispositione nihil prohibet. Neque verò auscultauit superiorem potestatem, ut quæ nulla esse poterat: iam verò res cõditas per alios gubernat, non quibus ipse indigeat, sed quibus infundit virtutem: iuxta illud, Per me reges regnant. [Et in ipso.] Præpositio in non designat hanc materiam, sed repetere potest habitudinem causæ efficientis: ut potest in cuius potestate, dispositione, & ditione, & arbitrio cõstita sunt posita: & ut est in Psalmo, In cuius manu sunt omnes fines terræ. Et, In quo uiuimus, mouemur & sumus. Sed potissimum designat causam finalem: in ipsum enim referuntur omnia quæ ab ipso fiunt. Etenim peccata, ut emanare nequeunt ab ipso, ita neque in ipsum referri. Est ergo Alpha & ω, principium & finis. Quinimò in Græco accusatiuus est in ipsum, sed habet nihil minus apud ipsos & vim datiuæ, seruientis ablatiuo. Quo casu usus est hic interpres, ne alios nunc commemoratos sensus excluderet. Hæc autem secundum proprietatem de Deo dicta sunt, cui quatenus vni proprium est extra se agere per virtutem, sapientiam, & bonitatem essentialem, tribus communem personis. Nam si per attributionem loquamur, auctoritas & potestas tribuitur patri, qui est principium sine principio: ars verò & sapientia filio, qui est principium de principio, in intellectu genitum: bonitas verò Spiritui sancto, per amorem spirato. Ob idque secundum attributionem confitemur, ex patre esse omnia, per filium, in Spiritu sancto. [Ipsi honor & gloria.] De honore & gloria plura à nobis dicta sunt cap. 2. Sunt autem laudum tituli, Deo proprie debiti, quatenus ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Hæc enim ratione, quod principium est

omnium, debetur illi honor, puta subiectio & reuerentia: iuxta illud, Si ego pater, ubi est honor meus: sicuti CHRISTO ratione redemptionis debetur genuflexio: ut in nomine IESU omne genu flectatur. Debeturque eidem Deo præterea gloria, quæ est clara cum laude notitia, atque inde maxima, quod à nullo quicquam accepit, vel cõsiliu, vel potestatis, vel virtutis, vel sapientia: debetur enim proprie gloria illi, qui de se habet quicquid habet. Vnde per contrarium ait Paul. Si accipisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. Quæ ratione de virtutibus, quæ in nobis sunt, Deo debetur honor & gloria: nobis autem id honoris atque gloria, quod secundum suam mensuram & beneplacitum donaturus est ipse nobis in regno suo. [In secula seculorum.] Seculū pro curriculo usurpari solet centum annorum, quo plurimum tempore durare potest longissima vita hoīs. Accipitur nihilominus & pro toto tempore huius mortalis vitæ: ita enim distinguim⁹ inter hoc seculum, & futurū: æternitas verò non dicitur proprie seculū, si ad etimologiam spectes: quia neque sequitur, hoc est, neque succedit, neque reuoluitur, sed est perpetua, vnaque & inuariata duratio. Dicitur autem seculum seculorum / id est, duratio eminente virtute continens omnia secula. Sed tamen, quò comprehendantur felices illæ beatorum vitæ, gradu suo & ordinis pulchritudine dispositæ, dicitur pluratiuè secula seculorum. [Amen.] Vtrunque significat hoc Hebraicum nomen, scilicet, & ita est, ut, Amen dico vobis, & ita fiat, ut, Dicet omnis populus, Amen, amen, hoc est, fiat, fiat. Et utroque etiam modo apte hic usurpari potest. Nam & ita est, quod Deo est honor & gloria perpetua: & idem solemus nos illi precari, ut sit nomen domini benedictum in secula. Sicuti & ubi ait Paul. / ipsi honor & gloria subintelligi potest & verbum / est / & verbum / detur / seu / habeatur.

## CAPVT XII.

**O**bscuro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Expediuit ergo optime Paul. hucusque tractatum fidei, quod hic negotium potissimum suscepit: hunc etenim tribus membris dissectuit, dum in quatuor primis capitulis de fidei necessitate, atque in quatuor subse-

Malach.

Philip.

1. Cor. 4.

Mat. 6.

Psal. 105.

quentibus de eius facultate & potestate, in tribus autem iam proximis de eius origine luculentissimè dixit. In hoc ergo iam quarto membro, per quinque capita protenso, de eius usu sanctissima energia sermonem profectur. Nempè quos iusti iam gratis constituti debeamus animos accipere, ne huiusmodi ineffabilis gratia vacua in nobis, frustraneaque sit, sed omnem ei percolendam nauemus operam. Enimvero in capite hoc duodecimo constituit, quemadmodum vir iustus debeat se erga Deum gerere: debeat inquam mortuam sanctitatem in ordine ad Deum componere, quantamque illi seruare fidem, ad perfectionem totis neruis connitendo. In tertio decimo verò qualem se exhibere debeat inferior superioribus, scilicet per obedientiam. Et in quatuordecimo qualem se vice versa præstare superior teneatur infirmis ac pusillis in fide, cauendo ne illis scandalum offerat: sed in quintodecimo, quemadmodum iudem superiores debeant pusillorum infirmitates ac molestias æquanimiter sustinere. Nam caput sextum decimum salutationibus expenditur. Quæ verò alia specialiter intermiscuerit, suis videbuntur locis. Quocirca membrum hoc potestimum, non tam in disputationibus ad erudiendum intellectum versatur (ut præcedentia) quam in doctrina instructioneque moralis ad afficiendos permouendosque animos. At verò capitulum præsens in quatuor potest distingere membra. In primo namque præmittit in genere, ut debeant iusti obsequia sua exhibere Deo: In secundo verò illinc scilicet / Dico enim / descendit ad singularia obsequia, quæ præ eminentes personæ debent Deo in usu gratiarum, quæ dicuntur gratis data. Sed in tertio, quod incipit / Dilectio verò sine simulatione / agit de mutuo obsequio charitatis, quæ communis est omnibus amicis. Atque in quarto denique, ubi ait / Benedicite persequentibus vos / adhibet officia, quæ etiam inimicis debemus. Exorditur autem in genere ad obsequium exhortari, ut inde ad speciem descendat: estque bipartitum exordium, dum prius id quod corporis est, deinde id etiam quod animæ, admonet exhibendum. Atque conuenitio itaque non modò cum proximis verbis orationem copulat, sed & illationem quoque designare videtur ex tota oratione, quam de gratia & misericordia CHRISTI continenter habuit: quauis ad postrema verba superioris capituli peculiariter arrideat. Etenim ne admiratione illa de incomprehensibilibus iudiciis

Distributio  
quinque capi-  
tulum.Distributio  
capituli.

Dei, alios suæ cæcitati permittentis, alios verò ex suis tenebris euocantis, segniores redderet Romanos, ut qui inde colligerent, superuacanea esse charitatis officia, siquidem iam constitutum esset, firmumque Deo, quos esset seruaturus, quosque reiecturus, subdit. [Obscuro itaque vos fratres.] Ita / obscuro / quam / fratres / verba sunt hominis non auctoritate imperantis, sed fraterna se charitate submittentis, ut hac sua humilitate tum Romanorum beneuolentiam venaretur, tum adeo vehementius eos emolliret. Vnde ad Philemonem, Multam, inquit, fiduciam habens in CHRISTO IESU imperandi tibi quod ad rem pertinet propter charitatem magis obscuro. [Per misericordiam Dei.] In Græcis modò pluraliter extat / misericordiones / sed nihil sententiæ incolumitati incommodat. Est autem obscuro, per sacramentum. Ob idque Paul. Romanos obscuro, per eandem ipsam misericordiam Dei, per quam hæcenus ostendit iustitiæ salutisque beneficiis eis fuisse collatum: ac si Deum ipsum (ut ait Chryso.) supplicem eorum oculis obtulisset: perinde atque si diues, qui postea quæ fuerat in egenos beneficentissimus, supplicem se illis daret, perque beneficia illis ab se collata, officium exposculet ab illis aliquod. At qui cum hæc misericordia in conferendis beneficiis gratia à prædestinatione deriuetur (de qua supra, Cui vult miseretur, & quem vult inducat) admonet eos ne ea, quæ de prædestinatione dicta sunt, animos eis torpore remittant: nihil enim sanctius in prædestinatione Dei est, quam quod coronabitur, qui legitime certauerit. Per eandem ergo vos misericordiam hortor, per quam absque vestra præcedenti iustitia iusti effecti estis, ut per eiusdem gratia culturam in officiis vos exerceatis iustitiæ, cuius fructus vobis ipsis sunt prouenturi. [Ut exhibeatis corpora uestra.] A corporibus ob id arbitrandum est inchoasse, ut eos haberet colere spiritualiter, nisi & corpora etiam Deo litarent per operum sacrificia. Alii vertunt / ut præbeatis / Nam licet utranque versionem dictio Græca permittat, exhibetur, inquit, id quod promissum est, præbetur autem illud, quod ad usum ministratur: quod loco præsentis congruentius censent. At verò vel nulla est differentia, vel maiorem aculeum habet / exhibere / tam hic, quam supra cap. 6. Exhibete membra uestra arma iustitiæ: tum quod propterea debemus illa exhibere, quod illa promissimus sacramento baptismatis, tum

Obscuro  
tio.

X quod



quod in hoc illa polliciti sumus, ut illa exponeremus periculo in praelium aduersus Satã, cui bellum indiximus pro CHRISTO [Hostia. *stiam uiuentem.*] Hostia/ab hostis/dicitur: erat enim uictima inter prophanas gentes, quæ in profectioe ab bellum placandis diis pro uictoria litabatur. In sacris autem antiquæ legis erat uictima pacificorum & pro gratiarum actione, quæ in partes diuidebatur, & sanguine circa altare effuso comburebatur extra castra, vel foris extra templum. Ait ergo / hostiam uiuentem. Primum quia uia animalia offerebantur, quæ postea sacrificus mactabat. Sed præterea mysterium hic prodit Apostolus abolitæ legis: nempè quod hostia illa, oblationes, sacrificia & holocausta occisorum animalium non sint iam necessaria: erat quippè status ille status peccati, ut cap. 5. expositum est, quia nondum facta erat redemptio: regnante autem peccato, regnabat & mors. Ita enim ait Paul. quod regnabat peccatum in mortem. Et ideo uictimæ illæ pro peccatis occidebantur in figuram occidendi CHRISTI, qui morte sua mortem erat occisurus, hoc est, donaturus vitam, mortis nesciam. Quocirca, celebrata iam redemptione, quæ fuit figurarum ueritas, cessa uit hostiarum necessitas, quæ offerebantur uiuæ in mortem. Et hoc est quod ait Paul. / hostiam uiuentem / hoc est, exhibete uosmet ipsos ueluti sacrificia, non quæ sacerdos debeat mactare, sed uice uersa uos ipsi mortificate uiuentia membra uestra, ne concupiscentiis carnis uiuant: Mortificate scilicet per operum sacrificia, quæ summus sacerdos CHRISTVS moriens uiuificauit, dum per proprium sanguinem uos iustificans, subministravit uobis uirtutem, qua uiua sint opera uestra, & in conspectu Dei grata. Sunt qui meditentur Paulum dixisse, uiuentem / ad differentiam martyrii, ad quod hic non exhortabatur Romanos, sed ad communem legis culturam per charitatis officia. At profectò nullum uidetur excludere Christianum opus, sed in uniuersum uult, ut exhibeamus corpora nostra hostiam uiuentem fide, quæ per charitatem operatur: iuxta illud, Quod nunc uiuo in carne, in fide uiuo filii Dei. Siue per communia opera, quibus iustitia colitur: qualia sunt mandata, Vnum cole Deum: Charos uenerare parentes, & similia, de quibus supra dixit, Exhibete membra uestra seruire iustitiæ. Siue per alia quæ sunt penitentia fructus

ctus, ut per uigilias & ieiunia & reliquas carnis macerationes: de quibus ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Siue etiam per sacrificium martyrii, ubi ratio causam obtulerit. Vnde, Ego, inquit, iam delibor, hoc est, immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Quomodo autem membra fiât uia hostia, habes apud Chrysostomum: nempè si oculus scortationi non seruiat, neq; rapinæ manus, neq; uenter delitiis, neque cor iram foueat, neque turpia loquatur lingua. Et Orig. ad brutas illas hostias Leuit. spectans tunc, inquit, unusquisq; vitulum immolat, cum superbiam corporis vincit, tunc arietem iugulat, cum superat iracundiam, tunc in holocaustum offert hircum, cum libidinē vincit, tunc deniq; columbas aut turtures, cum vagos & lubricos cogitationum uolatus resecat. [Sanctam.] Secunda conditio uictimæ erat, ut esset sancta, hoc est, integra, pura, Deo utiq; consecrata, incorrupta, incontaminata & sine macula. Sæpissimè namq; in Leuitico legitur. Masculus immaculatus & agnus anniculus sine macula. Et cap. 22. iubetur ne id quod cæcum fuerit, vel fractum, vel cicatricem habens offeratur domino. Et alius uates, Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & uotum faciens immolat debile domino. Talem ergo se hostiam debet offerre iustus, ut scilicet per internam deuotionis sanctitatem & puritatem corporea membra integra, pura & immaculata mancipet diuinis obsequiis: iuxta illud, Sanctificamini & estote sancti, &c. [Deo placentem.] Conditio hæc ueluti conclusio est superiorum: hostia enim uia & sancta non potest, non Deo placere, sed adiecta est ad significandum discretionem operis, quæ Deum maximè delectat. Est enim prudentia ueluti sal, quo uictima iubeatur condiri, Quo quidem sale conditum opus, dum igne charitatis adoletur, obseruatio quædam spiritualis est legis illius, qua præceptum erat, ut oblata omnia adoleret sacerdos super altare in holocaustum, & in odorem suauissimum domino. [Rationabile obsequium uestrum.] Rationabile hic interpretes, inter quos est diuus Thomas, in ea significatione audiunt, quæ est, ut obsequium sit ad rationis trutinam exactum ac moderatum. Sed tamè isti nimii cæfores tale interpretamè transferre non possunt. Vnde coryphæus eorum Erasmus in illo indice, cui magnificentum titulum

tulum fecit, nempè de locis obscuris, in quibus manifestè lapsi sunt magni nominis interpretes, hunc quoq; locum denotauit. Vbi addit, dandam esse ueniam Thomæ quod / rationale / tali significatu usurpauit, quippè qui ex incertitia linguæ Græcæ hoc dixit: cum tamen hic, inquit, non esset transferendum / rationale obsequium / sed / rationalem cultum / hoc est, rationis participem. Iubet enim hic Paul. inquit, immolandam Deo esse uictimam, non brutam (ut olim) sed rationis participem, puta hominem ipsum. At uerò quantum ad uocem / cultum / attinet, quæ græcè est / λατρεία / potest quidè & per / obsequium / uerti: atq; hic ex eo congruentius, quod agitur de externis seruitiis corporum: nam cultus ad animum propius refertur. Quod uerò addit / de / rationabili / profectò non erat ut inter obscura loca scripturæ hoc referret, in quo sunt lapsi interpretes magni nominis. Haud enim res adeo erat absurda / λόγικον / utrunq; significare, scilicet & rationale animal, quod est, rationis particeps, & rationale, quod est rationis mensura moderatum, quin potuisset S. Thom. atq; alii inferioris nominis illud nouisse, maximè quod non fuit adeo negligens in indagandis Græcis. At S. Tho. secutus est Ambrosium, cuius commentum sic habet, Ut autem obsequii nostri effectum habere possimus, seruata iustitia, pudorem custodiamus: nihil enim proficit pudor, nec rationabilis potest uideri, neglecta iustitia. Et Augustinum haud græcæ ignarum, qui lib. 10. de ciuita. Dei, & ubiq; similiter intelligit. Sunt & scholia sub titulo Hieronymi, quæ ipsi fatentur ab optimo authore fuisse conscripta, qui locum hunc sic interpretantur, Omne opus bonum, quodcunq; facit homo, tunc placet Deo si rationabiliter fiat. Sed adfert pro se ille author Origenem Græcum cuius uerba sunt, Qui cultus, quoniam dudum in pecudum mutorum corporibus consistebat, nunc in corpore rationalis hominis offertur, & corpora magis uestra, quam pecudes fiant sacrificium Deo. Hæc autem uerba nihil ad rem, quippè quibus non explicat Origenem, particulam / rationale obsequium / sed illam priorè / ut exhibeatis corpora uestra / hoc est, non animalium corpora irrationalium, ut olim: inferius autem ubi singulas exponit particulas, scilicet / sanctam / & / Deo placentem / subdit. Hæc autem omnia rationalis cultus est Dei. Potest enim pro tali cultu reddi, ubi rationale obsequium ap-

pellat, illud, quod est ratione præscriptum. Et Theophyl. apertissimè glossat rationabile obsequium esse illud, quod ratione & iure optimo Deo impenditur, ut nostra, inquit, omnia & ratio moderetur & æquitas. Sed aiunt isti, Theophylactum recessisse à simplicitate sermonis apostolici. At non, ut credo, ob imperitiam linguæ Græcæ, quod obiciebant Thomæ. Sed age prætermittis doctoribus in uerbis ipsis apostolicis perscrutemur, utrum nam sensum lubentius admittant. Profectò quauis membra ipsa corporea, hostia dicantur, ineptè tamen dici possunt rationalis cultus. Enimuero cultus non est id, quod Deo offertur, sed ueneratio & reuerentia quæ actione ipsa fit Deo. Ob idq; licet membra per macerationem, uel aliud uirtutis officium hostia fiant, non tamen dicere tam proprie possumus, quod homo exhibet membra, ut rationalem cultum, quam quod exhibet rationale obsequium: uocamus namq; oblatum munus, obsequium. Quin uerò hoc quod ait / rationale obsequium / expressior est descriptio illius, quod præcesserat / Deo placet / haud enim sat est ad perfectionem operis, ut bonum sit ex obiecto, nisi fuerit loci & temporis aliisque suis numeris circumspectum & absolutum: id quod paulò ante appellabamus, sal uirtutis: iuxta illud, Omnia honestè & secundum ordinem fiant in uobis. Etenim si prælatus tempore, quo prædicare deberet aliis, se dederet exercitiis corporeis: uel quando necessarius esset infirmis procurandis, tunc contemplationi studio ueniam mancipatus surriperet se se, non exhiberet rationale obsequium. Adde quod cum opus externum, medium sit ad alendam, augendamq; animi sanctitatem & charitatem, fit, ut sicuti sanitas non operatur sub pondere aut mensura, sed simpliciter: pharmaci uerò & medicaminum reliquorum certa esse debet, limitataq; dos, quæ sit sanitati conducentior, ita quauis sanctitas interius nullo sit limite circumscribenda: nam Deus (ut ait Bernardus) deamandus est sine modo: tamen corporalia obsequia, prudentia sunt, & rationis discretionem libranda & moderanda: qua ratione commodiora sint conferriq; magis possint ad spirituales actiones perficiendas. Vnde qui inediis ac ciliis aliisque id genus carnis afflictionibus vires, uel exinaniret, uel extenuaret, quas commodius fructuosiusq; in aliis spiritualibus actionibus posset collocare, eius

perfecto obsequium non esset rationale. Vnde ad Timotheum Pau. Exerce teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia. Ad modicum autem intelligas, habito respectu ad opera pietatis. Non ergo est cur isti nostri trilingues in Thomam & talem doctorum ordinem tam prodeant crebro censorum, ad captandam auram & fauorem vulgi, quod omnem rerum cognitionem in linguarum peritia & politione arbitrantur esse reconditam.

Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Adiungit & in genere corporeis obsequiis reformationem animi, vnde virtus emanat ad opus. Constituit autem animi puritatem in sequestratione a figura huius seculi, & conformatione ad formam alterius futuri. Etenim ubi ait huic seculo alterum futurum subindicat. Igitur cum supra cap. 6. commortuos nos ostenderit CHRISTO in baptisate, ut cum eodem resurgentes in nouitate vitae ambulemus, infert inde modum documentum, ne conformemur huic seculo, cuius vita caduca est cum eiusdem seculi tempore, & mortalis, morte illa, quae fuit peccati supplicium, a quo nos CHRISTVS eripuit: sed conformemur in nouitate sensus, immortalis vitae. Vnde ad Cor. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem caelestis. Et ad Ephe. deponere nos iubet secundum pristinam conuersationem veterem hominem qui corrumpitur, & renouari spiritu mentis nostrae, atque induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. [Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini, &c.] Graece duo sunt hoc loco verba diuersae compositionis, ουκ ηματι βεδεν / μεταμορφωθεν / quorum prius deducitur a ημα / quod est / figura / & posterius a μορφη / quod est / forma. Potuisset ergo traducere interpretes / Et nolite configurari huic seculo, sed reformamini, &c. Quod enim quidam transferunt / sed renouamini / forsan id faciunt, alludentes ad id quod sequitur / in nouitate / tradentes huc verbum, quod est ad Ephe. 4. / & γαυεσθησιν, quod profecto diuersae est figurae & significationis. Hanc igitur speculatus Chrysof. discrepantiam figurae, & formae, ait commoneri nos hic, ne configuremur figurae huius seculi: figura enim significat id quod non est stabile

Tim. 4.

Contra gratificos.

Cor. 15.

Ephe. 4.

Chrysof.

& firmum, sed vile & inane. Vnde ad Corin. Praeterit figura huius mundi. Sed reformemur per nouitatem sensus vera forma virtutis. Et ideo non dixit Paul. / configuramini / sed / reformamini / forma enim solidum quid significat. Figuram itaque si proieceris, confestim ad formam venies. Hae Chrysof. Nos autem ubi aiebat supra Paul. praedestinos nos a Deo conformes fieri imagini filii sui, hoc utique contemplantur, quam debeamus studere ipsi in hoc seculo conformari, si cupimus conformes illi fieri in caelo. Et ait forsan / reformamini / spectans ad primum statum hominis sub originali iustitia. Quasi dicat, Restituamini in illam formam. [In nouitate sensus vestri.] Alii transferunt / metis / at tamen / & / graece idem quoque significat, quod / sensus / puta, partem prudentiae, per quam gustum & iudicium captamus de rebus. Et vocat / nouitatem sensus / spiritum, quae nobis ingenuit CHRISTVS, nouus Adae. Configuramur igitur huic seculo, dum voluntatibus, vanitatibusque ipsius amore defigimur. Tunc etenim vicissim res ipsae, veluti aeneum sigillum, in cordibus nostris, quae earum libidine, dulcedineque vt cera mollescunt, imprimuntur, in suam nos ipsarum vanitatem transformantes. Vnde illud verum est, Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Quo utique sit, vt quocumque nos ducunt, sequamur, & quomocumque permulentur, & nos pariter demutemur, atque hac demum ratione (vt aiebat Oseas) abominabiles efficiamur, sicut ea, quae diligimus. [Vt probetis quae sit voluntas Dei.] Probare non hoc loco simpliciter est tentare, sed delibando experiendoque approbare: Deus namque non tam nuda speculatione, quam conuersationis suauitate cognoscitur: iuxta illud Psalmi, Gustate & videte, quam suavis est dominus. Qua de re interpres prudenter transtulit / In nouitate sensus. Praefati enim sumus cap. 8. super illud / de prudentia carnis & spiritus: quemadmodum prudentia, qua de agendis iudicamus, non est nuda cognitio, sed illa quae ex affectione appetitus ingignitur: quae ideo consistere nequit, nisi connexionem omnium virtutum subnixa: qualiter enim vnusquisque affectus est, tale de rebus fert iudicium. Optime ergo instituit nos Paul. vt reformemur in nouitate sensus, vt probemus quae sit voluntas Dei. Nam qui vetustate carnis infecti sunt, non magis diuinam possunt approbare voluntatem, quam qui vitio laborant

Cor. 7.

Configuramur.

Mat. 6.

Oseas. 9.

Psal. 33.

Hebr. 3.

rant lingua, dulcorem mellis. [Bona & beneplacens & perfecta.] In Graeco nomen voluntatis, βελαντια / neutrum est: cuius itidem neutrius generis sunt & tria haec nomina. Quae idcirco orationem reddunt amphibolam. Possunt enim omnia tria epitheta esse voluntatis Dei, quam lectionem secutus est vetus interpres: sed tamen possunt, & substantiue accipi, vt seorsum per zeugma regantur a verbo, probetis / hoc est, vt probetis quae sit voluntas Dei, quid bonum, quid placens (scilicet Deo) quid denique perfectum. Quo pacto legit hic Ambr. & Hiero. in scholiis, & lib. 1. de ciuit. Dei Augusti. quos merito sequi possumus. At vero Graeci omnes patrocinantur lectioni nostrae. Quinimo interpres Origenis lectionem Augustini ceteris esse Latinam translationem, & hanc nostram ait haberi apud Graecos interpretes. Sed nunquid potest voluntas Dei esse non bona, vel sibi displicens, vel imperfecta? Nullo modo. Duplicem ergo interpretationem subscribit Theophyl. Primam quae est Chryso. vt voluntas Dei accipiatur pro eius lege, quae a theologis dicitur voluntas signi: & subnotetur hic differentia inter vetus testamentum & nouum: lex enim illa, voluntas Dei erat, verum non principalis, sed ob illorum infirmitatem ad tempus concessa, quae ideo non iustificabat, vt non ua: atque ideo nec perfecta erat, nec beneplacens, nec absolute bona. Vel aliter secundum Basilium & Origenem. Voluntas Dei, si accipiatur pro eius volitione & iussu, non potest non esse perfectissima: si autem pro permissione, vt quis eat secundum desideria cordis, non est bona. Quinimo & institutio Saulis in regem, ait Orig. fuit quidem voluntas Dei non tamen beneplacita neque perfecta, quia iratus Deus, quod se ipsum nollent Iudaei habere, regem instituit illum, neque in bonum eius, neque in rem populi. Prior forsan expositio aptius coherent rei praesenti, ubi agit Paul. de inuentione hominis per legem euangelicam: si tamen non simpliciter negemus, legem veterem fuisse bonam & sanctam, quod supra affirmauit Paul. sed hoc tantum dicamus, quod non iustificabat. At vero neque posterior interpretatio omnino videtur a proposito dissilire: qui enim vetustate peccati inuenerat, id saepenumero quod permissione Dei agit, falsus arbitratur esse voluntatem Dei: qui vero spiritu Dei agit, qui (vt supra dictum est) docet nos quid petamus, non ita hallucinatur.

Dico enim per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos. Non plus sapere, quam oportet sapere. Sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sequitur secundum membrum huius capituli, in quo a generali exhortatione descendit ad obsequia particularia, quae in Ecclesia maiores debent minoribus per gratiarum dona, quae dicuntur gratis datae. Praemittit autem statim capitalem eandemque saluberrimam praecipionem, donorum vsui maxime necessariam. Virtus namque humilitatis ac modestiae cum cunctis in vniuersum, veluti omnium virtutum parens, necessaria est, tum praesertim doctoribus, quos scientia suapte natura inflat, atque aliis magistratibus, aut quauis praeminentia fungentibus in Ecclesia Dei. Vnde CHRISTVS inde orsus est leges ponere. Beati pauperes spiritu. Sed contundit hic peculiariter Iudaeorum fastum, ac superbiam: qui (vt dixit cap. 2.) duces caecorum, insipientiumque eruditores se iactabant. [Dico enim per gratiam quae data est mihi.] Nullibi non effulget Paulina modestia. Supra ubi non iubebat, sed admonebat, Obsecro, inquit, non per me in vos merita, sed per eam, qua in vos Deus vsus est, misericordiam: hic vero ubi praecipientis personam suscipit, neque ait / praecipio / neque / iubeo / sed / dico: tametsi non idem est hic / dico / quod / loquor / sed idem modestie prolaturum, quod / iubeo / vel exhortor / vel edico / vt ait Theophyl. Neque ait / per meam auctoritatem / ne vllum sibi arrogaret honoris titulum, sed / per gratiam quae data est mihi / hoc est, quae nullis meis meritis, sed in vestram utilitatem donata est mihi. Gratiam enim hic non appellat, illam quae gratum facit, sed apostolicum munus. Et vide quot hic de causis, quam quae ad rem accommodatis, meminerit apostolicae functionis sub nomine gratiae. Primum vt se humiliter gereret. Secundo vt suam illis auctoritatem, veluti a Deo receptam, commendaret. Et tertio, vt necessitatem hoc in praesentia iubendi excusaret: poterant enim eum redarguere, quod qui de humilitate praecipit daret, idem ipse insolentia praecipiendo superbiret. Hac igitur moderatione se purgat, Qui de gratiarum distributione, diuisioneque functionum dicere propero, hoc pro mea apostolatus gratia necessarium duco vos habere praemonitos: puta non plus sapere, & cetera.

SECUNDA PARS CAPITULI.

Virtus huiusmodi.

Mat. 5.

X 3 Vbi

*Orige.* Vbi acutè nec sine fructu adnotauit Orige. quantum interfit, dum quid doces, aut præcipis, an id facias autoritate & eloquentia humana, an verò functione diuina. Sunt enim eloquentes viri & eruditi, qui ingenti cum applausu concionantes audiuntur, tamen neminem auditorum sua eloquentia, vel corde compungunt, vel afficiunt, vel ad religionis culturam stimulant, eò quòd reuera non spiritu Dei aguntur. *[Omnibus qui sunt inter uos.]* In Græco singularis numeri est / *Omni qui est in uobis / sed nihil refert.* Est autem paraphrasis potius, quàm versio, illa quorundam translatio / *Omni qui versatur inter uos / & quæ forsitan sententiam mutat.* Nam versari etiam poterant inter Christianos alii, qui nõ essent Christiani, quibus tamen Paul. non loquitur, sed illis præcisè qui sunt in eorũ numero, putà Christianis. Atq; Orig. putat cum conuersis ex Gentilitate habere hic Paulum sermonem, nimirum quos superius admonuerat, ut non essent sibi met ipsis sapietes. Sed est multò uerisimilius omnib; loqui collectim Christianis. Quinimò cum antè per apostrophem ad Gẽtiles uertisset peculiariter orationem, ideo hic dixit / *Omnibus qui sunt inter uos / uidelicet, ne putarent singulariter illis, ueluti supra, iubere, sed omnes intelligerẽt id quòd supra Gentes specialiter admonuerat, generaliter iam uniuersos exhortari: nã à principio capitis / Obsecro itaq; uos / omnibus in comune loquitur.* Et quanuis sacerdotibus & maioribus congruentior sit præceptio, edicitur lex tamen omnibus cuiuscumq; ætatis, sexus, fortis, & conditionis, unicuiq; pro munere sibi iniuncto: nempè ut tam senes, q̃ iuuenes, pro ratione ætatis: tam masculus, q̃ femina, pro ratione sexus: tam magister, q̃ discipulus, pro ratione dignitatis: tã dominus, quàm seruus, tam persona itaq; publica, quàm priuata, pro sua quisq; conditione infra lineas gratiæ sibi donatæ se contineat. *[Non plus sapere, quàm oportet sapere.]* Præceptionẽ bipertitur in prohibitionem & affirmatiuã præscriptio nem. Græcè unicum est compositum uerbũ, ac si dicas / *nõ super sapere / seu / super sentire / utrumq; enim significat, & (ut sæpè diximus) ad usum prudentiæ refertur, siue bonum, siue malum.* Interpres uerò, quia de opinione hic potius intellectus, quàm de uoluntatis sensus uel affectione fit sermo, trãstulit / *plus sapere, q̃ oportet.* Alii (ut more suo accersita elegantia orationem incrustet) paraphrasim potius præstãt, quàm uersionem, his uerbis / *Ne quis*

arroganter de se sentiat, &c. Præterq̃ quòd & sententiæ ueritatem uitiant. Nã sicut quis potest arroganter loqui, citrà hoc quòd sapiat uirã, quàm oportet, nimirum dum ueritatem cum supercilio docet: ita uiceuersa, citrà arrogantiam, alio infectus humore, docere potest quæ non oportet. Id quòd etiam hic uetat Apost. Plus ergo sapere est / uel sibi quempiam illam scientiam arrogare, quæ nõ est pro captu suo, uel pro munere sibi iniuncto: aut quomodo cumq; aliter lineas transilire ueritatis. Quòd quidem uitium Origen. in omnium uirtutum genere grassari autumat. Ut si quis sub specie iustitiæ erga uictas nimius fiat, aut sub liberalitatis prætextu sua dilapidet bona. Hæcille. At uerò peculiariter hoc competit in hæreticos, qui secundum intellectum errant. Verbi gratia, Illi quorum Apostolus meminit, qui habentes cauteriatam conscientiam prohibebant nubere, & à cibis abstinere, quos Deus creauit, plus sapiebant, quàm oportet, tam de castitate, quàm de abstinentia, Sicuti econuerso, qui prædicaret, simplicem scortationem non esse peccatum, aut nulla ratione abstinendum à carnibus, eundem dicere quodam pacto possumus, minus de eiusdem uirtutibus sapere, q̃ oportet. Etenim quanuis reuera in alterutrum quis erret extremũ, minus sapit, quàm oportet (ut utiq; enim minus sapiebat de CHRISTO, scilicet tam Arrius, qui eum faciebat, essentia alium à patre, quàm Sabellius, qui eandem eum personam reputabat) tamen quando quis efferendo dignitatem rei, limites ueritatis transmittit, peculiariter dicitur plus de illa re sapere, quàm oportet: qui uerò contra minus, quàm pro rei dignitate sentit, modo quodam dicitur minus de ea sapere, quàm oportet. Tametsi mens hic Pauli non sit nisi coercere unumquemq; intra suam pelliculam, & præscriptum sibi munus: ob idq; subdit. *[Sed sapere ad sobrietatem.]* Hæc enim est pars altera præceptionis affirmatiua. Quæ quidem non solum intelligenda est tãquam negatio extremi per excessum (tunc enim nihil aliud esset, quàm superioris repetitio) sed includit pariter condemnationem alterius contrarii extremi, qui est per defectum, ut sit affirmatoria exhortatio. Solent enim meticulosi homines ac uecordes prætextu humilitatis fordes pusillanimitatis suæ atq; ignauitatis obtegere: subducentes se negotiis publicis, ac maximè fidei, ubi sua opus esset doctrina & diligentia. Ob idq; ita compescenda

*Orige.**In hæreticos.**1. Tim. 4.**Plus minus uel sapere.**Vitium pusillanimitatis.*

scenda nobis est, infrenandaq; superbia, ut tamen non sit deferendum officium, sed sapiendum ad sobrietatem, hoc est, ad eunda prouincia quæ nobis incumbit: ne abscondentes receptum talentum, pœnas in die iudicii pendamus iacturæ factæ in usura Dei. Alii transferunt / ad modestiam / alii uerò / ad temperantiam. Sed profectò optimè uerbum Græcum translatum est / ad sobrietatem / quæ uirtus, licet propriè circa luxus, uel uictus, uel uestitus exposita sit, transfertur tamen ad alia, quæ pondere & mensura moderata sunt: quam quidem modestiæ & temperantiæ uirtutem Cicero frugalitatem appellat. *[Et unicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei.]* Græcè non est coniunctio / & / sine qua lenius cohæret oratio. Alii autem transferunt / Sicut unicuique Deus diuisit / uel / prout unicuique. Quæ quidem ordinis facies concinnior apparet: tamen græcè non est, nisi ut iacet apud nostrum interpretem. Qui sanè uoluit eundem seruare contextum, ut oratio Latina restaret anceps, sicut est Græca. Nam si dicas / sicut unicuiq; diuisit / necesse est, ut datius seruiat uerbo / diuisit. Si autem / unicuique / præcedat, potest & eidem subiici uerbo, & nihilò minus præcedenti / dico / hoc est / Dico unicuiq; sapere ad sobrietatem, sicut Deus illi diuisit. Mensuram fidei uocat, donorum modum, quæ Deus impertit ministris fidei ad eam euulgandam & confirmandam. Quinimò & ipsa fides, quæ (iuxta sententiam Apostoli) donũ Dei est, datur quoq; ad mensuram. Cuius documentum est, quòd discipuli petierunt à CHRISTO, ut auget eis fidem. Vbi autem ait Ioan. Non ad mensuram dat Deus spiritũ, de capite nostro CHRISTO peculiariter loquitur, in quo (ut est ad Coloss.) habitat diuinitatis plenitudo. Ecce mensura, qua metiri quisq; debet existimationem sui, donum scilicet, quo donatus est diuinitus, & munus, ad quòd est assumptus. Cognoscet autem unusquisq; an sit munus suum legitimum, si uia & ordine & maiorum autoritate, iuxta euangelicam sententiam, fuerit super candelabrum erectus. Doctores uerò magna opus habent prudentia atq; humilitate, sobrietateq; præcipua, aliorũ iudicium de semetipsis explorantes, sua semper uerètes, alienaq; omni procul liuore, sed discendi studio, perlustrantes. Hoc enim uitium quòd hic proscribere curauit Apostol. atque ab Ecclesia Dei eliminare, est illud quòd cũ aliàs semper, tum maximè his tem-

*Eph. 2.**Luc. 17.**Ioan. 3.**Col. 2.**Mat. 5.**Vitium superbie.*

poribus hac errorum turbulenta tempestate eam obnubilauit: neq; tamen cessat, susq; deq; iactare. Meam ego cùm primis ignorantiam confiteor, sed tamen neq; hoc denuò lamentari hic desinam. Prodiere inquam, qui sola instructi linguarum cognitione omnes theologiæ numeros profitentur: qui & uulgo perluaferunt, non alia opus esse eruditione ad intelligendos doctores & eloquia sacra. Vnde uis uenit, ut quicumq; non modò eorum qui latinè sciunt, sed opificum & plebeiorem iudex esse contendat sanctæ paginæ, neq; aliud credere & tenere uelit, quàm quòd planè intellexerit. Cum tamen mysteria scripturæ improbiore opus habeant studio longioriq; tempore, antequàm medullitus eruantur. Quin multò profectò longiori, quàm uel iurium facultas, uel philosophiæ, uel aliarum artium, in quibus tamen nemini fidem damus, antequàm in doctorũ scholis impensissimo studio bonam ætatis partem expenderit.

Sicut enim in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra nõ eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Dilucidare pergit tum id quòd iusserat, ne quis plus sapiat q̃ oportet, sed unusquisq; ad sobrietatem, tum etiam diuersam charismatum administrationem, quæ in hac sectione proposuit patefacere. Vtrũq; autem demonstrat solenni illo luculentissimoq; exemplo membrorum vnus corporis: quòd iterum ad Cor. atq; ad Eph. denuò repetit. Similitudo autem consistit in tribus, nempè in corporis unitate, membrorum multitudine & uarietate, officiorumq; & usum diuersitate. Etenim sicut vnus corporis vna est uiuificatrix anima, ita & Christianis omnibus spiritualiter vnus est pro anima Deus: nempè qui sicuti anima, corpus, ita uiuificat animam. Attamen CHRISTVS principium est huius spiritualis uitæ: iuxta illud, Primus Adam factus est in animam uiuentem: nouissimus autem in spiritum uiuificantem. Tametsi propterea quòd eiusdem nobiscum est naturæ appellat eum, non animam, sed caput Ecclesiæ. Ipsum enim inquit, dedit caput super omnẽ Ecclesiam, quæ est corpus eius. Vnde ueluti in homine animalis uirtus ex eodem uictu spiritus generat, nutritq; diuer-

*Contra temerarios in sacram scripturam.**1. Cor. 12. Eph. 4. Similitudo in tribus.**1. Cor. 15.**Eph. 4.*



fos, diuersis, scilicet sensuum organis attemperatos: puta alios, qui visui seruiant: alios, qui auditui: ita & CHRISTVS per suum viuificantem spiritum (de quo supra cap. 8. Si quis spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius) aliis suppeditat spiritum prophetiae, aliis linguarum donum, aliis autem gratiam doctrinae, aliis prudentiam ad gubernandum. Vt qui meditatione scripturae sanctae, & quae illi ancillantur scientiarum naturalium studio incubunt, sint veluti oculi: vulgus autem, vt auditus, qui sensus est ad hauriendam disciplinam. Et qui miseris subleuandis mancipantur, sint veluti manus & pedes: qui vero substantia abundant huius mundi, velut stomachus & inopum alimonia. Liqueat ergo exemplum Pauli, [Sicut in uno corpore multa membra habemus, ita multi, &c.] Multi hoc loco non accipiuntur vt opponatur paucis, ad significandum numerosam membrorum copiam (ne quis se illa meditatione fatiget, an sit in Ecclesia magnus paruusve Christianorum numerus.) sed accipitur vt opponitur vni, ad significandum pluralem numerum. [IN CHRISTO.] Hic non exprimitur exactissima similitudo: haud enim CHRISTVS est corpus ex pluribus compositum membris: sicuti in vno corpore multa sunt membra, sed est caput nostrum, & fons vitae, cuius nos sumus reliquum corpus, [Singuli autem alter alterius membra.] Duo hic de membrorum natura veniunt animaduertenda. Primum quod ratio membrorum non consistit simpliciter in hoc quod sit pars (partes enim lapidis non sunt membra) sed in hoc quod singulare vnumquodque habeat officium in corpore, ab alterius officio differens: sicuti oculus, manus & pes. Ob idque dixit, multa nos habere membra in vno corpore, quae non omnia eundem actum habent. Secundum est, quod membrum non solum relationem habet ad corpus, sed quatenus vnum alteri opitulatur, & omnia vicaria se opera mutuo iuuant, vnum dicitur alterius membrum. Videt namque oculus pedem, quem oculum pes reciproco obsequio portat: manusque & os seruiunt stomacho, qui omnia nutrit membra. Hanc veruntamen speciosissimam membrorum varietatem in corpore mystico pluribus de causis instituta oportuit. Primum quod humana non fert imbecillitas & capacitatis angustia, vt vnus pluribus praepoleat dignitatibus ac muneribus, ob idque condescendit, vt (sicut in ciuili Republica) multitudine suppleretur, quod singuli praestare non

Duo aduertendi membrorum genera.

valent. Secundum propter pulchritudinem, quae ordinum varietate constat. Sed causa omnium potissima fuit, vt charitatis nexus indissolubilius fieret in Deum: decuit enim maximè, alios aliorum opera indigere, vt propter mutuas necessitudines cresceret charitatis vinculum, palamque adeo fieret, vnum esse omnium parentem, qui vniuersalem nostri curam gerit: siquidem tanta nos conglutinavit amoris vicissitudine. Vnde hoc planum fit, quod sequitur. [Habentes donationes, secundum gratiam, quae data est nobis, differentes.] Donationes pro donis dixit, quae gratiae dicuntur charismata. Et differentes accussatiuus est, adiacens nomini donationes. Etenim dona non solum secundum gratiam conferuntur, sed secundum eandem distribuuntur differenter, prout Deus vult. Haud equidem prorsum negauerim, quin Deus in distributione munerum ac functionum, quae dicuntur gratiae gratis datae, respectum habeat nonnumquam ad ingenia & dotes naturales personarum, quae sunt etiam dona & talenta Dei. Non quidem tanquam ad condigna merita: nam huiusmodi gratiae dona non cadunt sub tali merito: sed tanquam author naturae, qui vult bonis naturalibus vt ad commodiorè executionem munerum, quae ad publicam salutem instituit, haud inquam diffitear, quin licet apostolos de media plebe accersuerit, quos dignos ipse faceret tantae legationis, in Petro nihilò minus, quem Ecclesiae praefecit, inspexit, tum alias qualitates, gubernatore dignas, tum fortè animi magnitudinem. Et in Paulo, quem Gentium conuersioni destinavit, & constantiam, & ad persuadendum vim, & indefessum animum ad superandum cuiusvis generis labores. Et quicquid sit de apostolis, dubitare non possumus, quin in eligendis iam nunc, assumendisque Ecclesiae ministris talis inter alios haberi debeat naturalium qualitatum respectus, etiam dum electioni Spiritus sancti suo interest numine. At tamen quia, hoc non obstante respectu, omnia id genus charismata, quae, Deo auctore, dispensantur, gratis ab ipso tribuuntur, bene ait Paulus / secundum gratiam differentes. Quemadmodum ait alibi, Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius vero sic. Et in parabola euangelica vni datur quinq; talenta, alii duo, alii vero vnum. Perspectum id demum nobis sit, quomodo vtrunq; membrum superioris sententiae fit in hoc exemplo manifestum. Etenim quem-

Notandum de naturae dotibus.

1. Cor. 7.

Mat. 25.

quemadmodum nullum membrorum officium alterius sibi usurpat, sed suum quodlibet proprium seruat: ita neque nos oportet sapere supra quam oportet, arrogantes nobis superiorum scientiam, seu aliorum facultatem. Imò (quod ait ad Cor. Pau.) non potest dicere oculi manus, Opera tua non indigeo, id de se quisque humiliter sentiat, vt scilicet, qui vel doctrina, vel consilio egerint, ab aliis petant, qui suppeditare valent. Sed rursus, vt membrum nunquam officio suo deest: vel publico, ad seruitium corporis: vel particulari, in obsequium alius membri: ita & nos sapiamus ad sobrietatem, alter alterius onera portantes: & vnusquisque, veluti ait Petrus, sicut accepit gratiam in alterutrum, illam ministrantes. Nempe vt manus & pedes stomacho seruiant, à quo vicissim alantur, & caecus claudum baiulet, qui mutuo beneficio eum rectè ducat.

1. Pet. 4.

Siue prophetiam secundum rationem fidei, siue mysterium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praestit in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Explicare prosequitur particulae gratiarum functiones, quas sub illa confusione incluserat. Habentes donationes differentes, vt singulatim dona suis vestiatur ornamentis. Prolat autem explanationem usque ad finem capitis: quam triginta sex membris, ac praerceptionibus speciosissime articulatur: quibus Christianum hominem instituit, armat, circumuallat, ac munit, vt ad omnia sit aduersa paratus, ad omniaque promptus charitatis officia. Hanc ergo postremam particulam secundae sectionis septem membris articulisque perstringit. Neque vero sunt absque ordinis pulchritudine disposita & collocata. Praepone enim duo, quae ad res diuinas pertinent, vt inde gradum faciat ad humana. [Siue prophetiam.] Prophetia idem est, quod visio, secundum illud, Qui propheta hodie dicitur, vocabatur olim videns. Procul autem, vel ad tempus refertur, vel ad rei maiestatem & celsitudinem. Vnde propheta dicitur, qui vel de futuris contingentibus vaticinatur, vel cui Deus sua per se reuelat arcana, quae supra sensum hominis sunt. At vero qui futura praedicit, vti dicitur propheta, propter eorum cognitionem, quae de se non sunt cognoscibilia, quippe quae non existunt. Nam cui reuelantur inuisibilia Dei, licet digniori perfundatur cognitionis luce,

1. Reg. 9.

tamen quoniam per se ipsa maximè sunt cognoscibilia, non tam iuxta notionem nominis dicitur propheta, hoc est, procul videns. Ob idque antiqui vates futura mysteria CHRISTI praecinentes primò occurrunt intellectui nostro sub prophetarum appellatione. De quibus CHRISTVS, Omnes, inquit, prophetae & lex usque ad Ioannem prophetauerunt. Vnde Apost. ad Ephe. inter apostolos discernit, ac prophetas, vbi ait, Dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas. Licet apostoli vere sint prophetae: iuxta verbum Petri, Habemus firmiorem propheticum sermonem. De quibus apostolis Ioel. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri. Addit nihilò minus / apostolatus / super / prophetiam / prouinciam promulgandae fidei cum miraculorum virtute, atque adeo vniuersalem Ecclesiae gubernationem. Prophetia ergo proprie in hoc consistit, quod sit immediata Dei reuelatio, quam scilicet, per se Deus facit. Nos etenim, quibus per CHRISTI & apostolorum praedicationem detecta sunt arcana fidei, non sumus prophetae. Huius equidem idcirco hic meminerim, vt admonerem, munus hoc prophetandi iam non existere in Ecclesia, neque à defunctis apostolis extitisse: quia nulla est in Ecclesia potestas condendi sacram scripturam: sed hoc duntaxat est in capite & in tota legitime congregata stabilitum, vt in exponenda scriptura, puta in condendo simbolo, colligendoque illo ex sacra scriptura errare non possit, praesidente illi astanteque Spiritu sancto. Haec autem non est immediata reuelatio, & ideo neque prophetica, sed est vsus reuelationis factae prophetis & apostolis. Vnde ad Ephe. Paul. iam non estis, inquit, hospites & aduenae, sed estis ciues sanctorum, superaedificati super fundamentum apostolorum & prophetarum. Hoc enim prophetae donum tantum fuit necessarium in primordiis Ecclesiae: sicuti & alia quaedam gratiarum dona, quae ad Cor. commemorantur, puta, gratia sanitarum, operatio virtutum, & linguarum genera. Haec, inquam, dum fides erat in cunabulis, operae precium erat ad eius irroborationem: qua ratione pollicitus est CHRISTVS, vt eos qui crederent, haec sequerentur, vt daemona eiicerent, languores curarent, &c. Illa autem cessante necessitate, iam non sunt charismata haec ordinaria in Ecclesia. Igitur si proprie hic loquitur Apost. de prophetia, ad suum ipsius tempus referendum est: at vero maximam habet probabilitatem,

Ioel. 2.

Ephe. 4.

2. Pet. 1.

Ioel. 2.

Apostolatus & prophetia differentes

Prophetiae ratio.

Non est nisi in Ecclesia prophetia.

Ephe. 2.

1. Cor. 12.

Mar. 16.

Prophecia  
aliter acci-  
pitur.

1. Cor. 14.

Patres Ec-  
clésiæ.

Doctores  
scholastici.

vt non tam arctè vocem vsurpauerit. Acci-  
pitur ergo fortasse prophetia & pro scientia  
theologiæ, qua sacra pagina spiritu propheti-  
co tradita elucidatur, ac populo declarata  
profertur: iuxta illud, Qui prophetat, omni-  
bus loquitur ad ædificationem, exhortatio-  
nem, & consolationē. Ad quam prophetiam  
adhibere studium, possibile nobis est (vt ait  
Orig.) & in nostra potestate. Addiderim hic  
autem, sanctos Ecclesiæ Patres, vt Augusti-  
num, Hieronymum, Chrysostomum, & reli-  
quos huius classis speciali numine fuisse affla-  
tos, altioriq; lumine suffusos, q̄ sit naturale, ad  
interpretandam sacram scripturā. Haud enim  
naturali acumine intellectus valuissent tanta  
dexteritate, ac certitudine vera sensa scriptu-  
rę enucleare. Tametsi non eò vsq; fuerint il-  
luminati, vt eorum dicta pro fidei decretis  
sint habenda (sicuti Aug. ipse cōstitetur) quo  
gradu sanctiones habentur vniuersalis Eccle-  
siæ. Quin verò & ex scholasticis doctoribus  
nil mirum si nōnulli, & eiusmodi subsidia &  
illuminationes susceperint: dico S. Thomam,  
Bonauen, & si qui sunt alii: adeo fuit tum dif-  
ficile, tū necessariū, sacra eloquia, Patrumq;  
sententias stylo scholastico digerere, in suaq;  
principia resoluerē, atq; adeo per certas con-  
clusiones dispēsare atq; disponere, vt doctri-  
na, siue quæ ad res diuinas & sacramēta, siue  
quæ ad humanos mores, quoquo pacto per-  
tinet, paratior esset, & perspectior. Neq; ideo  
nō sunt huiusmodi scholasticæ lucubrationes  
æstimandæ, quod nōnulli eas sophismatibus  
ac naniarū tricis indignè obnubilauerūt: sed,  
illis amputatis, repurgandę sunt. Hanc nobis  
meditationē obtulit prophetiæ ratio. [Secun-  
dum rationē fidei.] Græcè est / secundum ana-  
logiam fidei / quod interpretes Origenis cēsēt  
transferēdum fuisse / secundum competentē  
mensuram fidei. Et Ambr. legit / secundum  
operationem fidei. Quam quidē mensurā ita  
interpretatur Orig. quod prophetia datur  
vnicuiq; iuxta mensurā, quā habet fidei. Itaq;  
quanta est in aliquo fides, tantundē illi con-  
feratur prophetię. Vnde infert, quod vnusqui-  
libet multū valet ad augmentū suæ fidei ope-  
rari, vt iuxta eandē mensurā donetur postea  
dono prophetię. Ex quo infert, verbum illud  
ad Cor. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus  
ad vtilitatem, intelligendum esse, ad vtilitatē  
illius cui datur: licet nonnunq; ipse abutatur  
dono Dei. At verò aliud est, quod hic vide-  
tur Pau. sentire: nempe quod prophetia & da-  
tur, & tractari debet secundum mensuram &

rationem fidei, non quidem secundum quan-  
tatem fidei, quā habet propheta, sed secun-  
dum generalem rationē fidei. Est namq; pro-  
phetia, veritas quædam: regula autem verita-  
tis petenda est ab obiecto: est enim veritas  
adæquatio quædam cognitionis ad obiectū:  
nam ab eo quod res est vel non est, propo-  
sitiō est vera vel falsa. Hanc ergo ob causam  
statuit Apost. mensuram & rationē veritatis  
prophetiæ, sumendam esse à ratione fidei, cui  
elucidandæ deseruit. Quocirca optimè tradu-  
xit interpret. secundum rationē fidei / nam /  
ratio / plus dicit & explicat, q̄ / mensura / quæ  
tantūm refertur ad quantitātē. Ratio quippe  
addit, & qualitātē, & modum. Vnde prophe-  
tia apostolorum lucidior fuit & explicatior,  
q̄ prophetia antiquorū prophetarum, secun-  
dum rationē fidei, quæ in noua lege apertior  
est. Neq; verò prophetia datur tā ad particu-  
larem vtilitatē recipientis, q̄ ad publicā Ec-  
clesiæ: ob idq; nonnunq; hoīes vel aliās ne-  
quā, vel multo minoris sanctimonix altiori  
pollēt dono theologiæ, q̄ alii sanctitate pro-  
uectiores. Regulā ergo hic præscribit Apost. *Regula pro  
pheticæ.* ad quā examinanda, perpendendaq; est pro-  
phetia: nempe vt qui infra lineas fidei prophe-  
tauerint, veri habeātur prophetæ: qui verò il-  
las violauerint, proscribantur vt pleudopro-  
phetæ. At verò de cōstructione orationis nō  
omnino liquet: videtur enim text<sup>9</sup> verbo ali-  
quo orbatus. Sunt ergo qui arbitrātur, in his  
omnib<sup>9</sup> subsequētibus articulis eclipses esse,  
propter neglectum Paulini sermonis, ita vt  
in singulis subaudiēda sint verba, hoc pacto,  
Siue quis prophetiam habet iuxta rationē fi-  
dei, in ea maneat: siue ministerium habet in  
ministrando, in eo maneat, &c. At profectō  
non sunt vsq; adeo vitiosæ eclipses, quin re-  
petitione superiorū verborum facile refician-  
tur. Est enim hæc, explanatio (vti diximus)  
proximè præcedentium verborum / Habentes  
donationes, &c. Hæc autem verba, si ad  
proximam duntaxat sententiam referantur,  
hunc sensum faciunt, quod in corpore mysti-  
co singuli sumus alter alterius membra, ha-  
bentes differentes donationes: siue prophe-  
tiam secundum rationem fidei, siue ministe-  
rium in ministrando, &c. vbi nullius opus  
est suppletionē verbi, cum subintelligatur  
participium / habentes. Sed tamen tunc præ-  
cisè explicatur quo modo sumus alter alte-  
rius membra. Si verò referantur eadem ver-  
ba ad superiorem sententiā / sapere ad sobrie-  
tatem / cui famulari potius videtur stylus ora-  
tionis,

tionis, tunc aliter dispensanda est lectio, sche-  
mate scilicet præceptorio, quod maiorem ha-  
bet energiam: vt sit hic sensus, Qui veluti al-  
ter alterius membra, differētes habemus do-  
nationes, sapiamus ad sobrietatē: siue prophe-  
tiam (videlicet habens) secundum rationem  
fidei (scilicet sapiat) et ita in cæteris: sic videli-  
cet vt in quolibet mēbro discernas inter do-  
num nobis collatum, & modum, quo eo de-  
bemus fungi. [Siue ministerium in ministrando.]  
Hoc est, qui donum ministerii suscepit, intrā  
eandem se functionem contineat. Hoc enim  
secundum est munus, quod ad res diuinas per-  
tinet, nimirum administratio sacramentorum,  
aliorumq; ministeriorū: iuxta verbum Apo-  
stoli, Sic nos existimet homo, vt ministros  
CHRISTI, & dispensatores ministeriorum  
eius. Ad has ergo duas potissimum curas as-  
sumptū se arbitretur vnusquisq; antistes, nem-  
pe ad interpretationem scripture sacre, & ad  
ministrandū. Vnde CHRISTVS, Qui maior,  
inquit, est inter vos, sit sicut minister vester:  
quia nec filius hoīs venit ministrari, sed admi-  
nistrare. Est legēdū eodē supplemēto, quo  
præcedens membrum: puta, siue ministerium  
(scilicet susceperis) in ministrando (nimirum  
modestiam & sobrietatē serues) neq; te sub-  
limius efferas, vt maiora tibi vsurpes. [Siue  
qui docet in doctrina.] Hæc quinq; subsequen-  
tia, non verba, sed participia sunt græcè: quæ  
ideo in hanc relatiuorum faciem vertenda  
erant. Pertinet autem omnia ad humana mu-  
nera & beneficia. Quorum duo priora ad in-  
tellectum pertinent, speculatiuum & practi-  
cum. Quapropter / doctrina / latius patet, q̄ /  
prophetia / extenditur namq; & ad humanas  
sciētias & facultates: per quod etiam munus  
frugi esse quis potest proximo suo. Admo-  
net ergo, vt qui munus accepit docendi, illo  
penitus fungatur, intraq; illius limites coerci-  
tus, se exerceat. Est namq; legendum sicuti su-  
perius membrum / Qui docet (hoc est, qui tā-  
li gratia donat<sup>9</sup> est) in doctrina / scilicet præ-  
stet officiū membri. [Qui exhortatur in exhor-  
tando.] En munus alterum ad scientiam præ-  
cticam spectans. Atqui græcè nomen est / in  
exhortatione / sed tantundem valet. Distin-  
xit exhortationem à doctrina: nam duo sunt  
per se officia: licet in concionatore, qui ad-  
minister est verbi, coniuncta sint. Suggillat  
hic autem Apost. & cōdemnat plurimorum  
vitium, quod proles est superbiæ: nempe eo-  
rum, qui nunquam illo vitæ instituto conten-  
ti sunt, ad quod sunt aptissimi nati, & in quo

Qui non  
sunt sua  
sorte con-  
tenti.

possent maxime vel Ecclesiæ, vel Reipubli-  
cæ esse emolumento, sed satietate nauisitan-  
tes, alias ambiunt rationes viuendi, in quibus  
vel multo minus, vel certè nihil, aut prodesse  
possunt, aut proficere. [Qui tribuit in simplici-  
tate.] Hæc iam exteriora sunt beneficia. Ne-  
que tibi videatur inepta coniunctio simplici-  
tatis cum donatione: est namq; pulcherrima.  
Instituit nos enim his verbis Paul. ad benefi-  
centiam, quæ vt est in Republica maxime ne-  
cessaria, ac subinde Deo gratissima, ita esse  
debet simplicissima, & à liberalitatis virtute  
syncerissime proficiscens, vtputa, quæ nihil  
commixtum habeat, non solum iniquitatis,  
verum neq; respectus ad retributionem, sed  
sit, tum purissima, tum etiam castissima. Sunt  
etenim qui personatis donationibus circum-  
ueniunt fratres: vt pote qui sub imagine mā-  
gnificentiæ, eos qui in crimine fauere possunt,  
aut quomodolibet in rebus turpibus deser-  
uire, seducunt & illectant, quod sanè abomi-  
nabile est scelus. Sunt & alii, minus quidem  
iniqui, sed tamen virtutem liberalitatis cor-  
rumpentes, qui scilicet intuitu aucupandi be-  
neficium maius, beneficos se mentiuntur.  
Cum tamen CHRISTVS redemptor noster,  
non solum vsuram in beneficiis collocandis  
vetuerit, verum & intentionem repetēdi gra-  
tiam pro gratia, Cum facis enim, inquit, pran-  
dium aut cœnam, noli vocare amicos tuos,  
neq; vicinos & diuites, ne fortè & ipsi te re-  
inuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pau-  
peres & debiles, &c. & beatus eris, quia non  
habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi  
in resurrectione iustorū. Inter naturales qui-  
dem philosophos hac penitus ratione malè  
audiebant, qui non sincera liberalitate bene-  
ficia conferebāt, sed scenerabāt potius, quod  
inde efficiebantur ingrati, qui recipiebant.  
Vnde Seneca, Demus beneficia, non scenerere  
mus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogi-  
tauit, cum daret: Christianis autem longè  
speciosior excellentiorq; esse debet puritas  
in largiendo miseris: nempe vt neq; gratitu-  
dinem (quanuis virtus hæc sit in recipiēte) ex-  
pectemus ab illo: quippe cum CHRISTVS ip-  
se cōstitutus sit pro ipsis fideiussor. Sed quid  
fideiussor dixerim? debitorē se perinde con-  
stituit, ac si ipse reciperet. Etenim quod vni,  
inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.  
Et in die iudicii, Esuriui, & dedistis mihi mā-  
ducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere.  
Graue igitur vitium est ingratitude, sed  
grauissimum inter Christianos, non tribuere

Personatis  
donatio.

Luc. 14.

Seneca.

Mat. 23.

in simplicitate, cū quicquid in pauperes profundimus, Deo nostro erogamus, qui sanguinem pro nobis effudit suum. [Qui praeest in sollicitudine.] Quauis spiritualis praesidentis munia prima fronte proposuit, scilicet prophetiam, & ministerium, tamen quia praesidentis vox magistratus omnes, etiā seculares, complectitur, hic inter beneficos meminit praesidentium: quasi beneficiorum genus, quae tribuuntur, in duas personarum species distinguens, scilicet publicas & priuatas. Tribuit enim solertiam suam, & curam subditis suis, quicumque praeses. Sed vide cum alia sint virtutes aliaque praefecturae munia, in vna sollicitudine posuit huiusmodi officium. Etenim qui in functione episcopatus, seu magistratus cuiuscumque sollicitudinem praestat, reliquos numeros dignitatis suae facile explebit. Acerrimo igitur hoc speculo vulnerantur praesidentes, potissimum ecclesiastici, qui vel gregi suo quauis de causa absunt, vel eius curam indormiunt, vel, quod detestabilius est, quam Ecclesiae debent sollicitudinem, eandem seculo manciparunt. Et cum seculares quoque prohibiti sint verbis CHRISTI solliciti esse in crastinum, spiritualibus ipsi rebus praesidentes, ea de uexantur mundana sollicitudine, ut per vanos honores, vanaque huius seculi nomina sua fatagant illustrare sanguinem, non CHRISTI. Obedite, inquit Paulus, praepositis vestris, & subiaceat eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Quod quidem exhortatum dum meditatius mecum reputo, non aliud video ius praetatos habere exigendi subditorum obedientiam, quam quod talem illorum habeant vigilantiam & solertiam, qualem habere debent, qui redditori sunt rationem effusi cruoris IESU CHRISTI, in animarum precium. Quocirca iudicium Dei existimo, ac iustam ultionem & vindictam, quod postquam neglexere eiecerique prorsus praetati sollicitudinem Ecclesiarum, siuerit plebes in eam abire rebellionem aduersus summas Ecclesiae dignitates, qualem alias nunquam viderunt orthodoxorum oculi. Et, quod indolendum est maximè, nullus est in Ecclesia, vel dolor, vel sensus tam ingentis calamitatis. Pau. quidem, qui instantia quotidiana, sollicitudineque omnium Ecclesiarum agebatur, Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vrer? Nos autem, quos nulla tangit sollicitudo, dicere tam impudenter possumus, quam verè. Plurimi perditissimis erroribus iugulantur, & nos non sentimus. Plurimi scandala exuruntur, & nulla nos charitate calescimus. [Qui miseretur in hilaritate.] Post misericordiam eorum propriam, qui praesunt, dicit in genere de misericordia, quae omnibus est communis. Et est luculentior repetitio ac explanatio illius, quod dixerat. Qui tribuit in simplicitate. Tribuere enim, qui actus est liberalitatis, & magnificentiae, Paul. Christiano more appellat officium misericordiae, quod absque villo intuitu humano ad subleuandum miserorum inopiam exhibendum est propter Deum. Est autem misericordiae splendor & fulgor hilaritas & alacritas, quae tam est miserenti necessaria, quam est misero grata. Etenim cum dare & abalienare à te quod tuum est, tristitiam suapte natura inferat, nunquam habitus misericordiae rem gradumque virtutis obtinebit, quoad usque, huiusmodi aegritudine depulsa, officio hilarescat miserentis animus. At qui cum egestas & calamitas morore semper affligat miserum cor, tunc maximè illud eleuatur, recreaturque, quando receptum beneficium, fuerit cum alacritatis gratia collatum. Qui enim illud, subductis supercilii, corrugataque fronte, parturit, gratiam virtutis perdidit: quoniam (auctore Seneca) nemo libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Et Chry. Quomodo eum, qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles. Nam quoniam nihil adeo videtur hominibus turpe, ac ab aliis accipere, nisi excellenti hilaritate suspensionem illam sustuleris, ostenderisque quod magis accipias, quam des, magis deiciet accipientem, quam refocillabis. Sic & vidua multa talenta, duobus obolis superauit: larga siquidem mente dedit. Potest enim quis & in paupertate, magni, & in diuitiis, pusilli animi esse. Hæc ille. Adde quod cum ornamentum huiusce virtutis misericordiae, potissimum sit celeritas: iuxta illud proverbium, Qui cito dat, bis dat: fit, ut sit maximè necessaria hilaritas, sine qua esse promptitudo animi nequit: qui enim tardè fecit, diu noluit. Adeo ut alacritas, pro ipsa etiam voluntatis celeritate usurpari soleat. Vnde Seneca, Gratus aduersus eum quisquam esse potest, qui beneficium, aut superbe iniicit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit. Simile documentum inculcat Apost. Non ex tristitia, neque ex necessitate. Hilarem enim datorè diligit Deus. Et Sapient. In omni dato hilarè fac vultum tuum.

Dilectio sine simulatione, odientes malum,

TERTIA  
PARS  
CAPITULI

malum, adherentes bono. Tertiam (vtdiximus) possumus hic sectionem huius capituli designare, pro eo quod ad officia charitatis fit transitus, quae communia sunt & mutua inter membra vniuersae Ecclesiae Christianae, quinimò inter vniuersos mortales. Tamen si hoc loco radicè quoque aperit Paul. & fundamentum officiorum omnium, quae haecenus praememorauit, vtrupta charitatem: quam qui habuerit, neque segnis erit in ministrando, neque in docendo negligens, neque in exhortando remissus, neque duplex in distribuendo, neque deses dum praestit, neque dum miseretur gestus, sed omnia affatim praestabit: si tamè vera sit eius dilectio, & non simulata. Nam charitas, patiens est, benigna est, non querit quae sua sunt, non irritatur, omnia suffert, omnia sustinet. Circumscribit ergo dilectionem, quae vera, puraque est, eandemque veluti mundo suo muliebri circumamicit: idque luculentissima oratione, quam per tredecim membra distribuit. Tribus his igitur primis, substantiam charitatis statuit. Et quia verum contra falsum & simulatum distinguitur, veluti aurum contra auricularium, & vera persona contra illam, quae aurum in comedia, ait primum omnium. [Dilectio sine simulatione.] Frequentissimum est Hebraeis verba subterfere: supplendum ergo est hic, sit vobis. Habent enim articuli isti omnes praeeptionis formam. Igitur simulata dilectio est illa, quae externè verbis & gestibus effigiatur, intus autem re caret. Vnde Ioan. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Nam (teste Gregorio) inditium amoris, exhibitio est operis. Et Sap. Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum. Imò, cum fictio alioqui ois, & mendacium, res sint Deo inuisibilis, nihil potest illi offensius excogitari, quam simulatio fucatae charitatis: propterea, quod ipse, ipsissima est charitas. Adde nihil esse exitiosius in Republica ficto amico: nam ubi te securus illi credideris, facile in insidias incidas palliati hostis. [Odientes malum, adherentes bono.] Damna simulatione falsa charitatis graphicam diffinitionem illius, quae vera est, subiungit duobus his subiectis membris. Etenim cum habitus ab obiecto contrahat speciem: obiectum autem dilectionis sit bonum (sicuti & odii, contrarium malum) optimè describit veritatem charitatis, per hoc, quod ait. Odientes malum, adherentes bono. Planum est autem de eo quod verè malum est, de quo eo quod verè est bonum, sententiam hanc esse prolatam. Est enim vterque adeo verum, quod

propriam obiectum amoris est bonum, ut nullus vnquam amor, cuiuscumque sit generis, ferri in rem possit, nisi sub ratione aliqua, vel veri, vel apparentis boni. Quò fit, ut ille quoque, qui turpi adactus est voluptati, cuidam adhaereat bono: nempe secundum sensum, vel secundum fictam rationem. At verò in bonum legitimum, non nisi per virtutem ferimur. Quin verò, cum tria sint bonorum genera, scilicet, vtile, delectabile, & honestum. De hoc postremo loquitur hic Apost. Est enim bonum honestum, idem quod honorificum, utpote cui proprie debetur honor, ceu genuino virtutis obiecto. Vtili autem bono haud utique fas est adhærescere: quauis illud obiter, & in transitu liceat, propter aliud concupiscere. Dicitur enim vtile, quod condecens est & commo dum ad consecutionem finis, qui est bonum honestum. Qualia sunt hæc temporaria & lubrica bona. Ob idque, veluti medicinis, ita sub certo pondere & mēsurā vtendum nobis est illis, quantum par est ad vitam necessarium subsidium, per quam tendimus in bonum honestum. Delectabile autem bonum haud per se habet bonitatis rationem, sed ab alio bono eam trahit, ex quo innascitur. Quocirca (auctore Aristotele) talis est delectatio, qualis res illa cuius possessione captatur. Est enim voluptas de re illicita, lætifera: de re autem vtili, utilis: sed illa quae à virtute expetitur, vera est & legitima: at illa denique optima, quam beatorum chori de diuina praesentia suscipiunt. In summa bonum cui adhærendum est, solus est Deus: siquidem nihil amandum verò est, nisi, vel ipse, vel tandem propter ipsum. Meritissimò ergo Paul. non dixit simpliciter, diligentes bonum, sicuti dixerat, odientes malum, sed, adherentes bono, hoc est, confixi, & veluti adglutinati, & compacti in id quod honestum est: sicuti de se dixerat, Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Nempe ut quicquid in vita tractemus, ad illius normam exigamus. Est ergo saluificum hoc documentum apostolicum, ut sic semper inter bonum & malum vigilanter discernamus, ut neque odium mali amorem lædat boni, neque amor, malum vllum permisceat cum bono, sed sit syncerus ac purus. Nimirum ut ita odio habeamus peccatum in proximo, ut tamè personam bene precemur, opitulemur, & subueniamus. Rursus, ut amicos eatenus diligamus, quatenus lex honestatis permittit. Videlicet ne amor eius & necessitudo in aliquod nos pro pellat facinus, quod sit contra diuinam voluntatem.

Obiectum vult  
luntatis, bonum.

Triples  
bonum.

Simile à  
medicinis

Delectabile  
bonum.

Ethi. 10.

Soli Deo  
adherendum.

Saluiferum  
documentum.

Praetorū  
sollicitudo.

Mat. 6.

Heb. 13.

Iudicium in  
temporano-  
stra.

1. Cor. 11.

Miserico-  
di. e. hilar.  
145.

Charitatis  
facultas.  
1. Cor. 13.

Seneca.

Luc. 11.

Celeritas  
necessaria.

Seneca.

1. Cor. 9.

Ecc. 35.



*Mat. 10.* tatem. Is enim legitimus est sensus illius, Qui non reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, propter me, non est me dignus. Sensus, inquam, est, Qui aliqua carnis necessitudine inductus ut meam violet amicitiam, non omnia tunc potius foedera, ac sanguinis coniunctionem, & vincula abruperit, non est mea gratia dignus.

Charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem praeuenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes. Tribus iam ergo membris de substantia charitatis praefixis ad alia descendit, quibus qualitates, conditiones, numeros & ornamenta eiusdem patefacit. Quorum haec quatuor respectum habent ad proximos. Et primo proponit aequalitatem interni amoris, quo debent esse inter se Christiani. Etenim cum in Republica diuersae sint necessitudines & amoris respectus, puta superiorum ad inferiores, & inferiorum ad superiores, praecipit nihilominus, ut tanquam fratres nos omnes aequalitate quadam amoris mutuo prosequamur. Non quod gradus, qui inter homines extant, velit permiscere & confundere, sed quod respectu Dei omnes sumus fratres. Nam si naturam spectes, omnes ab eodem opifice conditi sumus, eodem orbis domicilio cohabitantes, eodemque aere refocillamur, & alimur et victu, eandem utique imaginem creatoris gestamus. Si vero gratiam suspicias, eodem nos CHRISTVS redemit sanguine, eodemque idcirco Christiani omnes baptismo sumus regenti sub gremio vnus matris Ecclesiae, eodemque pascimur, ac potamur sacramento corporis & sanguinis CHRISTI. In summa vnus Deus omnibus, vna fides, vnum baptisma, atque adeo vna colligati religione, quin etiam vnus corporis membra. [Charitate fraternitatis inuicem diligentes.] Nonnulli textus habent/charitatem/in accusatiuo. Sed tamen graece non est, nisi/charitate. Et est impendio quam probabile, sic prorsus scripsisse Paulum. Id quod patet per subiunctam voculam/inuicem/ haud enim inuicem diligimus charitatem, sed nos mutuo per charitatem. Et praeterea, quia eandem praeseferunt effigiem subsequentia membra/honore inuicem praeuenientes/&c. Tamen nonnulli superlationis gratia ad maiorem vehemenciam dictum esse existimant/charitatem/per accusatiuum, eo quod non solum nos ipsos, sed & charitatem quoque debeamus diligere. At profecto non videtur

huc Pau. respexisse. Ambr. enim non legit, nisi/fraternitatis amore inuicem benigni/quod & oēs ferè enarratores, tam Graeci, quam Latini propendunt. Quin & verbum adiectum graece id demonstrat: haud enim est participium/diligentes/sed nomen φιλόστοργοι, quod est, ad mutuum amorē propensū. Imò verò quauis ad omnem amicitiam & beneuolentiam se se hoc nomen expandat, eum tamen proprius significat eximium amorem, quo sunt parētes in filios. Itaque utroque nomine curauit iubendum nobis maximè commēdandumque nostrū inter nos amorē, ut scilicet sit ea equalitate, quae est inter fratres, eo tamen ardoris affectu, qui est parētum ad filios. Hac enim de causa in Ecclesia nullo se alio nomine salutabant olim Christiani, quam fratris. Qui mos iam nunc inter solos est monachos: reliqui autē dicuntur proximi: nempe quod in vno parēte nostro Deo debemus nos diligere, cuius nexu, plusquam propinqui sumus. Vnde illud Ioan. Si quis non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et, Si quis habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessē habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Attamen quantum ad culmen, caloremque dilectionis imitari debemus caput nostrum, cuius praecceptum est, ut diligamus inuicē, sicut ipse dilexit nos. [Honore inuicem praeuenientes.] Inter externa amoris officia merito primo loco honorem collocat, primū quod hic virtutis est praemium: mox quod cum eum ipsum plurimi faciāt mortales, plurimū quoque refert ad praedendas amicitiae fores, ad eandemque contrahendas, instaurandas, retinendasque & percolendas. Et praeterea quod cum honor, quem frater deserit fratri, referatur in patrem, honor habitus proximo, Deo ipsi exhibetur. Nomen graecum, ἀπονομήναι, ancipitem facit orationem, scilicet/honore inuicem praecellentes/&/honore praeuenientes/at nulla est suspitio, ut Pau. incitaret gloriosos Romanos ad ambiendam honoris excellentiam. Quo circa vniuersi citra discrimen enarratores subscribunt interpreti nostro/praeuenientes. Sed vide non ait/honore inuicē reddentes/sed/honore praeuenientes/ ut paritatem fraternitatis exponat. In Republica quippe ciuili maiores non praeueniunt honore subditos, sed ab illis eum expectant exiguntque: at inter Christianos non sic, sed exemplo illius, qui pedes discipulorum primus lauit, quod quisque superior est, eo debet officiis inferioribus

*Ambr.*  
*Comēdatio fraternitatis.*  
*Christiano rō salutatio.*  
*Ioan. 4.*  
*Ioan. 1.*  
*Ioan. 13.*  
*Honore comēdatio.*  
*Honore praecue.*  
*Ioan. 13.*

*Ioan. 13.* rioribus anteire. Nam hoc est, inquit, praeciptum meum, ut quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. At neque iidem sunt, neque verò pares honores, quos sibi inuicem debent Christiani, sed sub honoris notatione omnia munerata, beneficiaque et obsequia audiamus oportet, quae suo quisque gradu & ordine alteri debet. Praeueniat igitur filius patrem obsequio & reuerentia, & ubi necessitas inciderit, re etiam & subsidio: pater verò, filium educatione, correctione, consilio, & necessario victu. Praeueniat dominum subditus veneratione & obedientia: subditum autem dominus, munificencia & fauore. Profecto si Paulum attēta mente intonantem audieris/Honore inuicem praeuenientes/audire tibi hominem videaris, omni nos cura sollicitantem, feruentique pectore instigantem ac perurgentem, ne vlla nos praetereat occasio, sed simus perurgiles ad conglutinandas aggregandasque species omnes amicitiae, quibus fouetur Christiana familia. Ob idque subdit. [sollicitudine non pigri.] Etenim quoniam/praeuenientes/idem est quod, impigre, sollicitēque percurrētes, subdit/sollicitudine non pigri/hoc est, non desides, non somnolenti ac socordes, sed illa solertia & vigilantia culturae charitatis instantes, ut mutuis officiis alter alterum praeueniat. [spiritu feruentes.] Quemadmodum anima causa est corpori, tum membrorum corpora paginis, tum ut singula sua promptè munia expendant, ita & in anima est spiritus ad compingendos Christianos charitatis glutino, excutiendumque omnem torporem ac teporem, ut praesto sit quisque subleuandis fratrum indigentis. Et ideo postquam adhortatus est Romanos ad officia charitatis impigre praestanda, subdit/spiritu feruentes. Et est allusio ad ebullientem aquam, cui internus calor requiescentem non permittit, sed eam motitat concitatissimè. Huius enim instar nos exercent affectiones nostrae: tum praua, ut ira & turpis amor: tum honesta, & maximè illa, quae spiritu Dei suscitantur. Quamobrem (ut August. serm. de blasphem. author est) Spiritus sancto & igne baptizandos aiebat Ioan. Christianos. Et CHRISTVS, Ignē, inquit, veni mittere in mundum: & alibi, Refrigescet charitas multorum. Hucusque Aug. Hoc ergo qui carent spiritu, veluti lethargo indormiunt, & turgescunt hydropisi, paralyticique dissoluuntur. Confestim namque Christiani, diuino abeunte spiritu, gelati, somno capiuntur rerum huius seculi, indeque superbiae tumore inflati, dissociari a

*Honore diuersi.*  
*Comēdatio fraternitatis.*  
*Christiano rō salutatio.*  
*Ioan. 13.*  
*Ioan. 1.*  
*Ioan. 13.*  
*Aug.*  
*Lit. 12.*  
*Mat. 24.*  
*Qui carēt spiritu sancto.*

se inuicem pergunt. Nam vnusquisque quae sua sunt querentes, suaque singuli defensores placita, Christiana foedera rumpunt, vnitatemque fidei, incōsuetilem IESV CHRISTI tunicam, discindunt, peiores militibus illis, qui eatenus sunt illam venerati, ut antequam diuiderent, sortirentur de illa. Identidem imago praesentium temporum huiusmodi nobis offert meditationes.

Domino seruietes, spe gaudētes, in tribulatione paciētes, orationi instātes. Haec iam quatuor praecceptorum membra ordinem proximè habet ad Deum. Tamen si a finitas graecorum nominū/καί τῷ καιρῷ/temperi/domino/amphibologiam creauerit, vtrū dixerit Paul./temperi seruietes/an/domino seruietes. Sed nota, ut isti neoterici quamcunque captent nouitatis ansam. Quonia vnus Ambro. legit/temperi/haec illis magis arridet lectio, contra doctorū, tam Graecorum, quam Latinorum vniuersitatem. At verò alii/seruire tempori/Ambrosiū imitati, pro eo vsurpant, quod est, aptis locis & temporibus, penesque personarum qualitate, de fide & religione loqui, ac caetera praestare charitatis officia. Alii verò/temper/pro occasione accipiunt, ut secundum antiquum philosophorum proverbium, nullam permittamus occasionem elabi ad bene agendum, sed omnē obseruamus opportunitatem, ubi possim siue beneficia nostra, siue officia collocare. Attamen profecto nulla, vel quae tenuissima est, huius lectiois probabilitas, sed est constantissimū, Paulinā esse/Deo seruietes. Nam praeterquam quod haec lectio iam vniuersim extat, tam graece, quam latine, argumentum firmissimum est, semper sic extitisse apud Graecos, tum quod vniuersi eiusdem linguae ita incunctanter legunt, tum quod & ipse idē Ambr. qui latine reperit/temperi seruietes/satetur graece existere/dño seruietes. Et vice versa cum Orig. legat/dño seruietes/vel ipse, vel eius interpres affirmat, id quod in nonnullis Latinorum exemplaribus ponitur/temperi seruietes/inconueniēter esse insertū. Et ad Marcellā Hiero. in eos profecto acriter inuehitur, qui tali vtuntur lectioe. Et quod ait Ambr. huic loco non competere/dño seruietes/eo quod cum singula obsequia & seruitia Dei sint haecenus commemorata, non opus erat subiungere, veluti in summa/Deo seruietes/hoc, inquam, profecto (salua grauissima eius autoritate) vsque adeo parum mouet, ut contraria ratio sit congruentissima. Nam cum haec superiora opera & seruitia diuersa

*Philipp. 2.*  
*Incosuetile Christianitica.*  
*Mat. 27.*  
*Domino seruietes.*  
*Hiero.*

intentione & proposito praestari ab homine possint, commodissima utiq; fuit, & opportunè adiecta doctrina, ut sic simus sollicitudine nō pigri, & spiritu feruentes, ut in diligendis honorandisq; fratribus arbitremur, nos non mūdo, nec carni, sed vni Deo seruire.

Chryso.

Nam quicquid (ut ait Chry.) in fratrem feceris, in dominum tuum pertingit, & quasi ipse bene abs te affectus esset, ita tibi mercedem repondet. Hæc ille. Itaque instituit nos Paul. quemadmodum in Deum omnis referenda sit virtus nostra. Nam aliter perpetuò durare nequit, vel sollicitudo charitatis, vel feruens spiritus. Sed quādo nulla alia esset coniectura, legendum esse domino seruientes / subsequens particula id facit manifestum. [Spe gaudentes.] Seruit enim quisque domino suo spe mercedis: quæ quidem spes, licet ratione dilationis affligat: iuxta illud, Spes quæ differtur affligit animam, tamen ratione certitudinis gaudium parit: tum praesertim quando certitudo autoritate Dei innititur. Quam ob causam cap. 1. dixit, iustū ex fide viuere, & cap. 5. iustificatos ex fide gloriari in spe gloriæ filiorum Dei: neq; id solum, sed in tribulationibus: quoniam tribulatio patientiam operatur, &c. Eademq; rursus ratione, & in praesentia cum gaudio spei componit, & patientiam in tribulationibus subdens. [In tribulatione patientes.] Etenim (ut illic adnotabamus) tamen et si spes secundum philosophos, nō sit, nisi de futuris bonis, gaudium autem de praesentibus (sicuti tristitia de praesentibus malis) tāta est tamen firmitas spei nostræ, ut longè superet propellatq; tristitiam praesentium malorum. Vnde sancti, non solum sunt tribulationum patientes, verum etiam atrocissimis ipsis tribulationibus delectantur. Virtus enim non est hoc nomine digna, quoad usq; sit cum alicritate coniuncta: nam quāmdiu cum incertitia sit, non potest esse in opere promptitudo: vnde illud, Hilarem datorem diligit Deus.

Proh. 13.

At verò ne nobis nosmetipsis gloriam usurpemus victoriæ aduersus tentamenta, appositissime subdit. [Orationi instātes.] Hoc est, ab eodem Deo nostro, cui seruimus, vires ipsas efflagitātes, quibus in obsequio sustentemur. Plurima enim nobis, eademq; præclara emolumenta confert orationis sedulitas. Primum siquidem nobis nos ipsos representat, ut nostram ipsorum tenuitatem infirmitatemq; et indigentiam cognoscentes, abiectiones nos reputemus, atq; adeò à nobis ipsis despecti submittamus nos supplices Deo. Secūdo per

2. Cor. 9.

Orationis virtus.

orationē Deum pluris estimamus, eundemq; religiosius suspicimus, utpote à quo tum suppetias petimus, tum deniq; speramus præmia. Et tertio eisdem precationibus, pro quanto à charitate proficiuntur, eadem meremur, quæ petimus: ac deniq; quatenus eius gratia & fauore oramus, sanè qui ad orandum nos tantopere instigat, orationibus ipsis obtinemus, ea quæ ad gratiæ cultum & incrementū conferunt. Postremò per orationem ei cuncta nostra beneficia accepta referimus. Ob idq; non ait solum orantes / sed orationi instātes / hoc est, iugiter ac sedulò improbeq; orātes: iuxta verbum CHRISTI, Oportet semper orare, & nunquam deficere. Haud enim solo CHRISTI testimonio tā crebrò nos ad orandum instigantis, verum longissimo vsu & more compertū habuere semper viri sancti, frustra Christianos accingi ad colendam religionem sine assiduitate orationis: neque vllum vnquam altius fuisse sanctimonia promotum, q̄ fuerit in oratione perseverans.

Luc. 18.

Necessitatibus sanctorum communiantes, hospitalitatem sectantes.

Post generalia officia beneuolentiæ descendit ad illa quæ in quasdā singulares personas amicorū conferuntur, quales sunt & sancti & hospites. Ambro. pro ablatiuo necessitatibus / legit / memoriis. Et ita vel Orige. vel eius interpret ait, meminisse habere in exemplarib⁹ Latinis. Et potuit similitudo vocum grecarum / μνησις, memoriis / χριστιανισ, necessitatibus in causa fuisse, ut alterum pro altero transcriberetur. Sed neq; sensus vsq; adeò differunt, quin sint magis affines, quàm voces. Ambr. enim duobus modis hoc interpretatur. Priori, ut illi dicantur sanctorū memoriis communicantes, qui amuli sunt vitæ sanctorum, quasi ipsorum semper memores. Posteriori, ut illi sint sanctorum memores, quī in sanctorum sumptus bona sua erogāt: nam & isto maximè modo in memoria habemus sanctos. Quo quidem secūdo sensu ad lectiōnem alludit nostrā, legimus / vsibus / seu / necessitatibus / quam ferè Patres in vniuersum sequuntur. Vnde Orig. & Chry. & Theophyl. verbum obseruant / communicantes / nempe quòd non est Paul. contentus dicere / subuenientes / sed ait / communicātes. Nam dum necessitatibus vsibusq; sanctorū succurrimus, quasi mercimonium exercemus. Etenim si stipem præbemus, spem remunerationis concipimus, atq; adeò censum cum illis habemus

Ambro.

communem. Atqui quòd ait / sanctorum / bifariā interpretari possumus. Vno scilicet modo, ut ordo hic designetur charitatis: nam in elemosynarum dispensatione sancti & iusti cæteris paribus præferendi sunt: tum quòd ratione suæ probitatis digniores sint, tum etiā quòd sint suis orationibus fructuosiores. Vnde de CHRISTVS, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, accipiāt vos in æterna tabernacula. Haud tamen cogitauit Paul. pauperes, qui extra gratiā Dei viuunt, iure expoliare petendi recipiendiq; elemosynas. Illud nanq; Sapiētis, Da iusto, & non recipies peccatorem, haud sic audiendum est, quòd peccatoribus non sit etiam largiendum, sed secundum interpretamentum Augustini, quòd non est illis opitulandum in perniciem eorum, puta ad fouendum eorum peccata. Potest nihilò minus altera esse intelligentia huius Paulini verbi de sanctis peculiariter, qui erant Hierosolymis, vel alibi etiā forsā cultui diuino dicati: qui, cum nō essent tunc decimarum prouentus, alendi erant piorum elemosynis. Nam de beneficentia in genere iam supra dixerat / Qui miseretur in hilaritate. Harum etenim elemosynarum, quæ colligebantur pro sanctis, meminit infra cap. 15. Vbi ait, quòd Macedonia & Achaia probauerunt collatioem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Et ad Gal. ait, sibi & Barnabæ negotium esse datū pauperum. Et ad Cor. De collectis autē quæ fiunt in sanctos, sicut ordinauit Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. [Hospitalitatem sectantes.] Ne per omnia pietatis officia sermonē protraheret, vni⁹ meminit hospitalitatis, quæ est omnium, tum amplissimum, tum ideo clarissimū. Enimuerò qui hospitalis est, ad hoc pauperes sub testum recipit, ut famelicū refocillet, nudum induat, infirmum recreet, & quauis alia re indigenti prospiciat. Hac enim de causa nō solum apud sanctos patriarchas veteris testamenti, ut Abraham & Ioth, & reliquos tanto fuit semper in precio hospitalitas, verum & apud Gentes nullum fuit præclarius beneuolentiæ, vel inditium, vel munus. Adeò ut Ioui ipsi hoc hospitalitatis epithetū fuerit inter alia celeberrimū. Qua de re in primordiis Ecclesiæ summa impēdebat opera variis xenodochiorum generibus extruendis, aduenisq; & peregrinis consolandis. Etenim quòd nam esse potest, vel inter Christianos praesertim, euidentius charitatis documentum, quàm illos qui non parentibus modò,

Luc. 16.

Ecclesi. 12.

Gal. 2. 1. Cor. 16.

Lucus hospitalitatis.

sed patria orbati, omniq; praesidio destituti in alienis regionibus oberrant, illis visceribus tractare, quibus Deus ipse factus est pro nobis peregrinus in terra, neq; foueam cum vulpibus habens, neq; cum auibus nidum, neque verò præter crucem locū alium, vbi moriens reclinaret caput? Hac ergo de re hic Paul. non satis arbitratus est dicere / hospitalitatem exercentes / sed ait / sectantes / nimirum quoniam neq; satis existimare deberet Christianus, aduentantibus ad se ostium pandere: at deberet, exemplo Abraham & Ioth, in vias & campos prodire, ut obuios quosq; pro facultate sua, domum adduceret, qua charitate aliquando mereretur angelos Dei hospitio suscipere. Tractauimus autem hunc locum locupletius in deliberatione nostra de pauperibus ad Principem Hispaniarū. Vbi protenuitate institutum illud taxare & proscribere conatus sum, nonnullis locis receptum, ut peregrini pauperes tempore necessitatis nō nisi in triduum recipiantur ac tolerentur. Enimuerò licet ordo charitatis hoc postulet, ut nostris citius, quàm alienis succurramus, & qui non potest, non teneatur alienigenis prouidere, tamen non possunt pauperes iure, quod habent, naturali & euangelico, priuari, quocunq; discurrendi, & vbiq; manendi, & cuiusq; exponendi miseria suas & calamitates, nisi essent forsā, vel sine necessitate vagabūdi, vel insidiatores, vel quomodocunq; aliter criminosi: id quòd copiosius illic, vrgentiusq; perstrinximus.

Mat. 8.

Gen. 18. & 19.

Non sunt peregrini elumīdi.

Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Hic fecimus sectionem quartam huius capituli, ob id quòd digressio sit ad officia, quæ præstanta sunt inimicis: quæ sexdecim membris ab Apostolo distinguuntur. Cum enim tribus maximè demereri possimus inimicos, scilicet, beneuolentia, concordia, et beneficentia, duo hæc prima pertinent ad beneuolentiam, ac sex deinde proxima ad concordiam: sed octo postrema ab illo verbo / Nulli malum pro malo / spectant ad beneficentiam. Hic autē locus de fonte illius doctrinæ CHRISTI promanat, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum. At recentiores isti traductores, despicientes verbum / benedicere / aut vertūt / bene loquamini de his qui vos insectantur / aut / bene precemini iis. Sed profectò dum verborum nitorem affectant, veritatē sententiæ vitiant: nam bene lo

QUARTA PARS CAPITULI.

Tribus bene meremur de aliis quo.

Mat. 5.

qui de aliquo, non nisi ad laudes eius prædicadas attinet. Bene aut precari, id est, quod bona aliis optare vel postulare: at verò benedicere, vtrūq; cōprehēdit. Quocirca, licet Chry. et Orig. benedicere exponāt, pro hoc quod est bene precari, textus tñ simplicitet & syncerē trās scribēd<sup>9</sup> est vt iacet græcē. Est enī græcē /ευλογειτε/ qđ est /bñdicite/ & c. vñ sua generalitate oēs ambiat modos benedicēdi. Et certē multò minus conueniebat trāsferre bene loquamini de his, & c. Nā vt ipse, qui sic trās fert, in suis annotationibus, confite tur, nō iubet hic Pau. vt laudem<sup>9</sup> insectatores nostros: bene autē loqti de aliquo, nihil aliud est, qđ ipsum laudare. Tria ergo nos in genere admonet Pau. verbo benedicendi, scilicet, vt corde & ore bona optemus & precemur inimicis nostris, puta respicientiā, & salutē aīæ. Deinde vt blādē et leniter eos admoneamus, dulciq; respōso eorū irā restinguamus, ac deniq; eorū, si quas habēt virtutes, laudibus cōmendemus. Hac enim ratione (vt ait Chry.) multa acquirimus lucra. Primū enim multū erga CHRIS TVM demonstramus amorē, dum eius causa nihili iniurias facimus: deinde fidē alterius vitæ profitemur, pro eo quod respectu illius pro nihilo ducim<sup>9</sup> humana bona: ac tertio inimicos ipsos euincere, ac nobis deuincere curamus. Sed perspicite quāta sit in Paulo exaggerationis vehemētia: non enim cōtēntus fuit docere sic nos cū philosophis, Nolite iniuriarū meminisse, sed sit vobis earū obliuio. Neq; verò satis habuit dicere benedicite maledicētib<sup>9</sup> / aut bene precamini malē precātib<sup>9</sup> / sed exigit, vt si qui nō solū dicitis, verū factis nos, extremisq; iniuriis insectātur, eis nos contra, non modo nullum referamus nocumentū, verū, benedicamus, hoc est, honorē, vt beneuoli deferamus. Hac autē affirmatoria admonitio duobus modis est in præcepto, extra quos casus relinquitur sub consilio. Est enim præceptum, ne inimicos à dilectione & oratione generali excipiamus. Si enim tamē, dum quis petit quotidianū panē, aut aduētum regni in oratione dominica, excluderet inimicos, delictū esset: multoq; grauius, si id faceret sacerdos in sacris: nam à dilectione proximorum nemo excipitur. Vnde in tēpore necessitatis, qui secundus est casus, tenemur quoq; inimico succurrere: secundum illud, Si occurreris boui aut asino inimici tui errātī, reducas eū, Deū quidē imitātes, qui generali prouidentia naturæ, solē suū oriri facit super bonos et malos. In orationibus autē & subuentiōibus peculiaribus ac liberis, nō qui

Chry.

Exo. 23

dē est præceptū, sed tñ est consiliū, inimicorū quoq; meminisse: exēplo CHRIS TI, qui pro inimicis exorauit. Dū aut inimicus respiscit, misericordiā petēs cum satisfactiōe, præceptū est, in amicitia eū recipere, ita nos enim CHRIS TVS orare patrē instituit, vt dimitteret nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debito ribus nostris. Hac autē inimicorū dilectio, sic exposita, quāuis fuerit CHRIS TI verbis in Euangelio expressior, latebat tñ in iure naturæ, sicuti reliqua moralia præcepta. Quod enim ait, dictum esse antiquis, Odio habebis inimicum tuum, non sic intelligendum est, vt illud esset in lege, sed quod cū præcisē habeatur, Diliges amicum tuum sicut teipsum, Pharisei interpretabantur, odio habendos inimicos. Vnde quod subiungit, Ego autē dico vobis, diligite inimicos vestros. Et, Orate pro persequētib<sup>9</sup> vos, quod hic Pau. ait benedicite / reuelatio est præceptiōis, quæ delitescerat in iure naturæ, nondū satis philosophis cognito. [Benedicite, et nolite maledicere.] Sicuti supra dixit, Odiētes malū, adhærētes bono / ita & hic non satis duxit, cōmendare nobis benedicentiā, sed deterret nos etiā à maledicentiā: nepe vt bñdictio et beneuolētia nostra syncera castaq; sit. Sūt enī qui impuro sūt, dupliciq; aīo, qui videlicet, vel iuxta dictū psal. ore loquuntur pacē cū proximo suo, mala autē in cordibus eorū: vel nō secundū rationis normā, sed prout sibi, vel cōducit, vel libet, nūc bñdicūt, statimq; maledicunt: iuxta illud, Ex ipso ore procedit bñdictio & maledictio. Et subdit, Nō oportet fratres mei hac ita fieri. Nūquid fons de eodē foramine emanat dulcē & amarā aquā. Cōtra hoc autē documentū vidētur viri sancti sæpē maledixisse, tā hoīb<sup>9</sup>, qđ infenlatis rebus. Maledixit enī Helias in noīe dñi pueris qui ei illudebāt, quos ideo vrli lacerauerunt. Maledixit & Iob diei natiuitatis sue. Quinimò & Pau. ipsi sacerdoti, Percutiet te paries dealbate. Respōsio autē est facillima, quod maledicere alteri, optādo illi, precādo ue malē, formaliter (qđ aiūt) hoc est, ea penitus intētionē, quæ in malū illi<sup>9</sup> fertur, nō licet: sed tñ optare alteri malū, qđ philosophi vocāt, materialiter, intētionē boni, quādo via et ordine fit, tūc legitimū est & bonū. Siue id fiat enūciādo veritatē, quæ necessariò adiacet rei: veluti Iob enūciāuit malignitatē præsentis vitæ: siue proferēdo sententiā contra iniquos, vt, Maledictus, qui nō permanet in sermōib<sup>9</sup> legis huius: siue eorū pœnā in honorē Dei prophetādo, vt fecit Esa. siue corripēdo, vt fecit Paul. Quāuis si sciisset esse facer

Luc. 21.

Mat. 6.

Leu. 19.

Mat. 5.

Psal. 17.

Iaco. 2.

4. Reg. 2.

Iob. 3.

Act. 23.

Maledice- re, qua ratio licet.

Deut. 27.

dotem, abstinuisset. Quinimò ad defensionē nostrā optare etiā possumus hostium exitiū, vt quos & bello quoq; petere licet. Mala autem culpæ & supplicia inferni nemini optare possum<sup>9</sup>. Eset enim hoc, optare, vt quis esset inimicus Deo, quod charitati repugnat, quæ est à nobis diligendus. Haud tamen inde colligas (vt quidā nimīū boni arbitrantur) ne utiquam licere nobis inuasorē occidere, quem credimus in peccato esse: nam aliās neq; Turcas ius permetteret nobis debellare, neque obduratos hæreticos comburere. Gaudere cum gaudētib<sup>9</sup>, flere cum flentibus. Id ipsum inuicem sentientes. Post monita beneuolētiæ subscribit tria alia, quibus cōcordia cōstat, vigetq; inter fratres, & quæ maxima sunt charitatis testimonia. In græco infinitiuus est /gaudere/ sed quia solēt Græci infinitiuo vti loco imperatiui, trāsferunt nonnulli per imperatiuū /gaudete/ & alii per gerundium /gaudendū. At simplicior translatio est per infinitiuum, vt sicuti græcē, ita & latinē suppleatur alterum verbum, scilicet /gaudere oportet. Patescit enim manifestissime membrorum colligantia in vno corpore, quando affectione vnus afficiuntur & reliqua omnia: vt de prosperitate amici vnā cum illo gaudeamus, contristemurq; illi de sua aduersitate. In summa, hoc docet hic Pau. quod prædicabant philosophi, Amicus alter ego. Nisi quod sale Christianæ sapientiæ condienda est hæc sententia. Haud enim letandū nobis est, vbi cunq; latatur proximus, neque quocunq; mœrore cōmunicandū nobis est cum illo, sed iuxta charitatis præscriptū, quæ non congaudet super iniquitate, congaudet autē veritati. Si enim eorū quispiā, qui (iuxta prouerbium) latantur cū malē fecerint, exultat de vana huius seculi prosperitate, per iniquitatē parta, aut de vindicta per iniuriā obtentā, aut de quouis alio malorū genere, potius nobis indolenda est eius miseria, qđ illo turpi gaudio aspergamur. At dū quis de opere virtutis delectatur, vel de aliquo admissio flagitio tristatur, tunc maximē, vt imaginem præferant membrorum CHRIS TI, afficiendus est similiter proximus quisq;. Tametsi & de rebus quoq; tā prosperis, qđ aduersis huius seculi tristitia tāgi, quatenus bona sunt naturæ, vel mala: vt cōtristari de morte amici, cōgratulariq; de eius felicitate. Nihil enim ita dilectionem conciliat (ait Chry.) qđ quod gaudiū et tristitia inuicem inter nos cōmuniter habe

De concordia.

Sana intelligentia.

1. Cor. 13.

Prou. 2.

mus. Neq; Paul. subueniri semper calamitati proximi iubet, quia id sæpenumero non est possibile: sed si tollere non potes, produc laachrymas, & maiorē partē sustulisti. Et si prosperitatē illius augere nō vales, congaude, et multū augmenti attulisti. Hæc Chry. Quocirca hic præcipuē locū habet documentū Pauli, vt alter alterius onera portemus: qui enim flet cū flentibus, dū partē oneris suscipit, mœrore eleuat amici. Sed hoc præterea cū eodē S. Chry. obferuandū est nobis, longē nimirum esse difficilius, gaudere cū gaudentibus, multoq; clarius charitatis inditiū, qđ flere cū flentibus. Hoc enim posteri<sup>9</sup> ipsa natura vltro facit. Nā cū in calamitatib<sup>9</sup> proximi nulla sit inuidiæ materia, nemo est adeo saxeus, qui illic nō desinat: at quod quis non solū nō inuideat ei, qui clarus est ac celebris, sed & congaudeat, generosæ mētis est. Lachrymādo ergo, misericordē te facis: gaudento verò, liuore te ipsum liberat. Hæc ferē Chry. [Id ipsum inuicē sentientes.] Hæc est cōcordiæ consummatio, idē velle atq; idē nolle. Quāq; Orig. quidem atq; Chry. hoc verbum ita prorsus interpretētur, vt idē quisq; de seipso, quod de proximo suo, sentiat. Verbi gratia, Si magnū te esse putas, si bonum, & c. talem & proximum existimes: si illum exilē & fragilē suspicaris, talem te quoq; recognoscas. Quod quidē dicitū ab Apost. putāt ad edomandā superbiam, quæ inimicā est cōcordiā, & qua maximē laborabāt Romani. At forsā alia est mēs Pauli. Nā phrasī hæc /id ipsum sentientes/ potius significare vnitatē videtur sententiæ, in quam fratres debēt conuenire: quæ quidē radix est & fomentū pacis. Etenim licet quantū ad intellectum speculatiuū, nihil officiat charitati, quæ est in voluntate, sententiā diuersitas, quæ prouenit ex vigore ratiōis, vt in Geometria & philosophia, tamē secundū intellectuū practicum, vt in agendorū cōsiliis & iudiciis, dū Ecclesiæ, vel collegiū discindūt ingenia in diuersas sentētiās, facillē subsequitur animorū diuortiuū, quo extinguitur charitas. Ad dubitare verū tamē hic quis posset, Nunquid & in cōsultationibus ipsis & cōfessionib<sup>9</sup> fratrum & patrū esse potest? Imò debet esse nōnunq; dissensio. Etenim neq; oēs sunt eiusdē, vel ingenii, vel sciētig, vel prudētig. Et sūt nōnunq; viri sãcti, qui sua simplicitate à veritate declināt, quib<sup>9</sup> nō est cōsentiedū. Quid ergo hic si bi vult Pau? Forsā quis facillē respōdeat, nihil aliud sibi velle, qđ quod sim<sup>9</sup> id ipsū iuicē sentētes, dū id qđ sentitur, verū sit. At profectō excel

Expositio.

Gal. 6.

Chry.

Facilius tristari.

Mens Pauli.

Dubitatio.



sum ingenium Pauli altius euolat, dum ait / Omnes id ipsum / aliis exposuisset se ipse dicens / Id ipsum, ut verum & bonum omnes sentientes. Adde quod cum veritas crebro & plurimum lateat, parum conducet hoc eius documentum: nam saepe, dum quisque quod verum putat, sentiret, non id ipsum sentirent omnes. Instituit ergo hic Paul. (quantum iudico) nihil aliud, quam Christianorum intentionem & propositum, ut videlicet vnusquisque, qui fieri possit maximè, intèdat semper & proponat conuenire in sensu cum fratre suo. Condemnat, inquam, illos, qui in disciplinis & cõsiliis, siue scripto, siue verbo, nihil magis præ se ferunt, quam singulares haberi, aliena scilicet, impugnare: & aliquid stabilire quod egregium, singulareque sit: quæ quidè insolentia mater est schismatis. Paulinum ergo documentum est, ut quicquid in aliena sententia, veritatis, vel cernimus, vel olfacimus, probemus & elucidemus: quicquid verò suspicamur falsitatis, blandissimè ad veritatis lineas reducamus, neque nostra retineamus mordicus, sed faciles nos præbeamus correctoribus nostris: ita enim facile coire possumus in eundem sensum fidei, coalescereque inter nos poterit sancta charitatis concordia.

Non alta sapietes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Diuellit denique ex animis nostris impedimenta, quæ obstare nobis possunt, quò minus simus vnanimiter id ipsum sentientes, quæ licet triforem habeant effigiem, in vnum tamen propemodum concidunt. Inde enim primùm quis egrè ac duriter alienæ felicitati cõgratulatur, miserisque commiserescit, ac denique in sententiam aliorum venit, quòd altè de se sapit, ac magnis inhiat: inde namque reliquos despicit, indignosque iudicat prosperis, neque eorum calamitates pro malis ducit, atque adeò neminem talem existimat, cuius iudicio debeat auscultare. Est autè hæc repetitio illius, quod capite superiori dixerat / Noli altè sapere. Meritissimò enim Paul. identidem inculcat malignitatem huius vitii: non solum quòd neophitis Romanis ex utroque populo cõuerfis curatione talis morbi opus erat, verum quòd (ut ait Chry.) nihil adeò corpus Ecclesiæ scindit, atque superbia. Alta ergo sapere (quod nos hic Paul. dehortatur) vel est arduum quidpiam cõminisci, ut esse videamur extra gregem, vel plurimùm nobis sapientia tribuere: vtraque enim insolentia species pacem conturbat. *[Sed humilibus consentien-*

tes.] Humilis hic (ut bene adnotauit Chry. et verbum ipsum græcum sonat) non eos denotat solos, qui virtute humilitatis præstant, sed eos qui humili sunt loco, seu nati, seu habitiputa, plebeios, pauperes & abiectos. Deiciunt enim superbiorum fastum & supercilia, adhortans eos, ne dedignentur infimis quibuscumque consentire, vbi veritatem agnoscunt. Ne vlla scilicet disparitas, vel sanguinis, vel officii, vel fortis denique, vel cõditionis obstaculo sit, quò minus sanum sensum, consilium & documentum à quocumque proferatur, veneremur, et osculemur. Vnde quod interpres transtulit / consentientes / potest & ad verbum græcum traduci / obsecundantes & obtèperantes / quod vehementiorè hic habet significationem. *[Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.]* Quasi citatione arbitratur hanc Amb. ab Esaiâ, vbi habetur, Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et est forsitan explicatio primi membri / Non alta sapienter / si accipiat in secundo sensu expositionis nostræ. Est enim nihil magis in perniciem hominibus, quam cum de se ipse iudicium profert. Nam amor proprius libertatem adimit, & arbitrium rectè iudicandi, & maximè de æstimatione proprii ingenii & sciëntiæ. Est quippe homini, quatenus rationale est animal, is à natura infixus, tum appetitus sciendi, tum subinde amor propriæ sapientiæ, ut cum sint qui aliis in rebus cedant facile alteri, hac verò parte vix vllum inuenias mortaliùm, qui seipsum penitus agnoscat, alteriue concedat. Cui vesaniæ proximùm est, ut homo plenus opinione sui, sibi ipsi arbitretur (ut ait Chry.) sufficere, neque alius, vel ope, vel opera indigere: homini autè sic adfecto nulla inesse potest charitas in proximis. Qua igitur de causa nos contra Deum constituit alterum alterius membra, ut nullus sit adeò sapiens, prudens, diues, sanus, potes denique & excelsus, qui non in eadem etiam re qua pollet, egeat alterius iuuamine & officio. Id quod summum est humanæ societatis vinculum.

Nulli malum pro malo reddentes. Præmonitis, quæ ad benevolentiam & concordiam attinent, prosequitur de beneficiis erga eosdem inimicos dicere. Primùm hoc autem membrum, licet ea generalitate ab aliquo possit audiri, ut formam præferat cõsiliis: existimo tamen, verbis legitimè perpenis, & libratis, vbi pollere præcepti. Etenim in primis neque inhiabet hic Paul. neque verò consulit publicæ potestati, ne malefactoribus rependat supplicium pro crimine: hoc enim si formaliter (ut cum

Esa. 5.

Hois pernicius alta sapere.

Eph. 4.

De beneficiis.

philosophis loquamur) verba accipiatur, non est, reddere malum pro malo, sed bono iustitiæ vindicare malum, refarcireque acceptum damnum. Sed neque præcipit priuatis personis iniuriâ passis, ut quod acceperunt detrimentum, remittant: licet nonnunquam cadere id posset sub consilium. Nam ius habent, quinimò obligantur nonnunquam illi, qui, vel honore, vel bonis expoliati sunt, illa repetere, maximè vbi eis, vel pro sua familia, vel pro Repub. indigent (dummodo id ordine iuris faciant) quoniam neque hoc est, reddere malum pro malo, sed recuperare sublatum bonum. At verò tunc prorsus quis reddit malum pro malo (quod prohibitione hac Paulina cauetur) quando inimico suo, à quo laesus est, damnum dat, siue in bonis, siue in fama, vel honore, quod vel non est necessarium ad restituendum sibi amissum bonum, vel id non facit ordine iuris. Vti si quis palma percussus, percussorem repercutiat: vel qui in bonis laesus est, honorem alterius lædat: vel quoniam quis falsum testimonium in me dixit, falsum ego vicissim reiicio aduersus illum: vel si postquam mihi iam plenè satisfactum est, nocere offensori adhuc persisto. Quæ quidem omnes retaliationiones ex odio proficiscuntur, peccataque sunt adeò iniustitiæ aduersus hanc Pauli præceptionem. Quamobrem absque vlla exceptioe amici, vel inimici, Christiani, Iudæi, vel Pagani, nulli reddendum est malum pro malo. Tametsi quantum ad satisfactionem, recompensatio fieri possit inter datum, acceptumque detrimentum. Posset autem audivi hoc, tanquam consilium, si reddere malum usque ad illud extendas, quod est, priuatio beneficiæ: ut si quis beneficiis adfectus, iniurius esset in suum benefactorè: subtrahere tunc quidem benefactori liceret.

Prudentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest. In exemplaribus Græcis quæ modò extant, non sunt hæc verba / Non solum coram Deo, sed etiam / sed hæc prorsus / Prudentes bona coram omnibus hominibus. Dubium autem est, an desint Græcis, adiecta ne sint Latinis. Nam Græci interpretes illa non legunt, legit ea tamen Amb. in textu, interpretaturque in commento. Et Hiero. in epistola de vitando suspecto contubernio, & alii Latini. Et quanuis, licet non essent verba Pauli, manifestum sit, subintelligenda esse, est tamen verisimile, non fuisse ab

illo prætermissa: quoniam non admonisset Romanos, ut coram hominibus prouiderent bona, quin præmonuisset, ut cum primis Deo studerent placere: siquidem vbi vtrunque obseruari non potest, potius permittere debemus, ut homines scandalum accipiant de opere nostro, quam vel minimùm faciamus opus, quod Deo displiceat. Vnde non absque optima ratione, particula illa / si fieri potest / ab aliquibus adluitur his præcedentibus verbis: quorum nos ideo lectionem sequimur. Nam cum perdifficile sit, Deo semper, hominibusque omnibus placere, ait, quòd si fieri potest, non solum coram Deo, sed coram omnibus hominibus prouideamus bona. Et quanuis parum videatur congruere superiori clausulæ, congruit tamen. Hortatur enim nos, ut non modo nulli reddamus malum pro malo, sed ut illi qui nos iniuria laeserunt, rependamus amicorum officia. Quanquam græcè accusatiuus ille pluralis / τα καλὰ / vim habere consuevit aduerbi / bene / ob idque alii legunt / bene prouideamus. Quòd si aliquando petenda est nobis vindicta, admonemur hic, ut ea prudentia id faciamus, ut nemini esse possimus offendiculo. Instruimur denique talibus semper actiones nostras circumstantiis vestiri, ut dignæ sint apud omnes commendatione & laude. At verò bene obseruauit Orig. non exhortari nos Paulum, ut prouideamus placere hominibus, quasi hunc præstituètes finem actionibus nostris, cum ipse contra ad Gal. constitatur, quòd si hominibus placere vellet Christus seruus non esset, sed cõmonefacit ut bona prouideamus coram hominibus ad gloriam Dei: iuxta illud, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

Quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Alii sunt qui particulam / si fieri potest / cum hac præsentif oratione coordiuntur, videlicet / Si fieri potest quod in vobis est. Sed profectò aptius cohæret (ut diximus) superiori: non solum propter rationem à nobis allatam, sed quia hic redundare videtur. Satis enim est dicere / Quod in vobis est. Hoc namque certum est fieri posse, ut quantum in nobis sit, seruemus pacem: ob idque nihil opus erat illud adiacere. Tamestsi parum referat, alterutri parti adiaceat. Ait autè / Quod in vobis est / hoc est, quantum in vobis est, propterea quòd cum pax ab vtraque

Orig.

Gal. 6.

Mat. 5.

parte dependeat, non semper in nostra est facultate. Insuper ergo, ut nemini vel causam praebeamus, vel ansam, seu belli, seu litis: neque vllum, quod in nobis sit, praeferam<sup>9</sup> officium ad asserendam retinendamque pacem. Hac enim ratione iuxta verba Psal. consequi possumus, ut, etiam cum his qui oderunt pacem, simus pacifici. Quod si quis forte odio nos habeat gratis, bello nos, inquam, per iniuriam petat, aut lite molestat, tunc secundum verbum CHRISTI pax nostra reuertetur ad nos. Neque verò priuamur per hanc exhortationem Pauli iure defendendi nos. Quamquam salutare consilium sit, idque Christianis cum primis, ut si quis voluerit nobiscum contendere in iudicio, & tunicam nostram tollere, dimittamus ei & pallium, ad redimendum tempus: atque hoc quam maxime ad declinanda, propellendaque publica bella, quae, ut nos longa experimenta malo nostro docuerunt, neque geri neque patrari possunt, sine illis incommodis ac detrimentis, cladibus ac pestibus, quibus in Christianorum perniciem esse nequeunt acerbiora. Nam ut agrorum populationes, compilataseque villas, incendia vrbium, adulteria, supra, innocentium strages, filios patribus, virisque matres orbatas, euerfas aras, sacra profanaque omnia diruta, aliaque id genus violata iura fileamus, quae fari horret animus, nullum post se bellum, vbi gestum est, virtutis, pietatisue, aut Christianae religionis vestigium relinquit: sed siluescere illic videas, efferarique protinus humanas animos. In vna quidem fidei ac religionis causa, vbi aliud nullum remedium tentandum restat, pium, sanctumque est bellum: in ceteris autem, ut non in eorum opinionem inclinatio, qui nullatenus fas esse autumat, ut belliciosos reges se suaque iura defendat, illatasque propulserit iniurias, tamen non dubito, quin sit prius summa adhibenda Christiano principum cura & solertia explorandi examinandique, an iustam habeat causam suscipiendi bellum, tantum abest, ut temere debeat inferre. Est enim quam rarissimus casus, in quo non vtraque pars est in culpa, & vix vllus, in quo illa quae iustior est, non sit in dubio. Ecquis autem Christianus, dubia causa, in tantum se se malorum barathrum ingurgitet, de quibus est Deo responsurus in die irae? Sed quid ego verba prodigo, alia instructus esse deberet eloquentia, vel alio certe diuinitus spiritu donatus, qui monarchis potens esset persuadere, ut hanc rabidam bellandi insaniam, pestilentissimamque

Psal. 119.

Mat. 10.

Mat. 5.

Dehortatio à necessitate bellis.

furiam, & immanissimam pestem suis, imò CHRISTI populis cauerent: vel his maxime temporibus, dum tam est inter Christianos pax necessaria ad erigendam fidem, Ecclesiaeque religionem, quam, tum alia nostra peccata, tum bella quoque prostrauere.

Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Si defendentes secundum suam publicam significationem in praesentiarum usurparetur, non praeseferrent verba haec vigorem praeccepti. Suppetit namque vnicuique ius priuatae auctoritatis, si bona id fide faciat, vim vi repellendi, tutandique se, honoremque suum & bona: quin etiam suos. Imò Apostolus quoque procurauit se defendere a conuersione Iudaeorum per milites Tribuni. Sed esset nonnunquam forsitan cuiquam consilium, idque perrarum, non se defendere: iuxta illud, Si quis te percusserit in vna maxilla, praebere ei & alteram: quod quidem in praeparatione animi obseruandum est, ut executioni mandetur, dum est necessarium. Nam CHRISTVS alapa percussus, quia id necessarium non erat, non parauit alteram maxillam, sed, Si male, inquit, loquutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem bene, cur me caedis? Vbi autem opus fuit, non solum faciem, verum corpus exhibuit cruci. At verò liquidum est, defendentes non accipi in praesentia, nisi pro eo, quod est vindicantes, id enim prorsus significat participium graecum ἐνδιδόντες. Idque confirmatur ex subiuncto verbo, sed date locum irae, defensio quippe absque vitio irae fieri potest, vindicta autem minime, priuata auctoritate. Sed confirmatur euidentius ex superposito testimonio, Mihi vindictam. Quod quidem nomen graecum ἐνδιδόντες, ab eodem verbo cadit. Itaque textus est, Non vos vindicantes charissimi, scriptum enim est, Mihi vindictam. Hoc autem inter vindictam & defensionem interest, quod defensio fit in ipso aggressu ad cauendam propulsandamque oblatam iniuriam: vindicta autem est repensio ac retaliatio post iniuriam acceptam. Non est autem cur acri censura in simuletur interpres, quod transtulerit defendentes, nam solet etiam hoc verbum nonnunquam in scripturis pro eo accipi, quod est vindicare, ut quidam optimè adnotarunt in Apocalypsi. Nam quod vulgata lectio habet, Vsq̄quo non vindicas sanguinem nostrum, in Ecclesiis canitur, Vsq̄quo

Act. 27.

Mat. 5.

Ioan. 18.

Differt inter vindictam & defensionem.

Apoc. 6.

quo

Iudith.

Habet vim praeccepti.

Triplicis ira.

Orig.

quo non defendis. Et legitur de Nabuchodonosor, quod iurauit defendere se de regionibus illis, quae repulerant nuncios suos. Et cap. 2. quod factum est verbum in domo eius, ut defenderet se, id est, ut vlcisceretur, vindicaretque se de accepta iniuria. Neque verò Paul. simpliciter inhihet vindictam: nam licet cuiusque vindicare se per legem & publicam potestatem: sed prudenter ait, Non vosmetipsos, hoc est, manu vestra defendentes, id est, vindicantes charissimi. Adiecit enim suauiter hoc charitatis nomen, ut praecceptionem edulcicaret, quae humano sensui amara videri poterat. Quocirca exhortatio haec Pauli auctoritatem habet praeccepti, & eiusdem omnino praeccepti, quo supra iusserat, ne cui redderemus malum pro malo. Idem enim est prorsus odiū, idemque crimen post acceptum damnū vel iniuriam, vindicare se hominem proprio brachio, quod, reddere malum pro malo: quod quia fieri non potest absque odio & ira, subdit. [Sed date locū irae.] Et possumus hoc quidem de triplici ira interpretari. Primum de ira ipsius iniuria affecti, sanè qui cum vltione abstinet, locū dat, id est, cedit propriae irae, deferueretque eam, abireque sinit. Et hic est planus sensus, cui consonat vltimū verbum capituli, Noli vinci a malo. Qui enim iram non parcat, ab eadem vincitur. Orig. autem & ad iram hoc refert illius, qui iniuriam irrogat: quippe cui iram, ille qui laesus est, locum dat, ut transeat. Cum enim quis videt sibi non resisti, tunc lenitate alterius confusus, remittit, deponitque iram. Veruntamen & idem quoque Orig. & Chry. & Theo. iram etiam hic Dei meditantur. Etenim cum quis non vlciscitur se se, sed iram abstergit propriam, relinquit locum irae Dei, qui est Deus vltionū, ut de ira iudicet sumatque supplicium. Quod quidem interpretamentum eliciunt ex subiuncta auctoritate. [Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam.] Quasi dicat, Date locū irae illius, cui competit proprie vindicta. Tamen si nihil incongruentius coaptabitur testimonium hoc primae expositioni: nam propterea debet quis dare locum propriae irae, quod proprium Dei munus est vindicare, atque eorum quos ipse instituit iustitiae ministros. Quam ob causam, qui propria se potestate vlciscitur, & sibi malus est, dum peccat, et alteri iniquus, quia propria eū laedit auctoritate, imò hac ratione iniquior, quod in se expertus est, quae sit atrox malū, iniuriam pati, quod forsitan non fuerat expertus, qui prior iniuriam fecerat. Et est praeterea in Deum iniurius: non solum, quod in ipsum delin-

quit, sed quod ipsius officium & auctoritatem sibi usurpat publicorumque iudicum, quos ipse se vindices iustitiae constituit. Elogium hoc est in cantico Moysi, vbi vindictam non est in accusatiuo, sed in casu nominandi. Mea est vltio, & ego retribuam in tempore. In quo etiam casu est hoc loco graece. Legentibus autem vindictam / ex verbo / date / supplendum est aliud, puta / referuate / vel quid simile. [Dicit dominus.] Hoc non expressum est apud Moysen in Deut. sed quoniam verba sunt illa Dei, adiecit hoc Paul. ut maius esset authoramentum ac pondus testimonii. ¶ Verumenimvero respondere hoc loco operae praecium duxerim, si qui sunt forsitan reclamantes, cur his qui iniuriis lacerati sunt, non liceat iniuriam ab se reuellere, parem in hostem reiciendo. Hoc enim potissimum ius sibi arrogat nobiles, quibus vix dissuadendo persuadeas, quin liceat acceptam iniuriam proprio Marte vindicare: nam alias existimant honori suo non fore satis consultum. Quinimò blasphemus hac parte audias, qui dicat, Deū non licite potuisse eos priuare hoc iure protegendum honorem suū. At est nihilominus non solum diuino iure, sed ratione optima naturali sic sanctissimè prouisum, prospectumque humano generi, ut iniuriam, antequam accipias, propulsare tibi liceat, sicuti vnaqueque res resistit suo contrario: quoniam non vbique praesto est auctoritas publica, quae possit aggressores arcere: sed vbi iam accepta est iniuria, hoc etiam est consultissimum, ut illam persequi non liceat, nisi per certos, eosdemque publicos ministros. Primum, quia executio iustitiae vim exigit coercendi, quae non esse semper potest in priuata persona: ob idque si vltio priuato iure facienda esset, non aequa pareret omnibus iustitia: nam potentes vlciscerentur se: debiles verò ac tenues minime. Praeterea crudeles ac truces homines vindictam sumerent, mansueti autem facile remitterent, & sic mali impune peccarent in perniciem bonorum. Adde, quod si cuius licitum esset, arbitrato suo iniuriam compensare, cum nullus sit aequus iudex in propria causa, pro minimo accepto damno maximū redderet: idque pars rursus laesa resarcire procuraret: & sic omnia suscipere deique pertraheretur: neque vlla posset constare pax. Igitur si vis Deum pro tanto beneficio (uti decet) diligere, non solum consideres, quod te prohibuit vindictam tuam de alio sumere, sed quod alios vnuerfos coercuit, ne de te ipsi sumerent, cum delinqueres: tunc etenim certò perpendes, quae fuerit

Deut. 32.

Dubitatio.

De nobilitate iure.

Cur non sit licita vindicta priuata auctoritate.

De nobilibus.

lex sancta. Ad nobiles autem ut descendamus, in quorum gratia, hanc fecimus digressionem, non vetuit eos Deus, iacturam honoris reficere, sed ordinem in bonum suum ipsorum illis praescripsit. Hoc autem attentissime considerandum illis esset, quod cum honoris praemium sit virtutis, nullum est ius defendendi honorem, nisi ubi propugnatur virtus: cuius virtutis patrocinium potissimum nobilitati incumbit. Cum ergo facultate propria poenas ab inimico deponere, non sit virtus, (ut ratione iam monstratum est) fit, ut neque legitime ratione illa defendatur honor. Sed aiunt, saltem duello, quod principis autoritate iniur, id facere licet. Prolixam quidem disputationem duelli angustia huc commetiariorum non admittit, sed ut gratis duella, quae nullo licita sunt, concederemus nobilibus, qua nunc tamen temeritate permittuntur, nullo colore fucari possunt. Prima namque conditio antiqui duellierat, ut crimen, de quo decertaretur, dignum esset morte, si comprobari posset: deinde quod ita esset occultum, ut non posset per publicam auctoritatem compari. Ut si quis alterius dictum negaret ac refutaret in re occulta, quae capitalis esset: modo autem eò absurditatis peruentum est, ut licet crimen palam sit, cognoscitur legitime a iudice possit, publicoque iudicio puniri, nihilominus contra omne ius conceditur, duello id decerni. Praeterea in quavis leuissima re quis alteri dicat, Mentiris, liberum est iam alteri, imò teneatur, ut aiunt, secundum ius nobilitatis in duellum eum euocare: quo profecto nihil pugnatius nobilitati contradicit. Nam etsi, conuictum, illud sit, est tamen leue, cui princeps non posset decernere capitale supplicium: pro culpa autem, de qua auctoritas publica non posset exigere supplicium capitalis, etiam si esset publica, nulla est virtus, imò summa est iniuria, offerre intentareque delinquenti mortem: si autem non est virtus, profecto neque est honos, sed maximum nobilitatis dedecus. Nihil enim ex diametro magis cum nobilitate pugnat, quam iniuriam facere: quod si virtus non est, duellum offerre, sit porro, ut neque suscipere: atque adeo si in vno non est honos, neque in altero est, nisi dedecus. Haec autem adeo sunt manifesta, ut respondere aliter nequeant, quae quod alia sit habenda ratio secundum Euangelium, alia vero secundum nobilitatis morem: quo quid dici potest maiori cum blasphemia et absurditate? Etenim cum nobilitas, decus sit et splendor Reipublicae, quae

Qua ratione defendendus est honor.

De duello.

nam quae iura consonare magis debet Evangelio, naturalique aequitati, quam leges nobilitatis? Quod si nobilitas cum Evangelio non consentiret, nihil habendum esset in Christiana Republica, vilius abiectiusque. Sed redeamus ad textum.

Sed si esurierit inimicus tuus, cibus illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Dixerat benedicendum esse inimicis: sed ne quis putaret in officio oris sistendam fore charitatem, adiecit partes ambas benedictae, videlicet, non solum nulli reddendum malum pro malo, verum et benefacendum esse inimicis: iuxta praecipitum CHRISTI, Benefacite his qui vos oderunt, ut sitis filii patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. Et videtur Paulus totam hanc auctoritatem ex Proverbia desumpsisse. Vbi legitur, Si esurierit inimicus tuus, cibus illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, et dominus reddet tibi. Cuius praecipitum vis et forma solum ad tempus necessitatis extenditur. Vbi enim, seu extrema, seu graui necessitate inimicus perurgetur, tenemur ei suppeditare necessaria ad vitam. Extra illos autem casus non est, nisi consilium (ut supra expositum est) et propterea tantum meminit cibi et potus, qui sunt ad vitam necessaria. [Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.] De hisce quidem carbonibus bina circumfertur tum Origenis, tum aliorum enarratorum interpretatio: nam carbones ignis in malam inque bonam partem versusurantur in scriptura. Sunt enim carbones, qui maiorem vim ignis retinent, atque adeo vehementius exurunt, quam flamma: quibus ideo significantur supplicia damnatorum: iuxta illud, Carbones succensi sunt ab eo. Et, Cadet super eos carbones. Vnde secundum priorum expositionem, quae Chrysostomo nimis probatur, videtur hic Paulus alludere ad illud superius verbum, Mihi vindictam, quae si respondeat his, quibus iussit, ut darent locum irae, reclamantibus, cur debeant inimici impunè fecisse eis iniuriam. Ait scilicet, vestrum est benefacere illis: nam isto modo si non resipuerint, cumulator erit Deo causa succendendi carbones in illos. Non quod Paulus illos admoneat, ut tale, dum benefaciunt, habeant propositum et finem: esset enim hoc contra charitatem, sed quod hoc dicat, quasi per modum prophetiae, et praenunciationis futuri iudicii.

Mat. 5.

Prou. 25.

Carbones ignis.

Psal. 17. et 139.

Con

Congruentior autem expositio est, ut carbones in bonam partem intelligamus: congruentior, inquam, non solum Paulino pectore, verum et verbis eius. Non enim admoneret nos ad officia charitatis, nisi propter bonum, ipsorum etiam inimicorum, quos tali arte subdit statim vincendos esse a nobis in bono. Maximè cum a Salomone adiectum sit. Et dominus reddet tibi. E docet ergo quod hac benefacendi ratione carbones charitatis congeremus super caput inimici. Ait super caput, quia inde totum corpus gubernatur. Est ergo sensus, quod charitate mentem eius inflammabimus, ut intentionem, et subinde officia erga nos mutet. Nam etsi saxus ferreusque esset quis ad benevolentiam, non posset amore prauentus, et ab illo maximè, cui causam potius odendi dedit, non emolliri et liquefieri, ut veluti carbones ignem, ita deinde perpetuo conferuet charitatem aduersus eiusmodi suum benefactorem.

Noli vinci a malo. Sed vince in bono malum. Egregia est explicatio conclusioque omnium quae de benevolentia, beneficentiaque erga inimicos disseruit. Videns enim adeo esse innatum hominibus a natura appetitum victoriae, ut nemini possit persuaderi, non esse bonum vincere inimicum, id quod omnium naturam conari experimur, ait, Non contendi tibi haecenus persuadere, ne vincere procures, sed hoc tantum, ne a malo sinas te vinci, quod turpissimum est: coneris autem ut malum bono vincas, quod est pulcherrimum. Speciosa enim est antithesis, inter vinci a malo, et vincere in bono malo. Hoc verum tamen quod ait, bonum et malum non vno duntaxat modo possumus intelligere. Etenim si dum qui iniuria adficiatur, tunc ira percitus in hostem resurgit, quanto feruentius in ipsum vel conuictis debacchatur, vel inflammatur caede, tanto peius turpiusque succumbit furori et irae, quae illum, veluti bestiam calcibus stimulat. Neque verò ab illo solo malo, sed a damone ipso superatur: qui nimirum hoc sine spiritum furoris immiserat in cor illius, per quem iniuriam conflauit, ut ambos hostes eodem crimine conuolueret. Quocirca neque solummodo tu, qui bonus eras, a malo ira, maloque damone victus es, verum spiritus CHRISTI, quite, dum CHRISTI eras mentem agebat, extinctus per te est. Atque huius te admonet Paulus. Vbi ait, Noli vinci a malo. Sed tamen ubi ab ira abstines, aggressoremque

despicis, mansuetudine tua et magnanimitate, quae bonum est virtutis, multa mala debellas. Iram quippe propriam in te primum interficis: mox hostem tuum rubore perfundis et pudore: atque adeo spiritus in te CHRISTI spiritum Sathanæ deinctum tibi tradit, triumphosque ac palmam defert, trophaeque statuit triumphanti.

CAP. XIII.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. In his quinque postremis capitulis (vbi dictum est) tractat Apostolus de usu gratiae. Postquam ergo in superiore praemonuit, quemadmodum se homo habere debeat in ordine ad Deum, informans videlicet vniuersos Christianos, veluti vnius corporis membra, quemadmodum Deo debeant inferuire, dona illa et munera inferioribus dispensando, quae ab ipso ad publicam utilitatem receperunt, hoc iam capite instruat nos incipit, quales nos debeamus exhibere proximis. Tres igitur sunt partes huius capituli. In prioribus agit de obedientia, quam populus debet maioribus, praefectisque suis. In secunda verò quae incipit, Nemini quicquam debeatis, profectur de iustitia dicere, quae est inter pares. In tertia denique ab illo verbo, Et hoc scientes, tandem concludit, quemadmodum se quisque, suosque mores componere debeat. Ut cum in superiori capite ordinem elucidauerit superiorum ad inferiores, tres hic alios respectus hominis constituat, scilicet ad superiorè, ad aequalem, et ad seipsum. Et quia obedientia, initium est et caput totius disciplinae, quae in moribus instituendis posita est, inde exorditur. Atqui subnotare forsitan, refutaretque hic proposuit Paulus haeresin illam Gaulonitarum, de qua lib. 18. meminit Iosephus a Iuda quodam Gaulonita oborta, qui negabat censum et obedientiam deberi Caesari, aut prophanis vllis principibus a Iudaeis propter libertatem legis, quam a Deo receperat: cui idcirco soli aiebat, eos esse subiectos. Ob quem errorem Pharisei conuenerunt CHRISTVM, sciscitantes, an liceret censum dare Caesari. Atque inde fortasse error idem serpere perreperat in Christianorum Ecclesiam, ob libertatem euangelicam: iuxta illud, Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et alibi significauit Iesus Petro, liberos esse filios a solutione didrachmatis: licet ad vitandum scandalum praeeperit illud exolui. Error hic verum

Distinctio capituli.

Haeresis Gaulonitarum. Cap. 1. et 2.

Mat. 22.

Ioan. 8. Mat. 17.

Y 5 tamen



tamen inde vel maximè cōvincitur, quòd fides nostra naturalem iustitiæ ordinem non subuertit, sed perfecit: est autem naturalis ordo, vt subditi sint inferiores superioribus magistratibus: nam hæc mortalis vita aliter trāfigi, gubernariq; nequit. Vnde et si CHRIS TVS animas nobis liberauerit à seruitute peccati: (vt patet ex verborum cōtextu Ioan. 8. & supra hic cap. 8. Lex spiritus in CHRISTO IESV liberauit me à lege peccati & mortis) corpora tamen semper manent defectibus molestisq; carnis subdita: secundum autem corpus, homo subditur homini: postquam autem CHRIS TVS tradiderit regnū Deo & patri, tunc euacuabit omnem principatū & potestatem, quibus opus iam tunc non erit, vbi corpus fuerit liberū à seruitute mortis huius. Igitur cum Paul. cap. 8. multa de Christiana libertate dixisset, necessarium hic duxit, erudire Christianos, ne inde in errorem laberentur nimix libertatis. [Omnis anima.] Hebræorum more, hominem appellat animam, secundū illud, Delebitur anima illa de populo suo. Quamquam non abs re Orige. adnotauerit, dixisse /animam/ ad differentiam spiritus: nā quādiu domino coniuncti sumus, vnus spiritus sumus cum illo, atq; illa ratione illi soli subditi. Anima autem dicitur per respectum ad corpus, quod actuat: secundum quam rationem subiectus est homini homo. Et dixit propterea /sancti anima/ quæ humana intelligitur, ad significandum non tanq̄ brutas nos pecudes debere obedire, sed ratione & prudentia, quæ viget in anima: neq; ad oculum seruietes, sed ex animo & voluntate. Dicitq; /omnis/ vt neminē excipiat, nec sacerdotes, (vt ait Chrys.) neq; monachos, neq; seculares neq; verò apostolos, neq; euangelistas, neq; prophetas: suum enim quisq; habet prælatū. Per hanc ergo sententiam illa Begardorum hæresis proscribitur, qui aiebant, eo perfectio nis posse hominem peruenire, vt nemini iam sit subditus. Non est hic tamen disputandi locus, an Ecclesiastici, exempti sint à secularibus aliquo iure: neq; verò decernendi, an Papa, seu Conciliū superiorē habeāt, nec ne: sed hoc tantum credendi, quòd lege communi omnis anima sit sub potestate aliqua humana. De hac enim potestate loquitur hic Paul. non quæ in domino Deo est, sed quæ à domino Deo est. [Potestatibus sublimiorib⁹.] In Græco non est comparatiuum nomen, sed participium /ὡσαύτως ὑπερέχουσιν/ præcellentibus. Et ita illud interpret ipse vertit Petri /tanq̄ præcel-

lenti/ sed idem pollet/ sublimioribus. Nam /ὡσαύτως/ comparatiōis quoq; præpositio est. Et quāuis ad Titum, non dixerit, nisi, Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, adiecit hic tamen /sublimioribus/ pro eo quod est, legitimis, & iure creatis: vt excluderet illegitimos & tyrānos, qui per iniuriam præsumunt. Et præterea id forsā apposuit, ad denotandum rationem, qua debent subditi obedire magistratibus: quæ quidem fundatur in iure publicæ autoritatis. Quocirca licet prælat⁹ aut princeps, inferior sit, vel scientia, vel virtute, parendum illi nihilominus est, quatenus sublimiori. Id quod generalius explicatusq; est apud Petrū, Subditi estote in omni timore dominis nō tantū bonis & modestis, sed etiam discolis. Vbi & infideles ipsos subindicauit, quibus, si sint aliās legitimi, saluaq; id religiōe fieri potest, tenentur etiam Christiani parere: contra q̄ in ortu Ecclesiæ, opinabantur nonnulli Christiani, [Subditi sit.] Vt scilicet dicto sit audiēs per omnia: iuxta illud, Obedite per omnia dominis carnalibus. Intelligitur autē (nisi ali quid iusserit contra q̄ fas est, & religio) nam tunc, Obedire oportet Deo, magis q̄ hoībus. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autē sunt à Deo, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinatiōi resistit. Subdit rationes plures præceptionis propositæ. Sex nanq; elicere possum⁹. Prima sumitur à causa efficiente, parendum scilicet esse potestatibus, quia nulla est potestas, nisi à domino Deo, cui subdita est omnis creatura. Secunda deducitur à bono ordinis: cum enim bonum vnus cuiusq; rei sit, suum tenere ordinē, & potestates quæ à Deo sunt, ordinatæ sint, condecens est, vt vnusquisq; obtemperet potestati. Et tertia colligitur à terrore culpæ. Qui enim resistit potestati, ille resistit Deo: à cuius obediētia resilire peccatū est. At verò quāuis si membratim textum hūc legas, tres istas possis rationes, discernere: vnicum tamē syllogismum extruere videtur hic Paul. quo illis forsā respondet, qui conqueri possent apud ipsum, cur cum regno cœlorum essent adscripti per obedientiam CHRISTI, eosdē ipse vellet submittere humanis potestatibus. Ratiocinatur ergo sic, Nulla est potestas nisi à Deo, potestates autem, quæ à Deo sunt, ordinatæ sunt (duplici scilicet ordine, tã inter se, vt aliæ sunt aliis subordinatæ, q̄ in ordine ipsum Deū, vt scilicet oēs voluntati ei⁹ seruiāt) ergo

1. Cor. 15.

Gene. 17.

Eph. 6.

Begardorū hæresis.

2. Pet. 2.

Tit. 2.

1. Pet. 2.

Col. 3.

Act. 5.

Sex ratio nes.

ergo quicumq; potestati humanæ resistit, ordinationi Dei resistit. Vnde fit consequens, vt quo iure tenemur subdi Deo, teneamur subdi hominibus. [Non est potestas nisi à Deo.] Vide quòd euaserit pertinax illa Lutherano rum vesania, quòd Deus sit causa peccati. Putant enim vsq; adeò hoc certum esse, vt quomodocunq; vel iure, vel iniuria fuerit quis in potestatem & magistratum, siue adscitus, siue intrusus, parendum illi sit, quoniam siue bonus in bonū populi, siue malus in peccatum eiusdē, vterq; aiunt, est institutus à Deo, cui ideo obtemperare tenemur. Vnde Bucer, super hunc locum, Cūm quæritur, inquit, cui parendum, non est spectandum, qualis sit qui potestatem exercet, nec quo iure, vel iniuria quis potestatem inuaserit, quæue ratione eā administret, sed tantum, si potestatem habeat. Si enim quis potestate pollet, iam indubitātū est, illum à Deo eam potestatem accepisse: vnde sine omni exceptiōe illi te permittas oportet, & pareas ex animo, sed secundum Deum. Hæc ille. Ecquid autem potest incredibile, execrabiliusq; proferri, quàm quòd qui per apertam vel tyrannidem, vel seditionem, vel vim aliam, vel nefas, principatum inuasit, ille fuerit nutu & voluntate Dei assumptus, illiq; sit præcepto Dei obtemperādum. Tunc profectò verum esset, ius esse in armis. At talis est istorum constantia. Ex vna parte negant vicario CHRISTI obedientiam, & ex altera iubent quicumq; tyranno obsequendum. Sed non est, cur hic nos isti demorentur. Quantū autem ad hunc locū attinet, quāuis potestas pro potente non nunquam vsurpetur, hic tamen nō asserit Paul. quòd omnis potēs, hoc est, omnis præfectus, aut princeps sit à Deo institut⁹, sed quòd omnis potestas per abstractionem à quauis persona, est à domino Deo. Quicquid enim de Deo & nobis dicitur, ab ipso, tanquam à primo fonte in nos deriuatur, putā, omnis substantia, sapientia, & virtus, & c. iuxta illud, Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur. Et ideo ab eo est omnis potestas, ordo, et Hierarchia: vt ius mariti in vxorē, patris in filium, regis in regnum, & c. Assumptio autem & vsus potestatis, vbi legitime fiūt, tūc sunt à Deo, siue immediatē, sicut Saul, & David, quos ipse creauit: siue per impressionem naturalis luminis, quo illustrata Respublicæ regem creant, vel alios magistratus. Quando verò per nefas quis furripit dominatū, vt illi qui aiunt apud Amos, Nunquid in fortitudine nostra

Bucerus.

Nota regulam.

Eph. 3.

Amos. 6.

assumpimus nobis cornua? tūc ablit blaphemia, vt dicamus, Deum esse authorem: con queritur enim per Oseam, Ipsi regnauerunt & non ex me: principes extiterunt & nō cognoui. De quo cap. 10. super verbo / Quomodo prædicabunt, nisi mittantur / plura scripsimus. Tamen hoc fatēdum sit, quòd sicuti cætera peccata, ita & tyrānos, corruptosq; principes & antistites permittat sapē & sapius Deus ad vindictam scelerum populi: secundum illud, Qui regnare fecit hominem hypocritam propter peccata populi. Et, Dedi eis regem in ira mea. Sicuti & diabolo (vt August. in lib. de nat. boni differit) permisit potestatem tendandi Iob, & colaphizandi Paulum, nihilominus pro iniqua ipsorum principum voluntate nocendi, mittentur in ignem æternum cum diabolo & angelis eius. Idem censendum est & de potestatis vsu: quādiu enī iuxta præscripta legis quis imperat, Deo id facit authore: secundum illud, Per me reges regnant: peruersus autem vsus non est à Deo: aliās conuentus ille regū, de quo est in Psalmo, Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, ope quoq; & opera Dei fuisset celebratus: quod ingēs esset blasphemia, si affirmaretur. Hoc autem non est in præsentiarum silendū, quòd non quilibet principis aut prælati abusus, facultatem facit subditis detrectandi illi obedientiam: sed vbi esset aperta, vel tyrannus, vel iniquitas. Hinc fit, vt neq; potētia ad peccandum à domino Deo sit, nisi naturalē intellexeris, vt oculum, vel manum: neq; potestas hostis ad irrogandam iniuriā, cui ideo obsecundare non debemus, sed obfistere. Neq; vtiq; quauis alia iniqua potētia. [Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.] Textus Græcus sic habet / Quæ autem sunt potestates à Deo, ordinatæ sunt. Et sententia quidē eadem omnino est, nisi quòd translatio veteris interpretis, paulò rem profert generalius. Et forsā ipse ita legit in neutro genere, suppresso nomine / potestates. Sed quantum ad comma, citra controuersiam, figendum est post ablatiuū / à Deo. Nam si illud præponas, tunc frigida restat oratio, videlicet / Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Et præterea non cohæret proximè præcedenti: cum enim secundū virtutem dixisset / omnem potestatem esse à Deo / subdit, ea autē quæcunq; à Deo procedūt, ordinatē procedere. [Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinatiōi resistit.] Hoc iam expositum est, sed caue à quorundam errore, qui ex his

Osee. 8.

Tob. 34. Osee. 13.

Prou. 8.

his

his verbis Pauli colligunt, nullam esse propriam legem humanam, neque vim ullam esse in homine obligandi sub peccato mortali, sed legem ipsam humanam esse a Deo, cui resistit, qui potestati resistit. Isti enim non vident quomodo aliud sit, Deum ipsum legem per se immediatè ponere, sicuti legem tulit antiquo populo, quam Moysi promulgandam dedit, & CHRISTVS nobis: quæ ideo dicitur lex diuina: aliud verò, potestatem dare hominibus, per quam ipsi leges ferant humanas, quæ vim habent obligandi sub peccato mortali, etiam si late sint a principibus secularibus propter facultatem, quæ ipsis est diuinitus collata. Vnde quædo hic dicit Paulus, quod qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, non ait, quod qui legi hominis resistit, legi tunc Dei resistit: quasi eadem sit lex humana & diuina, sed quod ordinationi Dei resistit, qui scilicet potestates humanas & inter se ipsas, & ad seipsum ordinatas esse voluit.

Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.

Subdit rationem quartam (si sic diuidere iuuat) à terrore poenæ. Qui enim amore filiali seruiunt, metu culpæ sunt maioribus obedientes: quæ culpa committitur, dum resistitur ordinationi Dei: qui autem timore aguntur serui, si non culpam, saltem damnationem exhorreant. Et quod ait, acquirunt. Alii transferunt accipiunt, vel adsciscunt, quod id est prorius. Vult enim dicere Paulus, (id verbum Græcum significat) quod non fortuito incurrunter damnationem, quasi aliunde obortam, sed ipsi sunt ipsius causa iudicii, quod in se prouocant, tam supplicii scilicet temporalis infligti ab humana potestate, quam æterni, quod est inexorabile: vtrique enim iudicii poenas dabunt. [Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.] Græca litera sic habet. Principes non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Phrasis autem illa in nominatiuo non est tam Latina, quæ Hebraica: dicimus enim latinè, infernus est mihi terrori, non terror. Et ideo interpres permutauit casum: & forsitan legitur operis, in singulari: quod quidè non est, ne faceret potius paraphrasin, quam translationem, non ausus est mutare in participium: tamen si fuisset venustior ac significatiua oratio. Non sunt timori bene operanti, sed male operanti. Quocirca in hoc sensu accipiendum est, timori boni operis, quonia princeps non

Q VINTA  
PARS CA  
PITVLLI

est terrori operi, sed operanti. Quauis dicamus etiam latinè, quod princeps punit & vincitur malefactor, pro eo quod est, supplicio afficit malefactor. Est veruntamen animaduertendus laconismus Pauli: sua enim sermo nis breuitate multa comprehendit. Etenim vti causam redderet, cur resistentes potestati incurrat damnationem, satis fuisset dicere, quod princeps est timori malefactoribus, adiecit nihilò minus, non esse timori bene agentibus, vt studiosos ac strenuos milites CHRISTI confirmaret, consolidaretque in bono virtutis. Reclamare enim possent eiusmodi iusti, Quid nos instituis, timore poenæ seruire, quæ timorem charitas foras mittit? Respondet ergo, principes non esse positos ad terrorem bonis, sicuti nec lex posita est iusto, sed rebellibus. Quocirca vbi tyrannus sua abusus potestate, minis ac terrore mentis, iustos persequitur, quos à sancto proposito dimoueat, non est cur eum metuant, sed potius cur contemnant. Vnde Aug. Si potius obediendum est maiori prælato, quam minori, vt Imperatori, quam proconsuli, multò æquius obediendum est Deo, quam hominibus. In summa, quod ait Paulus, principem non esse bonis ad terrorem, id præclarissimis exemplis docuerunt nos CHRISTI martyres, nihil teterrimis mortibus absterriti, fide illius oraculi edocti, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Vis autem non timere potestatem bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Tradit consequenter bimembre, idemque salutariter documentum, quod suæ doctrinæ apud pedem est. Enimvero si princeps delinquentibus est in timorem, iustis verò minime, consequens sit, vt si quis voluerit timorem excutere publicæ potestatis, bonum faciat: tunc enim, non modò non reportabit vituperium ex illa, verum & laudem. Atque id non tunc tantummodo, quando potestas legitima est, sanctæque ac legitime administrata, verum etiam dum est tyrannica. Principi enim, cuius munus est, bonos facere ciues, atque adeo cuius legitimo magistratui, vtroque incumbit modo, subditos retinere in pace & iustitia, scilicet, suppliciiis arcendo à malo, beneficiisque & præmiis, alluciendo ad bonum. Vnde Petr. Siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quocirca nomine hic laudis, non solum præconium intelligit, quo Respublica debet studiosos

Laconif.  
mus Pauli.

1. Ioan. 4.

11. q. 3. can.  
Qui resistit

Mat. 2.

1. Pet. 2.

commédare & animare, verum præmia etiã & dignitates publicas, quæ propositæ sunt seclatoribus virtutis. Debent enim digniores promoueri ad publicas administrationes, non solum quia sanctius illis fungentur, verum etiam in laudem & præmium virtutis, quæ honoribus alitur. Quinimò & poenitentia ipsa iniquorum in laudem cedit iustis. Quod si tyrannus est, qui Rempublicam occupat, quique adeo probos, sanctosque & benemeritos non laudat, sed odium & iniuriis insectatur, nihilò minus, imò multò plus laudis sua patientia reportabunt: vt Aug. in sermo. de beato Laurentio concionatur. Quò enim martyres peiori sunt ludibrio & vituperio trucidati, maiori sunt honore habiti in Ecclesia. Et quando laude omni fraudarentur humana, erit iustis abunde laus in altera vita, qua CHRISTVS eos honorificabit in conspectu patris & sanctorum angelorum. Quamobrè de vtraque potestate, iustis scilicet & iniqua intelligere quoque & hanc causam possumus, quæ subdit Paulus. [Dei enim minister est tibi in bonum. Illum enim principem, qui æquus est & bonus, manifestum est, ad ministrum esse Dei, eodem fine & scopo ab eo institutum, quem ipse propositum sibi habet in gubernatione orbis: puta propter bonum nostrum & gloriam suam. Quò & minister ipse omnia refert: nam agentium subordinatorum idem est finis. Ob idque sicuti Deus, ita & talis minister, tam reprehensione malorum, quam laude bonorum, bonum vtriusque procurat. Sed & tyranni etiam principes, tamen si non sint diuinitus assumpti, quatenus tamen permitti sunt in correptionem populi, ministri etiam Dei sunt in bonum quoque nostrum, secundum illud, Assur virga furoris mei & baculus ipse est. Tamen si ipsi bonum nostrum non procurant, quin verò & demones ministerium Dei exercent in bonum nostrum: vt in Iob compertum habemus. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Vnde per hoc quod ait, Tibi in bonum, quintam rationem insinuat obediendi potestatibus, quæ quidem sumitur à fine, sicuti prima sumpta est à causa efficiente. Sunt veruntamen qui adnotant, transferendum fuisse, non minister, sed ministra, vt accommodaretur nomini, potestas præcedenti: nam græcè / δούλων / vtriusque est generis. At verò congruentius translatum est minister, vt referatur ad hominem: qui significatur etiã nomine potestatis / de quo infra, Non sine causa gladium portat.

Ioan. 11.

Esu. 10.

Quinta  
ratio.

Si autem malum feceris, time: non enim

sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit. Alterum membrum eiusdem documentum ex eisdem pariter verbis superioribus colligit. Si enim potestas timori est malis, fit, vt qui male fecerint, non esse debeant extra metum. Nam etsi quandoque elabantur manibus temporalium iudicum, non tamen euadent violationem Dei. Quamquam hic de timore proprie loquitur, qui debetur principibus secularibus, tãquam à Deo præfectis: eis enim proprie conuenit potestas gladii. [Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, &c.] Hoc est, non frustra portat gladium, sed vt eum timeamus, veluti ministrum, per quem Deus suam exerit executionem iram. Hæc enim supplicia, quæ humanis legibus decreta sunt malefactoribus, licet non sint in Euangelio proposita, tamen, quatenus naturali lumine, diuinitus principibus irradiato, constituantur, executio sunt in parte iræ Dei, quæ in die iudicii consummabitur. Ideoque si cum patientia & æquanimitate suscipiantur ab his, qui in gratia Dei moriuntur, in sortem illis computantur eorum cruciatuum, qui sunt in purgatorio: si verò qui supplicio plectitur, maculam culpæ per poenitentiam non abstergit, is in hac vita incipit poenas pendere, quas laturus est in inferno perpetuas. Hæc ergo inquit, de causa princeps gladium portat. Nomine gladii, coercitiua potestas significatur, quam iurisprudentes appellant merum imperium, potestatem scilicet vitæ & mortis. Aiunt enim, merum esse imperium, potestatem habere gladii. Nam (vt alibi diximus) omnia capitalia supplicia appellatione gladii nuncupantur, eo quod capitis detruncatio vilitissima est sceleratorum mors. In cuius signum principibus habentibus merum imperium nudus gladius præfertur. Tamen si & magistratum portare gladium, pro eo quoque accipiatur, quod est, terrifico satellitio stipatum incedere, licet resque secum afferre, securibus armatos, fascibusque instructos ad administrandam iustitiam.

Gladius.

Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Concludit denique propositam præceptionem: nempe necessarium esse, vt obediamus prælatis. Græcis idè casus est, pro datiuo & effectiuo: ob idque Latini quidam codices habent hic, Necessitati subditi estote. Sed absque dubio non est legendum nisi, necessitate. Ac si concludisset, Igitur ob necessitate

tatema

tatem subditi estote. [Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.] Duas enim inter alias subsignauimus rationes obedientiae: altera pro his qui amore seruiunt, scilicet, ne resistent ordinationi Dei, in quo est culpa: alteram pro illis qui timore in officio continentur, puta ne sibi damnationem consciscant. Et quia secundum hoc obsequium, non est filiorum, sed seruorum, ait/obediendum esse non solum propter iram, scilicet ultionis metu, sed propter conscientiam, nimirum quia consci sumus, hanc esse ordinationem Dei, cui ex charitate obtemperandum est. Ambro. autem sic interpretatur, Non solum timore praesentis poenae, sed propter conscientiam futuri iudicii. Chrysost. Chrysost. autem (quod in priorem recidit expositionem) ait, Non solum metu poenae obedias, sed propter bona, quorum conscius es prouenire ex huiusmodi obedientia: qualia sunt, vindictio malefactorum, promotio bonorum, pax denique & tranquillitas Reipub. quae si sustuleris, neque vita praesens consistere potest.

Ideo enim & tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruietes. Hanc possumus veluti sextam rationem interpretari, praecipue conclusionis, quae sumitur a signo. Etenim tributorum per se signum est obedientiae: cui ergo tributum soluimus, obedire tenemur. Sed ne quis existimaret tributa per tyrannidem esse imposita, adiecit, hanc esse ordinationem Dei, ut qui veluti eius ministri, curam nostri gerunt, rebusque publicis prospiciunt, cui intente munerari, vacare nequeunt (neque vero id decet) seu agriculturae, seu negociationi, aliiue seruituti, eisdem nos partem nostrorum prouentuum pendamus, quibus alantur, pro sua in nos impensa opera. Haec enim ratio est & iustitia exigendi, persoluentiumque tributa. Quam ob rem subdit. [In hoc ipsum seruietes.] Quod quidem bifariam potest exponi, Vno modo / in hoc ipsum / id est, ob hanc ipsam mercedem: iuxta illud, Quis pascit gregem & de laete eius non edet? Et in Euangelio, Dignus est operarius mercede sua, Non quod finis optimi principis debet esse merces, sed bonum publicum: at quod ob suum officium rependendum est ei tale seruitium. Sed forsitan / in hoc ipsum / non refertur nisi ad proximum verbum / Ministri Dei sunt / in hoc ipsum / scilicet ministerium, seu finem seruietes, & incumbentes. Vnde quando nulla esset alia ratio tributorum, satis esset, quod cum Deus sit do-

minus nostrorum bonorum, illique sint eius ministri, potuit nos per idem ius naturae, quo principes seculares instituuntur, obligare ad tributa: sicuti per ius diuinum, quo instituta est potestas Hierarchiae ecclesasticae, potuit etiam populum adstringere, ut eis qui altari seruiunt, temporalia subministraret.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Praemisso tributorum iure apponit praecipuum soluendi. [Reddite ergo omnibus debita.] Non ait / date / seu / donate munera / quia tributum non est gratiosa donatio / sed reddite debita / quia opus est iustitiae. [Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.] Hoc est, cui debetis tributum, reddite tributum, &c. Tria sunt genera sub quibus quicquid penditur principi, comprehenditur: scilicet tributum, vectigal, & census. Tributum, quod soluitur ex bonis ciuium propter administrationem Reipubl. quam scilicet princeps armis tueri debet, moribus ornare, in pace denique & tranquillitate custodire: atque hoc (exceptis his qui privilegio sunt exempti) deberet exigi, pro ratione substantiae cuiusque ciuis, ut esset legitimum. Vnde tributum a tribuendo dicitur, seu potius a contribuendo. Vectigal autem a vehendo dicitur: & penditur ex iis mercibus quae vehuntur, ad sustentationem murorum, pontium, aliorumque aedificiorum Reipub. Sed census soluitur de capite, in signum subiectionis, id est, secundum numerum personarum, quae recensentur: iuxta illud, Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis: hoc autem tertium, quia non tantum praesertim honestatis, subiecit hic Paul. [Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.] Non composuit amorem cum timore: quoniam amor vniuersis debetur: hic autem proprie loquitur de his, quae debentur superiori: princeps autem, qui in hoc imaginem Dei gerit, & dominus est, ratione cuius debetur ei timor secundum illud, Nonne dominum & patrem vocatis me? Et, Si dominus sum ego, ubi est timor meus? & si pater sum, ubi est honor meus? Et respicit hic forsitan ad illa duo genera obedientium, quos antehac adnotauimus, quorum alteri timore damnationis obsequentes sunt, alteri vero amore, ne resistent ordinationi Dei: in quo maxime honorem deferunt principi. Quocirca non praecipit simpliciter / timorem reddi / quasi hoc sit optimum virtutis officium, sed

Ambro.

Chrysost.

Sexta ratio.

Tributorum ius.

1. Cor. 9. Luc. 10.

Tria tributorum genera.

Vectigal.

Census.

Luc. 2.

Malach. 1.

sed ex suppositione, ut commouerat supra / Si malum feceris, time. Honor quippe est, qui secundum Aristotel. praecipuum est praemium, quod debetur legum custodi, & inter Christianos debetur, ut pro illis iuges fundamus preces, iuxta illud, Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ut tranquillam & quietam vitam agamus. Sed & hoc demum animaduertendum est in praesentiarum, quod non distribuit haec quatuor, quasi diuersis personis debita. Nam eidem principi omnia debentur: at hoc tantum constituit, quod quisque cuique id soluat, quod illi debet. Est namque qui vectigal debet, & non tributum: & est cui honor debetur, & non timor: & est cui honor & timor, ut patri: non autem aut tributum, aut vectigal: sed haec minima sunt. Non est hic autem disputandi locus, exempti ne sint tributorum onere sacerdotes, vel iure diuino, vel saltem principum: non solum pro eo quod vncti sunt domini, verum & propterea quod sunt obsequio publico spirituali mancipati. Qua ratione etiam & prophanis olim Gentibus mos erat & religio, sacerdotes liberare tributis, ut memoriae proditum est in Gene. de Egyptiorum sacerdotibus. Neque vero locus est differendi, quibus modis ius & aequum transgredi principibus contingat in exactione tributorum: nempe dum, vel non pro ratione necessitatis, vel non in publicam utilitatem, sed ad proprium luxum illa distorquent: haec siquidem hic Paul. non tangit.

Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Hic secutus textum, ut breuiloquium hoc de dilectione, sit secunda pars capituli, in qua Paul. postquam de officiis, quae superioribus peculiariter debentur, praecipua dedit, dilatat sermonem vniuersaliter ad omnes proximos: explicando charitatis mandatum, quod vna causa est sufficiens implendi omnia, quae iussa sunt. Igitur cum affirmando iussisset / Reddite omnibus debita / iam nunc negatiuam partem, quae inde sequitur, subiunxit. [Nemini quicquam debeatis.] Hoc est, non solum superioribus (vti admonitum est) verum neque inferioribus, neque aequalibus in mora sitis soluendi debita, sed statim tempore reddite: secundum illud, Non morabitur opus mercenarii tui

Honor. Erbic. 5.

1. Tim. 2.

Gene. 47.

SECUNDA PARS CAPITULI PITVLI.

Leuit. 19.

apud te, usque mane. Est enim retentio alieni, inuito domino, species furti, obnoxia etiam restitutioni si dilatione temporis damnum detur creditori. [Nisi ut inuicem diligatis.] Oratio haec sincere & simpliciter audienti forsitan non ingigneret exceptiuum sensum, sed hunc / Nemini quicquam debeatis, sed inuicem diligatis. Vt, quoniam duo sunt contraria, quicquam alicui deberi, & inuicem omnes diligere, edoceat nos, quod cum nemini quicquam debuerimus, tunc inuicem diligemur. Ac si dixisset, Neminem laedatis, sed ita tagite ut inuicem diligatis, Non enim est Paul. ita multum amator compti sermonis. Et profecto qui hunc sensum ex his verbis conciperet, non longe forsitan distaret a mente Pauli. At vero Chrysostom. primus, post verum August. in epistola ad Seuerum, & in alia ad Celestinum, ac subinde plerique expofitorum, verbum hoc audiunt in sensu, vt iacet, exceptiuo, qui ideo reuerenter auscultandi sunt & tenendi. Secundum quos sensus est Pauli, ut nemini quicquam debeamus, praeter vniam dilectionem: quod quidem debitum, cum semper soluitur, nunquam usque adeo persoluitur, ut non debeat. Deo enim & parentibus ideo nunquam satis obsequia rependimus pro beneficiis, quia non potest inter nos & ipsos reperiri aequale: iuxta illud psalmi, Quid retribuam domino pro omnibus quae retribuit mihi? Caeteris proximis nunquam non debemus amorem, propterea quod (vt ait loco citato August. ad Celestinum) cum redditur, non amittitur, sed potius reddendo multiplicatur: imo hoc est charitatem habere erga aliquem, quod, charitatem illi reddere: et, reddere, quod, habere. Contra quam in pecunia contingit: haec enim non habetur nisi dum non redditur: & quod plus illius redditur, minus habetur. Vnde non praecipit Paul. Vt donemus charitatem gratis, quasi indebitam, sed vt semper reddamus, quasi semper debitam: quia nullum est tempus, in quo non possit occurrere vel necessitas consilium praestandi officiumve vllum, aut signum charitatis. [Qui enim diligit proximum, legem impleuit.] In Graeco codice est, qui diligit alterum / & ita aiunt quidam transferendum fuisse, vt non solum proximus, sed Deus comprehenderetur. Sed est satis ineptus, qui propterea existimet, dictum esse / alterum / vt Deus cum homine nominaretur. Flaud enim scriptura tali vocula Deum

Chryst.

Psalm. 113.



la Deum commiscet cum hominibus. Vnde  
quanuis Aug. alicubi alterum / legat, nihilò  
minus & ipse frequètius, & authores omnes,  
tam Græci, quàm Latini, non legunt, nisi / pro  
ximum / vti est crebro in vtroq; testamento:  
vel quòd forsàn olim in Græco hic etiã erat

*Proximus.* / πρὸς ἄλλο / proximum / vel quòd / ἑταίρον / idē  
etiã significat, quòd proximus: putã, illum  
qui nobis conuiuuit, necessitudine scilicet ali  
qua nobiscum coniunctus: vtpote, vel sangui  
ne, vel ciuitatis vicinitate, vel Christianismo:  
vel certè quòd omnes homines sumus sub cu

*Dubitatio.* ra vnus parentis Dei. Sed est quæstio, quã  
mouet Aug. in expositione ad Gal. Cùm duo

*Mat. 22.* sint mādãta (vt ait CHRIS TVS) in quibus vni  
uersa lex pendet & prophetã, Diliges domi  
num Deum tuũ, quòd est primum: & deinde  
proximum sicut te ipsum, quomodo hic ait  
Pau. Qui diligit proximum, vniuersam eun  
dem implere legem. Forsàn ad quæstionem  
quis (neq; verò ab re longè) respõdeat, quòd  
Paul. in præsentia non meminit, nisi de lege  
quæ est in secunda tabula, vbi officia conti  
nentur, quæ sunt exhibenda proximo: Nam  
neq; hæc tenus sermonem duxit, nisi de huius  
modi præceptis: neq; in subiuncto exemplo  
mentionem facit aliorum, sed / Non adultera  
bis, Non occides, &c. Secundum formã quæ  
est in Leuit. vbi prætermisissis præceptis pri  
mæ tabulæ, connumeratisq; vniuersis, quibus  
vincula societatis humanæ continentur, nihil  
de dilectione Dei subiungitur, sed hoc tantũ,  
Diliges amicum tuum sicut te ipsum, dicit do  
minus. Itaq; Paul. non loquitur nisi secundũ  
præsentẽ sermonem, scilicet, quòd qui proxi  
mum diligit, omnia præcepta complet, quæ  
sunt erga ipsum: sicuti qui Deum diligit, oĩa  
quoq; implet, quæ erga ipsum existunt. Neq;  
de modo implēdi quicq; affirmat, an legē im  
pleat, quòd ad intentionē præcipientis, ex cha  
ritate infusa, nec ne. At verò si impletio hæc  
intelligatur quòd ad intentionem præcipiētis,  
tunc quia sic impleri nequit absq; vera dile  
ctione Dei, necesse est descendere in alteram  
expositionem: nempe quòd subicitur de dile  
ctione Dei, eò quòd tunc verum habet altera  
expositio, propter nexum dilectionis Dei &  
proximi, qui diligit proximum, diligit Deũ,  
& vice versa: nam in dilectione proximi ab  
ditur dilectio Dei, tanq; vera eius causa, & in  
dilectione Dei dilectio proximi, tanq; insepa  
rabilis eius effectus. Quã ob causam (vt lib. 8.  
de Trin. adnotauit Aug.) solet in scriptura al  
terũ mandatum, sine alterius mentione pro

*Leuit. 19.*

ferri. Vt in Deut. Quid dominus Deus tuus  
petit à te, nisi vt timeas dominum, & ambu  
les in viis eius, & diligas eum. Et conuersa vi  
ce in Euang. Hoc vobis mando, vt diligatis  
inuicem. Addit autē idem Aug. loco citato  
super Galat. propterea meminisse hic citius  
Paulum dilectionis proximi, q̄ Dei, ad imple  
tionem legis, quòd Deum quis facillè mentiri  
potest à se diligi, quia rariore tentatione id  
probat: in dilectione autē proximi facilius  
conuincimur eam non habere, quia plures oc  
currunt casus, quibus id probatur. Vnde sa  
pienter Ioan. per dilectionem proximi rima  
tur dilectionem Dei, vbi ait, Qui non diligit  
fratrem suum, quem videt, Deum quem non  
videt, quomodo potest diligere? At re vera  
meminit solius dilectionis proximi, quia de  
officiis inter proximos mutuis sermonē præ  
cisè instituerat. Expositoni autem Origenis,  
quòd accipiatur hic / proximus / pro CHRIS  
TVS, qui in euang. talē se inducit, vt sit sensus,  
quòd qui diligit CHRIS TVM, facillè omnia cõ  
plet, non vsq; adeò libenter applaudit Pau  
linus textus.

Nam, Non adulterabis, Non occides,  
Non furaberis, Non falsum testimoniũ  
dices, Non concupisces, & si quòd est  
aliud mandatum, in hoc verbo instaura  
tur, Diliges proximũ tuũ sicut te ipsum  
Non est hic, quòd exponenda sit ratio horũ  
præceptorum, sicuti in proprio loco, quia tan  
tũ exempli gratia allata sunt huc. Hoc autē  
fatis fuerit adnotasse, quòd idcirco nõ memi  
nit præceptorum primæ tabulæ, quòd de sola  
charitate proximi (vti modò dicebamus) di  
cere proposuerat. Neq; verò quartum affir  
matium præceptũ de honore parentum cõ  
memorandum duxit, eò quòd neq; est adeò  
vniuersale, cũ neq; omnes habeant parentes,  
vel consanguineos, vel facultatē subueniēdi:  
neq; ita est pro quouis tẽpore obligans, vti  
negatiua hæc quinq; quæ vt vniuersos, ita &  
pro semper (vt aiunt) obligant. Quorũ tria  
priora ad iniurias spectant, quæ opere inferũ  
tur, siue in personam propriã alterius, siue in  
personam ei coniunctam, siue in exteriora bo  
na. Quartũ verò attinet ad iniurias, quæ ver  
bo fiunt. Et quintum, ad peccatum cordis.

[Et si quòd est aliud mandatum.] Adiecit more il  
lorum, qui inductione vtuntur, quibus non  
opus est per omnia singularia progredi, sed,  
quibusdam recensitis, reliqua eiusdem ratio  
nis sub genere comprehendere. [In hoc verbo  
instaura

*Deut. 10.*

*Ioan. 15.*

*1. Ioan. 4.*

*Luc. 10.*

instauratur, Diliges, &c.] Verbum hic Græ  
cum / διακλεφαλεσται / complures permittit  
versiones: Vnde aliqui transferũt / In summã  
huius verbi rediguntur / alii / hoc sermone  
summatim comprehenditur / & posset ad li  
teram transferri / hoc verbo recapitulatur.

Et Ambr. legit / consummatur. Nam / insta  
rari / aiunt (quòd est instar prioris exempli  
ris restitui) non videtur ad rem proximè ac  
cedere: nam præceptum non restituitur, seu  
reificatur, quòd sonat verbum / instaura  
tur. At verò interpret non illum forsàn secu  
tus est sensum, qui istis probatur: videlicet  
quòd omnia simul præcepta comprehensim  
cõtineantur sub isto, sicut particularia præce  
pta sub generali: quanquã hoc verissimum  
sit, sed hunc potius, quòd aliorum quodlibet  
particularium non est secundum virtutē nisi  
quædam dilectio proximi: & ideo in vno  
quolibet illorum hoc generale virtute repe  
titur. Quem sensum præ se fert Cyrillus, lib. 9.

*Ciril.* super Ioannem: atq; idem significanter ex  
primitur per verbum instaurandi, quòd vox  
ipsa Græca non fert illibenter. Quasi dixis  
set, Qui iubet proximum diligere, iubet non  
mœchari, & non occidere, & reliqua. Itaq;  
hoc verbum / Diliges proximum / singula ali  
orum instaurat, hoc est, fundat, corroborat  
& consolidat, veluti causa & stabilimentum  
omniũ. Neq; opus est, vt vsq; adeò adamu  
sim etymologiã verba vsurpentur. Neq; ve  
rò omnes Grammatici admittunt, quòd in  
staurare sit instar prioris staurare, vt sic di  
cimus, sed est in statum suũ rem quamlibet  
redigere, Quamobrem non ineptè / instaura  
tur / pro eo accipitur, quòd est / confirmatur,  
& inualidatur. Atq; huc pertinet Origenia  
na interpretatio, quæ exponit dilectionē, cau  
sam esse implēdi oĩa mādãta. Per hoc quòd  
qui proximum diligit, is neq; adulterium cõ  
mittit, neq; homicidium, aut furtum, &c. [Di  
liges proximum tuum sicut te ipsum.] Hoc est, ad  
eundem finem, qui Deus est. Vel, quòd idem  
pollet, sicut te, non propter alium diligis,  
sed omnia alia bona propter te ipsum, referē  
do te in solum Deum, ita & proximum non  
diligas, nisi propter se ipsum, hoc est, non pro  
pter tuum commodum, tuam ve voluptatem,  
sicuti diligis equum tuum amore concupiscē  
tiæ, sed bene illi velis, bonaq; precator pro  
pter se ipsum, ac si esset alter tu: hic enim syn  
cerus, Christianusq; adeò sensus est illius in  
ter philosophos celebratæ sententiæ, Amicus,  
alter ego. Qui enim sic diligit amicum, nulla

tenus illi erit, vel iniurius, vel nocuus, atque  
adeò totam erga eum legem impleuit. Quòd  
si alterum propter te, remq; tuã diligas, neq;  
eum tunc diligis sicut te ipsum, neq; in tuto  
ille est, ne cessante tuo cõmodo, eum lædas.

Dilectio proximi malum non opera  
tur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Conclusio est superiorum dilucidatoria. Pro  
bat enim, quòd qui proximum diligit, legem  
implet: quoniam dilectio malum non opera  
tur. Quo pacto ait alibi, Dilectio non agit  
perperam. Et qua ratione subicit affirmã  
toria præcepta, eadem quoq; silet officia po  
sitiua charitatis. Nam charitas non solũ non  
agit malum, verũ agit bonum, quòd perti  
net ad affirmatiuum præceptum. Sed quoniã  
sola negatiua commemorauerat, quibus dũ  
taxat prohibetur malum, ait / Dilectio proxi  
mi, malũ non operatur. Alii transferunt / pro  
ximo. Nam Græcum aduerbium / πρὸς ἄλλο /  
sõlo articulo / τὸ / vel / τῷ / variato, potest trãse  
ferri / dilectio illius qui proximè est / id est,  
proximi, vel, dilectio illi qui proximè est, ma  
lũ nõ operatur. At verò licet parum referat,  
præcedentibus tamẽ multò congruentior est  
genitiuũ, qui adiaceat nomini / dilectio. Atq;  
inde infert. [Plenitudo ergo legis est dilectio.]  
Et perspice quòd cùm in specie id tantũ  
proposuisset, quòd dilectio proximi esset im  
pletio legis, concludit tamen, quòd plenitu  
do legis est dilectio, in genere, vt tam Dei q̄  
proximi intelligamus. Vel quia in dilectio  
ne proximi (vti diximus) includitur dilectio  
Dei: vel quia (vti per priorem expositionem  
insinuauimus) nihil vult aliud constituere,  
quã quòd, sicut dilectio proximi plenitu  
do est legis positæ erga proximum / ita dile  
ctio Dei plenitudo est legis / & præceptorum  
erga Deum. Et potest conclusio, vel in ratio  
ne causæ intelligi, scilicet, quòd per dilectio  
nem impletur tota lex (sicuti modò diceba  
mus) vel certè formaliter, quoniã plenitudo,  
hoc est, impletio legis, perfectioq; & comple  
mētum, & consummatio eius, nihil aliud est,  
quã dilectio in opere. Vnde ad Col. Chari  
tatē habete, quòd est vinculum perfectionis,  
Quòd si placet plenitudinem legis, finem ip  
sum legis appellare, & tunc quoq; plenitudo  
legis est dilectio: nam finis præcepti, cha  
ritas.

Et hoc, scientes tempus, quia hora est  
iam nos de somno surgere. Nunc enim  
Z propior

*Col. 3.*

TERTIA  
PARS CA  
PITVLI.

propior est nostra salus, quam cum credidimus. In hac tertia parte capituli post institutionem hominis in ordine ad maiores, ac deinde in ordine ad æquales, efformat eum in ordine ad seipsum. Fit autem partis huius cum superiori colligantia sub exaggerationis figura, à temporis congruentia & opportunitate. Quocirca non est continuatio consideranda cum proximis verbis, sed cum illis superioribus exhortationibus / Necessitate subditi estote / Reddite omnibus debita, &c. Illas enim ut altius imprimat Romano sum mentibus, ait, [Et hoc,] Quasi dicat, atque id maximè. Haud enim legendum est / Et hoc scientes tempus / Ut hoc pronomen sit temporis. Nullum enim phrasim Græca permittit locum huic amphibologia, quippe ubi pronomen neutrius est generis, temporis autem nomen masculini. [Scientes tempus,] Hoc est, temporis opportunitatem & decentiam. Etenim inter reliquas circumstantias, illa quæ temporis est præcipue mouet. Quam ob rem Ecclesiastes sua singulis negotiis accommodat tempora. Nam ut ait rursus cap. 8. omni negotio tempus est & opportunitas. Quæ autem sit hæc temporis decens occasio, declarat, [Quia hora est nos iam de somno surgere.] Alii transferunt, quia opportunum est. Sed profectò cum græcè expressè sit, hora / non erat causa quæ aliud nomen affectaretur. Atque ob id minus, quod / hora / pressius denotat momentum surgendi, quam si dicas, tempus, quod esse potest, etiam dum non instat punctum. Et ut nihil non sua eloquentia commaculent, pro à somno surgere / transferunt / à somno expergisci: cum græcè non sit nisi verbum, quod proprie significat surgere: idem scilicet quod est apud Matthæum, Surge & accipe puerum. Et de socru Petri, Surrexit & ministravit eis, & ubicunque latine est surgere. Atqui ut alii scientissimè obseruarunt, plus est surgere, quam expergisci: sunt enim quos expergefatos à somno pigritia remoratur ne exurgant. Imò si ad animam id referas, sunt quidè qui expergefati à peccato, hoc est, illustrati, & per veritatis lumen à cæcitate liberati, adhuc vel ignauia, vel malitia decumbunt in sua prauitate. Paulus autem non solum nos contendit à somno excitare, sed vrgere quoque, ut neque segnitie & ignauia teneamur, quo minus festini exurgamus à somno ignorantia, & culpa, & negligentia. Est enim somnus gloriæ, de quo in

Eccles. 3.  
& 8.

Mat. 2.  
& 8.

Somnus  
triplex.

Psalmo, In pace in idipsum dormiam, à quo nunquam deturbabimur: & somnus contemplationis: de quo in Cantico, Dilectus admet ne excitetur dilectus: & est somnus naturæ, putæ, vel mors, de qua ad Thessal. Nolo vos ignorare de dormientibus, à qua suscitabimur postrema hora mundi: vel requies à vigilia, cuius hic similitudine utitur Paulus. ac denique culpa, ignorantia, & defidia, à quo commonefiunt Romani ut surgant. De qua hic autem hora nos admoneat Paulus, exponere progreditur. [Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.] Græcè non est / propior / sed / propius / genere neutro, quod quidem amphibolam reddit orationem apud Græcos. Potest siquidem verti / Nunc propius nobis est salus / vel / Nunc propius est nostra salus: nam / ἡμῶν / vtraque hic potest transferri voce, scilicet / & / nobis / & / nostra. Et ideo secundam lectionem secutus interpres, mutauit neutrum comparatiuum nomē in masculinum: quod sententiæ nihil profus incommodat. Subscribit ergo Paulus duas causas, ob quas hora sit iam de somno surgere. Vnam, quia propior est nostra salus: alteram in subsequenti textu, Quia iam aduenat dies. Variæ autem circumscribuntur glossæ huic textui, secundum quod tempus credendi, salusque atque appropinquatio salutis pluribus modis exponitur. At primum omnium salutis nomen in confesso est significare hic salutem æternam: nempe iustificationem, quæ in hoc seculo fit per gratiam, & possessionem vitæ in altero, quæ fit per gloriam. Vnde tam Origenes, quam Chrysostomus salutis tempus appellant articulum illum, quo in futuro seculo consummabitur hæc salus: siue vniuersalem consummationem intelligas in die iudicii, siue singulorum proprias in cuiusque obitu. Quocirca Chrysostomus appropinquare salutem existimat tractu temporis præsentis vitæ. Haud veruntamen ita adamussim explicant quid hoc sit, quod ait Paulus / quam cum credidimus. Alii verò nomine salutis, intelligunt, redemptionem factam per CHRISTVM. Sed hoc quod est / propius accedere, quam cum credidimus / non omnes vno modo glossant. Sed alii sic, quod, cum ad salutem per opera charitatis progrediamur / propior est sua cuique salus, dum prouectior est studiosis operibus, quam dum credere cepit, & maximè, quam dum fides est informis. Atque idcirco

Psal. 4.

Cant. 2.

1. Thess. 4.

Orig. &  
Chryf.

Sensus syn-  
eris Pauli

Exempli.

Mat. 3.

Dubitatio.

circo admonet (inquiunt) Romanos Paulus propinquiores iam tunc factos, dum illis scribebat, quam dum primum fidem susceperunt. Ait enim Chrysostomus, quod forsitan tractu temporis ceperant iam languescere in operibus charitatis: & ideo eos admonet, quod potius deberent vigilantiores esse, quanto longius tempus egissent in Christianismo. Ut autem sensum, qui penitissimus est menti Pauli, exereramus, id quod cap. 7. in verbis eius considerabam, hic etiam meditandum est, hic siquidem & qui subsequitur sermo, per illud maximè capitulum dilucidatur. Repræsentat inquam hoc loco personam publicam totius humani generis, à tempore, quo in Abraham primordia suscepit fidei CHRISTI, vsque ad CHRISTVM passum: cuius passione apertum est regnum cælorum, ac iustis omnibus factum est peruium: per huius namque possessionem regni, cōsummatio fit salutis nostræ: à qua possessione Patres antiqui arcebantur, expectantes salutis pretium. Paulus igitur veluti publicus eiusdem salutis præco, exhortatur hic Romanos, atque in ipsis vniuersum orbem, instigatque per hoc ad virtutis officia, quod iam nunc, patrata redemptione, multo sit propinquior salus hominibus, quam cum crediderunt: nempe dum per Abraham mundus recepit ab ore Dei fidem. Veluti si Parisiensis modò doctor in cathedra nomine totius vniuersitatis, quæ cepit ante mille annos, diceret, Nunc illustriores sumus literis, quam cum primas scholas instituissemus: aut si in suo Senatu diceret dux Venetus, Potentiores sumus quam cum prima iecimus fundamenta vrbs. Idem in summa videtur concionari hic Paulus, quod Ioannes, ubi clamabat, Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. At dubium tunc nihilominus restat, an salus hic pro redemptione ad iustificandum, regnumque aperiendum accipiatur, an verò pro gloriæ possessione. Nam si prius dederis membrum, tunc non debuisset dicere / propior est / sed, iam venit. Ioannes quidem rectè dicit / appropinquabit / quia CHRISTVS, nec regni valuas reserauerat, nec de illo ceperat prædicare. Paulus autem scribebat, post gratiam iam redemptionis exhibitam. Quod autem accipitur pro adeptione vitæ æternæ in futuro seculo, non adeò apparet consonum instituto hic Pauli, ubi tantum videtur conferre statum nascentis fidei sub umbra CHRISTI, per

Abraham ad statum eiusdem per CHRISTVM explicata: etenim cum fides, via sit ad salutem, quò explicatior est fides, eo propinquior est salus. Respondendum est forsitan, quod non accipitur hoc loco præcisè salus, aut pro iustificatione, aut pro possessione cælestis vitæ, sed comprehensim pro ambabus. Et vult sibi Apostolus, quod aperto iam regno cælorum, quod ante redemptum orbem non patebat, explicataque fide per Euangelium, subfectisque diuinitus tot sacramentis & auxiliis ad facienda opera, quæ fides per charitatem operatur, propior est nostra salus, hoc est, paratior & promptior: utpote quod planior est via, faciliorque, ut quisque valeat, tum ad fidem venire, per quam applicatur facta redemptio, tum maximè fide imbutus, officia præstare, ad quæ nos eadem erigit fides, allicitque & impellit, quam dum fides in incunabilis erat sub lege, ac veluti sub nubilo delitescerebat: nec tot erant nobis auxilia suppeditata ad promouendum per salutis tramites.

Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus. Hæc est persuasio secunda, cur debeamus studiose operibus incumbere, tam in proximos, uti iam denarravit, quam in nos ipsos, ut mox dicturus properat: nempe quoniam nox præcessit, dies autem appropinquauit. Videntur autem duo hæc membra non valde spontaneè coherere. Nam ubi nox præcessit, tunc dies non appropinquat, sed iam eluxit. Ad hoc autem respondetur, quod secundum binam interpretationem superioris textus de appropinquante salute, bipartita quoque est & huius expositio. Authores enim Græci, & Origenes, Chrysostomus & planissimè Theophylactus, qui, appropinquare salutem, ad aduentum gloriæ spectare putant, totam præsentem vitam appellant noctem, illamque supernam inaccessibili luce Dei, sanctorumque splendoribus rutilantem, censent diei appellatione. Quocirca non legunt / Nox præcessit / sed / processit, seu progressa est, ad diluculum properans, & si nondum sit peracta. Cui quidem expositioni favorabile est verbum Græcum / ἡσπέρησεν. Nam præpositio / πρὸς / græcè idem significat quod pro, latine. Et phrasim præterea hæc Pauli tali lectione videtur gaudere: nocte enim procedente, tunc

appetit aurora, diesq; appropinquat. Neq; illibenter res ipsa talem lectionem suscipit: nam tota hæc vita, tum peccatorum, tum etiã ignorantia tenebris obscuratur, plus scilicet sub lege veteri, minus autem sub euangelica. Et hoc est / noctem processisse / nimiru quasi vsque ad crepuscula diei esse iam promotam. At verò Hieronym. Ambro. & Latini omnes nõ legunt nisi / præcessit. Quapropter non est cur dicamus librariorum vitio processit / scriptu esse / præcessit / imò est credibilis ita vertisse interpretem. Nam / *περό* / græcè nonnunquam etiam vsurpatur pro eo quod Latinis est / præ. Atque hæc quidem lectio multò gratius fidelisq; seruit proposito Pauli, qui tum in tota hac epistola, tum maxime tam cap. 7. quam hoc loco, qui illi confinis est conferre persistit statum veteris legis cum euangelico. Quem quidem priscum statum illic appellat statum peccati, in quo passionem peccatorum per legem viuebant: atq; hanc maxime ob causam vocat illum hic / noctem. Et præterea quia fides tunc nubila erat, & cerimonia illa omnino futurorum vmbra, atq; adeò homines somnolenti, desidiaq; & torpore sopiti. Statum verò euangelicum producit hic, ceu diem, in quo CHRISTVS, veluti solis iubar per iustificatorem, gratiam cœpit orbem irradiare, iuxta illud, Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Et CHRISTVS ipse, Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Et infra, Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Fides namq; sole splendidius resulget, iuxta illud, Habetis propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucens in caliginoso loco, id est, quæ caliginem fugavit antiquã. Eandem similitudine diei & noctis persequitur, ad Thess. Vbi ait, Non estis in tenebris, sed filii lucis: igitur non dormiamus, sicuti & ceteri, sed vigilemus & sobrii simus. Vnde Ambrosio hoc noctis nomine vetus homo significatur, qui per baptismum innouatus est. Argumentum autem supra obiectum de verbo / appropinquavit / facile quis posset sic eludere. Quod qui dixit / appropinquavit / tali præterito significavit, diem iam esse, vt / dies appropinquavit / idem sit quod / accessit. Attamen, licet non taliter vsurpetur, sed pro eo, quod dicimus / proximè est / nihilò minus respõdetur, quod non dixit / dies venit / sed / proximus est. Primum quia lux hæc nondum erat oibus applicata, sed iustis. Et ideo ait / appropinquavit /

sicuti de salute dixerat / propior est / nempe quia paratissima est lux hæc illuminare omnem hominem vententem in hunc mundum, nisi quis propria culpa suos cõtegat mentis oculos. Et præterea quoniam lux gratia semper progreditur & augetur, quoad usq; lumine gloria cõsummetur: sicuti & de salute prenatauimus. Ob idq; ait / appropinquavit / id est, cœpit iã quasi in crepusculo lucescere. Haud enim ineptè gratiam respectu gloria crepusculum diei nuncupaueris. [*Abitiamus ergo opera tenebrarum.*] Applicatio est hæc, exempli diei & noctis. Etenim morale est, vilibus obsoletisq; homines noctu indui, negligentiusq; curare ea, quæ ad cultum pertinent, eò quod, offusis tunc tenebris, nemo videat habitum nostrum: interdum verò cum omni decoro vnusquisq; studet prodire. Ait ergo Paulus, qui hæctenus sub frigore & nubilo legis iacuumus, vbi nec fides adeò elucebat, neque auxilia suppetebant, vt charitatis calore accenderemur, nunc, aduentante die (quam horam esse dixerat surgendi à somno) abiciamus opera tenebrarum. Loquitur in prima persona, ne aliis videatur, non sibi cum aliis legem ponere. Appellat autem opera tenebrarum, peccata: quoniam, & deficiente rationis luce concipiuntur: nam omnis peccans est ignorans: & non nisi in tenebris exercentur: quoniam qui malè agit odit lucem: & ad tenebras illas exteriores nos extrahunt, in quas (iuxta verbum euangelici domini, qui fecit nuptias filio suo) propheta iubebitur quisquis aderit absq; veste nuptiali. [*Et induamur arma lucis.*] Contrariis omnino de causis virtutum opera, non solum ornamenta sunt lucis, verum & arma, quibus spiritus pugnat aduersus carnem. Gignuntur enim, vegetanturq; rationis radio, diuinitus micante, dignaq; sunt, quæ in meridie fiant, & in conspectu hominum, qui videntes glorificent patrem, qui in cœlis est. Et præterea ad illam nos lucem prouehunt, quam Deus habitat inaccessibilem. De his ergo ait Apostolus. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Et infra. State & succingite lumbos vestros in veritate, & induite lorica iustitiæ, & c. [*Sicut in die honestè ambulemus.*] Forsan quis particulam / sicut / diuidat in duas. Sic induamur, vt honestè ambulemus: tamen græcè vnica simplex est / vt / vel si dicas / quasi / hoc est, armemur arma lucis tanquam honestè, putà cum decoro & decenter ambulantes: quod est, incedentes

Gratia crepusculum.

Opera tenebrarum.

Eshe. 3.

Ioan. 3.

Mat. 22.

Arma lucis.

Mat. 5.

Ephe. 6.

dentes & prodeutes in lucem diei, quando circumquaq; ab omnibus conspiciamur ac iudicamur.

Non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitis, non in contentione, & æmulatione: sed induimini dominum Iesum Christum, & carnis curã ne feceritis in desideriis. Explicationem subiicit vtriusq; membri superioris præceptionis, tã illius scilicet, quod est, abicere tenebrarum opera, quam alterius, quod est, induere arma lucis. At quauis vniversa delictorum, flagitiorumq; genera, opera sint tenebrarum, rationibus modò scriptis, sex tamen peculiariter hic commemorat. Haud enim per transgressiones omnes discurret, quarum prohibitiones iam modò exempli gratia, recensuit. Et quauis omne quod est in mundo, sit vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, nihil tamen de concupiscentia oculorum, hoc est, de auaritiã criminibus commemorat, quæ ad iniuriam pertinent aduersus proximos: quoniam hic tantum hominem informare, componereq; instituit erga seipsum. Ob idq; ea penitus refert, quibus vtranq; partem sensitiui appetitus reformet, scilicet, concupiscibilem, & irascibilem. Concupiscibilem autem in eas fertur voluptates, quæ ad cõseruandum, vel indiuiduum per cibum & potu: vel speciem per concubitum attinent. Quinimò videre hic mihi videtur Paul. vt decorum exempli & similitudinis seruet diei & noctis, illa prorsus vitia subnotare, quæ ad literam noctu plurimum perpetrantur. Comestationes enim, & si apud antiquos conuiuia generaliter dicantur, vbi singuli sua symbola cõferunt, vsurpatur tamen propriè nomen hoc pro illis intempestis conuiuiis, quæ post cœnã fiunt, veluti ientaculum, epulum est, quod sitante prandium, & merenda, quæ ante cœnam. Vnde / *κώμῳ* / quod hic ponitur græcè, Deum significat infamem, qui illis prædebat nocturnis comestationibus. Hæc enim conuiuia ad multam noctem protrahi solita, luxu lasciuissq; instructa, plurimã parturunt, proferuntq; flagitiorum ac scelerum segete: interq; maximè sunt crapula, ac temulentia, impudicitiaq; ac deniq; lites & iurgia. Quocirca talia conuenticula, non tam conuiuia, à conuiuendo dicenda sunt, quam combibia, hoc est, comotationes, quas Græci / *συμῶδες* / dicunt. Est veruntamen adnotandum,

1. Ioan. 3.

Concupiscibilis & irascibilis.

Nocturna delicta.

quod si nomen gula solùm dicat vitium ordinis, ad suum peculiare obiectum & finem: scilicet, nimium appetere delectationes cibi & potus, genere suo, non est mortale peccatum, sed veniale: at quatenus importat corruptum ordinem ad supremum finem, putà ad Deum: nimirum quando cibo & potu ita fruitur homo, vt paratus ob hoc sit transgredi præcepta Dei, tunc est lethiferum. Hanc enim voluptatis fruitionem, tanquam summi finis, subnotauit Apostolus ad Philipp. in illis quorum Deus venter est. At verò ebrietas, quia non solum nimium potum significat, sed rationis priuationem, genere suo dicit lethale flagitium. Est autem præterea vitium hoc, ea ratione capitale, qua caput, radixq; & mater est aliorum flagitiorum: vel quinq; maximè quæ. 31. Moralium refert Gregorius: putà, ineptæ lætitiæ, scurrilitatis, immunditiæ, multiloquii, atq; hebetudinis mentis. Quare Apostolus ebriosos connumerans cum idolis seruientibus, præcipit cum huiusmodi infamibus nec cibum sumendum esse. Conferamus ergo cum huius enormitate vitii, vsum & morem, qui magna iam ex parte orbem Christianum inuasit. Non enim eò tantum res processit, vt pro nulla ducatur impudentia talium gregi commisceri, verum eò vsq; vt pro magno ducatur honore, huiusmodi crapulis ingurgitari, propinationibus coniuuas prouocare, feritatemq; ipsam gula stimulare & irritare, ad prosternendam, iugulandamq; rationem, vnde homo & rem sortitur & nomen. Quo reuera nihil esse potest naturæ nostræ repugnantius. Irrationale quippè animal, nulla, vel vi, vel arte euincere potest, vt ultra naturæ necessitatem pabulum infumat: homo verò, in hoc ratione dotatus, vt frugalius parcusq; viueret, eo ipso, quod rationalis est, brutorum metas transgreditur, vimq; vsq; ad rationis ipsius iniciem infert naturæ lux. [*Non in cubilibus & impudicitis.*] Post comestationes & ebrietates quid nam coniunctius subiungeret, quam cubilia & impudicitias? Ecquid enim aliud ignis, structis lignis, faciat, quam ardere? Hæc autem duo ad diuersa nonnulli referunt, vt cubilis nomine tantum delicias, molliciemq; lecti intelligant, ad captandam voluptatem somni, quod genere suo non esset mortale, nisi sicut de gula diximus. At forsitan cubilium appellatione, scortationes ipsas spurcosq; complexus significat, quos explicatius cognominat impudicitias.

Gula vitium.

Philipp. 3. Ebrietas.

Grego.

1. Cor. 5.

Enormitas gulae.



Nam/cubile/Latinè,sicuti & græcè/κοιτη/ & si lectum quoque significet, vltatius tamen est, vt accipiatur pro ferarum lustris, à luto dictis: hoc est, pro paludibus & cœnolis locis, in quibus feræ cubât: quapropter cubilis nomine, infamiâ & dedecus subnotat Paul. spurciæ hominum, qui veluti pecora voluntantur in stercore & luto. Acerrima hinc ergo colligitur accusatio in eos, quos hæc opera tenebrarum non depudet in publico perpetrare. Quos enim tenebrarum nomen non absterret arcetq; à crimine, conterritos saltem habeat, ne nocturna lutulentâq; tenebrarum opera luci offundant, atq; illos offendant, qui induti sunt armis lucis. Deus nanq; qui nihil optatius à nobis desiderat, quàm vt luceant opera nostra bona, vt glorificetur ab hominibus, nihil ideo fert grauius, quàm eum (iuxta verbum psalmi) gloriari in malitia, qui potens est in iniquitate. [Non in contentione & æmulatione.] Hæc iam vitia ad appetitum irascibilem attinent. Sed tamen ex temulentia ipsa & calore vini in comestationibus plurimum suboriuntur inter compotores. Quam ob rem cum calor potus silētium rumpit, facile colloquium prorumpit in clamores & contentiones. Extenditur nihilominus præceptio ad omnes cuiusvis generis contentiones, vt initio subsequētis capituli patebit. Sunt autem contentiones, æmulationis & inuidia arctissima affinitate coniuncta. Est inquam, in primis inuidia contentio nis mater: inuidus nanq; cum ferre nequeat aliorum sententias, promptissimus est, vt contentionibus contēdat. Et sæpè contentio ne ipsa æmulatio crescit & inuidia. Optimè ergo sunt hic ab Apostolo composita postcomestationes, [Sed induimini dominum IESVM CHRISTVM.] Explicuit opera tenebrarum, quæ abiicienda nobis sunt: declarat ergo iam, quid sit arma induere lucis, idq; cum maxima orationis sublimitate & vehementia. Etenim quoniam arma lucis, virtutes sunt vniuersæ, quibus CHRISTO in hac vita aduersus Sathanam militamus, fons autem earum ac robur idem ipse sit, cuius merito, fides cum virtutib; cæteris infusa nobis est, non satis arbitratus est, obsecrasset, vt nos virtutibus adornemus, sed adhortatur, vt CHRISTVM ipsum induamus, hoc est, ita per virtutū exercitium CHRISTVM imitemur, vt nihil in nobis, nisi eius appareat imago, ad modū indumētī, quod solū se representat in homine. Itaq; induere CHRISTVM idem sit, quod,

Contra manifestarios peccatores.

Mat. 5.

Psal. 51.

Inuidia.

Induere Christum.

ipsum imitari. Vel, si mauis, idem quod, demutari in ipsum, suscipiendo eius figuram: sicuti qui creatur in regem, induit personam regis, & qui assumitur ad functionem episcopatus, induit personam episcopi. Per hanc etenim metaphoram dixit ad Gal. Quicumq; in CHRISTO baptizati estis, CHRISTVM induistis. Qua etiam ratione ad Ephes. ait, CHRISTVM habitare per fidem in cordibus nostris. Contendit nos ergo Apostol. tam extrinsecus, quàm intrinsecus CHRISTO implere & perornare: nempe, vt qui per fidem in baptismo merita eius participamus, postmodum per imitationem eundem foris referamus, vt non nos in nobis, sed CHRISTVS semper viuat. Ob idq; subiungit. [Et carnis curam ne feceritis in desideris.] Haud enim (vt capit. 8. diximus) interdixit nobis omnem curam carnis vsq; adeo, vt non debeamus ei in necessariis providere: quando quidem iuxta eius testimonium, Nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet: sed hoc tantum à nobis deponit, quod non geramus eius curam in desideris, hoc est, in inexplebili auuiditate, ac si hæc corporea vita esset finis noster, cui deberemus studia nostra referre: hoc enim est, quod supra cap. 8. nos prohibuit, vbi ait, Debites sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus, sed spiritui, cui vita ipsa carnis referenda est, & secundum eius leges transigenda.

### CAPVT XIII.

**I**nfirmum autem in fide, assumite, non in disceptationibus cogitationum. Cum capite. 12. perfectorum officia docuerit, & capite proximo obedientiam peculiariter demonstrauerit, quam inferiores superioribus debent, in hoc iam & subsequēti demonstrat officia, quæ perfecti & robusti in fide debent debilibus, in hoc quidē, quomodo non debent eos spernere, nec scandalizare. In quinto decimo verò, quomodo debent eorum imbecillitatem ac infirmitatem sustinere. Hæc enim opera ad vsum gratiæ pertinent, de quo tractat in his quatuor capitulis. In duo ergo partiamur capitulum præsens. In altera enim parte prohibet, firmos ne infirmos spernant, infirmosq; vicissim ne alios iudicent. Et in altera / Sed hoc iudicate magis / inhihet scandalum: nempe vt nemo illis offendiculum ponat. Attamen licet

Distributio capituli.

Infirmas.

1. Cor. 13.

Ephes. 5.

licet in vniuersum de quouis genere infirmitatis doctrina hæc sit intelligenda, præsertim spiritualis, ad peculiarem tamen eius intellectum prænotare opus est, quod tunc dum Ecclesia veluti infans erat, quidam conuersorum ex Iudaismo (quod iam alibi supra tetigimus) credebant, contendebantq;, per Euangelium non fuisse antiquatam legem, sed cum illo potius obseruandam. Id quod latè patet Actuum. 15. Et hos appellat infirmos in fide, quasi nondum satis progressos confirmatosq; in cognitione fidei. Præfigit ergo statim capitalem propositionem, quam continuo declarat, ac subinde probat. [Infirmum autem in fide assumite.] Græcè non habetur præpositio / in. At verò sententiam non modo non variat, verum elucidat: nam cum nomen fidei, quandam per se significet cognitionis infirmitatem, quam Aposto. ad Corinth. appellat cognitionem ex parte, si tantum dixisset / infirmum in fide / amphibolum esset, an tantum vellet dicere, infirmum ob hoc quod non clarum, sed obscuram cognitionem habet: id quod omnibus Christianis commune est. Cum autem ait / Infirmum in fide / languorem quandam infirmitatemq; & imbecillitatem intelligit illius, qui non admodum fide prouectus est, & irrobortus. De hac nanq; infirmitate sermonem hic instituit, non de corporea. Eadem enim ratione & cap. 4. de Abraham dictum est, quod non infirmatus est in fide. Sed & pro / assumite / alii transferunt / adiuuate. Solem enim adiuuare infirmos. At præterquam quod vbi Græci / προσλαμβάνω / propriissima significatio est / accipio, & assumo / idemq; verbū sit paulo inferius / Deus illum assumpsit / congruentius etiam est propositio: iubet enim vt talem infirmum non protinus à nostro cōtubernio proiciamus, sed illum, vt recuperemus, benignè suscipiamus: exemplo Dei, qui nostras infirmitates assumpsit. [Non in disceptationibus cogitationum.] Græcè accusatiuus est / disceptationes / ob idq; alii transferunt / Nō ad disceptationes cogitationum / seu / ad iudicationes. At frequentissimum Græcis est, sub hac figura accusatiuo vti pro ablatiuo: qua ratione vltimum verbum Græcum superioris capituli est / in desideria / pro / in desideris. Haud enim hic Paul. finem assumptionis exprimere cogitauit, scilicet ne eo fine quis assumeret infirmum, vt disceptationibus cum illo ageret, siue, vt de illis ambo iudicarent: sed explicat modum, quo eū de-

bemus suscipere: scilicet ne disceptationibus cum illo contendamus, sed leniter & blandè amplexemur & informemus. Disceptatio enim nō idem est, quod / disputatio / sed idē, quod / contētio / quod in malum sonat. Alludit enim ad id, quod in calce superioris capituli admonerat / Non in contētionē & æmulatione. Quinimò hic est nodus continuationis capituli huius cum superiori. Quum enim dehortaretur Romanos à contentione, appositissimè subdit / Infirmū in fide assumite absq; contentione & disceptatione. Tametsi & transferri potuit / Non in iudicationibus.

Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.

Tres sunt in hoc textu propositiones. Prima videlicet bimēbris, quæ est velut descriptio horum, quæ sunt / Infirmus in fide / & / firmus in fide / duæ autem, quæ habent præceptionum vim. Etenim inter legis cerimonias, quædam erant de delectu ciborum, quæ scriptæ sunt in Leuitico. Vbi interdicebatur populus ille esu animalium plurium, non solum terrestrium, verum & aquatiliū & volatiliū, tum ob rationes alias, quas hic non est locus enarrare, tum etiam ob mysteria & figuras rerum, quæ futura erant tempore gratiæ: quæ ideo cerimoniarum non erant duraturæ, nisi vsq; ad veritatis præsentiam. Distinquit autem Augustin. contra Hieronymum tria tempora. Primum ante CHRISTI passionem, quo præcepta illa viuebant, vigeabantq; & obligabant: secundum à passionis articulo vsque ad sufficientem promulgationem Euangelii, quo quidem mortua erant, quia neminem obligabant: nec quicquam proderant: at nondū erāt mortifera, sed illis licita, quæ ex Iudaismo conuertebantur: dum modo nemo in illis spem sic firmaret, vt crederet absq; illis fidem & gratiam CHRISTI non iustificare. Fuit quippè providenter ignorantia illa permessa aliquantulo temporis tractu, vt synagoga, non veluti Gentilitas prosciberetur, sed sepeliretur cum honore. De quo secundo tempore intelligendus est hoc loco Paulus. Tertium verò tempus est post sufficientem promulgationem Euangelii, quando lethifera sunt, veluti falsa signa futuræ rei, quæ iam est præterita.

Leuit. xi.

Aug. distinguit tria, tēpora.

Z. 2. Igitur

Igitur Romani, non solum ex Gentilitate conuersi, verum & quidam ex Iudaismo, pro- uectiores in fide, credebant cessasse legalia, atq; adeo per veritatem euangelicam factam fuisse facultatem edendi quaelibet: sicuti Petro ostensum fuit in linteo animalium pleno, atq; hos ceteros firmioris fidei. Sed erant alii pusilli ex Iudaismo cacutientes ignorantia, quod non licebat immundis vesci: quos appellat in firmos in fide. Vnde illos firmiores admonet, ut hos assumant. Ait ergo, [Alius.] Nempe doctior per fidem. [Credit se manducare omnia.] Hoc est, licitum esse omnium ciborum esum citra delectum. Et ait / credit / quasi per fidem, ad quem gradum fidei alii nondum erant progressi. At pronomen / se / non extat graece. Sed tamen nihil rem vitiat. Sunt autem, qui paraphrasin hic faciunt potius, quam translationem transferentes / Alius quidem credit vescendum esse quibuslibet / cum tamen graece nihil aliud sit, quam / manducare omnia / qui quidem hebraismus est eundem reddens sensum. Sed vide quam de nihilo taxare hic isti pergunt interpretem. Aiunt quod non de- buisset vertere / omnia / sed / quauis / seu / quaelibet / hoc est, sine delectu. Nam quis posset inquirunt, edere omnia? Vide inquam cauillum. Graece enim in primis est / παντα / quod est / omnia. Sed praeterea, quis nam posset suspicari, hoc insinuari per hanc orationem, quod ad perfectionem fidei pertineat, deuorare simul omnes, ac singulas escas? Praesertim cum / omnia (nisi apud nimium grammaticos) con- suevit quoque nonnunquam accipi in eodem sensu, pro eo quod est / quaelibet. Alioqui cur non simile illud corrigunt, Omne quod in macello vanit, Et, Omne quod vobis apponitur manducate. Haud enim hortari illic nos cogitat, ut omnia veluti helluones deglutiamus, sed quod absque discrimine quolibet utamur cibo, pro sua quisque necessitate & indigentia. [Qui autem infirmus est.] Nimirum qui arbitratur non licere communibus vti, [Olus manducet.] Hoc est, ab omnibus abstinere, quae sunt lege prohibita, in quibus putat periculum existere peccandi. Quauis nondum plane constet, an interpretes transcripserit de praesenti / manducat / sicuti modo est in codice Graeco, responderent ad verbum prioris membri / alius credit. Etenim forsitan legit graece / manducet. Nam quod ei quidam obiciunt, nemini praecipere hic Apostolum, olus manducare, nullius est momenti: quoniam niam verbum / manducet / non praepTORIUM

est in praesentiarum, sed permissorium. Enim vero quoniam non solum ex omni genere animalium (vbi diximus) interdicta essent Iudaeis plurima, verum & licitas carnes certo praescripto modo deberent occidere, euiscerare, & mundare, antequam comederent: quae nunc de causa carnis abstinere, quae a Christianis maculatae sunt, ideo superstitiosi illi adeo sese alienabant ab aliorum conuictu, ut solis oleribus victitarent: simulantes forsitan (vt vult Chrysostr.) id non legis obseruanda gratia facere, sed propter ieiunium. Ex oleribus namque, sicuti neque ex fructibus, nihil lege prohibebatur: eod quod simplicissima essent hominum alimenta, in ipso statim orbis exordio primis mortalium concessa, Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semine super terram, & vniuersa ligna, &c. vt sint vobis in escam. Et quauis in paradiso interdicta fuit arbor vna, tamen cum prohibitio- nem illam fuissent primi parentes transgressi, noluit postmodum Deus Mosaicum populum interdicto cuiuspiam, vel oleris, vel arboris deterere. Debemus hic tamen illud recolere, quod praefati sumus, puta quod quando Pau. permittebat Iudaeis conuersis abstinere ab immundis, durabat tempus, quo ignorantia cessationis legalium non erat peccatum: tunc enim licitum erat sic ignorantibus abstinere propter existimatum periculum culpae in esu illorum: secus vero nunc. Quin vero apostolus ipse Petrus in eadem fuit aliquando ignorantia, quoad vsque properans ad Cornelium, vbi iam commercium cum Gentibus inibat, per linteum communibus animalibus plenum admonitus fuit, licere iam deinde promiscuum communemque ciborum usum. Adde igitur, quod non valentibus ignorantiam euincere, necessarium erat, ne contra conscientiam agerent: nam qui amat periculum, peribit in illo. Haud tamen sic intelligendus est in praesentiarum Paul. vt qui legales illas obseruantias probet, sed veritus (vt ait Chryl.) ne perfectiores minuta illa nimio rigore emendare volentes, infirmos illos ab alienarent a fide, praecipit, ne illos contemnant. Quo fit, (vt in prologo praenotaui.) Epistolam hanc in qua has tolerat obseruantias legis, prius fuisse scriptam, quam ad Coloss. in qua veluti Christianos solidioris iam fidei admonet, sicuti radicatos iam in ipsa & confirmatos, ne quis eos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, & secundum elementa mundi, & non secundum CHRISTVM. Et

Act. 10.

1. Cor. 10.

Gen. 1.

Act. 10.

Ecc. 3.

Col. 2.

Gal. 4.

Et infra, Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum, quae sunt umbra futurorum. Et, Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Veruntamen quauis hic qui expositus est, genuinus sit, syncerusque sensus Pauli, haud tamen aspernanda est alia glossa Augustini, quae inter ordinarias extat, nempe vt infirmus quoque censeatur in praesentia ille, qui licet omnia credat, est tamen infirmus in operibus fidei: utpote qui acrem cum carne purgnam sustinet: huic etenim salubre est, a carnis & huius generis solidioribus, calidioribusque alimentis abstinere, oleribusque & tenuioribus sustentari: non propter legalem immunditiam, sed vt per inediae escam fomentumque vitiorum indomitae carni subducat. Huiusmodi enim infirmum, nil mirum, si etiam hic Pau. assumendum, hoc est, tolerandum iubet ab illis, qui cum sint validiores, edere absque periculo possunt omnia. [Is qui manducat, non manducantem non spernat.] Haud intelligas, Is qui manducat olus, sed, is qui manducat omnia, puta, firmus in fide, non manducantem, scilicet infirmum, &c. [Et qui non manducat.] Puta infirmum non manducantem omnia. [Manducantem non iudicet.] Nota sermonem hunc de manducantibus & non manducantibus, inde originem, ordinemque ducere, vbi admonuit, Curam carnis ne feceritis in desideris. Congruentissima autem profectio dispensatione distribuit duo haec verba, suum utriusque proprium tribuens, utpote firmo, & infirmo. Est enim periculum, quod proprie excellentioribus, & quauis dote praestantibus, siue spiritali, siue seculari, imminet, inferiores humilioresque despiciere, & contemptui habere: quando quidem excellentia superbiam parturit. Ob idque admonet, ne illi robustiores Christiani, imbecilliores aspernentur, veluti obseruatores illarum minutiarum legis, quae non erant, nisi quaedam puerorum elementa, agentium sub paedagogia, quae quidem elementa iam non conueniebant haeredibus in legitima aetate. Est enim forsitan allusio ad homines, quibus, viris iam factis puerorum rudimenta ludibrio sunt. Quocirca isti in praesentiarum non censentur firmiores in fide, eod quod prouectiores essent operibus fidei, puta charitate, per quam fides operatur. Nam tales perfecti neminem despicerent: sed dicuntur firmiores in cognitione fidei, eiusque intelligentia. Quae quidem, vbi non adest charitas,

Supbia excellentioribus insidiat.

Gal. 4.

inflare etiam solet hominem, sicuti aliae scientiae. Infirmioribus autem & imbecillioribus, quibus non congruit superiores spernere, eod quod materia non habent superbiae, alterum genuinum est vitium inuidiae, ex quo nascitur illa aegritudo animi, vt de superioribus male apud seipos incipiant iudicare. Hanc igitur ob rem dehortatur vicissim pusillos, ne firmiores in fide iudicent, quod videlicet, vt ventri seruietes, cibis vniuersis Gentilium vterentur, in praedudicium & ignominiam legis. Iudicare / hic ergo pro / condennare / vsurpatur: nam nisi sententiam apud nos feramus de fratre, non est mortale peccatum. Et discussio, citra suspicionem, de aliena vita nulla est culpa: in suspitione vero, est ventralis. Sed est praeterea perpendenda hic humana peruersio. Infirmiores, inquam, quo nomine indoctiores subnotat, qui peritiorum iudicio stare deberent, ii sunt quos citius inuadit iudicandi libido: sapientiores vero, quibus maxime incumbit humiliores blandere corrivere & instruere, procliuius sunt ad contemnendum, quam ad corrigendum. Quocirca (vt ait Chry.) Apost. non prohibet in priori membro, ne qui manducat, non manducantem corrigat, aut doceat, sed ne contemnat. Neque in secundo vetat, quod minus infirmo, qui scandalum accipit, conuenire illum liceat, qui dare videtur, & interrogare, cur ita faciat, sed hoc tantum iubet, ne inaudita causa, temere sententiam ferat de opere, quod enim latet, qua intentione, quae causa, rationeque fiat. Facile applicari hoc etiam potest ad alium sensum, si nomine infirmi, pugnantem cum carne intelligas, vel eum qui fructibus poenitentiae carne affligit parsimonia victus. Ope- rosum esset hic, & praeter commentariorum legem, multis verbis cum Lutheranis concertare de ciborum delectu, quem tum per alia loca scripturae, tum etiam per hunc proscribere moliti sunt, & a Christianorum familia turpiter profligare. Id nimirum nobis calumniantes, quod Iudaismus his caeremoniis profitemur, in quo huiusmodi delectus iussus erat. Neque id solum, sed quod cum illis haereticis conspiramus, quos Paul. futuros pronunciauit, prohibentes nubere, & abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus: cum tamen CHRISTVS commonitos nos fecerit, non quod intrat per os coquinare animam, sed cogitationes quae exeunt a corde. At vero, vt de multis paucis dicamus, non vident, quanto ipsi apertius in

Pusillorum morbus inuidia.

Humana peruersio.

Lutherani de delectu ciborum.

1. Tim. 4.

Mat. 23.

*Philip. 3.* illorum militet castris, de quibus idē Apōst. ait, sapē se & flentem meminisse, inimicis crucis CHRIS TI, quorū Deus vter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Vbi Heliuonem Cherintū designauit, eiusq; *Terminiani.* asseclam Iouinianum, quem Hiero. Christianorum Epicurum appellat. Huius quippe hæresis inter alias fuit (referente id Augustino, lib. de hæres. cap. 82.) nullum habendum esse Christianis ciborum delectum. Eandemq; post hæresim Vualdenses & Hussitæ suscitauerunt, quorum scholę lubentissimus sese Lutherus fatetur addictum. Igitur ciborum delectus, abstinentiaq; a carnibus, tribus potest fieri de causis. Prima, quasi sua sint natura mala & immūde: vti Taciani, Priscillianistæ, & alii eiusdē sectæ prædicabant, infamantes cum Manichæis creaturas Dei: de quibus tamen ipse testatur, quod vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Tamen Iouinianus inde maximè collapsus est in hunc errorem, quod coitum animalium putabat esse rem scdam & execrabilem, inde enim tan nuptias vituperabat, quam esum carnium ex animalium congressu nascentium. Hos ergo hæreticos atq; hanc abstinentiæ causam condemnat Paul. loco citato ad Timotheum, vtpatet ex subiunctis eius verbis, Quia omnis creatura Dei bona est. Quasi illi inde improbassent carniū cibum, quod eas reputassent natura sua sordidas. Atq; idē significat aliis suppositis verbis, Nihil reiciendum, quod cū gratiarum actione suscipitur. Secunda causa huiusmodi delectus esse potest, Mosaica, vtpote si ea ratione, qua à Iudæis, id fieret, que itidem causa absurda esset. Multis veruntamen interuallis delectus ciborum apud Iudæos diuersus erat à nostro. Primum, quod illi non omnes in vniuersum carnes abiiciebant, neq; certis temporibus, sed vice versa, quasdam certas perpetuo tempore, vt illorū animalium, quæ vngulam non findunt, neq; ruminant, atq; aliorum aliis de causis. Neq; verò tantum carnes erant illis interdictæ, verum et pisces complures. In summa, illi ob immunditiem corporalem, quæ inde contrahatur, & potissimum veluti in signum mysteriumq; futurorū abstinebant. Nos verò contra non in perpetuum (nisi quis ex voto, tali sese consecrauerit religioni) sed statis temporibus ab omni carniū genere abstinemus: nō vtiq; veluti cerimoniam obseruantes, quæ sit futurorum vmbra, sed primū, vt (secū dum Ioannis exhortationē) delictorum debita fructibus

*Triplex ab stinentiæ causa.*

*Gen. 1.*

*Delectus ciborū apud nos diuersus ab illo Iudæorū.*

*Mat. 3.*

pœnitentiæ cōpensamus: mox vt corpora, exemplo Pauli, tali inedia castigantes, in seruitutem redigamus: nepe vt, tum rationi ad reliqua virtutū officia libentius promptiusq; obsequantur, tum vt animū sinant liberius spiritualium contēplationi & exercitio vacare. Adde quod per ieiuniū (vt ait Grego.) decimas Deo soluimus vitæ, quā nobis ipse donauit. Nam cū vita in victū consistat, hoc modo genium nostrū defraudātes, particulam vitę auctori nostro offerimus. Ad hæc deniq; & hoc quoq; modo (iuxta monitū dñi) animam nostrā odimus in hoc mūdo, quā custodimus in vitā æternā. His autē rationibus adeo delectus carniū nō est superstitiosus, vt qui negāt eum esse ad vitā Christianā, tum necessariū, tū ideo cōsultissimè ac sanctissimè institutū, sint planè hæretici: quemadmodū in Cōciliis Cangrensi, Toletano, & aliis sanctū est. Neq; id profectō temerè, sed explorata prius veneranda abstinentię antiquitate, quæ ab ipsa statim terrestri paradiso, vbi vnicū fuit tantum abstinentię præceptū, ortum ducit. Id quod nobis documēto est, q̄ sit mater vitiōrū oīm gula, quamq; per abstinentiā refecentur vniuersorum fibrę. Quod rursus, et Mosaicū ieiuniū in susceptione legis, & syluester locustarū vitiōrū præcursoris, & abstinentiæ legislatoris nostri CHRIS TI quadraginta dierū, & pugna dæmonis, qui primos parētes gulæ mucrone iugulauit, quo primū spiculo aggressus est CHRIS TVM, maximè contestantur. Effet hic autem prælongum, perq; graue, vtriusq; testamenti exempla de abstinentia & ieiunia perlustrare: in quib; videas quod nemo vnq; vel priorum, vel posteriorū Patrum quodq; egregiū facinus attentauerit, nisi sancto abstinentiæ fulcumento præmunitus. Fuere nanq; semper sanctorū proceres, tā sacris elogiis, q̄ experimēto edocti, quod sicut corporeis, ita et spiritualib; morbis medēdis, nullū, q̄ diæta, præsentius est remediū, nullaq; ad bonā valedudinē vtriusq; hoīs salubrior medicina. Alii verò sunt qui in suis propugnaculis Ecclesiæ aduersus Lutherū iustos de hac re tractatus instruxere, vt longissimos, ita profectō eruditione & pietate conspersos maximè. Sed aiunt, Quid hæc ad interdictū carniū, & ad demonstrandū talē Ecclesiæ authoritatē, vt possit ad genus hoc abstinentię, præcepto cogere Christianā libertatē? Satis enim esset, si vnusquilibet sua spōte, pro sua valetudine & necessitate, modo suo abstineret. Sūt enim, in quiunt, & pisces, & inter herbas nonnullæ, & præ-

*1. Cor. 9.*

*Greg.*

*Ioan. 12.*

*Conciliorū decreta.*

*Exo. 14.*

*Mat. 3.*

*& 4.*

*De carniū interdicto.*

*Autoritas Ecclesiæ.*

*Ioan. 16.*

*Mat. 18.*

*Luc. 10.*

*Luc. 22.*

*Mat. 5.*

*Libertas Christiana.*

*Mat. 11.*

præsertim vinum, quæ corpus peius inflamman, quàm carnes, quorum ideo vsui parceret, esset consultius. Ad hæc quidem obiectionem, quatenus Ecclesiæ authoritatem suggillat, nullus est hic respondendi locus: quippe cum Paul. de illa in præsentiarum nihil meminerit: attamen illam pro constitutissima supponamus ex verbis Euāgelii, vbi Petrus constitutus est pastor, & Ecclesiæ gubernator: et vbi ait illi CHRIS TVS, Quod qui Ecclesiam non audierit, sit ei sicut Ethnicus & publicanus: & vbi ait, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: et vbi præcipit Paul. Vt omnis anima potestatib; superiorib; subiiciatur: quia talis potestas non sine causa gladium portat, aut spirituales videlicet, aut seculares: quas duas potestates comprobauit CHRIS TVS, vbi offerentibus ei discipulis duos gladios, respondit satis esse. Hac igitur ecclesiastica authoritate supposita, quod eius vsus in delectu ciborū sanctissimus fuerit, negare nemo potest spiritualis homo. Cū enim in antiqua lege tot fuissent sancta ieiunia, nō solum veluti cerimonie ad corporalem munditiem, sed veluti leges morum, repurgandis animis conducentes, & lex nostra multo sit, quàm illa spiritualior, vt quæ non Scribarum tantum more, & Phariseorum, sed abundantius nobis iubet iustitiam colere, prauasq; cogitationes repurgare, æquissimum profectō fuit & consultissimum, vt abstinentiæ nobis præcepta cumularentur: nempe vt corpus liberius spiritui seruiret. Libertas etenim Christiana hæc est, vt spiritus liber sit à tyrannide corporis: cui natiuum nimirum est, vt quò ciborum lautitia lasciuierit magis, ferocire peius soleat. His ideo ecclesiasticis legib; emacerandi corporis iugum domini suavis fit, & onus leuius. Etenim, si arbitrio & libertati hominum, frugalitas & parsimonia victus permitteretur, vix esset qui illam obseruaret, que tamen necessaria est ad expeditius seruanda præcepta domini. At verò quantum ad interdictum attinet carniū licet sint alii in piscibus & fructibus cibi, quibus ad horam feruentius incalescit, irretiturq; lib do, tamē carnes suo genere, sunt solidioris alimenti, per quas ideo plus viriū accrescit carni nostræ ad debellandum spiritum, quàm per esum piscium, vel per potum vini. Quam ob causam cum per leges non tam particulares casus prouideri possint, quàm ea cauere debeant, quæ plurimum contingunt, Ecclesia in ieiuniis vsum carniū interdixit, numerumq; coercuit re-

fectionum: quantitatem verò, aliorumq; ciborum qualitatem reliquit arbitrio nostro, quibus ratione, & naturæ lege salutarem modum imponamus. Ad duas ergo obiectiones ex Paulo ad Timotheum, & ex Iudaico ritu, iã responsum est: ad tertiã verò ex dicto CHRIS TI, Nō quod intrat per os coinquinat hominem: vix est qui absq; stomacho respondere valeat: adeo est vafra & impudens intelligentia, quam nobis opponunt. Haud enim illic vlla erat mētio de ciborū discrimine, sed cū superstitiosi illi Pharisei in lotionem manuum & vasorum, & ciborum, sanctitatem collocassent, reprehendit eos CHRIS TVS, dicens, quod ciborum sordes, siue carnes sint, siue pisces, siue alius cuiusq; generis: sordes, inquam, quas ab immunditiæ manuum, vel vasorum contrahunt, non coinquinant hominem, sed cogitationes quæ exeunt de corde. Vel si iniquationem aliam ciborum subnotauit, fuit legalis illa: de qua censebantur enim pollui Iudæi tactu immundorum ciborum, qui lege iudicabantur polluti: quas cerimonias, tanq̄ iam cessassent, damnat illic CHRIS TVS. Quod nam ergo quæso obmoliri quis potest ab hoc loco argumentum contra delectum ciborum? Eadem profectō leuitate hoc ipsum testimonium posset dicere, quod vinum intrans per os vsq; ad ebrietatē, & ingluuies ciborum, quocunq; fiat excessu non coinquinat hominem: cum tamen in hoc committatur peccatum gulæ. Imò liceret venenum sumere, si tam laxus esset intellectus huius: Nō quod intrat per os. Quod si tu dicas peccatū consistere in consensu culpæ, quæ tali crapula committitur, ita nos dicimus, quod cum esus carniū vires subministrat corpori aduersus spiritum, vnde periculum existit mali consensus, et prauas cogitationes foueat, que exeunt de corde, salutaris est huiusmodi abstinentia: quam ideo sanctè indixit Ecclesia, cui non parère crimen est. Huius farinae sunt sensus omnes, quibus alia scripturæ loca nobis opponunt: quapropter molestius esset respondere, quàm est ad rem operæ precium. Deus enim illum assumpsit. Corroborat ea, que posuit præcepta rationibus tribus. Prima est, quoniã dominus illum assumpsit. Hoc autem relatiuum ferè ab enarratoribus eum, quem firmum hætenus perfectioremq; appellauimus, referte censetur, vt ratio hæc ad proxima verba spectet, quib; admonebat infirmum, ne firmiorem iudicaret, ne Deo irrogaret iniuriam, quippe qui illum, scilicet firmum,

*Ad obiectiones Lutherianorum.*

*Leui. 11.*



num, assumpsit ad suum diuinum iudicium, vt qui solus sit scrutator cordiu. At vero qui consideratius discrimen Pauli perpenderit inter infirmu & firmum/secus forsan iudicabit: nempe quod relatiuum referat infirmum. Nam cum de illo priorem sermonem proposuisset, exhortas quidem perfectiores, vt illum assumerent, hoc est, blandis correctionibus recuperaret, interiecto hucusq; hyperbato, quod ei frequens est, reddit hic tandem rationem, quia scilicet Deus assumpsit talem infirmum: puta dum in humana natura infirmitates nostras tulit, & languores portauit. Assumpsit scilicet, non ad iudicandum, sed ad eius gratiam (vt ait Amb.) & vt diuinis eum fauoribus sanaret ac refocillaret. Itaque ratio hac referenda est non ad proxima verba, sed ad illa prima. Infirmum assume vt consonet verbum verbo, & ratio sumatur ab exemplo: videlicet, quod sicut se CHRISTVS submisit, accommodauitq; infirmitatibus nostris, ita inter nos, qui membra eius sumus, valentior pars imbecilliori condoleat, & succurrat. Alias, si aliter senseris, fateri teneris, quod cu Paul. diuim admonuerit prius firmiorem, ne cotemneret infirmum, post vero infirmu, ne iudicaret firmum, illius prioris membri nullam subscripserit rationem. Accedit huc, quod Deus non assumpsit homines ad iudicium, sed hoc illi natura sua conuenit, quatenus Deus est: sicuti assumpsit humanam natura, quam sanaret. Quapropter, si illud sibi Paul. voluisset, non dixisset Deus illum assumpsit, sed Deus iudex illius est. Id quod tanquam per se notum in secunda ratione supponit, vt videbimus. Vnde August. in quoda sermone de Apostolo Paulo, vbi huius meminit Paulini loci, subiungit, Sic venit CHRISTVS agros sanare, de quo per Evangelium audiimus, quia non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Et Chry. Chry. (quanuis verba eius non sint adeo clara) huc quoq; videtur annuere, vbi nihil meminit de assumptione ad iudicium, sed ad gratiam.

Tu quis es, qui iudicas alienu seruu?

Secundum opinionem inter doctores vulgata, qui superiorem textum priori sensu interpretantur, presens litera cu superiori proxima cotinuatur, tanquam pars primae rationis, hoc modo, Si Deus homines ad suum ipsius tribunal assumpsit, tu, scilicet infirme, quis es, qui iudicas alienum seruum? Itaq; se-

cundum istos prima hic ratio finitur: initium vero secundae fit a proximo textu/ domino suo stat, vel cadit. At vero si alter sensus placeat superioris textus, que sensum magis probabam, illic finitur: prima ratio ad firmiores pertinens, ne contemnant, sed assumant infirmum, quoniam Deus illum assumpsit: & hic inquit ratio secunda, qua fit transitus ad admonitione infirmi, ne iudicet firmiores: que quidem diuisio placet Chrylostomo. Est ergo secundum virtutem ratio hac secunda talis, iudicare alterum est iurisdictionis actio, illi nimirum competens, qui, veluti dominus, ius habet auctoritatemq; cognoscendi subditorum causas & merita: nemo autem mortaliu talem habet auctoritatem in alios homines: cognoscendi scilicet, suorum factorum causas radicatus, quae intus in corde delitescunt, sed solus Deus: ergo nemini praeter ipsum, fas est alterum iudicare. At quia ambae antecedentes propositiones lumine naturali notissimae erant, illis subtacitis, breuissima obiurgatione ait/ Tu quis es, qui alienum seruum iudicas? Quod si te hic forte scrupulus pungit, quod videatur Pau. contra publicam veritatem omne humanu iudicium condemnare, facillime tibi ipse respondeas, omnem auctoritate iudicandi, quae in hominibus est, diuinitus esse concessam: iuxta illud superius verbum, Non est potestas nisi a Deo. Et, Per me reges regnant. Tradidit autem nobis huiusmodi iudicariam potestate certis limitibus circumscriptam, vt videlicet iudiciu coactiuum in publicis magistratibus resideret, ad coercendum malefactores, legitimis testibus patentes. Id quod Paul. supra comprobauit, vbi iussit omni anime, vt sit potestati subiecta: scrutari autem renes & corda, ex quibus infallibile sumitur iudicium operum, sibi soli reseruauit. Vnde sicut praetor auctoritatem violat sibi a principe indultam, si eam supergreditur: ita & nostru quilibet delinquit, dum temere iudicat fratrem, cuius cor non patet. Et hic est in praesentia sensus Pauli.

Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potes est enim Deus statuere illu.

Hac (vt dicebamus) est secunda ratio secundum illos, quibus prior probatur sensus illius verbi/ Deus assumpsit illum/ nimiru vt Pau. absterreat, secundum istos, infirmum ne aliu iudicet: tum quia Deus assumpsit illum, tum quia homo ipsi Deo stat, aut cadit. At vero persequendo posteriorē sensum, quem priorē pra-

Ratio secunda.

Proh.

prattulimus, hac non est nona ratio capitalis conclusionis, sed confirmatio rationis proxima. Ex eo namq; nefas est, alienum seruum iudicare, quod quicumq; sub cura est alterius, soli proprio domino stat, aut cadit: hoc est, si probe agit, in emolumentu honoremq; illius cedit, & si prauē, in eius quoq; dedecus & incommodum. Quapropter illi incumbit, veluti rei suae cura proprii serui: cuius ideo ius usurpat qui alienum iudicat, stet ne, an cadat: hoc est, opus quod facit, quo animo, vel causa faciat, vnde habet, vt vel casus sit, vel virtus. Potest hac veruntamen litera duplici sensu legi. Vno modo, vt sit locus ab exemplo. Videlicet, quod sicut inter homines, quonia seruus domino suo stat, vel cadit, haud licet alienum iudicare, ita sit respectu Dei. Secundum quem sensum non cogimur dicere, quod qui peccat, domino Deo cadat, hoc est, noceat: vel qui recte agit, illi stet, hoc est, quidpiam emolumentu, illi adferat: contra illud, Si peccaueris, quid ei nocebis: porro si iuste egeris, quid ei donabis. Sed potest nihilō secius legi etiam, veluti de Deo ipso dictum: nam licet bonorum nostrorum non egeat, tamē ob nostra bona opera (vt ipse testatur) glorificatur ab hominibus, & ob nostra delicta blasphematur eius nomen, vt supra cap. 2. dixit Apost. Tacti & hoc quod ait/ domino suo stat, vel cadit/ perinde esse potest, ac si dixisset/ In conspectu domini sui/ hoc est, iudicio eius id agit: secundum illud, Qui iudicat me, dominus est. [Stabit autem.] Prouidenter moderatur quod dixerat/ stat aut cadit/ non solum ob id quod citius existimare debemus, fratrem stare, q; cadere, sed vt noua ratione inhibeat nobis temerarium iudicium. Duobus enim potissimum nominibus (vt in lib. de serm. do. in monte, author est Aug.) temerarie fertur de occultis iudicium, tum quod incertum est, quo animo quis quid faciat, tum maximē, quod qualis futurus tandem sit, qui malus modō apparet, iudicare nō possumus. Priorem ergo rationem tetigit in praecedentibus Pau. quia tale iudicium nobis non est a Deo commissum: posteriorem autem subdit cum ait/ stabit autē/ hoc est, statuatur, & stabilietur, si forte ceciderit. At vero ne quis cogitaret suis se viribus posse quenquam fulcire, & in gratiam restituere, vt resurgat, subdit. [Potens est enim Deus statuere illum.] Suo scilicet fauore & ope, absque eius meritis. Hoc enim ipse differt ab humanis dominis, in quorum non est potestate emendare sem-

Iob. 35.

1. Cor. 4.

Duobus modis fertur temerariu iudicium.

per familiam suam.

Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem.

Ambro. quem nonnulli sequuntur, arbitratur perseuerare hic Paulum in sermone de delictu ciborum. Nam erant in lege certis diebus decreta ieiunia, vt patet in Leuit. Decimo die mensis septimi, dies expiationum erit celeberrimus, affligetisq; animas vestras in eo, &c. Quae ideo statuta ieiunia pusilli seruabant, iudicantes inter diem quo erat ieiunandum, & alios: alii vero progressiores in fide, illis abiectis ceremoniis, omnem diem citra discrimen existimabant aptum, vt vnusquilibet pro sua necessitate abstinere. Vel secundu Theophylactum quidam, licet non abstinere carne suilla perpetuo, id tamen quibusdam diebus faciebant. At vero facilius crederem, vt Paul. peracto sermone de ieiuniis & abstinentia carniū, ad alteram iam nunc ceremoniam diei festi transferit. Erant enim in lege festi dies, in quibus necessē erat feriari, vacareq; ab opere, vt paschata, & sabbata, & neomenia. Ob idq; sicuti de abstinentia proposuit, quod alius credit se manducare omnia, alius vero manducat olus, ita & seorsum de festis subdit, quod alius iudicat diem inter diem, alius vero iudicat omnē diem. Pari namque modo distinxit loco supra citato, Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi. At vero quanuis graecē idem sit hic verbum, puta κρινω/ quod superius illic/ manducantem non iudicet/ Et/ Tu quis es, qui iudicas/ potuisset hic tamē luculentius verti/ discernit/ quam/ iudicat/ vtrunq; enim vox graeca significat: & in hac posterioris significatione accipitur hoc loco, alius scilicet, discernit, et diiudicat inter diem & diē, puta, festu, & non festum. Quanuis Hiero. lib. 2. ad Iouinianum legat/ alius iudicat diem plusquam diem/ hoc est, supra aliū diem, vt maiori honore habeat vnum, quam alterum, scilicet ille qui infirmus est: alius vero, puta, prouectior in fide, omnes dies facit aequales, hoc est, antiqua sabbata non custodit. Quocirca qui seruat illas neomenias, non debet alium iudicare. Absit tamen, vt quis hic existimet Paulum dies festos Christianorum improbare. Neq; enim supra delectum ciborum nostru, neq; hic celebritates nostras condemnat, sed illas tantum ceremonias antiquas subnotat, pro illo tempore, quo licet inanes erant, haud tamen erant condemnatae. Nam Galatas po-

Leuit. 23.

Col. 2.

Hiero.

Gal. 4. sita

stea acriter obiurgat, quod menses, & tempora, & annos obseruent.

Vnusquisq; in suo sensu abundet.

Sententia hæc graui est censura & circumspectio expendenda. In primis vbi lex adest, nemini licet sensu suo et capite abundare, præter præscriptum legis. Præterea vt Theoph.

Theo.

sanctissime admonet, cum de dogmatibus agitur, nemo debet suo sensu duci, sed ea reuerenter auscultare, quæ a maioribus tradita sunt. In his ergo tantum in quibus infra lineas legis, & honestatis, diuersum possumus sequi tramitē, vnusquisq; sequi potest sensum suum: tum quia nemini contra propriam conscientiam licet facere, tum quia vnusquisq; in his præsertim, quæ ad domandam carnem pertinent, melius nouit quid sibi expediat, quodq; sibi institutum vitæ magis cōgruat, q̄ alii qui alienum ingenium & inclinationes callere nequeunt. Debemus enim omnes, vt nos ad Cor.

a. Cor. 4.

exhortatur Paul. ad ædificationem Ecclesiæ procurare, vt abundemus: sed tamen in hac via Dei (vt ait Aug.) alius sic, alius sic ibat. Tamesi in omnibus admonemur Sapientis proverbio, Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Quocirca non hic omnino videtur Paul. vel præcipere, vel consulere, vt suo quisq; innitatur sensu: quinimò salutare consilium est, vt cordatos semper cōsulamus probos amicos, sed commonefacit exploratores, censorsq; alienæ vitæ, vt in his quæ dextrè, sinistrèq; interpretari possunt, suum quensq; sensum sequi sinant, potius quàm ob res exigui momenti fratrem conturbēt. Nisi forsan alius haud displicet sensus, vt videlicet proprio sensu abundare, in præsentiarum idem sit, quod proprio sensu certū esse quemlibet, seu propriæ menti satisfacere, in iis quæ agit. Itaq; admonet neophitos illos, atq; in illis nos omnes, nō vt de nostro proprio sensu sententiā capiamus in agibilibus, sed vt nihil aggrediamur, antequam simus apud nos certi, habeamusq; persuasum, id quod inceptamus, vel decere, vel saltē licere, ne propriæ conscientiæ contraueniamus. At prior, est legitimus sensus.

Qui sapit diem, domino sapit. Et qui manducat, domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, domino non manducat: & gratias agit Deo. In Græcis codicibus additur priori as-

firmationi sua cōtraria negatio, scilicet, Qui sapit diem, domino sapit: & qui nō sapit, domino non sapit. Et sic legit Theoph. At verò probabilius est, adiectionem esse alicuius interpretis, propter hæc coniecturam, quod de manducantibus vtrunq; subdit, qui manducat, & qui non manducat. Nam est verissimilius, ambas affirmatiōes simul composuisse. Qui sapit diem, domino sapit. Et qui manducat, domino manducat. Sed postea ex negationibus, cum eadem esset vtriusq; ratio, satis duxit, vnam non manducantiū in exemplum adferre. Confirmat igitur sententiā proximam, scilicet, vt vnusquisq; suo permittatur abundare sensu, eò quod domino suo stat, aut cadit, siue in ciborum delectu, siue in festorum obseruantia: nam vtriusq; communis est ratio. Eademq; triplex. Arguit enim primò ex actione Christiana, secundò ex intentione, & tertio ex cōditione. Ait ergo. [Qui sapit diem.] De quo supra dixerat, Qui iudicat inter diem & diem. Vnde etsi Ambros. sapere diem, pro eo interpretetur quod est, semper abstinere, quod perfectorum est, tamen si perpetuam ab initio dictionem Pauli speculeris, refertur hoc potius ad infirmum in fide, dignoscentem inter diem & diem. Est ergo sensus, qui curat, seu obseruat diem præ alio die [Domino sapit.] Alludit ad superius verbum, domino suo stat, aut cadit, quod in subsequentibus explicatius edisserit, id est, putat se obsequium præstare domino suo, id facit in honorē ipsius. [Et qui manducat, domino manducat.] Caue hic exilistimes & hanc affirmationem ad infirmum in fide pertinere: nam vt discernere dies, sicuti & cibos, infirmorum erat, ita manducare, scilicet indiscriminatim omnia, ad valentiores in fide pertinebat: de quibus ait supra, Alius credit se manducare omnia. Vnde sciens profectò, & prudens sic affirmatiōes has cōposuit, vt tamē firmiores infirmis opponeret. [Gratias enim agit Deo.] Causa hæc ad vtrunq; superius membrum refertur. Nam siue infirmus, dierum, ciborumq; discretor sit, siue firmus, manducans omnia, neq; sabbata obseruans, vterq; agit gratias Deo, id est, facit, vt per obseruantiam legis Dei gratias illi referat de receptis beneficiis. Licet ratione diuersa: ille nimirum, quia putat obseruandas esse antiquas ceremonias cū noua lege: hic verò, quia illas credit esse antiquatas & abolitas. Sed spectat forsā hoc verbum gratiarum actionis, ad ritus, tam obseruandi festi, quàm sumendi cibi. Nam ideo tam

tam ille populus, q̄ nos, diebus festis feriamur, cessamusq; ab opere, vt Deo vacantes, gratias illi referamus: Et pariter dum ad mensam sedemus, instituto non modo Apostolorum antiquissimo, verum ipsius CHRISTI, & prius escas benedicimus, & post gratias agimus. Id quod Paul. veluti inditium profert, et quod infirmus domino suo sapiebat diem, & quod robustior in fide domino suo manducabat omnia. [Et qui non manducat, domino suo non manducat, & gratias agit Deo.] Sunt qui, nō manducare, de illis dictum putant, qui abstinent omni die: sed tamen non huc spectat Apostolus, vt huiusmodi laudabiles abstinentias commendat, sed vt illas permittat antiqvas: vnde, qui non manducat, idem est ei quod, infirmus cibos obseruans, de quo supra dixit, Olius manducet. Sed quod hic quoq; domino suo non manducat, probat, quia vt gratias quoq; Deo agat, legem iuxta suā conscientiam obseruat.

Mat. 26.

Nemo enim nostrum sibi viuuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Monstrauit ex humanis actionibus, quomodo quisq; domino suo stet, aut cadat, ob idq; nullus sit iudicandus, sed suo sensui permittendus: prosequitur iam modo idem monstrare ex humana intentione, à qua dimanant actiones. Viuere enim quemquam alteri, est vitæ propriam in alterum tota intentione referre, tanquam in eum propter quem viuuit, atq; adeò illi obsequi. Et pari ratione alicui quempiam mori, est quod mors in illius iacturam vel lucrum cedat: sicuti iumentum, vel mancipium, quod quis propria pecunia emit, domino viuuit, & moritur. Ait ergo Paul. quod Christiani à CHRISTO redempti, nō nobis ipsis viuimus, nec nobis ipsis morimur: quinimò siue viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Si autem viuimus, nō solum debitū, sed actum dicat, intelligendum præcisè est de iustis, qualis erat Paul. qui in prima persona loquitur. Hi namq; vitam suam totam Deo consecrāt, viuuntq; non ipsi, sed viuunt in eis CHRISTVS. Vt autem Christiani omnes comprehendantur, idem est, non nobis viuimus, quod, non nobis debemus viuere: hoc est, nō debemus propriæ voluntati obsecundare: nam qui amat animā suam in hoc mundo, perdet eam: sed id quod oratione dominica precamur, Fiat voluntas tua, moribus debemus præsta-

Viuere alicui.

Ioh. 12.

re. Tamesi cum ait, neminem sibi viuere, sed domino, forsā neq; ad actum spectat, neque ad nostrum debitum, sed ad ius, quod Deus in nos habet, vnde debitum nostrum manat. Acsi dicat, vita nostra non est nostra, sed domini: cuius idcirco proprium est iudicare intentiones nostras & opera. Ob idq; duorum hic reddit rationes: nempe cur tam qui sapit diem, quàm qui manducat, & qui non manducat, omnes id faciūt domino, quoniam scilicet in eum referunt intentionem: & præterea cur si stant, vel cadunt, non sint ab hominibus iudicandi, sed à domino, cui stant, vel cadunt. At verò quod ait, neminem sibi mori, sed domino, quidam referunt ad spiritualem mortem, quæ fit per peccatum: vt idem sit, neminem sibi, sed domino viuere & mori, quod ei ipsi stare, vel cadere. Alii verò id applicant ad mortem quæ fit per gratiam in baptismo, vbi domino mancipamur. Attamen syncerior planiorq; sensus esse videtur de vita & morte temporali. Etenim sicuti de vita, ita & de morte verum est, quod qualiscunq; ipsa fuerit, domino fit, vel iactura, vel lucrum. Cum enim nos (vt saepe diximus) in hoc Deus tū creauerit, tū redemerit, vt gloriā suā diuinitatis in nos effunderet, quo ipsa esset quodāmodo extērior, fit, vt vbi quis in iniquitate sua moritur, nō solū sibi, sed Deo quoque iacturā faciat vitæ, tã naturalis, q̄ gratiæ, quæ Deus ei donauerat illo fine, quo frustratur: sicuti & cōtraria ratioe Deo quoq; facit lucrū, qui moritur iustus. Quapropter nō est veritus comparare se pastori, qui perditam ouem quæsitum de monte descendit.

Luc. 15.

Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Declarare hic pergunt conditionem nostram, vt pote quem admodum sumus serui & mancipia domini, vt sicut actiones per intentionem patefecit, quoniam Deo viuimus, ita intentionem & vitam, qualis sit, monstrat ex conditione & statu nostro. Id autem pronunciat, veluti superiorum conclusionem. [Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus.] Hoc est, vsq; adeò creatura sumus, signētumq; Dei, vt nō solū viuētes, sicuti serui, ciuiliū dominorū, qui per mortē à seruitute liberantur, verū & mortui, etiā dñi sumus, siue miseros illos cōsideres, qui tãquam mastigie apud inferos perpetuis suppliciis adacti sunt, siue felices cœlicolas, qui

qui, ceu liberi sempiternè fruuntur cōspectu domini, ac patris sui. [In hoc enim CHRISTVS mortuus est, & resurrexit, ut uiuorum & mortuorum dominetur.] Subiicit causam cur, tam mortui, quam uiui, domini simus. At in nonnullis Græcorū textibus, post verbum/resurrexit/ additur/ & reuixit. Orige. autem in commento nō legit/resurrexit/ sed tantum/mortuus est, & reuixit. Ambro. autem legit alio ordine, scilicet/ In hoc CHRISTVS vixit, & mortuus est, & resurrexit/ hoc est, in hoc vitam assumpsit, secundū quam mortuus est, & reuixit. Hæc autem varietas, lectionumq; discrepantia certitudinem aufert, quæ nam sit legitima lectio Pauli: ob idq; cū/resurrexit/ & reuixit, idē polleant, coniectura fit, adiectionem illam fuisse alicuius interpretis. Sed hoc indignum responsione est: quod quidam carpit in interprete, nempe quod participium præteriti temporis nō debuit transferri/mortuus est/sed/mortuus fuit. Nam cū modò uiuat, non cohæret, vt simul sit mortuus. Quod quidem iste adnotamentum subtrahisset, si cōsulisset Ecclesiæ symbola, in quibus pariter confitemur, quod mortuus est.

Et præterea si in regulis, tam Græmaticæ, q̄ Dialecticæ animaduertisset, quod præteritū quando habet vim participii, absq; discrimine exprimitur per/est/vel/fuit/vt amat/est, vel fuit. Haud ergo repugnat, quod CHRISTVS uiuit, & tamen mortuus est, id est, obiit. Repugnaret autem, si/mortuus/haberet vim nominis. Est autē hîc præterea facillima dubitatio, quæ Origenē non præterit. Nunquid non Deus, etiam si CHRISTVS non induisset carnē, dominus est uiuorum & mortuorum? Ecquis hoc diffiteatur, cū sit ipse dominus vitæ & mortis? Quid ergo ait Paul. in hoc mortuum esse CHRISTVM, & resurrexisse vt esset dominus? Breuissima est responsio, quod vno modo creaturis omnib; dominatur Deus iure creationis: sicuti omnipotens, qui omnia ex nihilo condidit. At verò quantum ad dominium spirituale, quod est per gratiā, nō solum Deus, in quantum Deus, verum Dei filius, in quantum homo, dominium habet regni cœlestis: qui ideo constitutus est iudex uiuorum & mortuorum, eò quod morte sua redemit nos, comparauitq; nobis recōciliationis gratiam: ad quem ideo pertinet & uiuis in hoc seculo charismata dispensare, & in altero mortuos, vel ad sedes admittere regni, vel in tartara inde demittere. Vnde ad Philip.

Philip. 2. Quia humiliavit, inquit, se vsq; ad mortem,

exaltauit illū Deus, deditq; illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferorum. Et de se ipse dominus, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *Mat. 28.* Optimè ergo ait Paul. In hoc mortuum esse & resurrexisse, vt uiuorum dominaretur & mortuorum: vt mors CHRISTI mortuis responderet, & resurrectio, uiuis. Morte enim sua redemit nos, iusq; in nos acquisiuit, veluti in seruos: sed tamen resurrectio terminus fuit mortis: nam per mortem destruxit mortem nostram, vt resurgeremus in nouam vitam: quoniam si nō resurrexisset, neq; corpora nostra resurgerent: quæ tamen resurrectio nostra effectus est ipsius mortis. Quā ob causam, sicuti supra cap. 4. simul ambo copulauit, Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram, ita & coniunctim hic ait, In hoc, mortuus est, & resurrexit, vt uiuorū dominaretur & mortuorum. Nonnullis autem placet, mortuos hic tantum designari, qui in domino moriuntur. Quasi dicat, In hoc mortuus est, vt mortē nostram spiritualem destrueret, atque adeo quæ corporaliter moriuntur, non simpliciter moriantur, sed sub dominio CHRISTI, cœlestis hæreditatis perpetuò potiātur. At verò quantuis refragari non debemus, quin huiusmodi mortuis peculiari prærogatiua dominetur: si quidem peculiariter dicuntur mortui eius, vt capite primo elucidauim; super verbo/mortuorum IESV CHRISTI/ tamen verisimilius est, vt in vniuersum mortuos hic oēs complexim significauerit: dominatur enim & illis qui iussu suo in infernum detrusi pœnas illi pendunt violatæ fidei seruorum. Atq; hac ratione optimè cōcludit id, quod supra proposuerat: nimirū vt nemo iudicet alienū seruum, eò quod domino suo stet, aut cadat.

Tu autem quid iudicas fratrem tuū? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Postq̄ rationibus singulis singula cōclusionis membra confirmauit, videlicet, ne maiores, pusillos spernant, quia dominus assumpsit eos, & ne pusilli, doctiores in fide iudicent, tanquam alienos seruos, tertiam nunc rationem adhibet vtriusq; communem. Qua quidē *Tertia ratio.* biformi ratiōe vtrōsq; & amore lenit, & terrore præcellit. Ait ergo. [Tu autem.] Nempe infirme, quem etiā superius anteposuit. [Quid iudicas fratrem tuum?] Nōmine fratris, quod est *necessite*

necessitudinis et amoris, illum confundit, qui alterum iudicat: cum ambo sint filii eiusdem patris, cui soli deferendum est liberorum iudicium. [Aut tu.] Nimirum firmior. [Quare spernis fratrem tuum?] Est enim frater æqualitatis quoq; nomen, & eorum qui pari sunt dignitate in cōspectu Dei: quorum ideo nemo debet alios spernere & despiciere, quasi excellentior. [Omnes enim stabimus ante tribunal CHRISTI.] Tribunal, à tribu dicitur: est enim excelsus locus, vnde iudex ius tribubus dicebat: indeq; & tribuni nomen. Speciosè ergo tribunalis appellatio transfertur ad diuinam, eandemq; terrificam maiestatem CHRISTI, sedentis ad iudicium: ante quod sistendi omnes sumus, statuendiq; responsuri rationem de minimo etiam verbo ocioso. Quod quidem CHRISTI tribunal (vt obseruauit Orige.) idem est cum Dei tribunal: testante ipso CHRISTO, Pater omnia mea, tua sunt, & tua, mea. Quod quidem expauescendum tribunal graphicè delineat illic Daniel, Aspiciebam donec throni positi sunt: & antiquus dierum sedit, & indumentum eius sicut nix candidum, & capilli capitis eius sicut lana munda. Thronus eius flammę ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius. Millia millia ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Ad iudicium sedit, & libri aperti sunt. Atqui Orige. vnus tantum censet superiorum membri, altero prætermisso, reddere hic Paulum rationem: nempe cur pusillus nō habeat instructiores iudicare, quippe quod hoc tale iudicium Deo sit reseruandum. Sed tamen forsā & vtrunq; attingit hæc ratio. Territat enim firmiores in fide, ne imbecillos despiciant, eò quod nullam habeant respectu Dei præcellentiam, quandoquidē omnes ex æquo stabunt, veluti subiecti & serui, inter quos nulla est præeminentia, spectantes iudiciū Dei, per quod qui in hoc seculo aliis præferuntur, maioriq; habentur honore, iudicabuntur forsā minori digni, vel fortè honore nullo, sed vituperio. Pusillos autem cohibet, ne alios ante tempus sic præiudicent, ac si non essent à Deo iudicandi, sed spectent diuinum iudicium, neq; illud sibi præsumant. At verò quod ait / Omnes stabimus / neque *Psal. 2.* Prophetæ contradicit, vbi inquit, quod non resurgēt impii in iudicio, neq; iudici ipsi, vbi *Mat. 25* pollicetur discipulis suis, quod cū ipse venerit in sede maiestatis suæ, sedebunt secum super sedes iudicantes: sed referuntur hæc ad

diuersas rationes iudicii. Nam quantum ad meritorum discussionem, neq; infideles, qui nunquam fuerunt in Republica CHRISTI, iudicabuntur, neq; verò Apostoli quorum patentissima merita non indigēt discussione, sed assidebunt iudici. At verò vt sententiam auscultent, vel præmi, vel supplicii, vniuersi stabunt ante tribunal CHRISTI, veluti in humano iudicio stantes rei, sententiam audiunt. Vnde ad Cor. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

Scriptum est enim, Viuo ego dicit dominus, quoniā mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Corroborat assertionē suā testimonio Esaig 45. capite, quò vehementiori pauore concutiat eorum animos. Sunt enim tria in hoc elogio, quibus eos exteret. Primum, iuramentū Dei. Etenim licet Deus, qui summa est veritas, nil opus habeat iuramento, vel stabilimento alio, vt ei quicquid affirmauerit, habeatur fides, tamen in rebus quæ nostra maximè referunt, ad maiorem commendationem firmitatis, immutabilitatisq; suæ iuramento vtitur. Nam Iurauit dominus (inquit Dauid) & nō pœnitebit eum. At quoniam testis, nisi oculus fuerit, non est legitimus: & de rebus longè à nobis tempore distantibus, mortui citari in testes non possunt, mos antiquitus solennis iurandi fuit / Viuit dominus / hoc est, viuit qui mori non potest, sed omni tempore & loco oculatus est omnium testis. Hanc enim existimo cōuenire magis expositionem iurationis huius, q̄ si dicas, Viuit dominus, id est, per vitam domini / Dei autem iuramentum est / Viuo ego / indeq; forsā forma prædicta iurandi ad homines deriuata est. Vnde ad Hebr.

Hebr. 6. bræos Pau. Homines per maiorem se iurant: Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorē, per semetipsum iurauit. Atqui iuramentum hoc non solum ad Deum secundum diuinitatē, verum ad CHRISTVM secundum humanitatem (vt ait Ambr.) refertur. *Ambro.*

Cui propheticum illud oraculum cōgruit, & ait / Viuo ego / quasi dicat, quāuis fuerim peccato mortuus semel, viuo iam tamen Deo, iuxta sententiā Pauli cap. 8. [Quoniā mihi flectetur omne genu.] Ecce territamentū secundum, id quod non solū de trino Deo, verum & de CHRISTO intelligendū est, in quantum redemptore: secundū verbū nuper citatū ad Philip. *Philip. 2.*



Quo verbo peculiariter conculit elatos neophytos, pusillorum despectores. Si enim omnes flexuri sunt genua in conspectu Dei, non est, cur eius paruulos contemnant. In graeco actiuum est verbum / omne genua flectet se / Sed tamen sunt phrasae nonnunquam, quae in diuersis linguis licite mutantur in diuersas facies: maxime quando sola est differentia in voce actiua et passiuua: sicuti & verbum proximè praecedens / stabimus / graecè est passiuum / sistemur / vel / statuemur / tamen absque vitio proferri latine potuit / stabimus. *Flectetur.* Quauis / flectetur / nescio quid coactionis designet, quod non est in verbo actiuo / flectet se. Iusti si enim qui resurgēt in vitā eternā, sua se sponte inclinabūt, & adorabūt iudicē: sed iniqui resurgētes in condēnationē, quasi vi quadā flectentur. Neque ista genuflexio intelligenda est corporalis (vt ait Orig.) nā non solum de hominibus in corporibus, verū & de animis in suo cuiusque particulari iudicio, & spiritibus angelicis hoc Pau. affirmat, qui non habēt corpora, sed significat more humano subiectionē & adorationē vniuersae creaturae: sicuti in Apocalypsi seniores dicuntur adorare viuētē in secula, demittētes coronas suas. Ita enī supplices genua flectūt, & capita nudāt corā principibus. Tāetsi haud est cur negem, quin in resumptis corporibus gloriosis sancti genua flectāt coram Deo. [Et omnis lingua confitebitur Deo.] Non solum trino, sed Deo homini CHRISTO: vt est in eadē autoritate ad Philī. Et oīs lingua confiteatur, quia dominus noster IESVS CHRISTVS in gloria est Dei patris. Confiteri autem Deo vbi simpliciter & absolute dicitur, idem est, quod confessionem fidei, & laudis obedientiam illi praestare, & creaturam recognoscere, eius se ipsius esse figmentum. Quauis haud esset à re praesenti alienum, si intelligeretur de confessione peccatorum, quae illic fiet aperte, nisi quod haec non competet sanctis angelis. Omnis autem lingua non solum id pollet quod, omnis natio, cuiuscumque sit idiomatis, vt vniuersus comprehendatur mundus, sed omnis pariter cognitionis expressio & significatio, non modo hominum, verū & angelorum: qui per metaphorā loqui existimantur: iuxta verbū Pauli ad Heb. 2. In eo enim quod oīa ei subiecit, nihil dimisit non subiectū ei. Et licet nunc, vt ibidē subditur, nondū videamus oīa subiecta ei, tū verò cū tradiderit regnū patri, oīa vel vltro, vel vi prostrata erunt ipsi: secundū Dauidis oraculū, Sede à dextris meis, donec po-

nam inimicos suos scabellum pedū tuorū. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo inuicem amplius iudicemus. Concludit ergo ex his, quae tāta copia & energia differuit, quod postquam reddituri singuli sumus Deo rationem propriarū actionum, non amplius inuicē iudicemus. Colligam igitur & nos, quāta sit prauitatis, crimen hoc temerariū iudicii, siue ex causis quibus procedit illud perpēdamus, siue ex iniuria, qua iudicat, siue ex cura, quā Deus gerit boni noīis nostri. Qui enim aliterum iudicat, id quidē facit, aut quod ex sua propria qualitate, quia prauus est, sinistrè de fratre iudicat, aut quod odio ipsum habet, & ideo facile de illo suspicatur mala. Est autē iniuria, haud sanè leuis, iudiciū huiusmodi: potissimè cū id, quod temerè iudicamus, malum graue est: etiā si citra infamiā apud nos ipsos malè de altero sentiamus: nā statim venit nobis in cōtemptū. Quocirca licet diuersis vsus sit hic Pau. verbis, neu firmus infirmū spernat, neu infirmus firmū iudicat, tamen & infirmo annexus est quoque cōtemptus fratris, de quo sinistrè iudicat. Igitur vel in hoc Deus suū erga nos eximium amorē patefecit, maxime, quod non modo nos coeruit, ne quis in fratre, vel re, vel verbo iniurius esset, verū ne cogitatione illū laederet, vbi ait, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Qua quidē praeeptione cōmonemur, quāti sit habēda bona existimatio proximi, quanque idcirco Deo sit curā honor noster, cui tamē & nos adeo segniter honorē repēdimus, tā multis illi nominibus debitū. Fuerit hoc ergo hic nobis documentū, vt vbi ex leuibus factis coniecturis cohibere ingeniu nostrū humanū à sinistra suspitione proximi nequimus, in qua venialis est culpa, saltē à iudicio, puta à ferenda sententia nos cōtineamus, in qua si de re graui fertur, inest mortale crimē. Imò verò licet inditia adeo sint aperta, vt iudiciū non sit temerariū, neque perinde vitiosum, metuenda est nihilo minus culpa, ne vilo modo simus vel nimii iudices, vel fratrum iniqui osiores.

Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Sequitur secunda pars capituli, in qua Paul. post deiectum in prouectioribus tumorem, quo alios spernebāt, condemnatumque in pusillis temerariū iudicium, accusationē instruit scandalī: quod non modo peccatum est, vti duo superiora, sed causa etiā peccati in

*Tria capitula condemnandi temerariū iudicium.*

*Mat. 7.*

*SECUNDA PARS CAPITULI. Scandalum, peccatum, & peccati causa.*

*pro*

proximum, atque adeo è regione pugnās cum charitate proximi, quā toto hoc capite intendit Paul. constabilire, consolidareque inter fratres. Connexuit autē pulchrè verbum verbo, vt continuatio fieret sermonis. Cū enim concludisset, Non ergo amplius inuicē iudicemus, subdit, [Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalū.] At licet videatur exhortatio perpetuari praecise aduersus pusillos, qui firmiores iudicabāt, tamē (vt in processu statim apparebit) apostrophē hic facit ad firmiores: quos vtiq; potissimum commonefacit, vt pusillos, non solum non spernāt, verū neque, vt leuiculam cerimoniam depellant, concertationum acrimonia exasperent. Quin verò, vbi illos scandalizari nouerint esu immundorum ciborū, ab illis abstinēt, ne illis obiciant offendiculū. Nam etsi praeeptio vitadi scandalī oīs comprehendat, directius tamen respicit prouectiores, ne languidis sint scandalo. Atque hinc fit, vt iudicate / non in ea prorsus significatione, qua haecenus, accipiamur, pro eo scilicet, quod est, condemnare fratrem, sed pro eo quod est, iudicio statuere: ac si dicat, Sed hoc potius rectum salutareque, & ideo necessariū iudicate & existimate. Ceterum quauis Latini idem omnino appellent offendiculum, quod Graecis scandalum, nonnullam hic tamen videtur Paul. auxilium hac geminatione insinuare. Etenim suspicari non licet, alterum horum nominū adiectum esse ab alio interprete, quandoquidem inferius tria ipse Apost. connumerat / offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Igitur cum scandalum graecè à ruina dicatur, offendiculum autē Latinis nihil aliud sonet, quā impedimentum, seu peculiariter lapidē, in quem quis offendit & impingit, non nihil videtur explicatius connotare Pau. appellatione scandalī, quā nomine offendiculi, puta, impactionē quae causa est ruinae. Tameñ tam in vsu sit pro eodem vtrunq;. Est ergo scandalum secundum Hieronymū super Matth. cap. 18. dictum vel factum, minus rectum, praebens occasionē ruinae: nā sola quae intus latet cogitatione, nemo dare potest scandalū alteri. Dicitur autē minus rectum id cui deest aliquid rectitudinis: nempe quod vel peccatū per se est, vel specie habēs mali: vt recumbere in idolo, quod est exemplum Pauli, ex quo potest suspitio gigni, id fieri adorationis causa. Vel cum quis secreto loquitur cū foemina, vnde potest in malā suspitionē venire. Quam obrè praecipit Paul. Ab omni specie mali abstinete vos. Etenim

*Scandalum, & offendiculum.*

*Diffinitio scandalī.*

*2. Cor. 8.*

*1. Thes. vlt.*

vt in via corporali, & praesertim debilibus, ita & in spirituali opponere quis potest alteri obicē. Atque id dupliciter. Vno modo, si illū directè & ex intentione contendit, vel seductione, vel inductione, vel exemplo, vel alia via labefactare: quod quidem peculiare peccatū est, in propria per se specie scandalī constitutum, idque virtuti correctionis fraternae suapte forma contrarium: quae virtus in hoc exposita est, vt bonum spirituale fratris promoueamus. Altero verò modo cōtingit scandalum per accidens, vt cum quis vel peccatum, vel quod illius figuram habere potest, alia intentione facit, quā vt fratrem praecipitet, vnde tamen imbecillus scandalizatur. Tunc enim negligētia incautē id facientis, generalem sortitur per accidens rationem scandalī. At quia nemo vi compellitur, sufficienterue propellitur ad peccandum, sed liberè quisque delinquit, non ait Hiero. quod scandalum det causam peccandi, sed occasionem. Quo fit, vt cum dictum vel factum, nec peccatū sit, neque imaginem illius praeferat, nullam rationem habet scandalī dati. Potest verò inde scandalū quis accipere, quod dicitur scandalū acceptū Pharisaeorum: illi enim audito verbo CHRISTI scandalizati sunt. Est ergo duplex scandalum, scilicet, pusillorum, & Pharisaeorum. Perfecti namque, vti qui soli immutabili Deo inharent, non submutantur dictis, factisue aliorum. Vnde Hiero. super illud, Qui scandalizauerit vnū de pusillis istis. Nota inquit, quod qui scandalizatur, paruulus est, maiores verò non scandalizantur. Quocirca nullum dicitur scandalum perfectorū. Quinimò neque qui in statu sunt perfectionis, vllum dant scandalum, vt pote qui ea sunt circumspectione & prospicientia, vt nihil admittant, quod vlli fratrum offensionē esse possit. Tameñ cum perfectioni viae haud repugnēt venialia peccata, non video cur non accidere perfecto viro possit leue scandalum, vel accipere, vel dare. Quocirca haud plenè intelligo sanctū Thomam grauissimum perspicacissimumque horum examinatorem. 2. q. 43. vbi concedens cum Augustino, Petrum dum se subducebat, ne conuersi ex Iudaismo sentirent illum vici communibus cum Gentibus, venialiter peccasse, negat tamen vllum dedisse scandalum. Nam si incauta illa inconsideratio vilo fuit pacto reprehensibilis (vt ait Paulus) non fuit ob aliud, quā quod in suam simulationem trahebat alios Iudaeos, leuēque ideo saltem offerebat occasionē Gentibus.

*Scandalum, vel per se, vel per accidens.*

*Mat. 18.*

*Scandalum Pharisaeorum.*

*Mat. 18.*

*S. Tho.*

*Gal. 2.*

In quo consistit ratio scandali.

bus, unde possent merito nonnullum incur-  
 rere offendiculum: quod cauere procurabat  
 ludæis conuersis. ¶ Sed tamen forsitan non  
 cesset lectoris solertia percunctari, in quo  
 hæc consistat ratio scandali. Vtrum ne qui-  
 cunq; vel peccatum citra secreti cautionem  
 committit, vel quidpiam aliud, quod tale cen-  
 seri possit, det scandalum. Sunt etenim ho-  
 mines publici ac manifestarii scelerosi, vt  
 meretrices, lenones, & latrones, de quorum  
 flagitiis & sceleribus nemo scandalizatur:  
 quoniam adeo infectos habent hominū oculo-  
 s, habenturq; ideo vsq; adeo corrupti &  
 perdit, vt nemo, vel miretur, vel commouea-  
 tur, quicquid perpetrent. Quinimò & sunt  
 alia criminum genera, de quibus nemo scan-  
 dalum accipit, eò quòd vulgò nulla notantur  
 infamia: vt duellum, aulicorumq; adolescen-  
 tium leues amores, & alia id genus, quæ pro-  
 pter frequentissimum vsum nemini sunt de-  
 decori, neq; inde vllus offenditur, quasi ma-  
 lo exemplo. Et præterea quoniam perfecti  
 (vt dictum est) nulli subsunt periculo passiu-  
 scandali, videtur, nullum esse scandalum, co-  
 ram ipsis peccare. Respondetur nihilo mi-  
 nus, nullam rem esse, vel peccatum, vel pec-  
 cati similem, quæ, si ita fiat, vt in notitiam ve-  
 nire possit aliorum, non habeat vnam, aut al-  
 teram rationem scandali. Vbi adnotandum  
 est, quòd scandalum passiuum esse non po-  
 test, nisi peccatum: hoc est enim scandaliza-  
 ri, quod peccare exemplo vel causa alterius.  
 Primum autem peccatum quod progignit  
 qui dat scandalum proximo, suapte natura  
 est, temerarium iudicium: ob idq; appositi-  
 mè hic Paul. post accusationem temerè iudi-  
 cantium commigravit ad condemnandum  
 scandalum. Propterea enim pusilli malè iu-  
 dicant de illis quæ præ se ferunt speciem ma-  
 li, quia offenduntur scandalo. Et ideo post  
 admonitionem pusillorum ne malè iudica-  
 rent, qui est primus gradus passiu scandali,  
 admonentur vicissim promotiores in fide,  
 ne debiliores scandalizarent, præbendo illis  
 ansam iudicandi. Hæc autem species passiu  
 scandali non crebrò suboritur, vbi crimina  
 sunt omnino publica. Et minimè, si qui illa  
 perpetrant, sunt in conspectu hominum habi-  
 ti, vt perditissimi. Publica enim crimina iu-  
 dicare esse mala, non est peccatum. Tamen, si  
 quia omnes procliues sumus ad iudicandum  
 peiora, semper est periculum, ne iudicemus  
 illos peiores, quàm sunt. Secundus effectus  
 scandali est, exemplo summouere alios, exci-

Responsio.

tareq; ad malum. Et effectum hunc habere  
 possunt etiam publici criminosi, & illa præ-  
 cipuè malorum species, quæ non habent ad-  
 iunctam infamiam. Est enim natura nostræ,  
 imitari citius peiora, ad quæ pronior est no-  
 stra natura. Quo pacto vehementius præbene-  
 scandalum, quorum vitæ institutum maiore  
 præ se fert sanctimoniam. Dum enim in hu-  
 iusmodi præstatoribus crimina cõspicimus,  
 leuiora reputamus nostra. Sunt & alii effe-  
 ctus scandali: vt contemnere legem Dei, fini-  
 streq; de Deo sentire: cum enim crebrescere  
 videmus mala, tunc vel legē iudicamus acer-  
 bam, quæ prohibuit difficillima, vel Deum  
 alii suspicantur nõ ita grauiter offendi, post-  
 quàm hæc tolerat. In summa, ratio scandali  
 actiu non consistit in hoc quod alii actu ac-  
 cipiant scandalum, puta, delinquant, sed in  
 hoc, quòd offeratur, vel causa, vel occasio.  
 Differunt enim offendiculum in habitu, &  
 offensio in actu, seu impactio, qua quis per  
 passiuum scandalum corrui, esseq; potest  
 prius absq; posteriori: & vice versa, vt in  
 scandalo Pharisæorum. Quocirca & delin-  
 quere in conspectu perfectorum, circumstan-  
 tia est noui peccati. Non solum quod & ip-  
 si leuiusculè offendi possunt, & venialiter  
 peccare, sed quia maiorem virtuti irrogat  
 iniuriam, qui virtutis cultoribus, puritatisq;  
 amatoribus vitiorum fordes ob oculos obii-  
 cit, vnde afficiantur contumelia. ¶ De graui-  
 tate autem peccati scandali nosse restat, quod  
 cum genere suo non sit mortale, quia tan-  
 tum dicit dispositionem ad ruinam, esse po-  
 test veniale: puta, cum vel inductio non fit,  
 nisi ad veniale peccatum, vel quis ex venia-  
 li negligentia & inconsideratione quid fa-  
 cit, vnde alter scandalizatur: esse tamen po-  
 test mortale, vbi quis vel ad mortale pecca-  
 tum alterum inducit, vel per grauem negli-  
 gentiam talem præbet occasionem. Aliàs  
 non dixisset CHRISTVS, Vx homini illi per  
 quem scandalum venit. Neq; quicquam con-  
 tra facit præcedens verbum / Necesse est vt  
 veniant scandala. Haud enim illic significa-  
 tur, quempiam necessitate coactum scanda-  
 lum dare: aliàs non esset peccatum. Sed si-  
 gnificatur, vel necessitas cõsequētiz, quòd il-  
 la, quæ per Prophetas prænunciata sunt scan-  
 dala, necesse est, vt veniant. Vel necessitas  
 finis: nempe quòd expedit permitti scanda-  
 la, vt probati, iuxta verbum Apostoli. i. ad  
 Corinth. ii. manifesti fiant. Vel, quod pro-  
 babilis est, subnotatur necessitas condi-  
 tionis

Degrati-  
te peccati  
scandali.

Mat. 18.

tionis humanæ: quoniam pro fragilitate ge-  
 neris nostri vitari non potest, quin aliquan-  
 do oriantur scandala, sicuti alia scelerum ge-  
 nera. Quin verò subscripta pœna scandaliz-  
 zantis, vt suspensa mola asinaria, hoc est, in-  
 gentissimo lapide asinarii molendini, ad col-  
 lum eius, proiciatur in profundum maris, in-  
 dicitur est, quàm sit graue hoc genus crimi-  
 nis, nempe cui nõ solum capitale supplicium  
 inscriptum sit, verum illud, per quod à terra  
 etiam, quæ hominibus est in sepulchrum, eici-  
 ciatur qui scandalum dederit.

Scio & cõfido in domino Iesu, quia ni-  
 hil cõmune per ipsum, nisi ei qui existi-  
 mat quid cõmune esse, illi cõmune est.

Proposita præceptione exponit rationē scan-  
 dali in præsentia materia. Etenim cum tam  
 acriter coercuerit neophytos illos prouectio-  
 res in fide, ne paruulos despicerent, suspitio-  
 nem illis potuisset iniicere, quòd in eadem  
 esset ipse infirmorum opinione, de obserua-  
 tione legalium: hanc ergo suspicionis labem  
 abstergendã hic curat. [Scio & confido] Con-  
 fido / non dicit hic confidentiam, quæ est de  
 futuro, vel de occulto, sed est auxelis / scio et  
 confido / hoc est, scio, & certo certius habeo  
 absq; vlla hæsitacione persuasissimum. [In do-  
 mino Iesu.] Hoc est, testimonio IESV CHRIS-  
 TI, qui fallere nescit. Vel in CHRISTO IES-  
 V, qui per suauitatem euangelicæ suæ legis  
 antiquis illis nos exoneravit cerimonis.

Orig.

Act. 10.

Commune.

[Quia nihil commune per ipsum.] Cõmunes ap-  
 pellat eosdem cibos, quos Iudæi appellabãt  
 immundos: nam commune (inquit Orig.)  
 non erat vox celebris inter Iudæos, sicut in  
 nouo testamento. Tamen cum Petrus illam  
 vsurpauerit, conicere licet in vsu fuisse Iu-  
 dæis. Dicitur autem commune, id quod vni-  
 uersis mortalibus in vsu erat, præterquam Iu-  
 dæis. Vel forsitan (vt ait Orig.) ad exemplum  
 vasorum, nam illa quæ diuino cultui conse-  
 crabantur, dicebãtur sacra, reliqua verò com-  
 munia, id est, prophana. Simili ergo modo  
 cibos sibi concessos appellabant Iudæi pu-  
 ros & mundos, reliquos verò immundos &  
 prophanos: commune ergo idem arbitror es-  
 se quod prophanū & irreligiosum, eò quòd  
 non sit lege & benedictione Dei destinatum  
 victui. Et pari ratione tempus quoq; vtputa  
 dies profestos, dici potest commune, hoc  
 est, non dicatur quieti & vacationi diuino-  
 rum, vt ambo superiora membra, de delectu,

tam ciborum, quàm dierum hic subnotentur.  
 Ait ergo Paulus nihil esse commune per ip-  
 sum. Alii transferunt / per se / siue / per seip-  
 sum / vt non referatur CHRISTVS, sed como-  
 munis cib⁹, hoc est, nihil est per se natura sua  
 immundum. Et forsitan hoc bene habet: nam  
 græcè / διαυτου / per ipsum / & / διαυτου / per se  
 ipsum solo differunt apiculo aspirationis.

Attamē probabilis est, dixisse Apostolum /  
 per ipsum / scilicet IESVM, quem proximè  
 nominarat, hoc est, nihil per CHRISTVM, qui  
 nos à vetustis cerimonis liberauit, cõmune  
 est in Euāgelio. [Nisi et qui existimat quid com-  
 mune esse, illi commune est.] Id est, illis ex Iuda-  
 ismo conuersis, existimantibus perdurare le-  
 gem, prohibentem commune, sit, vt cibus ex-  
 istimatus communis, sit propter errantem eo-  
 rum conscientiam communis, hoc est, illicitus.  
 Nam conscientia non facit cibum esse  
 communem: sed existimatio facit vsum, esse  
 peccatum, quia sumitur tanquam illicitus.

Per hunc ergo locum Pauli cõfirmatur theo-  
 logicum dogma, quòd conscientia erronea  
 ligat. Huius autem ratio in promptu est pa-  
 tentissima: nam actio speciem sortitur ab ob-  
 iecto, secundum rationem qua apprehendi-  
 tur. Etenim cum nihil sit volitum, nisi præ-  
 cognitum, voluntas insequitur apprehensio-  
 nem. Vnde qui rem accipit suam, putās eam  
 esse alienam, furtum secundum virtutem co-  
 ram Deo committit. Et qui feram sagitta cõ-  
 figit, existimans esse hominem, homicidium  
 perpetrat. In summa, qui opus suum, morta-  
 lem putat habere culpam, mortaliter peccat:  
 & qui veniale, venialiter. Nisi casu, quo te-  
 neretur scire tale opus esse mortale. Nam qui  
 ratus, simplicem fornicationem esse venia-  
 lem culpam, fornicaretur, mortaliter nihilo-  
 minus delinqueret. Quocirca facere contra  
 conscientiam, non est speciale peccatum, sed  
 reducitur ad eandem speciem, ac si fieret ex  
 scientia. Sicuti econuersò illa quæ sunt gene-  
 re suo mala per excusantem ignorantiam in  
 ea sunt virtutis specie, ac si à sciente fierent  
 & prudente. Fuit enim accessus Iacob ad Ly-  
 am, coniugalis virtus. At verò illa erroris  
 conscientia, quæ post factum subsequitur, nõ  
 ligat: vt si postquam quis spiculum iactauit  
 in feram, arbitratur fuisse hominem, actio illa  
 præterita nõ sit ideo peccatum. Adde quòd  
 & vice versa dū quis id quod crimè est mor-  
 tale, necessariū esse censet ad salutē, etiã talis  
 obligat conscientia. Vt qui existimaret præ-  
 ceptum esse Dei, occidere puerum existentē

Conscientia  
erronea ob-  
ligat.

in gratia, quem credens, post aduultum decessurum in peccato, nisi durante illa conscientia illum occideret, peccatum esset illi: nam cum diuina præcepta per conscientiam nostram applicentur ad vsum, id quod arbitratr esse præceptum, fit nobis obligatorium: neque tamen vlla inde simpliciter sequitur perplexitas, sed solum sequitur ex culpa nostra. Durante inquam, illo errore conscientia, siue occidas, siue non occidas, utroque modo peccas. Sicuti sacerdos iniqui propositi pertinax, die qua sacrum tenetur facere, utroque modo inficitur criminis labe, seu faciat, seu abstineat. Potest tamen & debet propositum prauum abiicere, sicuti & qui corrupto iudicio laborat, tenetur illud mutare. Vulgaria sunt hæc, sed tamen in præsentiarum memoratu necessaria. Illi namque neophyti infirmi, qui illas ceremonias iudicabant retinendas esse cum Euangelio, eo modo quo legitime seruabantur antiquitus (quod quidem iudicium, licet falsum, erat tamen illo tempore licitum) & si qui eò usque iudicarent illas necessarias, vt sine illis fides non posset iustificare (quod quidem iudicium, graue fuit semper peccatum) in utroque casu, durante corrupta illa conscientia, tenebantur illas seruare: etiam si seruare, hoc secundo modo peccatum esset. Tenebantur tamen à iudicio illo repurgari. Quauis forsitan Paul. non subnotet eos, nisi tanquam habentes iudiciū illud falsum, licitum pro tunc tamen.

Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Proposita ergo, exposita quoque iussione de vitando scandalo, persuadet nobis illam quatuor rationibus, scilicet ab officio, quod ex charitate debemus proximo: à reuerentia, quam ob religionem debemus CHRISTO: à cura, quam debemus habere boni publici: ab obligatione, qua tenemur seruare pacem. Est veruntamen operæpretium, vt energia harum rationum fiat perspicacior, præfigere ante oculos faciem illorum neotericorum. Fit enim ex hoc loco coniectura, quod multi ex Iudaismo conuersi forsitan sese plus æquo oblectabant ciborum lasciuia, qui permixti erant Christianis: erant quippe multi delicati cibi Iudæis prohibiti, vt suillæ carnes, lepores, & alia venationis genera: & in piscibus anguilla, & alii preciosa: de qua re scandalum alii pusillanimes accipiebant, credentes ceremonias antiquas illos abieciisse, non eò quod cessassent, sed vt lautitia illa ciborum, genio, ventrique seruiret. Quæ ob causam de Christiana religione non ita castè sentiebant, eò quod tam licentiosam facultatem faceret hominibus. Imò quid si cogitemus nonnullos etiam forsitan conuerti tunc illius libertatis gratia. Quemadmodum si modo prouincia quæpiam Saracenorum, qui potu vini interdicitur, audita prædicatione Euangelii conuerteretur ad fidem, videntes autem aliqui eorum alios per libertatem euangelicam crapulæ se dedere, & ebrietatibus, scandalum acciperent, & à religione ideo Christiana abstererentur. Perinde ergo atque tunc, Saracenis conuersis, catholicus concionator prædicaret, ne prætextu libertatis Christianæ vino se ingurgitantes, scandalo essent neophytis aliis, prodit nunc Paul. Romanorum admonitor. Sed quæris, Num conuersos omnes, tam ex Gentibus, quam ex Iudæis carpit hoc sermone? Videtur enim non omnes reprehendere, tum quia recentes illi ac tenelli Christiani ex Iudæis, non nisi de conuersis ex sua gente deberent accipere tale scandalum, quod suam legem desererent, tum quia difficile erat, venientes à gentilitate, priuare tot ciborum generibus, propter aliorum ignorantiam. At verò quauis potissimum ad conuersos ex Iudaismo spectet fraterna hæc correptio, tangit nihilo minus & conuersos ex gentilitate: siquidem & ab illis prodibat quoque scandalum: arbitrantibus Iudæis, quod etiam illi tenebantur iugum subire antiquæ legis. Nam, gratia sedandi huiusmodi turbas & rixas, celebratum fuit concilium illud Act. 15. vbi exposita fuit lex de cessatione horum legalium. Siquidem, permixtis in vniuersum aliis cibis, iussi sunt, in gratiam Iudæorum, Christiani vniuersi, à contaminationibus simulacrorum, ab edendis scilicet animalium carnibus, quæ idolis immolabantur, cauere: de quibus idolothytis loquitur Paul. Corinth. (nam sacerdotes Gentiliū, carnes vendebant immolatas idolis) & à suffocatis & sanguine, quæ maximè exhorrebant Iudæi, vt posset conuictus coalescere inter omnes promiscuè Christianos. Quod quidem decretum cessante necessitate, cessauit. Secus autem de fornicatione illic in perpetuum prohibita, eò quod Ethnicorum plerique pro licita illam habebant. [Si enim propter cibum, &c.] Prima ergo ratio sumitur ab ingenio charitatis. Vide ergo quam sit charitas

tas ingenua, officiosaque, & morigeræ virtus, quippe quæ non solum non permittit, vt grauioribus iniuriis lædas fratrem, verum neque vt vlla eum afficiat tristitia. Neque verò tantum prohibet, ne ius violemus alienum, vnde contristetur frater, verum, vt quo tristitiam illi caueamus, iuri nonnunquam cedamus nostro. Sic enim arguit Paul. Si propter cibum, scilicet, communem, quo tu indifferenter vteris, frater tuus, puta, infirmus, videns legem, quam vigere arbitratur, à te pessumdari, contristatur, non secundum charitatem ambulas, sed eius leges transgredieris. Hic præterea nota primum damnum, quod illi pusilli contrahebant per datum scandalum, puta, tristitiam, quæ licet non esset per se peccatum, erat tamen causa temerariè iudicandi de illis, qui cibos non discernebant, quod (vt diximus) erat primum passiuum scandalum.

Dubitatio.

Responsio.

[Sed merito hic dubius sciscitaris, an iubeamur sub obligatione, cuius transgressio sit mortalis, dimittere temporalia nostra, quorum plenum, planumque habemus ius, ne fratri demus scandalum: nam de spiritualibus in subsequenti ratione tertia faciemus mentionem: videtur namque, si ita est, iugum suaue CHRISTI ad graue nos onus obligare. Ad hanc quæstionem sub distinctione respondendum est. Si enim ille qui scandalum accipit, id facit ex malitia: nempe quod vel nulla offuscatur ignorantia, vel illa penitus, cuius potest facile conuinci, sed aut per vafriem, aut per obstinationem scandalizatur, neutiquam tenemur morem gerere nequitia eius: alias teneremur coniuere hæreticis, puta, abstinerere à carnibus, ne Iouiniani scandalizentur, & remittere furtum manifestario latroni, ne scādalo afficiatur, quod est absurdum. Ideo quippe hanc quæstiunculam hic mouimus, quod sunt nonnulli usque adeo rigide regulam illam charitatis intelligentes, spiritualia scilicet proximi præ nostris propriis temporalibus esse diligenda, vt quotiescunque bona nostra, causa esse vilo pacto possunt vitandi peccatum in proximo, teneamur illa dispensare: quod profecto non est credibile. Illa enim regula charitatis solummodo constringimur porrigere temporalia bona, vbicumque sunt necessaria ad salutem proximi spiritualium: dum autem impudens quis sponte sua scandalizatur, vel iurat se commissurum peccatum, nisi ego illi erogauero bona mea: vt si debitor qui soluere potest, non vult mihi soluere, nisi furando: vel per uicax muliercu-

la dicit se corpus exposituram, nisi ei quis donauerit certam pecuniam, nemo tenetur donare: quia licet possit donatio esse causa vitandi huiusmodi mala, non tamen sunt necessaria causa, quia illi sua sponte peccant sine necessitate. Tenentur enim potius mori, quam peccare. Secundo ergo modo quis scandalizatur, vel subest periculo alius peccati, non quidem ex malitia, sed vel ex ignorantia, vel ex alio quocunque defectu, cui non potest succurri, nisi subuentione proximi, & tunc tenemur nostra illi suppeditare, vel iuri aliis nostro cedere: haud tamen in his quæ sunt nobis omnino necessaria. Atque hic est casus præsentis loci. Illi etenim pusilli ignorantia tenebantur illius rei, quam non poterant pro tunc doceri, & ideo vel secreto debebant alii Christiani vti cibis communibus, sicuti fecit Petrus, qui clam Iudæis, vescebatur communibus inter Gentes: vel abstinentum esset ab illis, ad vitandum scandalum: ab illis inquam, cibis qui non erant necessarij ad vitam: nam præceptum hoc vitandi scandali, præceptum est misericordiæ, sicuti præceptum correctionis fraternæ: cui virtuti opponitur scandalum: ob idque ad vitandum scandalum non tenetur quis vitam ponere: licet aliquando esse posset consilium. Vnde Apostolus ad Corinth. eandem tractans materiam, licet præmisisset, Si esca scandalizat fratrem meum, tamen non subiunxit, non manducabo escas in æternum, sed, non manducabo carnes: vt sine quibus sustentari potest vita. Quin verò si ille qui scandalum accipit, vel quoduis aliud detrimētum ex ignorantia, fuerit eò usque admonitus, vt non possit iure & merito ignorantiam obtendere, iam ex malitia censetur scandalizare. Hinc veruntamen suboritur dubium in præsentia materia tale. Quando hanc Paulus scribebat epistolam, iam fuerat Petro in linteo reuelatio facta, quod cessaret ceremonia de ciborum discerniculo: erat ergo iam sufficienter totus Christianismus eandem rem edoctus. Atque adeo nemini esse deberet scandalo, promissus cuius ciborum vsus. Respondetur, quod illud mysterium Petri non erat tunc Romanis propalatum, vel saltem non erat plene intellectum: vnde colligitur, quod non erat tunc celebratum concilium Act. 15. memoratum, vbi publicitus de hac re promulgata fuit lex.

Noli cibotuo illum perdere, pro quo  
AA 4 Chris

Quatuor  
rationes.

Prima  
ratio.

tas



Secunda  
ratio.

Christus mortuus est. Secunda ratio sumitur à reuerentia, quam CHRISTO auctori nostro debemus, & obsequio: quæ quidē ratio energiam habet, efficacemq; persuadendi vigorē. Nempe ubi sunt quatuor luculentissimæ antitheses, inter nos, & CHRISTVM, inter cibum nostrū, & mortem ipsius, inter fratrem nostrum, & eius inimicos: inter, perdere, &, lucrari. [Noli cibo tuo] Tu scilicet homuncio, communi tuo cibo & lauto, qui minime tibi est ad vitam necessarius. [Illum perdere.] Puta, fratrem tuum, cum quo es mutua charitate cōglutinatus. [Pro quo CHRISTVS] Tanta intercapedine te superior, quanta est inter homuncionem & Deum: pro quo scilicet lucrando, qui non tunc frater, sed inimicus illi erat. [Mortuus est.] Hoc est, non cibotatum, eodemq; vitæ superfluo, sese priuauit, sed vitam ipsam, & per mortem crucis tradidit. De quo inestimabili sumptu, dispendioq; vitæ Dei perpendi potest, quam sit preciosa spiritalis vita fratris, quam tu perdis. Perditio enim hæc fratris nō huc tantum refertur, quod tenelli illi tali occasione impingebant, vel temerè iudicantes, vel de lege Christiana obloquentes, sed ad hoc etiā forsā, quod nonnulli retrocedebāt à fide: alii verò remorabantur, ne illam susciperēt, atq; adeo mors CHRISTI frustrabatur per illos suo fructu.

Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudiū in Spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Tertia ratio sumitur à cura, quam gerere tenemur boni publici nostri, & præsertim Christianorum nominis. Græcè legitur / vestrum / sed tamen cum non sit differentia nisi in vna sola litera, sicuti latinè non est nisi in duabus, haud certum est, quid Paul. scripserit. Theophyl. legit / vestrum / Orige. verò & Latini / nostrum / & sententia eadem est. Et vocat / bonum nostrum / fidem & religionē nostram, qua liberati sumus ab illis ceremoniis: quæ quidē fides per abusum talis libertatis in nimio ciborū excessu & luxu vituperabatur ab illis infirmis. Eò enim vsq; prorumpēbat scādālū illud infirmorū (vt supra denotaui?) vt Christianissimi religio apud illos malè audiret: nimirum quòd lex euangelica nimis esset laxa, nimiumq; animis obsequens subditorum, quod quidem redundabat in blasphemiam legislatoris. Quandoqui

dem ille non eo sine eripuit nos ab illo certimoniarum grauamine, delectuq; ciborum, vt cunctorum ingluuie onusti, voluptatib; præ antiquis Patribus indulgeremus, sed ob id, quòd illa quæ figura erant & vmbra futurorum, veritate ipsa cōpleuit, abegitq; vt nos, veluti liberi, grandiori iam ætate ab illis puerorum rudimentis exempti, sponte nostra fragiliores essemus in victu, in aliisq; omnibus obsequentiore. [Non est regnum Dei esca & potus.] Respondet per hæc verba, cogitatus illorum, qui sic possent insilire in Paulum. Lex nobis euangelica hanc fecit libertatē: quid nos ergo sancte Apostole, & ex lege nos nostra abducere moliris, & in antiqum retrudere? Respondet inquam, illis, quòd regnum Dei non est esca & potus. Regnum enim Dei appellat legem euangelicā, tum propter diuinam, quæ in eo floret, libertatem, tum quòd per illam panduntur nobis valuz regni cœlorum: sic enim appellauit eam Præcursor, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorū: ac post CHRISTVS sæpissimè promiscuè, vel regnum cœlorum, vel regnum Dei. Responsio autem est huiusmodi, Si substantia, essentiaq; regni Dei in esca consisteret & potu, nequaquam à vobis exigeretur, vt huiusmodi libertati renuncietis: nam legem regni Dei nemo debet pro bono fratris violare: substantia autem ac neruus legis non est esca & potus, id est, non consistit in vsu communium ciborum, qui polluti reputabatur: sicuti eiusdem regni fructus in cœlo, vbi neq; nubent, neq; vxores ducent, non captatur per fruitionem harum carnaliū deliciarum. [Sed iustitia, & pax, & gaudiū in Spiritu sancto.] Cui quidem iustitia & paci accidentaria est ciborum libertas. Per iustitiam enim spiritualem & pacem ad cœlum progredimur: easdemq; illuc valemus nobiscum rapere ad perfectum gaudiū: per carnales verò voluptates non item. Quoniam, neq; si comederimus, abundabimus: neque si non comederimus, deficiemus. Arguit igitur Paul. Cum ab esca & potu non ita pendat regnum Dei, vt putemus absq; esu carniū suillarum, aliarumq; id genus indifferētium, salutem haberi non posse, non est cur tam tenaciter vsu & more, esucarum libertatem defendatis, cum periculo spiritualium honorum, & non potius quidpiam iuris vestri hac parte remittatis, vt iustitia, pace, & gaudio perfruamini in vnum cum fratribus. Pespice ergo quanto artificio illa compo-

Mat. 23.  
Mat. 24.  
Luc. 11.  
& 19.

1. Cor. 8.

Esai. 32.

Gal. 5.

Theologica  
veritas.

nit ac comprehendit, in quibus custodiendis tum regum Dei positum est, tum ideo versari debet Christianorum studium & religio. Initium enim regni cœlorum est iustificatio per Spiritum sanctum, progressus verò, cultura deinde eiusdem iustitiæ: effectus autem iustitiæ, est pax: opus enim iustitiæ, pax, inquit, Esaias: nam tunc pax vera est, cū vnusquisq; ius suum tranquille possidet: quam quidem pacem propriè consequitur gaudiū. Addit autē / In Spiritu sancto / quod ad singula triū præcedentium adiunctum est. Nam est altera naturalis iustitia operum, alteraq; iniquorum carnalis pax, quam CHRISTVS non venit mittere in terra, sed contrarium bellum: alterumq; eorum sensuale gaudiū. In regno autem Dei, Spiritus sanctus per quem charitas effunditur, author est cœlestis iustitiæ, veraq; pacis ac gaudiū spiritualis. Iuxta illud, Fructus spiritus, charitas, gaudiū, pax. Hæc veruntamen perditum eunt scandalizatores fratrum. Primum enim iustitiam corrumpūt, cū nec charitatis debita soluunt, & fratribus offendiculo sunt, vt à gratia & iustitia decidant: mox pacem perturbant, ac deinde gaudiū. Et alludit ad verbum primæ rationis, Si frater tuus propter cibum cōtristatur. Adnotari præterea in presentiarum debet veritas illa theologica, quòd spiritalia, quæ necessaria sunt ad salutem, non sunt dimittenda, ob tollendum scandalum. Hoc etenim insinuat hic Paul. quòd si in regno, hoc est, in lege Dei, præciperetur cōmunis ciborum vsus, tanquā ad salutem necessarius, non esset vtiq; per transgressionem illius mos gerendus infirmis, sed necessariò esset omnib; vtendum. At quia potest quis abstinere citra culpam, dummodò id non fiat obseruandæ antiqæ legis gratia, indulgere hac parte possumus, ac debemus infirmorum imbecillitati. Non ergo licet vel furtum facere, vel homicidium, imò neq; nimium mendacium iocosum dicere, ad vitandum, vel maximum scādālū. Alia verò spiritalia quæ sunt citra necessitatem salutis, vel differre ad tempus licet, vel dissimulare, vel occultare, ad vitandum scandalum pusillorum, haud tamen ad euitandum scandalum Phariseorum: cuius farina sunt hæretici omnes. [Qui enim in hoc seruit CHRISTO, placet Deo, & probatus est hominibus.] Sed neq; hic satis liquet, an legendum sit, in his, vti est græcè, putā, iustitia, pace, & gaudio: quemadmodum legit Chryso. & eius Theophyl. an, in hoc, vt legit Orige,

nimirum in hoc Spiritu sancto: quoniam, Ne- 2. Cor. 10.  
mo dicit dominum IESVM, nisi in Spiritu sancto. Præterquā quòd singulare pronomen extare hic potest pro plurali, vt sit demōstratio præcedentis sententiæ. Nempe quòd regnum Dei est iustitia, pax, & gaudiū: in quibus seruire quisq; iustus debet. Nam propriū est filiorū regni, placere Deo, & hominibus: vt pote cū radix meritorum sit diligere Deū & homines: consummatio autem præmiorū, vt sis dilectus Deo, & hominibus. Qui ergo CHRISTO in illis seruit, placet Deo, probaturq; hominibus: in quibus idcirco consistit regnum Dei. Sed expende verborum differentiam. Non dicit / Qui in his seruit Deo, sed / CHRISTO: licet idē sit / Neq; qui placet CHRISTO, sed Deo: quāuis nil differant. Et ratio differentia est, quòd CHRISTVS constitutus est rex huius regni à Deo, qui eiusdem regni est author: secundū illud, Trāstulit nos in regnum filii dilectionis suæ. Quod quidem regnum traditurus ipse est Deo & patri, Seruire autem debent subditi regi, placere autem illi, qui regnum instituit, quicq; offensus erat. Et præterea forsā, in hoc, scilicet munere iustitiæ & pacis, peculiariter ait, seruire nos CHRISTO, eò quòd illas virtutes colimus, quas ipse tanto precio comparauit nobis. At verò licet non omnis qui seruit CHRISTO & placet Deo, idem probetur omnibus hominibus (est enim perdifficile, etiam iusto, prudentiq; viro, placere Deo & hominibus) probatur tamen saltem filiis eiusdem regni, qui per eūdem Spiritu sanctum iudicant opera fratrum. Et his ait Paul. probatum esse, qui seruit CHRISTO. Quāuis, qui has potissimum virtutes iustitiæ & pacis protegit, illis etiam nequā, discolisq; hominibus gratus est. Vel forsā probatum esse ait hominibus, respiciendo ad illos pusillos: nam qui iustitiam & pacem, excusando scandala, colit, ille placendo hominibus placet Deo.

Itaq; quæ pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicè custodiamus. Noli propter escā destruere opus Dei. Quarta demum ratio est proximè præcedēti appēdens. Et sumitur à veneratione, in qua habere debemus pacem, quæ opus est Dei, & à diligētia, qua ideo illā debemus protegere & fouere. Et ideo per modum conclusionis ait. [Itaq; ea quæ pacis sunt, sectemur.] Veluti illud charitatis opus, per quod vnitas Christiani corporis maximè, tum continetur, tum

Quarta  
ratio.

etiam effulget. Persecte autem obseruauit  
 Orige. verbum Origen. videlicet quod non dixe-  
 rit / teneamus / aut simpliciter / sequamur /  
 sed sectemur. Sicuti & David non ait simpli-  
 citer, Inquire pacem, & sequere, sed, persequere  
 eam. Ac si dicat, Etiam si olores, perturbatores  
 que pacis de medio eam sustulerint, quocunq;  
 eam fugauerint, tu illam persequere, etiam cum  
 labore tuo, cum damno, cum opprobrio quoq;  
 Hec ferme Orig. Quod est, si inimicus noster  
 nihil de iure suo vult remittere, quinimo in  
 nostrum conatur irrupere, cedamus illi. Verbi  
 gratia, si quis voluerit tu nicam nostram tollere,  
 dimittamus ei & palium, vt expeditiores  
 sectemur pacem: quae margarita est Christianis  
 preciosissima: quam nobis CHRISTVS moriens  
 dedit, testamentoque reliquit, & signum esse  
 voluit, quo sui discernantur discipuli. Nam in  
 hoc, inquit, cognoscent homines, quod mei discipuli  
 estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. [Et  
 quae aedificationis sunt, inuicem custodiamus.] In  
 Graecis modo non est / custodiamus / sed / quae  
 aedificationis / vt ex superiori oratione suppleatur,  
 & / sunt / & / sectemur / sed nihil refert.  
 Optime autem adiunxit paci, aedificationem: nam  
 vbi non est pax, nullatenus potest aedificatio  
 spiritualis proficere. Persistit praeterea scite in  
 exhortatione vitandi scandalii: nimirum per  
 contrariam virtutem fraternae correctionis, cuius  
 officium est, bonum fratrum aedificare, iuuare,  
 augere, & promouere. Ob idque ait / inuicem /  
 nempe vt infirmi, videntes eos qui perfectiores  
 sunt & doctiores in fide, lautiori ciborum vsui  
 parcere, vt eorum se infirmitati accommodent,  
 per illorum charitatem aedificentur. Et vice versa  
 firmiores, cernentes, quod infirmi cum humilitate  
 disciplinam amplectuntur, permittuntque se  
 erudiri mysteria fidei, aedificentur quoque per  
 talem humilitatem. [Noli propter escam destruere  
 opus Dei.] Verbum adhibet, cuius vigore impendit  
 corroboret rationem proximam. Sunt enim &  
 escae quoque opus Dei per creationem, & naturalem  
 concursum ad sustentationem naturalis vitae: sed  
 tamen charitas, iustitia, & pax, peculiari, supernaturalique  
 concursu comparata nobis sunt per redemptionem  
 CHRISTI, ad vitam nascendam spiritualem: quae  
 ideo hic dicitur proprie opus Dei, eiusque aedificatio,  
 cuius fundamentum est CHRISTVS: iuxta illud, Dei  
 aedificatio estis. Et, Superaedificati super  
 fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angula

ri lapide CHRISTO IESU, in quo omnis aedificatio  
 constructa crescit in templum sanctum in domino.  
 Ex quo vtiq; scripturarum sermone in morem venit  
 Christianis, vt per bonum exemplum fratris,  
 dicantur alii aedificari. Est ergo adhortatio,  
 obiurgationem adferens vehementem, ne propter  
 eduliorum lautitiam & luxum, quae corporali  
 vitae non sunt necessaria, destruat spirituale  
 opus Dei, quod non CHRISTVS minori sumptu  
 aedificauit, quam preciosissimi sui sanguinis  
 effusione.

Omnia quidem sunt munda, sed malum est  
 homini qui per offendiculum manducat. Bonum  
 est non manducare carnem, & non bibere vinum,  
 neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur,  
 aut infirmatur. Quauis videtur haec superiorum  
 repetitio, non est tamen omnino superflua,  
 sed est materiae epilogatio necessaria, eademque  
 bipertita, tam infirmos porro comprehendens,  
 quam firmiores. Nam cum in hoc sermone de  
 scandalo solos firmiores visus fuerit suggillare,  
 vellicat nunc pariter & infirmos. Colligit enim  
 ex dictis, quod licet omnia sint natura sua  
 pura & munda, bifariam tamen fieri possunt  
 impura & illicita, nempe vel propter scandalum,  
 quod prouocet in fide dant opere suo fragilioribus  
 manducando, vel propter conscientiam, si contra  
 eam, infirmus edat. [Omnia quidem sunt munda.]  
 Idem supra dixit, sed adiecit / per ipsum /  
 scilicet, CHRISTVM, quia mundata per ipsum  
 sunt a pollutione illa & inquinamento legalium.  
 Nunc autem vbi absolute vocat, munda, intelligit,  
 natura suam in qua natura relicta sunt beneficio  
 euangelicae libertatis. Explicatus rem aperuit ad  
 Titum, Omnia munda mundis, vbi spectauit &  
 ad legales sordes ciborum, & ad munditiam  
 baptismi, per quem subducti sumus iugo legis. Hoc  
 est, illis qui baptismo abluti sunt, nihil est  
 amplius a lege immundum: sed infidelibus, qui  
 inquinatam gerunt conscientiam, non solum  
 legales cibi, sed omnia sunt impura & sordida,  
 quae scilicet ex falsa sua fide faciunt, vt quam  
 proximè exposituri sumus. [Sed malum est  
 homini, qui per offendiculum manducat.] Hic  
 firmiores carpit, quos haec tenus culpauit. Propter  
 quos & subdit. [Bonum est non manducare  
 carnem, & non bibere vinum.] Adiecit / non  
 bibere vinum / quod vigorosior esset oratio. Quasi  
 diceret, Non solum carnes, quae antiquis  
 pollutae habebantur, verum nullas carnes comedere

Mos Christianorum loquendi, aedificari.

Tit.

medere, quin, verò & vinum non bibere, bonum est. [Neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.] Hoc est, & quod libet aliud non comedere, nec bibere, nec loqui, nec facere, in quo frater tuus offenditur, &c. Nescio tamen, an tria haec coaceruauerit Paulus, non quod diuersa sint, sed quod rem eandem ad maiorem vehementiam inculcasset. Tamen si (vt supra dicebamus) offendi / solum significare videtur, in virtutis obstaculum occurrere: scandalizari verò, corruere. Quod si dicere iuuat, tria haec incōmoda, vt distincta composuisse, dicere subinde tunc possumus, quod respondet ad illa tria quibus dixerat constare regnum caelorum. Offenditur enim quis, dum laeditur in his quae pertinent ad iustitiam: quia non redditur ei ius suum: cum tamen tenearis praepcepto charitatis, non opponere illi offendiculum. [Aut scandalizatur.] Hoc est, impingit in idem offendiculum, collabiturque in culpam, vt potè, aut temerè iudicando, aut aliquid patrandi crimen, quod est effectus positi offendiculi: per quam quidem scandalizationem pax perturbatur, & profingatur. [Aut infirmatur.] Puta in fide, in qua scilicet languere incipit, debilitarique & vacillare, reputando illam minus honestam, vt supra expositum est: vnde gaudio priuatur quod secum adfert fides. At ne salubre adnotatum culam Origenis praetereamus, cum tam comedere, & vinum potare aliquando necessariū sit ad vitandum scandalum, quam non comedere: vt cum quis edulis & ferculis olim vetitis abstineret, vel forsitan vino, qui suspectus esset id facere, vel iudaizando, vel legem seruando Saracenorum, tamen affirmatiuae partis non meminit, sed duntaxat negatiuae, quae a carnibus & vino, tum congruentissima est, tum vtilissima, tum etiā inter sanctos consuetissima, ac celebratissima.

Orig.

Tu fidem habes: penes te ipsum habes coram Deo. Quemadmodum superius vbi aiebat, Regnum Dei non est esca, nec potus, ita & hic diluere studet obiectionem perfectiorum in fide. Opposuissem enim ei hanc exceptionem, Fides euangelica est, licet re vti cōmunibus: hanc ergo necesse est Christianis protestari suis moribus: hac ergo de causa, ne iudaizare videamur, nullum abiciamus cibum: nam alias vergeret nobis in detrimentum spirituale, quod nulla ratione incurrendum est. Ad hoc ergo respondet Paulus. Quapropter post membrum illud, Tu fidem

habes / alii signant comma, alii verò interrogationis notam, vt habeat quaestionis formam. Tu fidem habes? habe penes te ipsum coram Deo. Et nihil omnino refert, alterutro legas modo, nisi quod in interrogatione inest nescio quid acuminis. Et alludit ad illud verbum in initio capituli / Alius quidem credit manducare omnia. Quasi dicat, Si tu fide teneas, cessasse iam immūdorū praepceptiones, retine penes te ipsum hanc veritatem coram Deo, qui inspector est cordium, & vbi clanculò tibi licuerit, fruere hoc iure: at noli veritatem huiusmodi foris opere exerere, & prodere per scandalum aliorum. Sunt autem qui claritatis gratia legunt cum relatio, sine interrogatione / Tu fidem quam habes / gratia tamen nullum est relatiuum: licet sit in multis latinarum versionū. Alii nihilo minus putatum non collocant, nisi post illud relatiuum / ipsum / Tu fidem habes penes te ipsum: habe coram Deo: sed tunc non est tam congruens interrogationis schema: & praeterea mutatur sensus in hunc, Si fidem habes apud te ipsum, habe & simul coram Deo: hoc est, non ita utaris illa fide, vt per offensionem fratris displiceas Deo. Sed prior sensus accommodatior apparet rei propositae. At si illi adiuuanti instantius agerent, quod superius ipse docuisset, non fat esse, corde credere ad iustitiam, nisi ore (& pari ratione opere) confessio fiat ad salutem, duplici responsione potuisset facere illis satis. Vna, quod non semper necessaria est confessio, re ipsa, & opere. Qui enim credit licitum esse matrimonium, non protinus tenetur uxorem ducere. Altera verò responsio est ad rem propior, quod vbi veritas est, vel in sacra scriptura expressa, vel per publicam Ecclesiae auctoritatem definita, tunc necessaria est vocalis confessio, vbicunq; casus rationem obtulerit confitendi: dum autem neque plana est in scriptura sacra, neque per Ecclesiam inde deducta, nemo constringitur illam confiteri, licet eam scienti negare non liceat. Haud enim fuisset fas, firmioribus in fide, ad tollendum pusillorum scandalum, de illa falsitate cum illis consentire, quod legalia illa vim etiam tunc obligandi post mortem CHRISTI retinerent.

Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide peccatum est. Post documentum quod ad

ad perfectiores attinebat, transfert se ad infirmos: docens, quoadmodum & illis quoque fiat impurum id quod natura sua & euangelica lege purum est. Ait enim. *[Beatus est qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.]* Hoc est secundum plerisque omnes enarratores, beatus est, quem sua conscientia non remordet in eo quod probat: ut faciat, sed quicquid facit, quæta, pacataque conscientia facit. Vnde & Orig. & Chryf. & alii non agnoscunt sententiam hanc veritatem habere vniuersalem, sed de his tantum proferri, qui id quod faciunt, recta fide & lege faciunt. Nam ubi quod quis facit, malum est & illicitum, multo est peius, si securus id faciat: præsertim quando ignorantia non omnino excusat: longeque esset illi salubrius & commodius, si conscientia stimulo ageretur. Siquidem hac via posset induci, ut peritioribus consultius lumē reciperet, quo reuocaretur in viam. Atque hic sensus haud profusus grauatē quadrat infirmis, de quibus hic agit Paul. Nam etsi corrupto iudicio teneretur, quod seruanda essent legalia, non erant forsitan absque graui remorsu conscientia: cum plerisque Christianorum diuersum cernerent docere & facere. Qua de causa Paul. eos denotat, non peruenisse ad beatitudinē & gloriam Christianorum. Nam gloria nostra hæc est, inquit alibi, testimoniū conscientia nostra. Atque adeo eos instigat, ut peritiores obaudiānt, a quibus instruantur: neque illis sint vicissim scandalo, nolentes eos auscultare. At vero sensus hic, ut proposito præsentī congruat, præsupponit illos infirmos præsentiscere remorsum conscientia: quod non est certum. Et præterea non esset tam efficax hæc ratio apud illos infirmos, si non intelligeretur vniuersaliter, sed tunc præcisē quando quis sequitur veram fidem & rectum iudicium. Nam responderent illi, talem se habere fidem & iudicium rectum, & ideo beatos esse, quia nullo pacto seipsum iudicabāt. Ideo forsitan non desint, quibus alius secundus sensus simplicior videatur, probatiorque sit: in eandem ferē tamen sententiam, Beatus qui semetipsum non iudicat in eo quod probat, hoc est, qui iudicium illius rei quam approbat, non sumit de suo capite: veluti sensus sui tenax: sed alios gratanter audit, & absque amara disceptatione consulit. Hæc enim sententia vniuersalis est, qua infirmorum tenacitas vellicatur, obtunditurque, per quam pariter ipsi scandalum dabant firmioribus. At vero legitimum, necessariumque sensum huius particula, ea quæ subsequitur, eno-

Orig. & Chryf.

1. Cor. 1.

dabit. *[Qui autem discernit si manducauerit, datus est.]* Iam hoc supra enarratum est. Si enim quis iudicat, siue recte, siue prauē, siue iuste, siue iniuste, habendum esse ciborum discerniculum, is si manducat communia, damnatus est, videlicet a seipso, & sua propria conscientia. Atque hinc planissimus sensus eruitur superioris membri, Beatus qui semetipsum non iudicat in eo quod probat, id est, non condēnat seipsum in eo quod approbat, ut faciat. Itaque docet hoc loco Christianam beatitudinem non in hoc solo consummari, quod id quod probas, non sit per legē natura sua condēnatum, sed in hoc, quod nec lex te condēnet ex parte obiecti, neque verò tua propria conscientia, contra quam facis. Sub qua quidem præmissa subsumit alteram. Ille autē qui contra suam conscientiam manducat omnia, licet rem faciat genere suo legitimam, non tamen ideo beatus est, quoniam seipsum, hoc est, per suam contrariam conscientiam iudicat, hoc est, condēnat se. *[Quia non ex fide.]* Nempe operatur. Etenim fieri aliquid ex fide, bifariam vsu venit: nimirum, vel in genere, hoc est, secundum veritatem & sententiā fidei: & hoc non sufficit ad rectitudinē actionis humanæ, sed requiritur præterea, ut in particulari fiat ex fide applicata ad opus per conscientiam. Nam veritates fidei & leges per conscientiam applicamus ad opus: ille ergo qui operatur id quod fides præcipit, contrarium tamen dicente conscientia, ideo peccat, quia non facit ex fide in particulari. Et ideo subdit maiorem præmissam, ad conficiendum totum syllogismum. *[Omne autem quod non est ex fide peccatum est.]* Resultat ergo syllogismus hic & iusta ratiocinatio. Omne opus quod non est ex fide, peccatum est, opus autē quod quis facit contra dictamē conscientia suæ, est opus non ex fide, ergo est peccatum: atque idcirco qui sic operatur, seipsum condēnat: vnde fit, ut non sit beatus, cum seipsum iudicet in eo quod probat. At vero quāuis prospectus præteriti hic sensum Pauli, non est vnde reliquus fiat scriptulus, sunt tamen qui hanc vltimam sententiam / Omne quod non est ex fide / latius protendant, quā fuerit eius intentio. Sunt inquit Lutherani in hoc errore, qui existimant, vniuersa opera, qualiacunque sint, illius qui est in peccato, peccata esse simpliciter, et dānationē digna. In cuius confirmationē, præter alia euāgelica argumēta, & hunc quoque locū distortē pertrahunt. Id quidē arbitrati, quod talia opera non fiant ex fide: secundū sensum (ut præ-

Omne quod non est ex fide. Lutherani.

1. Cor. 10.

tant) Pauli, hoc est, non referantur in Deum: iuxta eius alterum documentum, Omnia in gloriam Dei facite. Persuaserūt enim sibi, nullatenus opus referri in Deum, nisi ab eo qui est in gratia, citra quam relationem prauum est aiunt, quicquid homo facit. Quinimò & conueni Catholicos, qui ita censent, sequētes hac parte pietissimum ac meritò celebratissimum Roffensem. Imò censent in ea fuisse opinionem non modò Gregorium Ariminensem, verum & S. Thomā. Contra quā opinionem, latissimam habuimus disputationē, pluribus capitulis distinctam, circa finem primi libri de natura & gratia, ubi inter alia primū dilucidauimus, quoadmodum non fuerit opinio Gregorii, ut quā plurimi arbitrantur: nam ille duntaxat sustinet, omne opus esse peccatū, quod actu (ut ait) non referatur in Deum: excogitauit tamen nescio quid specialis auxilii citra gratiam in infidelibus, ad referendum nonnulla opera in Deum, relatione quæ sufficit, ut opus sit, saltem moraliter bonum. Patefecimus præterea, quod longè S. Thomas fuerit non solum a Lutheranorum errore, verum & ab opinione Gregorii. Constitutus denique pluribus rationibus & sanctorū testimoniis, ad hoc ut opus fiat absque vlla culpa & labe, satis esse, si fiat propter bonum honestū, neque proponatur illi iniquus finis, ne apponatur circumstantia praua. Nam cum res honestæ suapte primæua conditione & natura sint in Deum relatæ, ut quas propter se ipsum condidit, fit, ut quocumque opus, factum propter honestum finem naturalem sufficienter referatur in Deum, ut sit moraliter bonum: atque adeo tunc gradu suo fiat in gloriam Dei. Neque alio opus est speciali eius succursu: sed sicuti creaturas alias ad fines suos naturales, ita & hominem, qui animal est rationale, naturali influentia summouet ad suum naturalem, ciuilemque finē, qui est operari secundum rationem: quod ad moralem actionis probitatem lat est. Sententia apertissima est Augustini, cum alibi sapienter Hypog. lib. 3. ubi fatetur de homine lapsa in peccatum, libero vigere arbitrio, iudicioque rationis, non per quod sit idoneus, quæ ad Deum pertinet, sine Deo, aut inchoare aut certè peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quā etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, vel le manducare, & bibere, velle habere amicū, & huius generis complura. Hæc ille. Vbi bona appellat opera, hæc ciuilia, quæ etiā a pec-

August.

catore honesto sine exhibentur. Et de spiritu & litera cap. 28. Nihil profunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Ecce vocat bona opera impii, quæ tamen ad vitam æternam nihil profunt. Atque sententia hæc nostra constabilita est decreto Tridentinæ Synodi, can. 7. Ex hoc autem decepti sunt tam Grego. qui cogitur in peccatoribus adseuerare auxilium speciale, ad opus moraliter bonum necessarium, quod alii asserentes omnia delictoris opera esse delicta, quod Augu. & Patres omnes hæc opera moraliter bona, quæ non procedunt ex charitate, meritissimò excludunt ab officiis, quæ simpliciter censentur virtutis nomine. Nam reuera, nisi cum moderamine restrictè dixeris, bona moraliter non sunt digna opera quæ dicantur absolute bona, nisi illa prorsus quæ a charitate procedunt, quæ omnium est virtutum forma: iuxta documentum illud Augustini in de grat. & libe. arbit. cap. 18. Quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo sit bene. Ex huius ergo rei inconsideratione vbiunque apud ipsum vel apud alios Patres legunt, opera extra charitatem non esse bona, aut non esse virtutis officia, inferunt esse mala, & peccata: cum tamen sit medium inter hæc extrema. Solum enim intelligunt, non esse bona apud Deum, nec simpliciter. In quo sensu & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. disertè confirmat, non esse verè iustum, nisi qui ex fide viuat: neque esse veram iustitiam, nisi ubi est regnum Dei: neque veras virtutes, nisi ubi est vera sapientia & charitas Dei. Qua de re inquit, neque apud Romanos, neque apud Græcos Gentiles verè erant sapientes, neque verè studiosi. Atque secundum hæc utique intelligentiā audiendum & illud est, quod ait in lib. sentē. Prosperi, super hunc locū præsentem Pauli, Omne infidelium vita peccatum est. Alias, si intelligeret, singula eorum opera, quacunque ratione fuerint, esse peccata, sibi ipsi aduersaretur in locis supra citatis: ubi confessus est, aliqua esse iniquorum opera, eò usque saltem bona, ut non sint peccata. Ait ergo / Omnis vita / quia peccata omnia opera referunt in falsam religionē. Vnde & quod subdit, Et nihil bonum sine summo bono, intelligit de bonitate simpliciter dicta, quæ est apud Deū. Id quod ex subiunctis continuo verbis eius liquet. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. Igitur ut in digressum reuertamur, quod

Tridentina Synodus.

Deceptio contrarie opinionis.

Documētum Augustini.



bus. Perspice quod citra cognitionem incōmutabilis veritatis non ait, omnia esse peccata, sed ait, nō esse nisi falsam virtutem, etiam in optimis moribus. Nunq̄ enim peccata appellasset falsam virtutem, neq; optimos mores, sed id sentit de operibus moraliter bonis. Igitur vt in digressum reuertamur, quod ait Paul. Omne quod non est ex fide, peccatum esse, affirmatiuē intelligit, secundum virtutē: id quod palam supra fecimus, hoc suo consilio presenti proposito. Adducit enim hoc ad probandum, quod ille qui contra conscientiam manducat omnia, seipsum condemnat, quia contrahent fidei, quæ per conscientiam applicatur ad opus. Quocirca infidelium opera, non solum illa, quæ falsa fides sua præcipit, verum & quæ genere suo sunt bona: vt venerari parentes, debita soluere, subuenire pauperibus, & similia: quia plurimum ea præstant, referendo illa in suam falsam religionē, omnia sunt peccata. Ob idq; ait Augustin. in loco proximē citato, omnem eorum vitā esse peccatum. Et ad Titum (vt supra retulimus) ait Paul. Infidelibus nihil est mundum: nempe eorum quæ agunt ex sua infidelitate. Si hæc tamen commemorata opera genere suo bona, faciant solo fine, à natura eis præscripto, sunt planè moraliter bona. Sed arguis contra, Cuncta opera, quæ homo facit in gratia, genere suo bona, quibus, nec finis, nec circumstantia adiacet, quæ secum adferant venialem culpam, referuntur in Deum, sine alia actuali relatione, eò quod omnia virtualiter (vt aiunt) procedunt ex gratia: ergo pari ratione omnia illa quæ fiunt in peccato, referuntur in malum finem, & quæ fiunt in infidelitate, secundum virtutem referuntur in falsum deum, seu in falsum cultum: quia æqua ratione videntur omnia ex peccato, vel ex infidelitate promanare. Haud quidem est par ratio, nam cum honesta opera natura sua & genere, sint in Deum verum ordinata, non autē in deum falsum, neq; in malum finem, quoties fiunt sine aliquo peruerso fine, secundum virtutem referuntur in verum Deum: in falsum autem, non item, neq; in malum finem: nisi per aliquam actuale intentionem & propositum referantur in ipsum. Sunt nihilominus qui volunt restringere hanc Pauli sententiam, vt etiam in sensu negatiuo sit vera. Nempe quod illa quæ sunt propriè opera fidei, scilicet, quæ nata sunt, debentq; genere suo, ex fide procedere, illa inquit, nisi fiant ex fide, peccata sunt. Et talia sunt, cibos de-

Bonum argumētum.

In sensu negatiuo.

cernere, vel promiscuè omnes manducare. Sed reuera hoc nō planè percipio: nam si intelligant per hæc cerimonias illas quas fides supra ius naturæ instituit, non video cur in illis non possit quoq; contingere opus moraliter bonum, etiam si nō referretur in Deum, per supernaturalem fidem & gratiam. Ob idq; si in sensu negatiuo defendere essem ego compulsus, omne quod non est ex fide, peccatum esse, libentius extenderem hoc quod est, procedere ex fide, ad illa etiam opera, quæ procedunt ex naturali iudicio recte rationis: nā illa quoq; præcipit fides: in quo ideo sensu, nisi opus processerit ex fide, peccatū erit, quia neq; erit bonū morale. Per hæc tandem & ad illud quoq; Oia in gloriā Dei facite, respondeatur, vt in calce libri primi de natu. & grat. respondebamus: nempe quod si / referre in gloriam Dei / idem sit quod / ex charitate facere / & verba sint præceptoria, tunc non obligant pro semper, vt aiunt, sicuti nec præcepta reliqua affirmatiua, sed quando occurrit necessarius casus singularis præcepti charitatis, vt cap. 22. explicuimus: & præterea libro. 3. cap. 3. Si verò sit consilium neutiquam euincit, vt opus quod non sic refertur, sit protinus peccatum. At forsan illic / gloria / in alio sensu euangelico accipitur. Iubemur illic namq; hoc prorsus, vt talia sint opera nostra, quæ natura sua referantur in Deum (qualia non sunt peccata) vt videntes glorificent patrem nostrum, qui in caelis est. Qua quidem ratione & opera quoque moraliter bona (vt supra commonstrabam) per vires etiam naturales suo modo & gradu referuntur in gloriam Dei.

1. Cor. 10.

CAPVT XV.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; vestrum proximo suo placeat in bonū, ad ædificationem. Cæpit in superiori capite officia eorum qui præstantiores sunt infide, tractare: nimirum quæ inualidis & imbecillis debent. Quorum duo expediunt: nempe vt tum benignè eos ac dulciter debeant suscipere, tum etiam nullo eis esse officulo. Nunc in hoc præsentia adiciit & de tertio dicere, quæ admodum scilicet debeant eos strenuè, & cū omni māsuetudine perferre. Possumus autem particulas quinque huius capituli discernere. In prima namq; proponit ac corroborat eam italem conclusionē, nempe quod debeant

Distributio capituli.

debeant firmiores infirmorum imbecillitates sustinere. In secūda / propter quod suscipite / maioris explicationis ac roborationis causa explicat munus functionemq; CHRISTI in carne. In tertia / Certus sum autē / quasi ad conclusionē epistolæ vergēs, purgat, excusatq; se humanissimè apud Romanos, quod eos omni dilectione & scientia plenos, tã longa epistola, tantaq; cum libertate curauerit instruere, & admonere. In quarta / Propter quod impediēbar / defendit dilationem suam, vt qui æquissimis obstitis impedimentis, tam diu distulisset eos inuisere. In postrema denique / Obsecro ergo vos / deposcit eorum suffragia apud Deum, vt confectis, quæ apud Gentes, & erga Hierosolymitanos incūbebant ei negotia, daretur ei otium, vt citra salutationes, postremum est, ita profecto & benevolentia repleat sanctissimam. Vt sicuti in decursu epistolæ aliquam fuerit visus spargere amarulentiam, hac in calce suauitate & dulcedine eos afficiat, relinquatq; adeò recōciliatos. [Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.] Bipertita est conclusio: in partem videlicet affirmatiuā, & partē negatiuā. Estq; veluti resumptio inītiū superioris capituli. Quod enim illic dixerat / Infirmū in fide assumite / hic quasi repetendo proponit latius exponere: porro persistens in tolerantia cōmendanda infirmorum, diiudicantium inter cibos ac inter dies. Ait verò / Debemus / ne quis arbitretur patientiam in tolerantis fratribus, officium esse gratis præstitum. Est enim debitū ex lege fraternæ charitatis. Et quidem græcè non est comparatiuū / firmiores / sed positiuū, firmi, seu, validi & potentes. Interpres autem modestiæ fortè consulēs, quoniam absolute / firmi / potentes / & robusti, nescio quid insolentia præ se fert, transtulit / firmiores / quod tantum dicit comparationem ad infirmos: quæ quidem cōparatio moderatior est. Neq; verò (vt adnotauit Orig.) censendus est hic Paul. cōtrauenisse Sapientis documēto, Laudet te proximus tuus, & non os tuum: haud enim laudis gratia, in prima persona dixit / firmiores debemus / sed humilitatis potius: vt cum aliis fateretur obsequium debitum sustinendi infirmos. Qua etiam de causa est non se simpliciter pronunciat infirmum, ait tamē, factus sum, infirmus infirmis, vt infirmos lucrifacerē. Perspectum ergo nobis hic sit discrimen inter vigorem corporalium virium, fortitudinemq; secularium militum, & illud

Variat lectio.

Orige.

Prot. 27.

1. Cor. 9. Discrimen inter robur corporalium, ac firmitatē spirituum.

robur spirituale virtutum, quod nobis obtinet ab ingenio fidei, quodq; à nobis idcirco hic exigit Paulus. Validi enim & fortes, illi habentur in bello, qui hostes supprimunt & conterunt: firmitas autem virtutum, & maxime in familia Christiana, in hoc se contrariō demonstrat, quod inualidos subleuet, eorum languores sustineat & comportet. In hoc inquam, Deus vult homines substantia huius mundi abundare, non vt pauperes, siquid habent bonorum reliquum deglubant, sed vt eorum inopiam eleuent. Et eo fine, alios qui vel ingenio, vel scientia & prudentia valerent instituit, non vt ignorantes, vel aspernentur, vel decipiant, sed vt clementer eorum ignorantiam ferant, doctrinaq; eos & consilio iuuent. In summa per hoc maximè ostendas, quo vsq; per virtutum gradus fueris progressus, si eos qui contrariis vitiis succubunt, neq; fugaueris, neq; fugeris, sed toleraueris, sed cōsolidaueris, sed correxeris, sed alio quouis pacto iuueris, illos lucrificans Deo, vniuersorū pastori, patri, ac domino. Sunt enim in spirituali structura Ecclesiæ firmiores, ac sanctiorum proceres, sicuti in materialibus ædificiis robustiores lapides, qui firmamento subsident, erectaq; columna, quibus pōdus ac moles innititur, solidioraq; ligna, quib; totū ædificium illaqueatur. Quin verò neq; satis est, vt firmiores infirmorum imbecillitates sustineant, hoc est, tolerant cum patientia, sed necesse est, vt illas importent, hoc est, humeris propriis suscipiant, ad alleuandum eorum onus: iuxta præscriptum Pauli, Alter alterius onera portate: imò instat CHRISTI, qui languores nostros spē tulle, & infirmitates portauit. [Et non nobis placere.] Ecce alterā conclusionis partem negatiuam. Submonet nāq; impedimentum quod nobis obstat, quo minus fratrum molestias feramus æquo animo: hoc enim obstaculū est proprius amor. Cum tamen virtutes, vel illæ maximè, quæ beneficio Dei nobis suppeditantur, non vt nobis in hac vita placeamus, donantur nobis, sed vt fratribus per earum officia placentes, Deum promereamur, qui nobis sempiternum gaudium rependat. Ob hoc enim Paul. sciens scilicet, quod charitas patiens est, neq; æmulatur, neq; quærit quæ sua sunt, Ego, inquit, per oīa omnibus placeo, nō quærēs, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiāt. [Vnusquisq; vestrū proximo suo placeat in bonū, ad ædificationē.] Explicatio est propositæ exhortationis. Et enim quoniā vetuerat, ne nobis placeremus,

Exemplum

Gal. 6.

1. Cor. 10.

vt nemini videretur licentiam indulgere ap-  
plaudēdi per omnia amicis modum præscri-  
bit. [Vnusquisq; uestrum.] Græcè non est, nisi/  
nostrū/quod videtur respōdere primæ per-  
sonæ superioris verbi/debemus. Sed tamen  
cū in illa lingua, per exigua distātia vnus lite-  
rulæ differāt hęc duo pronomina, nondum  
certum est, vtrum dixerit Paul. nostrum/an/  
uestrum. Maximè quod crebrò vtitur huius-  
modi apostrophe. Et videtur congruentius/  
uestrū/vt referatur ad verberandum lites &  
iurgia Romanorum, inter quos neutra pars  
alteri, sed sibi placere vtraq; studebat. Debe-  
mus ergo placere fratribus, non quidem eo-  
rum animis obsequētes, quocunq; eos corrup-  
ptæ affectiones propulerint (vt iam supra di-  
ctū est) sed [In bonum.] Scilicet spirituale ipso-  
rum [ad ædificationem.] Quod verbum iam  
paulò ante præmissum est. Sunt namq; iusti,  
veluti viui lapides, quibus super CHRIS TVM  
eiusq; fidei robur, fundatis extruitur spiritua-  
le ædificium Ecclesiæ, quod habitaculum est  
spiritus sancti: iuxta illud, Nescitis quia tem-  
plum Dei estis. Distinguuntur autem horum  
lapidum status duo. Alter est in hac militan-  
ti Ecclesia, vbi virtutum exercitio & cultu-  
ra excuduntur, quadrantur, poliuntur, peror-  
nāturq; deniq; & adparantur: iuxta verbum  
Apostoli, In CHRIS TO omnis ædificatio cō-  
structa, crescit in templum sanctum in domi-  
no. Alter verò est in Ecclesia triumphanti,  
quando vnusquisq; in ea parte ædificii, subli-  
miori scilicet, aut inferiori, dignioriq; aut mi-  
nus digna collocabitur, prout quisq; vsu diui-  
næ gratiæ efformauerit se in hac militia. In cu-  
ius figuram legitur, quòd cū templum ædi-  
ficaretur, neq; malleus audiebatur, neq; secu-  
ris, neq; vllum aliud ferramentum, sed foris  
omnia cudebātur & dolabantur. nēpè quòd  
in cœlesti beatitudine non erit amplius, neq;  
luctus, neq; clamor, sed hic omnia sunt pera-  
genda, perq; ferenda. Quocirca hic quisq; si-  
bi prospiciat per momentaneos istos sudo-  
res, & agones huius vitæ, qualis esse velit in  
illa sempiterna requie. Optimè ergo ait Paul.  
vt placeamus fratribus ad ædificationem: nē  
pe vt nos omnes vicaria opera ad hoc vnū  
ædificium magis ac magis promoueamur.

Etenim Christus non sibi placuit, sed  
sicut scriptum est, Improperia impro-  
perantium tibi, ceciderunt super me.  
Ex partibus propositæ præceptionis, scilicet,  
quòd debemus sustinere infirmos, neq; no-

bis placere, probat prius posteriorē, vt prio-  
rem post concludat. Probat, inquam, exem-  
plo CHRIS TI, qui exemplar est vnicum vitæ  
nostræ, cuius scilicet imagini (vt cap. 8. medi-  
tabar) prædestinavit nos Deus fieri confor-  
mes, per merita quidem in hac vita, & in al-  
tera per gloriam. At verò Paul. in quo CHRIS-  
TVS, plusquam ipse in se, viuebat, cuiuscunq;  
nos admonet virtutis (vt Chrysof. adnota-  
uit) CHRIS TVM in exemplum proponit.  
Hortatur nos etenim, vt diligamus inuicem,  
sicut CHRIS TVS dilexit nos. Et vt eleemosy-  
nas faciamus, sicuti CHRIS TVS egenus fa-  
ctus est pro nobis, cum diues esset. Admonet  
hic ergo, ne nobis ipsis studeamus placere,  
sed fratribus: exemplo CHRIS TI, qui sibi  
non placuit. Haud tamen intelligas / non  
placuit / simpliciter: nam placuit ei seruare  
nos per crucem, cui oblatu est, quia ipse vo-  
luit: sed tamen ait / non placuit / tum respectu  
naturæ diuinæ: secundum quam non compe-  
tebat Deo mortalem assumere ad suum per-  
ficiendum diuinum gaudium, tum etiam re-  
spectu humanæ, cuius naturæ aduersabatur  
supplicia, & mors: vnde illa oratio diman-  
auit, Pater si possibile est. Tamen tandem ad-  
iecerit, Non mea volūtas, sed tua fiat. Et quia  
difficile erat creditu, quòd Deus nō sibi place-  
ret, subscripsit propheticū testimoniū ex psal-  
mo. 68. [Sicut scriptum est, Improperia imprope-  
rantium tibi, ceciderunt super me.] In translatio-  
ne nostra habetur, opprobria exprobrantiū  
tibi: sed idem est. Verba sunt filii ad patrem:  
quorum cum sit eadem voluntas, qui glorifi-  
cat vnum, glorificat alterū, vt ait filius ipse:  
atq; adeò opprobria quæ iaciuntur in patrē,  
iaciuntur in filium. Haud veruntamen, cade-  
re, seu incidere in hoc sensu accipitur in præ-  
sentia, vt qui improperat patri, improperet fi-  
lio. Nam licet hoc suam habeat veritatē, nō  
tamen per id exprimitur, quemadmodum  
CHRIS TVS non sibi placuerit. Sed referēdum  
est ad pœnam, in altero duorum sensuum.  
Vno modo, si improperium generale sit no-  
men omnium peccatorum. Nam per quod-  
cunq; peccatum derelinquitur Deus, quod  
est improperii genus & opprobrii. Et tunc  
est sensus, quòd persolutio omnium peccato-  
rum, quæ sunt improperia improperantium  
patri, incidit in CHRIS TVM: in quo po-  
suit Deus iniquitatem omnium nostrum. Et  
Petrus, Peccata nostra pertulit in corpore  
suo super lignum. Vel altero modo ad rem  
forsan propius, si improperii accipiatur sine  
gulari

gulariter, pro blasphemis & opprobriis que  
in CHRIS TVM coniecerunt eius crucifixores.  
Tunc enim est sensus talis, Supplicia eorū &  
tormenta qui tibi tunc improperabant, cum  
filium tuum afficerent ignominia crucis, ce-  
ciderunt in me: qui quidem illa sensibus ipsis  
percepi et pertuli: secundum quos sensus mihi  
displicebāt: sed sustinui vt fide & constantia  
negotium transigerem humani generis. Ad-  
dit & alium sensum Chryf. nēpè quòd cum  
iidem ipsi, putā Iudæi, qui in veteri testamen-  
to Deo improperabant, insaniērint & aduer-  
sus CHRIS TVM, ideo ait CHRIS TVS, Imprope-  
ria improperantium tibi ceciderunt, seu inci-  
derunt super me. Neq; Orig. ad crucifixores  
tantū hęc improperia refert, sed ad eos quo-  
que qui facta CHRIS TI carpebant & taxabāt.  
Siue enim cum publicanis & peccatoribus  
manducabat, siue eorum obsequia accepta-  
bat, vt Magdalenæ vnguētum, & lachrymas,  
hęc omnia CHRIS TO exprobrabant, ac, ve-  
lut crimina improperabant.

Quæcunq; enim scripta sunt ad no-  
stram doctrinam scripta sunt, vt per pa-  
tientiam & cōsolationem scripturarū  
spem habeamus. Nequi rē nimis arduam  
arbitrarentur, exēplum CHRIS TI imitandum  
fore, responderentq; adeò non fuisse perpē-  
sum illa opprobria, per modum exēpli, quòd  
nos imitaremur, sed veluti meritum, quo nos  
redimeret, subdit documentum hoc Pau. oīa  
scilicet quæ scripta sunt, etiā de CHRIS TO, ad  
nostram doctrinam & institutionē scripta es-  
se. Quòd quidem documentum in hoc maxi-  
mè loco, prope finē epistolæ posuit, vt ratio-  
nem redderet, cur tam crebrò per totam vsus  
fuerit scripturæ testimoniis. Græcè autem nō  
est simplex verbum / scripta / sed / præscripta /  
in vtroq; loco. Qua de re neoterici interpre-  
tem insimulant, quòd nō transcripserit, Quæ-  
cunq; præscripta sunt, ad nostram doctrinā  
præscripta sunt. Nā / præscripta / duo inquit,  
denotare potest, vel quòd mysteria CHRIS TI  
scripta sunt anteq; exhibita: vt patet in oracu-  
lo hoc citato: et quòd promissiones antea fu-  
erint etiam scripto mandata, quàm comple-  
ta. At verò interpres non est necessarium ar-  
bitratus transferre / præscripta / siquidem sim-  
plex præteritum abundè exprimit illa iā an-  
tea fuisse scripta. Quin verò lucidius censuit /  
scripta / ac minus amphibolum: nam / præscri-  
pta / accipi potest in alio sensu, pro his quæ  
sunt præordinata. Neq; verò Paul. arcitare co-

gitauit nomen ad mysteria sola venturi Mel-  
sæ, quæ scripta sunt anteq; peracta, vel ad pol-  
licitationes, quæ scriptæ sunt prius q; solutæ,  
sed in vniuersum oīa quæ scripta sunt, ait, ad  
nostram eruditionē esse scripta. Sicuti supra  
cap. 4. ait, Historiam fidei Abrahæ non tantū  
propter ipsum, verum propter nos scriptam  
esse, vt per illam edoceremur iustificationis  
modum & ordinem. Et de duobus eius libe-  
ris affirmat per allegoriam significasse duo  
testamenta, & tamen res illæ antea fuere ge-  
stæ, q; per Moſen literis exarata. Vnde quis  
propositum, cuius gratia admonitos hic nos  
voluit Paul. sacra elogia ad nostram doctri-  
nam esse scripta, hoc fuerit propriè de oracu-  
lo hoc Davidis, CHRIS TI mysterium prophe-  
tatis, tamen legitimus sensus ei⁹ est, legē vni-  
uersim antiquam ad nostram, qui sub gratia  
sumus euangelica, informationem memoriæ  
proditam fuisse: sicuti cap. 1. adnotauimus su-  
per verbo / in scripturis sanctis / & cap. 11. vbi  
dicebamus, Iudæos inimicos nostros circun-  
ferre modò scripta testimonia CHRIS TI, ad il-  
luminationem Gētium: qua inter alias, ratio-  
ne, cæcitas contigit in Israel, vt plenitudo Gē-  
tium intraret. Veruntamē iam nunc post scri-  
ptum testamentum nouum, et ad illud quoq;  
protenditur assertum hoc. Nam, Omnis do-  
ctrina diuinitus inspirata utilis est ad docen-  
dum, ad arguendum, & c. Sunt autē inter scri-  
pturas sacras genera cōplura. Quædam enim  
scripta sunt propter cognitionem fidei, vt sci-  
licet vnus Deus, eiusq; virtus & voluntas nō  
bis innotesceret. Vt, Audi Israel, dominus  
Deus tuus vn⁹ est. In principio creauit Deus,  
etc. cum historia tota conditi orbis, rerumq;  
dispositionis, nēpè quòd reliqua ex nihilo,  
homo de limo terræ, mulier de viri costa, sue-  
rint effecta. Alia verò sunt scripta, eademq;  
plurima, ad mysteria CHRIS TI pertinētia:  
quæ recensere non est opus. Sed alia deinde  
sunt tradita ad morum nostrorum institutio-  
nem: veluti præcepta, & consilia, & reliqua  
per quæ informamur: Vt, Non obstruas os  
boui trituranti: vnde (expositore Paulo) in-  
struimur, vt qui spiritualia seminant, possint  
& temporalia meterē. Huc accedunt exem-  
pla eorum qui virtute aliqua præcelluerunt:  
vt fides Abrahæ, castitas Ioseph, animus lu-  
dith, & id genus alia. Atqui ad hęc directi-  
us spectat hic Paul. sed proximè ad exempla  
eorum, qui post patientiam, tolerantiamq;  
malorum, cōsolationem receperunt diuini-  
tus. Veluti David, qui aiebat, Secundum mul-  
titudi-

Exemplum

1. Pet. 2.

2. Cor. 3.

Eph. 2.

3. Reg. 6.

1041.13.  
2. Cor. 8.

Mat. 26.

Duo sen-  
sus.

Esa. 53.

1. Pet. 2.

Gal. 4.

2. Tim. 3.

Plura gene-  
ra scriptu-  
re sacræ.

Deut. 6.

Deut. 25.

1. Cor. 9.

Psal. 99.

itudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ latificauerunt animam meam. Et Iob, de quo Iacobus, Patientiam Iob audistis, & finem domini vidistis. Inter quos princeps est CHRISTVS, cuius hic producit exemplum: & de quo Pau. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Ob hoc ergo explicans fructum, qui nobis de scripturarum agro prouenit, subdit, [Vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.] Genitiuus scripturarum binum potest reddere sensum. Priorem de spe, quam per patientiam & consolationes, quæ scriptæ sunt in sacra scriptura, concipiunt studiosi ipsius: eos scilicet meditati, quos post patientiam in aduersis, rerum prosperitate consolatus est Deus: quorum exemplo spes nostra firmatur, & erigitur, certioresque efficiuntur, quod si eorum patientiam fuerimus imitati, pari quoque remuneratione, & consolatione potiemur, vel in hoc seculo, vel in futuro. Potest forsitan accipi genitiuus actiue, in hoc sensu, vt per consolationes, quas per lectionem & contemplationem, dulcedinemque sacra scriptura recipimus spem habeamus. Sed hæc intelligentia non est tam affinis præsentis proposito: maximè quod patientia scripturarum in hoc sensu non tam proprie dicitur.

Deus autem patientiæ & solati, det vobis id ipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum, vt vnanimè vno ore honorificetis Deum, & patrem domini nostri Iesu Christi. Pulcherrimo hic ordine Paul. procedit, proposito enim exemplo CHRISTI, subiunctoque testimonio scripturae, admonuit, deinde illud scriptum esse ob nostram imitationem, iamque modò, vt nemo suspicaretur, vires sufficere naturales, vt quis assecla sit CHRISTI, eiusque sequatur vestigia, subiungit precationis suffragium apud Deum, qui illis huiusmodi suppeditet vires. Sed vide quam id pulchrè & exar te. Etenim quoniam propositum præceptum biforme erat, vt scilicet debeamus, & tolerare infirmos, & nobis non placere, ad cuius partem affirmatiuam necessaria est patientia, ad negatiuam autem consolatio, quæ nobis reficiat neglectum gaudium: ob hanc causam supposito CHRISTI exemplo subiunxit, vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Et eadè ratione ait modo, Deo autem patientia, & solati, &c. Et videtur ita hic Pau. quasi receptui canere, finemque dicendi appetere: huius

Receptui  
canit.

modi enim benedictionibus ac precationibus in vfu christianis est, ab illo tunc seculo epistolam concludere. Igitur cum patientiam & consolationem, dixerat foueri spem, subdit, [Deus autem patientia & solati.] Idem verbum quod proximè transitit per consolationem, id iam nunc transitit per solati, nihil est hic tamè vitiosa affectationis. Est autem Deus, Deus patientiæ & solati, eò quod author est omnium virtutum. In quo sensu Psalmista ipsam eum patientiam appellauit, Quonia tu es patientia mea. Neque opus est supplere hic nomen author, nam cum nomen ipsum Deus primam rerum causam significet, optima est connexio, Deus patientiæ & solati. Vnde & ad Cor. appellat eum patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. [Det vobis id ipsum sapere in alterutrum.] Alii transferunt idem sentire mutuo, sed profectò id ipsum vehementiorè habet significationem, tantum abest, vt sit vitiosa translatio: & sapere quoque in præsentia, idè est quod sentire. Nam ex vnitate iudicii, eò scilicet, quod omnes idem iudicant, eademque intelligentia fidem interpretantur, emanat animorum concordia, vt omnes idem sentientes, vno subinde affectu sint in singulos singuli: quod ait hic Apost. in alterutrum hoc est, inuicem. Vnde alibi, Optimè coniunxit causam cum suo effectu, Idem sapite, pacem habete. Sed quia potest etiam esse concordia inter iniquos, ad perpetrandum malum, adiecit, [Secundum Iesum Christum] De quo ad Ephe. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnũ: porro per vnã fidem et legem. [Vt vnanimè] Intus scilicet, per vnã fidem in intellectu, vnde charitas etiam vna in voluntate deriuatur. [Vno ore] Hoc est, vna eiusdem fidei confessione. Nam (vt supra dictum est) Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. [Honorificetis Deum] Potuit transferri glorificetis: sed idè est profus. Etenim quis per reliqua etiam iusta opera gloriam & honorem deferamus Deo, per nullum tamen æquè, atque per vnitatem & pacem. Vnde CHRISTVS id maximè precatus nobis est apud patrem, vt sicut ipsi vnũ sunt, ita & nos vnũ simus. Et subdit, Et sint consummati in vnũ, vt cognoscat mundus, quia tu me misisti. Ob idque forsitan interpres non transitit glorificetis / sed honorificetis / quod cum proprium sit liberorum, honorare parentes: iuxta illud, Si pater ego sum, vbi est honor meus, nulla re habere possunt maiore honorem patri, quam si in concordia, vnitate, & fraterna pace, sub iure paterno perseverauerint.

[Et pater]

[Et patrem domini nostri IESU CHRISTI.] Officium CHRISTI eiusque obsequium fuit, patrem honorificare. Quapropter admonebat, vt talia essent opera nostra, vt videntes glorificarent patrem. Et aiebat, Ego honorifico patrem meum. Et in mortis articulo, Ego te inquit, clarificaui super terram. Ob hanc ergo causam adiecit hic Pau. memoriam patris domini nostri, &c. Ac si dixisset, Vt glorificantes Deum, honor idem refundatur in dominum nostrum IESUM CHRISTUM, qui in hoc missus est à patre, vt gloria ipsius exaltaret.

SECUNDA  
PARS CA  
PITVLLI

Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Secundam hic partem capituli diuisimus propter singularem materiam. Nam expedita posteriori parte conclusionis, quod non debeamus nobis placere, reprehensio inquam amore proprio placendi nobis ipsis, qui impedimento esse solet, ne simus fratribus morigeri, concludit partem priorem affirmatiuam, vt scilicet obsequio mutuo suscipiamus nos inuicem. In cuius confirmationem elucidatur, commendaturque propositum aduentus CHRISTI [Propter quod] Propter exemplum scilicet CHRISTI, quod ad nostram doctrinam scriptum est, & propter vnanimiorem quam in gloria Dei & peccatore gestare, & ore atque opere representare tenemur. [Suscipite inuicem.] Plus concludit quam in capite admonuerat. Proposuit enim, quod debent firmiores infirmorum imbecillitates sustinere: sed quia de vnitate animorum post meminit, iubet in conclusione, vt mutuis obsequiis suscipiamus nos inuicem. Nemo enim est vsque adeò firmus, qui non in aliqua sit, vel infirmitate, vel inopia, atque adeò qui non alterius ope indigeat, qui alia ex parte infirmus est. [Sicut & CHRISTVS suscepit uos.] Nonnulli textus habent nos / sed iam diximus propter vicinitatem pronominum, non satis constare, quid Paul. scripserit. Hæc autem similitudine vtraque mihi pars confirmari videtur, & quæ ad firmiores respertinet, quos superiori capite, & hic admonet, vt infirmiores suscipiant, & quæ ad infirmos, quos hortatus est, ne firmiores iudicent. Illam enim priorem corroborat, per hoc Paul. quod CHRISTVS neminem aspernatus, omnium infirmitates suscepit & languores, errantem quidem ouem querentem, quam humeris reportaret in cœlum: hanc autem posterioriorem per hoc, quod non suscepit genus nostrum, ad iudicandum mundum, sed vt sal

Luc. 15.

uus fieret per ipsum: quo exemplo interdictum est nobis iudicare de fratribus, quo ad usque ipse veniat iudex. [In honorem Dei.] Alii transferunt in gloriam / sicuti diximus super honorificetis. At verò / de / tam honorem significat, quam gloriam, & absque vlla affectionis lasciuia, quam quidam hic reprehendunt, potius transferri vtriusque. Suscepit ergo CHRISTVS nos in honorem Dei, vt iam supra proximè dicebamus, & ipse illic testatur, Ego honorifico patrem meum.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum. Dico verbum est hic doctoris exponentis sententiam suam, & mentem. Etenim cum simul omnibus conuersis, tam ex Gentilitate, quam ex Iudaismo, dixisset, CHRISTVS suscepit vos, obiurgandi in eam sam vterque populus nancisci poterat, an vnaratione & causa, eodemque modo, vniuersis mortalibus aduenisset, Iudæi enim contendissent, se solos proprie ab illo fuisse susceptos, vt quibus promissus fuerat, & de quorum genere carnem assumpsit. Gentiles verò contra reclamassent, sui potius causa aduenisse, vt in quos, repulsis ob suam cæcitatem Iudæis, profusior fuit eius misericordia. Vt ergo hæc litè dirimeret, explicat se apertius Paul. ostendens, quod secundum duas virtutes Dei, puta veritatem & misericordiam diuersis quodammodo rationibus suscepit CHRISTVS illos duos populos, Iudæorum scilicet, tanquam veritatis minister, Gentium verò, ceu largitor misericordiam. [Dico enim CHRISTVM IESVM ministrum fuisse circumcisionis.] Circumcisionem appellat populum ipsum circumcisum: non solum ex eo, quod illo caractere secernebatur populus ille à reliquo orbe, sed quod illum suscepit Abraham in testimonium ac robur promissionum, quas Deus illi fecerat, quorumque minister venit CHRISTVS vt Dei fidem persolueret. Sed attende, Non ait, dominum fuisse, aut patronum, aut quid simile, licet & dominus fuerit, & patronus, & legislator, sed ministrum fuisse: hoc enim nomine semper gauisus est CHRISTVS: non ob id tantum, vt suam nobis humilitatem commendaret, quæ nobis iussurat vt discerem ab ipso, sed quod mysterium Dei veritas exigebat, vt veniret (quæ admodum ipse fatetur) non vt mundus ei ministraret, sed vt ipse ministraret nobis: minister enim est, qui nihil sui gratia facit, sed aliorum negotia gerit, quibus

BB 2 quibus



quibus ministrat. Deus ergo ut mundus ministraret illi, non opus habebat carnē induere, sed in rē nostrā factus est homo, ut nostram perageret causam: nos scilicet redimeret, doceret, sacramētis expiaret, legibus institueret, documētis, exēplisq; instrueret, monitis instigaret, cōminationibusq; et pollicitationibus reuocaret in viam salutis aeternae. Venit autē propriē minister Iudaeorū, ad liberandā fidē Dei, quā per suas liberas spōsiones, quodā modo (si p̄ se dicitur) Abrahā & semini ei⁹ impignorauerat. Atq; ad eō ad cōplendā (vt ip̄ se testatur) eorū legē. Vnde ad Ethnicā illā, Nō sum, inquit, missus, nisi ad oues q̄ perierūt dom⁹ Israel. Enimuerō sicuti rex, qui aliquid fuisset pollicitus regno, legatū mitteret, qui veluti eius minister promissa solueret, ita De⁹, cū vnigenitū filiū ad id perficiendū legasset, noluit, vt dedignaretur ministri noīe: tanta est in nos misericordia, tantoq; nos dignatur honore. [Propter veritatē Dei, ad confirmandas promissiones Patrū.] Ecce ministerii rationē & causam, vt immutabilis Dei veritas immota consisteret, ac subinde eius promissiones Patrib⁹ factas, firmas esse ostenderet. Cōposuit enim effectū cū causa: firmitas quippē sempiternae veritatis Dei in causa est, vt eius quoq; promissiones sint firmissimae. At recolēda hic nobis est consideratio, quā habuimus cap. 3. super verbo. Quid si quidā illorū non crediderunt/nēpē quod Paul. attētus est vbiq; ne Iudaei suspicarentur promissiones illas vim habuisse cuiusdā stipulationis, sub conditione, si legē seruassēt, atq; ideo fuisse per CHRISTVM ipsis impletas, quia legē seruauerūt. Hac enī de causa refricatissimē exprobrauit illis, quoties legē prauaricati fuissēt ad idōla etiā nōnunq̄ peruersi. Vnde qua ratione illic subiūxit, Est Deus homo verax: oīs autē homo mendax, & hic modo ait. Propter veritatē Dei/ad cōfirmādas promissiones Patrum. Quasi dicat, Non ideo venit CHRISTVS, quod filii promissiones Patrū, obseruatōe legis, cōfirmassent, sed ob solā veritatē Dei. Nā sicut sola misericordia fuit ratio largiter promittēdi, ita & sola veritas fuit causa firmiter adiplēdi. [Gētes autē super misericordia honorare Deū.] Aliqui latini text⁹ habēt/honorate/in imperatiuo, vt fiat apostrophe ad Gētes: et esset profectō cōpositior oratio. Nā si dicas/honorare/nō ita lucidē cohāret superiori mēbro. At verō grē cōinfiniteus est. Quod quidē verbum nōnulli arbitrati copulandum esse cū illo quod dixit/ministrum fuisse/transferunt sic/Dico

CHRISTVM ministrū fuisse circuncisionis, ad confirmandas, & vt Gētes pro misericordia glorificent Deū. At verō probabilius est, vt non referatur, nisi ad verbum/dico/in hoc sensu/dico & CHRISTVM ministrū fuisse, etc. & Gētes honorare, seu glorificare Deum. Fuisset forsan fluentior oratio, si dixisset, CHRISTVM ministrum fuisse circuncisionis, & authorem misericordiae Gentium, super qua Deum debent honorare, attamen beneficium hoc CHRISTI breuissimo lacōnismo complectitur, vbi ait, super misericordia Dei (nimirum per CHRISTVM exhibita) honorē esse habendū Deo. Et ait/Gētes honorare, seu glorificare Deū/nō solū quod honorē illi deterrent, & gloriam, sed quod opus ipsum conuersionis ipsarū, in maximū Dei honorē cedit, & gloriā, qui tā insignē earū ratio nē habuerit. At verō meritō hic sciscitaris, qd nā sibi voluerit Paul. per hanc distributionē veritatis & misericordiae. Nā & Iudaei, sicuti & Gētes, per misericordiam redēpti sunt. De vniuersis siquidē ait, quod secundum suā misericordiam saluos nos fecit. Et rursum, Gētes p̄ Dei quoq; veritatē idē beneficiū suscepere: non solum quod vniuersae viā domini misericordia & veritas, verū quod promissiones illae, ad Gētes quoq; attinebant, vt patet, tum ex Prophetis ab Apostolo subscriptis, tum ex verbis praecipue promissionis ipsius factae Abrahā. In semine tuo benedicentur oēs Gētes. Respondetur, nonnullū esse semper interstitiū inter Iudaeos & Gētes: nā licet promissum beneficiū redēptionis ad vniuersum mundum esset dilatandū, & extēdendum, tamen promissio facta est peculiariter Abrahā, & semini eius: in cuius testimonium ipse solus cum suo semine obsignat⁹ fuit caractere circuncisionis. Qua ratione cōparatus est oliuā, prolesq; ei⁹ secundū carnē appellatae sunt ab Apostolo, naturales ramī. Ob idq; licet per misericordiam factae fuerint promissiones, tamē postq̄ factae sunt, erant propter veritatē Dei, per iustitiā quandā cōfirmāda & exhibēda: qua ratione dictus est CHRISTVS minister Iudaeorū, ad id delegat⁹. Gentibus verō licet & prophetiarū veritas, quae de ea re praecantatae fuerāt, exposceret, vt in familiā CHRISTI reciperētur, tamē quia illis nō fuit peculiariter facta promissio, sed tanq̄ in iustitiis ramis beneficiū oliuā cōmunicatū est, ea carebāt veritate iustitiā, q̄ in Iudaeis erat. Quoniā licet De⁹ nulli creaturarū propriē obligetur, sit tñ modo nostro cōcipiēdi, illi obligatus, cui promittit: per

per prophetias verō, nulli extra se. Atq; hac ratione Gētes per meram misericordiam censentur euocatae. Et hoc est, quod ait, super misericordia, id est, non propter veritatem, promissionis scilicet illis factae, honorare Deum, qui illos, cū non essent naturales, fecit tamē ascititios filios Abrahā: id quod magnificentiam, atq; ad eō honorem maximē & gloriā Dei commendat.

Sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gētibus domine, & nomini tuo cātabo. Et iterū dicit: Letamini Gētes cū plebe eius. Et iterū, Laudate oēs Gētes dominū, & magnificate eū omnes populi. Et rursus Esaias ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gētes, in eo Gētes sperabunt. Postremū illud assertū de Gentibus, quatuor oraculis confirmat, ob multas causas. Primū, ne Iudaeis res noua cēleretur, attulisse CHRISTVM salutē Gētibus. Ostēdit namq; qd licet non fuerit promissio Gentibus facta, Deus tamē ab illo tēpore per suos prophetas eā praenunciauit. Qua ratione insolentiā Iudaeorū reprimat, ne ex hoc quod dixerat/ministrū circuncisionis/efferebant animos, dicētes, nullatenus venisse CHRISTVM in gratiam Gētium, sed quod sibi, suoq; parenti Abrahā illud beneficiū deberent. Secundo & Gētes ad maiore Dei amorē per hoc etiā allicit, quod nō tantū beneficium illis esset, sed quod sempiternū suum propositū, tā antiquis vaticiniis iam multo antiquius significasset. Ac tertio demū amborū populorum animos inuicē conciliat, dū ostēdit amborū Deum, vnā eandemq; gessisse curā. Et poterat quidē Paul. multo huc plura ad discere vetusta testimonia in fauorē Gentium: vt illud, In semine tuo benedicentur oēs Gētes. Et euidētissimū illud, Parū est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, etc. Dedi te in lucē Gētium. Et multa talia. Attamē quoniā dixerat, Gētes honorare, seu glorificare Deū super ei⁹ misericordia, adducit illa praecise, in quibus aliqua fit mentio honoris & laudis Dei. Incipit ergo à cōfessione CHRISTI, in cuius persona ait David, [Propterea cōfitebor tibi in Gentibus domine, & nomini tuo cantabo.] In Graeco non est hic/domine/extat tamen in psalmo, & in Cantico. In quo expressē sunt verba hae Pauli. Nā in psal. secundū editionē vulgare, non habetur nisi/in nationibus/&/psalmmum dicā. Est autē cōfessio hae gratiarū actio, quā CHRISTVS in persona sua agit pa-

tri, quod tantā ei, inquantū homini, contulit facultatē, tantoq; eū fuerit honore dignatus, vt fuerint per ipsum oēs Gētes seruatae. Vel forsan/confitebor/idē est, quod, confiteri faciā Gētes. Sicuti ait Pau. Spiritum sanctū clama- Gal. 4. re abba, pater, eō quod facit nos clamare. Nisi fortē loquitur caput pro corpore mystico. [Et iterū dicit, Letamini Gētes cū plebe eius.] Hoc (vt ait Orig.) desumptum est ex Cātico Moisi. Tāetli in additione vulgari non legam⁹ Deut. 32. nisi, Laudate Gētes populū eius. Quocirca non est cur S. Tho. reprehendatur, vt à quibusdā reprehenditur, quod hoc citatū putauerat ex Esaiā cap. 35. Nō enim hoc fecit (vt credo) memoria lapsus, sed quod verba Cātici parū consentiunt cum his apostolicis: & illo loco apud Esaiā expressē hoc argumentum tractatur de latitia Gētium receptarū in cōrū fidelium. Sic enī capitulum incipit, Letabitur deserta, & inuia. Et infra, Et exultabit letabunda et laudās, gloria libani data ei. Nisi dicam⁹ cū Origene, quod Paul. nō tā verbis interpretum, q̄ sensibus scripturae saepe vtitur. Et ideo quod est in Cātico, Laudate Gētes populū eius, vel in alia trāslatione erat/Letamini cū plebe eius/vel hunc facit sensum: nēpē in numero populi Dei. [Et iterū, Laudate oēs Gētes dominū, & magnificate eū oēs populi.] Hoc in psal. est. 116. Quauis quod nos habemus/Laudate eum oēs populi/citat Paul./magnificate. Neq; hoc existimetur interpres hic permutasse: nō est hic grācē apud Paulum aliud verbū q̄ in psalm. Id quod & Orig. adnotauit. Et distinetē Ambr. interpretatur/laudare/&/magnificare. [Et rursus Esaias ait, Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gētes, in eo Gētes sperabunt.] Neq; oraculum hoc sub eisdem verbis extat apud Esaiā, sed sub his, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet. Quauis per totum capitulum extendatur prophetia aduentus CHRISTI, ad recuperandas, gubernandasq; omnes nationes ex diuersis orbis angulis, in suā familiam reuocatas. Sed vide quo ordine cōtexuit quatuor hae elogia: cōpōnit enim à gratiarum actione CHRISTI, & statim subiunxit/latitiam Gētium/eō quod annumeratae essent populo Dei: ac deinde collegit vniuersitatē gētium laudes debere Deo pro tanto beneficio: sed postremō quasi circulū orationis orbēq; perficiēs, reuertitur ad CHRISTVM, qui ex radice pullulās Iesse, de Iudaico populo exurrexit, ad regendum nationes Gentium, in quo sita

est oim spes cum fecerit vtraq; vnū. Ac per hanc deniq; concludit vtrunq; membrum supra propositum: quemadmodum scilicet & CHRISTVS fuerit minister circumcisionis, & Genteshonorent Deum super eius misericordia. At verò/Erit radix Iesse/vtroq; modo interpretari possumus: nempe vt Patriarcha ipse Iesse, qui fuit pater David, intelligatur suppositus verbo/erit. Ac si dicas, Erit Iesse tanq; radix, & qui ex illo exurget, etc. Qui quidem sensus nativus esse videtur verborū prophetiā. Sed tamen nil vetat, si CHRISTVS ipse appelletur à Propheta, in radice Iesse, secundum vitā spiritualem, quā Iesse ipse, & omnes qui censentur filii Abrahā, per fidem à CHRISTO receperunt. Et tunc perinde est/ Et qui exurget / ac si dixisset/ Et radix ipsa spiritualis Iesse, quæ exurget.

Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in spe, in virtute Spiritus sancti. Quæ admodum superius post præceptum de tolerandis infirmis, negligendq; proprio gaudio, precationē adiecit, vt Deus patientiæ & solatii firmaret illos sancta concordia, ita & modo, quoniam immensi beneficii vtriq; populo per CHRISTVM impēsi meminerat, simile subdit suffragiū: idq; præsertim eò quod iam verbum hoc, veluti conclusio est argumenti totius epistolæ. Nā ea quæ sequuntur ad purgationē iā suā & salutationes attinet. [Deus spei.] Alludit ad id quod paulo ante dixerat/ Spē habeamus. Dicitur autē De⁹, estq; Deus spei nostræ, tū quod author est, non solum ipsius habitus spei, quē nobis infundit cū fide, verū oim bonorū quæ sperare possumus: tū maximè, quod ipse est obiectū spei nostræ: id enī quod possidere speramus, est idē ipse: secundū illud psal. mi, Spes mea Deus. [Repleat vos omni gaudio.] Quoniam spes quæ differtur (vt est inter Proverbia) affligit animā, optimè post spē, adiecit gaudiū. Hoc enim erit in patria, effectus possessionis eorū, quæ speramus. Quāq; hic nō de gaudio illo consumato loquitur, sed de hoc quod in hac vita possum⁹ habere per consolationē Dei, cōposuit enim gaudiū cū pace in credendo. Neq; obstat quod ait/ repleat/ nā est repletio quoq; in via: non quidē cōsummata, sicut in patria, sed in pro qualitate et ratione fidei. Quæ admodum dixit cap. 5. gloriari sanctos in tribulationib. Nā quod ait CHRISTVS, Beati qui lugēt, quoniam ipsi consolabuntur, de cōsolatione quoq; intelligitur, quā secum adfert in hoc seculo, firma spes. [Et pace in credendo.]

Psal. 90.

Prov. 13.

Mat. 5.

Perspicite quanta congruentia & decore collocata sit hæc particula in calce epistolæ. Fuit enim eius argumentū (vt in proloquio dicebamus) de substantia fidei, de cuius mysteriis, sanoq; intellectu, disceptationes indies succrescebāt inter Romanos, atq; adeo lites & iurgia: qua ratione hic de infirmorū tolerantia eos admonuit, à temerariorū iudicio deterruit, quæ causa erant abigēdi pacē, afficiēdiq; eos tristitia et mœrore: nā gaudiū durare nequit, vbi pax nō viget. Deprecatur ergo Deū spei, vt repleat eos gaudio, et pace in credēdo, hoc est, consensu & concordia, in intellectu fidei, quæ vna est, sicuti vnus Deus, & vnū baptisma. [Vt abundetis in spe.] Spes quidē ex fide nascitur, quæ substantia est rerū sperandarum: soletur autē, irroboreturq; vigore operū, quæ eadē fides p charitatē operatur: ob idq; scientissimè deprecatur ac prudentissimè, vt Deus spei per pacē in credēdo adaugeat eis eandē spē, quā genuerat fides, sed discordia in fide attenuauerat. [Et virtute Spiritus sancti.] Alii legunt/ in virtute Spūs sancti/ & alii/ per potestatem Spiritus sancti/ vt sit sensus. Et pace, quæ vigore Spiritus sancti gignitur et fouetur. At verò non solū Amb. & Latini, verū & Græcus Orig. legit/ & virtute Spiritus sancti. Haud in nomen hic virtutis, si verbū græcū consulas, significat virtutē theologicā, vel moralē, sed potestatem, seu vim, & fortitudinē, seu numen Spiritus sancti. Sunt etenim græcè distinctæ voces/ δύναμις/ quod est potentia, & ἀρετή/ quod est moralis virtus, quorū prius est hic. Sed nihilo minus forsā Apost. optabat Romanos repleti virtute, hoc est, potētia & robore Spiritus sancti, seu muniri, vt ait Orig. Quapropter haud quidē ab re longè virtutē hic charitatis insinuari existimemus: non quod nomen græcū per se idē significet, sed quod charitas sit, quæ propriè attribuitur Spiritui sancto, atq; adeo per quā eius virtus præcipuè patet: hæc enī effundit in nos abundē. Igitur maximo cū decore tres hic diuinas virtutes salutis nostræ cōposuit, fidē scilicet, vnde spes nascitur, & charitatē, per quā eadē fides opera facit, quæ sunt copiosioris beatitudinis merita.

Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum monere. Sequitur tertia pars huius capituli, in qua pertractato iā & absoluto argumēto, quod proposuerat de fide & gratia euangelica, iam quasi in peroratione, epistolari more & stylo, purgat se ab offensione

Eph. 4.

TERTIA PARS CAPITULI

omnino idē quod perfecti summa perfectione viā: fuisse enim palpato verius, q̄ laudatio: quoniam nondum ascenderant ad tantū fastigium. Sed/ repleti/ idē est, quod sufficienti præditi dilectionis virtute, iustaq; refertis scientia, atq; idonea, vt possitis inuicē vos ipsi instituere. [Ita ut possitis alterutrum monere.] Alii textus non habent/ alterutrum/ sed/ alios, At sunt græcè etiam simillimæ voces/ ἄλλους/ alios/ ἑαυτοὺς/ alterutrum. Et ideo in exemplari interpretis nostri forsā erat hæc posterior. Et est hic multò congruentior. Quemadmodum enim supra dixit/ Propter quod suscipite inuicem/ eò quod nemo tam est firmus, tamq; instructus, qui non aliena egeat ope & opera, ita & hic ait/ alterutrum/ non quod deneget inter eos alios alii doctrina longè præstare, sed quod tali æqualitate expediebat loqui cū gente honoris ambitiosa. At verò non ait/ Vt possitis alterutrum docere/ eò quod neophytinō poterāt sciētia tunc tāta pollere mysteriorū fidei, sed admonere quod minus est. Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tanq; in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificās Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Postq̄ exclusit falsam scribēdi causam, deleuit scilicet illā notā, quod inde mot⁹ fuerit ad scribēdū, quod illos existimaret, seu corruptos oim morib⁹, seu doctrina vacuos, subscribit verastes: quæ primā adfert ab ipsorū nihilo minus indignitate. Est autē præfens sermo omni humanitate affluēs, arteq; diuina instructus, ac maxima elegantia conspicuus. [Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte.] Perpende eximiam humilitatē. Apostolus CHRISTI, diuina scientia suffusus, & tanq; vas electionis, diuino inductus spiritu, nō veretur dicere audacius scripsisse. Quasiuis nullum hic confitetur temeritatis vitium. Nam etsi Apostolorū confirmationi minimè repugnaret venialis culpa, tamē inter scribēdū, fungēdumq; apostolico munere, neq; leuissimè labi poterant, quippe qui tunc organa agebant Spiritus sancti. Sed ait/ audacius/ hoc est, securius & confidentius, quasi fretus vestra humanitate & humilitate. Seu, maiori cum rigore & acrimonia, quæ vestro iudicio appareat fortè necessaria. Et ait/ fratres/ nō autē discipuli, aut quid simi le, ne videretur quasi de throno doctoris, aut

Ioh. 1. Esa. 7.

Tres causas scribendi.

Humilitas eximia Pauli.

præceptoris loqui, sed tanquam par illis. [Ex parte.] Hæc particula non subsequenti orationi copulatur, ut quidam arbitratur, scilicet, ex parte in memoriam vos reducens, sed est præcedens moderatio. Et quidem Origenes ad illud eam refert quod ait scripti. Quæ admodum dicit alibi Paulus ex parte se cognoscere, & ex parte prophetare. Quasi non omnia mysteria enucleauerit, sed celauerit eos aliqua, quæ latet sub reuelatione fidei: unde alibi, Lac vobis dedi, non escam. Et Theophylactus ex parte scripsisse interpretatur, id est, placidè & breuiter. Alii hoc adiungunt aduerbio / audacius. Quasi diceret, audacius scripsisse ex parte, hoc est, respectu peritorum ac prouectorum in fide: non tamen omnino respectu omnium. Vel audacius in aliqua parte epistolæ. Commodius autem refertur ad verbum / scripsi / vel si referatur ad aduerbium / audacius / idem est / audacius ex parte / quod audacius aliquo modo, seu paulò audacius. [Tanquam in memoriam vos reducens.] Ecce primam causam ex eorum necessitate. Quod quidem verbum eximiam quoque præ se fert comitatem & moderatiam. Non enim ait, docens vos, ut quos iam dixerat repletos esse omni scientia, sed reducens vos in memoriam: nam & doctissimi quique obliuio si nihilo minus esse possunt, & illis qui sunt circumspectissimi opus nonnunquam est, ut in memoriam reuocentur alicuius obliuio officii. At verò non est ideo legitima verisio quorundam transferentium / ut vestri reminiscens: siquidem participium græcum / ἐπιμινησκω / nō simpliciter significat id quod / reminiscens / sed id quod, comonefaciens: & in hoc sensu ait interpretes / In memoriam reducens. Hac enim vtuntur oratione illi qui vrbane volunt alios admonere. Et præsentis loco probatur inter Christianos mos iste admonendi, Volo tibi hoc in memoriam reducere. Qui enim sic admonet, nequaquam alterum subnotat, vel ignorantiam, vel malignitatis, sed obliuionis tantum. Quam hoc quod ait / In memoriam reducens / sunt qui arbitrentur dixisse, propter frequentiam oracula testamenti veteris, quæ huc accersita exposuit: sed tunc verbum hoc ad solos conuersos ex Iudaismo spectaret, in quorum memoriam reuocabantur: cum autem ad oēs loquatur, probatior est expositio præcedens. Atqui (ut quæ admodum cepimus) ad prologum & hinc respiciamus, hæc est illa spiritalis gratia, quæ illic aiebat optare se impartiri Romanis: nempe, ut illos instrueret, institueretque in fide. Unde & subdit,

[Propter gratiam quæ data est mihi à Deo.] Responderet ad id quod illic dixerat / Per quæ accipimus gratiam & apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Quapropter designans hoc genus gratiæ, adiicit. [Ut sim minister CHRISTI IESU, in Gentibus.] Quem admodum supra dixerat, Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo. Et rursus explicans actionem & functionem eiusdem ministerii, subiungit. [Sanctificans Euangelium Dei.] Atqui hic adhibetur secunda causa scribendi à suo ipsius officio & ministerio. Quasi dixisset, Ne vlla vos suspitio de me tægat, quod vel loquendi libidine, vel gratia aucupanda humana auræ in animum induxerim, ut ad vos scriberem, præfate ad id me Dei iussu compulsum, qui ad hoc me tali gratia donauit, & autoritate muniuit, ut Euangelium sanctificare, hoc est, sanctè administrare. Vide ergo quanta symmetria concinat cum prima propositione epistolæ, vbi ait, Paulus seruus IESU CHRISTI vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei. Quod circa hoc quod ait / sanctificans Euangelium / non perinde audiendum nobis est, ac si dixisset, sanctum faciens: quæ admodum Ezechielis. 20. Ego dominus sanctificans eos. Et CHRISTVS, Sanctifica eos in veritate. Sed id est quod, sanctum ostendens, secundum Hieronymiana scholia. Apostoli enim verbo, opere, & exemplo sanctum esse demonstrabant Euangelium. Quamuis interpretes Origenes, qui fertur ipse fuisse Hieronymus, ait id quod nos dicimus / sanctificans Euangelium Dei / magnificentius à Græcis dici / ἁγιασθῆναι / quod licet non plene dici tamen à nobis potest / significans Euangelium Dei: per quod ostenditur, sanctificale opus esse, annunciare Euangelium. Hæc ille. Quamobrè alii non transferunt / sanctificans / sed, vel celebrans, vel administrans Euangelium. Sed profecto neutro modo exprimitur medullitus energia verbi græci: quippe quod non simpliciter significet, administrare, sed re sacram administrare: seu quod ait Chrysolostomus, hostiam sacræ, veluti sacerdos offerre. Ut sanctificans, non à sanctitate, sed à sacro, idem sit, quod sacrificans. Et hoc proprie est Euangelium prædicare, scilicet sacrificare illud Deo, hoc est, offerre illi homines per illud mortuos peccatis, veluti hostiam viuam. Cui quidam apprimè congruit subnexum verbum. [Ut fiat oblatio Gentium accepta.] Vbi & tertia causa superadditur, quæ fuit Paulo scribendi, à fine ipso sumpta, qui et finis est eiusdem gratiæ apostolatus: nempe ut oblatio Gentium esset Deo accepta: quoniam nihil

nihil Deo acceptum est, nisi per fidem Euangelii. Atqui nomine hic Gentium, vniuersum orbem intelligit Chrysolostomus, ut respondeat ei quod dixerat in exordio, Ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. Et re vera hoc est apprimè verò simile: siquidem conuersis ex utroque populo scribit, & utrorumque defectus carpit in hac epistola. At tunc necessum esset, ut pari modo acciperetur nomen / Gentibus / paulò superius positum, vbi dixit, Ut sim minister CHRISTI IESU in Gentibus. Nam non est censendus uti homonymia in eadem oratione: illic autem videtur vsurpasse nomen pro gentilitate: nam vbi cum se nominat Gentium ministrum, vel apostolum, existimatur de illis Gentibus loqui, ad quas fuit segregatus. Dicere ergo possumus, quod quem admodum cap. 11. dixit, se ministerium apostolatus Gentium honorificare, vbi tamen Iudaismum ait se contendere in salutem reuocare, ita & hic, vbi utrumque populum instituit, peculiari ter nihilo secius ait, ut oblatio Gentium accepta sit. Quanquam hoc forsitan non referat ad oblationem quæ facta est per hæc epistolam, sed ad illam quæ iam fecerat in nationibus Gentium ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum, ut quam primò commemoratus est. [Et sanctificata in Spiritu sancto.] Aliqui textus non habent coniunctionem / & / quod nonnullis probatius est, ut sit sensus / Ut oblatio Gentium sanctificata in Spiritu sancto, accepta fiat Deo. Quam quidem lectionem ita non respicio, ut tamen vulgarem citius admittam. Ad hoc enim veluti rem sacram Euangelium propalabat Gentibus Paulus, ut & per fidem accepta esset eius oblatio, & per Spiritum sanctum, cuius charitas vnâ cum fide effunditur in nos abundè, esset sanctificata. Et alludit, secundum Origenem, ad sacrificia vetustæ legis. Nam sicut pontifices tunc oblaturi hostiam, prouidere debebant, ne quidpiam in ea esset, aut macula, aut vitium, ut accepta fieret Deo, ita & sacerdos, qui verbum Dei enuncians, Euangelium sanctificat, curare debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium nascatur, sed semetipsum primò immolet, ut quos docet, ceu immaculatam etiam hostiam, offerat Deo.

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit

Christus in obedientiam Gentium verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti.

Attenta consideratione opus est semper apud Paulum: vigilanti enim hic prudentia & sapientia inter humilitatis virtutem, & sui muneris deiectionem velificat. Etenim quoniã superiori sermone adeo se per humilitatem submisisse visus est, ut minoris apud Romanos haberi posset eius epistola quam deceret, hic rursus sancta commendatione suam attollit functionem. Atque id vel maximè propterea, quod nimia humiliatio præiudicare poterat dignitati CHRISTI: cuius virtute Euangelium cum signis & prodigijs sacrificauerat. Et potissimum apud eius æmulos pseudoapostolos. Commendat ergo primò omnium, officium suum ab autoritate qua pollet CHRISTI. [Habeo igitur gloriam in CHRISTO IESU ad Deum.] Schema ipsum loquendi per illationem, considerandum est. Quasi dixisset, Haud cogitatis idcirco me ita gessisse humiliter, quod non fuerit officium erga vos meum dignum gloria, sed id feci, ut concluderem, quicquid habeo gloriæ, id esse situm in CHRISTO IESU: cuius fungor autoritate: sed hæc tandem gloria refertur in Deum, qui eum nobis donauit, ut eius gloria profunderetur. Et alludit hoc verbo ad illud prologi, Non enim erubesco Euangelium. Atqui verbum græcum / καύχησις / magis proprie significat gloriationem, quam gloriam, quæ est / δόξα. Accipitur tamen latinè & gloria / pro gloriatione: nempe pro ea re de qua quis gloriatur: ut, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et talis est hic eius significatus: ut interpretes Origenes adnotauit. Qua de re Ambrosius & alii Latini / gloriam legunt. Item græcè scriptum est / τὰ πρὸς τὸν θεόν / quod ad literam transscribendum esset, in iis quæ ad Deum (scilicet) pertinent: ut significaretur materia gloriationis. Et ita legit, exponitque Theophylactus, gloriã scilicet non collocasse Paulum in vanis his momentaneis, sed in spiritalibus, quæ ad Deum attinent. At verò forsitan interpretes noster non legit primam syllabam / τὰ / qua quidem expuncta, non fuit transferendum nisi, ad Deum, ut denotetur finis, ad quem est gloria traducenda, tanquam in eum à quo tradita sunt CHRISTO omnia, & de quo ipse confitebatur, Pater in me manens, ipse facit opera. Et ita legunt, non solum Ambrosius & Hieronimus, & reliqui Latini, verum &

BB 5 Orige,



Orig. etiam inter commētandum. Et respon-  
det hoc verbum illi proœmii, Non erubescō  
Euangelium, virtus enim Dei est. [Non enim  
audeo aliquid loqui coram, quæ per me nō effecit  
CHRISTVS.] Excusatio est superbiæ & ar-  
rogantiæ, quam luidi, captates verba Pauli,  
possent illi inscribere. Est autem phrasī non  
ita multum lucida: fuisse enim illustrior, si di-  
xisset, Non audeo loqui, nisi ea quæ per me  
fecit CHRISTVS. In hoc enim affirmatio, ex-  
ceptiuoq; sensu audienda est. Quasi dicat, Si  
audeo illa commemorare, quæ gessi, non au-  
serim tamen aliquid iactare, quod nō per me  
CHRISTVS effecerit: id est, non gloriōr de ali-  
quibus meis rebus gessis, tanquam meis pro-  
priis: tunc enim in eam impingerem sententiā  
domini, Si ego glorifico me ipsū, gloria mea  
nihil est. Sed tamen tum ea prorsus commen-  
do, quæ per me fecit CHRISTVS, in eū ipsum  
refero gloriam. Erat quippe sancta modestia  
Pauli, vbiuis dicere aliquid adornaret, quod  
in suam vergeret laudem, excusare se prius  
& præpurare, veluti. 2. ad Cor. 11. Vtinam su-  
stineretis modicū quid insipientiæ meæ, &c.  
Quamquam haud prorsus repellerem sensum  
alterum, quæ Orige. haurit ex his verbis: nem-  
pe vt velit Paul. dicere, quod non vult com-  
memorare aliena opera, quæ non per ipsum  
fecit CHRISTVS, sed per alios Apostolos:  
quasi cupiēs de alienis laboribus gloriam au-  
cupari, sed illa propriè, quæ per ipsum fecit.  
Concinat enim huic sensui id quod paulò in-  
ferius subiungit, prædicasse, videlicet se, vbi  
non erat nominatus CHRISTVS, ne super alie-  
num fundamētum ædificaret. [In obedientiam  
Gentium.] Ecce fructum, de quo gloriatur, vbi  
Gentium (vt supra) pro gentilibus vsurpat,  
quorum erat propriè Apostolus. Et est sensus,  
Ea quæ CHRISTVS per me operatus est,  
in hoc ordinata sunt, vt Gentes obedirēt Eu-  
angelio, & oblatio eius esset accepta Deo, &  
per Spiritum sanctum sanctificata. Quæ qui-  
dem particula ad illam spectat prologi, vbi  
aiebat, Per quem accepimus gratiam & apo-  
stolatam, ad obediendum fidei in omnibus  
Gentibus, in quibus estis & vos vocati. [Ver-  
bo.] Scilicet prædicationis Euangelii. Quod  
quidem verbum virtute Spiritus sancti sugge-  
rebatur: iuxta illud psalmi, Dominus dabit  
verbum euangelizantibus. Et CHRISTVS,  
Non enim vos estis qui loquimini, sed spiri-  
tus patris vestri, qui loquitur in vobis. [Et  
factis.] Hoc est, sanctis, incorruptisq; mori-  
bus, puraq; & admiranda conuersatione, per

eandem Spiritus sancti opem à me præstitis.  
Exemplo nanq; vitæ plurimum fidei arro-  
gantibus Apostoli suæ prædicationi. [In vir-  
tute signorum & prodigiorum.] Hoc est, in vir-  
tute miraculorum. Quam quidem virtutem,  
veluti ad confirmationem Euangelii neces-  
sariam, tradidit eis CHRISTVS, vt patet. Mat. 10  
Luc. 10.  
Inter signa autem & prodigia, sunt qui non  
aliter dignoscant, quam inter minora & ma-  
iora miracula. Quò paulò explicatiua applau-  
dit Theophylactus dicens, quod signum sit  
illud insolitum, quod fit in rebus naturalibus:  
vt repentina salus socrus Petri à febre, quam  
longiori tempore potuisset sanare natura:  
prodigium autem sit illud, quod omnino sit  
præter naturam: vt restitutio visus cæco na-  
to. Et re vera ita est, quod prodigium por-  
tentosum quidpiam, demirandumq; signifi-  
cat: quasi porro dictum. Orige. autem applau-  
dens ad nomen signi, ait, signum esse illud,  
quod simul cum miraculo futurum aliquid si-  
gnificat: vt curatio populi à moribus serpen-  
tium per inspectionem illius ænei, qui pende-  
bat in ligno: prodigium autem nil aliud in-  
quit, quam miraculum designat. [In virtute Sp̄s  
ritus sancti.] Hæc particula ad singula superio-  
rum membra refertur, scilicet, verbo & fa-  
ctis, &c. Quauis codices, qui modo circum-  
feruntur Græci, non habeant Spiritus sancti  
sed Spiritus Dei, quod idem pollet. Neq; ve-  
rò constat, quid Paul. scripserit: nam etiam in-  
ter Græcos est differentia. Chrysost. nanq; &  
Theophyl. legunt Dei, Orige. autem in com-  
mentis legit sancti. Orig.  
Num. 23.

Ita vt ab Hierusalem per circumitū  
vsq; ad Illyricū repleuerim Euangelii  
Christi. Post laudem functionis suæ ab au-  
thoritate CHRISTI, commendat eam secun-  
dò ab amplitudine effectus, quæ fuit mirè ex-  
tremā, ita vt ab Hierusalem, inquit, per circumi-  
tum vsq; ad Illyricum repleuerim Euangelii  
CHRISTI. Quatuor sunt hic verba excellētis  
superlatiōis, ab Hierusalē ad Illyricū, quæ  
maxima est distātia ab oriēte ad occidentē  
Adriaticū mare. At nō recta quidē tractū il-  
lum emensus est, sed per longas ambages cir-  
cūquaq; nūc ad septētrionē, nūc versus meri-  
diem obambulans. Et si consulas cosmogra-  
phos, qui ex Actis Apostolorum, aliisq; pro-  
batissimis historiis, itinera Pauli, & nauiga-  
tiones optima fide collegerunt, comperias,  
peragrasse eum Arabiam, Syriā, Phœnicem,  
Sama

Samariam, Ciliciā, Lydiam, Pamphiliam, Ly-  
caoniam, Ioniam, in qua Ephesus est, Phrygi-  
am, Galatiam, Bithyniam, ac totam penè Asi-  
am minorem: atq; hinc Aegeo mari traiecto  
in Macedoniā, in qua Thessalonica est, perue-  
nisse, & Atticā, Achaiam, in qua Corinthus  
est, ac meliorem Græciæ partem percurrisse:  
in Cyprum, Rhodum, Cozum, Chion, & Cre-  
tam adnauigasse. Fulmen dixeris cælo dela-  
psum, quod in angulos omnes ferè mundi in-  
filiuit, igne euangelico omnia replens. Post-  
demum captus Hierosolymis à Iudæis, appel-  
lauit, tanquam Romanus ciuis, ad Neronem  
Cæsare, vnde idcirco ereptus à militibus Ro-  
manis, per mare & per terras delatus est ad  
mare Adriaticum, cuius hic meminit, ac de-  
inde naufragus reiectus est in Meliten, quæ  
est Malta, vnde in Siciliam, ac demum in Ita-  
liam nauigauit. [Repleuerim Euangelii CHRIS-  
TI.] Græcè quidem accusatiuus est / Euangeliū  
sed sunt qui trāsferunt per ablatiuum:  
existimantes sensum Pauli fuisse, quod reple-  
uerit nationes illas euangelica veritate. Atta-  
men, tam Latini, quam Græci legunt / Euan-  
gelium. Quocirca non censetur ille fuisse sen-  
sus Pauli, sed hic quem eruit Theophyl. Nem-  
pe non dixisse, prædicauit, sed, compleui Eu-  
angelium, vt argueret, se nō inanem habuisse  
sermonē, sed vtile plurimis & perfectum.  
Hactenus ille. Igitur & verbum etiam hoc  
laudi apponitur Paulinæ functioni, quod r. d.  
incaustum tam multis nationibus Euangelii  
prædicauerit, sed ea eloquentia, energia & spi-  
ritu, eaq; signorum prodigiorumq; virtute  
munus euangelicum omnibus suis numeris  
compleuerit, vt euocatis, conuersisq; Gentibus,  
quibus fuerat destinatus Apostolus, me-  
tam eius & scopū attigerit. Atq; hac de cau-  
sa toties hic Gentium meminit, videlicet, Vt  
sim minister CHRISTI in Gētibus. Vt fiat ob-  
latio Gentium: nempe quod fructus suæ præ-  
dicationis inter Gentes prouenerit. Quocir-  
ca dixerat in proloquio, Vt aliquem fru-  
ctum habeam in vobis, sicut in cæteris Gen-  
tibus.

Sic autē prædicauit Euāgelium hoc,  
non vbi nominatus est Christus, ne su-  
per alienum fundamētum ædificarem:  
sed sicut scriptum est, Quibus non est  
annunciatum de eo, videbunt, & qui  
non audierunt de eo, intelligent.

Tertio deniq; cōmendat, effertq; munus præ-

dicationis suæ, à difficultate & exhaustis la-  
boribus, quibus desudauit. Plures autem in-  
tellectus attribui possunt huic textui. Vnus,  
qui Ambrosianus est, quod non prædicauerit,  
vbi per pseudoapostolos nominatus fue-  
rat CHRISTVS, ne super alienum fundamen-  
tum, hoc est, corruptum & deprauatum, ædi-  
ficaret: sed illos anteuerterit, ne negotium ei  
facefferent reuellendi falsa eorum dogmata.  
Sed tamen hæc intelligentia non adeo liben-  
ter seruit in præsentia menti Pauli: tum quia  
nullum hic notat falsum fundamētum, quod  
destruendum esset, sed alienum super quod  
esset ædificandum: tum etiam quod vaticini-  
um citatum Esaiæ agrè admittit talem sen-  
sum. Secundus intellectus esse posset, quæ enar-  
ratores sequuntur, quod non prædicauit vbi  
alii integri, legitimiq; discipuli Euangelium  
seminauerant, super quorum ipse fundamen-  
tum ædificaret. Cuius contrarium contigit ei  
postea Romæ, vbi tum alii, tum etiam Petrus  
antecefferant. Qui quidem sensus bene qua-  
drat superiori verbo, Non audeo aliquid lo-  
qui, quæ per me non effecit CHRISTVS, si ta-  
men probabilis est secundus sensus, quem illi  
subscripsimus. Et quauis videatur intelligen-  
tia hæc non nihil secum adferre inanis gloriæ,  
quod scilicet ipse solus iecerit prima funda-  
mēta, struxerisq; totum ædificium, tamen (vt  
ait Orige.) contrariò sensu hoc dixit Paul.  
nempe, ne Romani putarent, quod ad illos  
scriberet, huius gloriolæ causa, quod vellet  
emendare & perficere tanquam architectus  
illam doctrinam, quam ab aliis receperant.  
Poterant enim illi dicere, Habemus nostros  
doctores, quis nā te illis præfecit? ob idq; ait,  
Non soleo ab alienis laboribus gloriam au-  
cupari: illos videlicet, vel mihi adscribendo,  
vel, vbi nō opus est, collimando, & corrigendo,  
sed illas semper assumpsi prouincias, in  
quibus CHRISTVS, non solum non fuit cre-  
ditus, verum neq; auditus, neque villo mo-  
do nominatus. Tameñ nihil vetet, vt per  
hoc etiam voluerit commendare labores suos  
(vt dicebamus) & pericula, superatasq;  
difficultates: erat enim ei talis commendatio  
necessaria, vt fidem suam & autoritatē con-  
stabiliret, irroboretq; apud Romanos, quæ  
pseudoapostoli labefactare moliebantur.  
At verò dū vim oraculi Esaiæ hic citati me-  
cum reputo, aliud præterea quidpiam dicere  
hic mihi videtur Paul. vt pote quod prædica-  
uerit solis Gentibus, inter quas non fuit nomi-  
natus CHRISTVS, per legem veterem, neque  
præ-

Tres in-  
tellectus.

Sensus  
verus.

præunciatus, neq; præfiguratus, neq; expectatus. In hoc enim semper versatur, vt adstruat se Gentium apostolum, à tempore quo cum Barnaba segregatus est in Gentes. Atq; hic sensus est, quem subscriptum oraculum sibi vendicat. Sed ait, prædicauit, pro eo quod est, procurauit semper, & præ me tuli prædicare, vti habet phrasîs græca: quoniam aliquando etiam prædicauit in Antiochia, vbi alii prædicauerat, vt patet Act. 11. [Sicut scriptum est.] Porro Esai. 2. vbi palam de Gentium uocatione & obedientia vaticinabatur. Quoniam quibus non est annunciatum de eo, scilicet, CHRISTO, videbunt: et qui non audierunt de eo, intelligent. Et alludit ad alterum vaticinium eiusdem Prophetæ, quod supra cap. 21. citauit de Iudæis, Dedit eis Deus oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant. Et enim quoniam duo ista sensoria organa ancillantur nobis ad comparandam rerum cognitionem, puta oculi, via inuentionis: aures autem, per viam disciplinæ, occlusa sunt Iudæis, aperta verò Ethnicis, vt illi qui per legem signa viderant, mysteriaq; audierant CHRISTI, venientem postmodum, nec visu deprehenderent, nec auditu. Gentes autem quæ antea nihil de illo vel viderant, vel audierant, presentem extemplo ac de repente auscultarent, & adorarent.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos: & prohibitus sum vsq; adhuc. Sequitur quarta pars capituli, in qua postquam se purgauit de stylo scribendi, qui paulo audacior iusto apparere poterat Romanis, excusat impedimenta, quibus inhibitus est, illos antea visum ire, vt maiori cum beneuolentia finem faciat, exponatq; adeo id quod in exordio dixerat, Sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc. [Propter quod] Hoc est, propter has meas tam longas peregrinationes. [Impediebar plurimum venire ad vos.] Alii trāsferunt / Præpeditus sum sæpe / sed idē est / Impediebar / & præpeditus. Atqui & aduerbium græcum / τὰ πολλὰ / vtrumq; habet significatum, sæpe, & plurimum: & vtrumq; contingebat Paulo, scilicet, vt identidem proponens descendere in Italiam, impediretur, & etiam plurimum, hoc est, arduis negotiis, Spiritu sancto aliter disponente: de quo plura diximus cap. 10. loco iam proximè citato. At verò vsq; adhuc / nō est græcè: & forsitan aliquis interpretes illud inseruit, propterea quod talia aduerbia sunt capite primo,

QUARTA  
PARS CAPITULI

Nunc verò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedētibus annis; cum in Hispaniā proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primū ex parte fructus fuero. Præmisso obstaculo ne videretur illis verba dare, subdit, quod illo iam cessante, explebit, desiderium suum. Ait ergo [Nūc verò ulterius locum non habens in his regionibus.] Videlicet quem iam non visitauerim, & in quo non compleuerim Euangelium, secundum voluntatem Dei. [Cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedētibus annis.] Codices græci non habent / præcedētibus / sed / ex multis annis. Et forsitan quispiam claritatem nimium affectans, hanc particulam adiecit, quæ tamen nihil prorsus veritati sententia adfert detrimētī. [Cum in Hispaniā proficisci cœpero.] In græcis modo codicibus est / ὡς εἶπ / quod transferendum erat conditionaliter, puta / Vt si proficiscar in Hispaniam / vel / quādocumq; instituerō proficisci. At verò forsitan in codice interpretis non erat / ὡς εἶπ / sed / ὡς ἔβη / quod probè trāsulit assertiuè / Cum in Hispaniam proficiscī cœpero. Et licet videatur nonnullo pacto variari sententia, est tamen hæc interpretis probabilior: quoniam verisimile est, constituisse iam tunc apud se, vbi primū expeditus esset, iter arripere in Hispaniā: nam assertiuè ait inferius, Hoc cum cōsummauerō per vos, proficiscar in Hispaniā. [Spero quod præteriens videam vos.] Igitur non ex principali instituto, sed obiter, & in transitu pollicetur eos salutare. Nam quanuis Romani in numero essent Gentium, quorum erat ipse Apostolus, tamen quoniam institutum eius erat, vt proximè iam dixit, non prædicare vbi CHRISTVS fuisse nominatus, & Romam iam aduentassent discipuli, qui forsitan per Italiam dispersi erant, destinauerat potius in Hispaniā penetrare, quod nondum fuerat Euangelium perlaturum, vt orbem propemodum tunc cognitum, puta ab Arabia & Syria ad Gades vsq; perlustraret. Quæ quidem sors forsitan illi obtigit in distributione prouinciarū, quando alii ad Indos, alii ad Æthiopes, alii verò aliorum dimissi sunt. Vt vel in hoc CHRISTO famularetur. De quo Propheta, Dedit te in lucem Gentium, vt sis mihi salus mea vsq; ad extremum terræ. Quamobrem ne videretur

Esa. 49.

etur

tur in aliam prouinciā, quā in eam quam animo susceperat, intentionem dirigere, ait / Spero quod præteriens / &c. Eò præsertim quod iam sciebat Petrum illuc antecessurū, veluti proprius eorum apostolus, & pastor. [Et à vobis adducar illuc.] Quoniam Hispani in Romanorum erant ditione, quibus ideo Romanis nota erant itinera in Hispaniā, quibusq; & Galli, & prouinciæ omnes intermedie parebāt, tutò ab illis poterat conducī in Hispaniam. Nam etsi nullus Paulum tangeret metus mortis, vbi esset pro CHRISTO necessaria, erat tamen sancta prudentia, incoflumem se pro viribus seruare, vt utilior esset, fructuosiorq; Ecclesiæ Dei. Qua de causa & Damasci in porta demissus est de muro. Et in fine prioris ad Corinth. Apud vos, inquit, forsitan hyemabo, vt vos me deducatis quocumq; iero. [Si vobis primū ex parte fructus fuero.] Nunquam sui obliuiscitur Paul. aut beneuoli animi quem erga Romanos gerebat. Dixerat in exordio, se vehementer cupere, Romanos visere, vt aliquid eis impartiretur gratiæ spiritualis, & vt aliquam mutuo consolationem acciperent, & vt aliquem in eis haberet fructum: nunc autem, quasi promissi sui oblitus, dixit, Non nisi in transitu eos visurum. Corrigit ergo verbum / Ne ita putassent properè transitarum / quin cum eis esset aliquandiu commoraturus. Ob idq; ait / Si vobis primū ex parte fructus fuero. Alii trāsferunt / si vobis tamen impletus fuero / quem significatum præ se fert vox græca. Attamē interpretes noster sensum potè inspexit, quā vocis faciem. Nam / impletus vobis / ineptè dicitur, nisi per circumloquium, vt alii trāsferunt, verteretur, Si tamen vestra consuetudine prius expletus fuero. Interpretes autem ne faceret paraphrasin, trāstulit sensum verbi. Quod autem ait / ex parte / alii referūt, ad tempus, nempe vt aliquo tempore fruar vobis: alii verò ad iustos: hoc est, fruar vobis, non quidem cunctis, sed probis & sanctis. Nam cum iuxta doctrinam Augustini in lib. de doct. Christ. non liceat frui nisi solo Deo, creaturis autem nō nisi in ipso, iuxta verbum Pauli ad Philemonem, Te frater fruar in domino, iniquis & peccatoribus non poterat frui Paulus, sed condolare eorum sorti. At verò congruētius est longè, vt referatur ad verbum ipsum fruendi. Est namq; amoris exagération, & cupidinis, qua tenebatur oblectandi se cum illis. Ac si dixisset, Nō possum vsq; adeo præsentia frui vestra, vt pro votis ani-

num expleam meum: fruar tamen ex parte, quantum itineris ac negotiorum ratio permiserit. [Colligere autē forsitan quis posset ex his verbis Pauli, ad Hispanias perrexisset, aliis falso dixisset, illuc se profecturum. Attamen citra controuersiam est, nunquam illuc penetrasse, licet ita proposuisset. Nam cum hæc scribebat, agebat in Achaia, vt ait hic Origenes. vbi est Corinthus. Pergebat autem tunc ire Hierosolymas, quò asportabat eleemosynas pauperum, quas Macedonia & Achaia subministrauerant: vt patet in subiuncto hoc textu. Quod quidē secundum fuit iter, quod illi Hierosolymas contigit, post illud à Damasco, quando mansit in vrbe tantum dies quindecim. Post hanc autem quā plurimas confecit alias peregrinationes: ac demum Hierosolymis captus ( vt dicebamus ) à Iudæis fuit: & quoniam appellauit ad Neronem, inde deuectus est à militibus Cæsarianis Romanis. Vnde palam fit, non ea de causa comessasse Romam, qua apud se cōstituerat, sed vincitum catena fuisse perlaturum: vt insinuat Act. vlt. vel saltem in custodia. Sunt autē qui aiunt, in illo biennio, quo ( vt ibidem legitur ) permittus fuit permanere sibi in cū custodiēte se milite, in Hispaniā commigrasse: at re vera nulla hæc opinio probabilitate fulcitur. Si enim custodiebatur à milite, quomodo permitteretur tam longè abscedere ab vrbe? Eò vel maximè quod expressè illic subiungitur, mansisse biennio toto in suo conducto: & suscipiebat ( inquit Lucas ) omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum Dei. Vnde cōstat, toto illo tempore fuisse reclusum, vel saltem non permittum excedere Roma. In fine autem biennii fuit martyrio coronatus cū Petro. Accedit huc, quod si vsq; ad Hispaniam fuisset peregrinatus, Lucas ipse, qui tanto studio omnia naufragia & stationes sigillatim sua est historia persequutus, hæc tam insignem apostolicam functionem non prætermisisset. Constituerat enim ( vt videtur ) Apostolorum Actus vsq; ad postremos carceres Pauli percernere. Vel si non Lucas, saltem non defuisset, qui rem tam memorabilem memoria proderet: sicuti de Iacobo factum est. Vnde concors est doctorum sententia, epistolas illas sex aut septem, quas in prologo dicebamus à Roma destinasse ad diuersas Ecclesias, in vinculis distasse. Igitur sicuti Corinthiis pollicitus fuerat, se ad illos concessurum, apud quos nihilo minus posteriori se epistola purgat, dicens, non fuisse vsum leuitate,

Non adiuu  
Paul. Hispaniam.

Act. 28

uitate,

uitate, licet nō soluisset promissum: eō quōd nō esset in sua facultate situm, est, & non, sed in diuina voluntate, ita & in proposito dicendum est, quōd ipse p̄p̄osuit itinerare in Hispaniam, sed Deus aliter disposuit. Et talis est sententia ac responsio apud Gelasium papā, quōd Apost. non sefellit, nec fuit sibi contrarius, eō quōd cum ad Hispaniā se promississet iturum, dispositōe diuina, maioribus occupatus causis, implere non potuit quod promisit.

Quod si quis obiecerit, Cum esset propheta, quomodo nō p̄uidit obstitura impedimēta anteq̄ polliceretur. Respondetur, quōd in his quæ non erāt ad salutem necessaria, nempe ubi non condebāt, neq̄ exponebant scripturam sacram, non erat necesse, vt omnia Apostolis futura reuelarentur diuinitus spiritu propheterico. Confitetur enim Helisæus quōd Deus celauerat eum mortem filii Sumanitidis. Quin verō & Paulo ipsi Agabus propheta p̄nunciāuit, quemadmodum alligandus esset a Iudæis Hierosolymis, tradendusq̄ in manus Gentiu, quod ipse ignorabat.

Nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt in Hierusalem. Quoniā pollicitus est, inuisurum se illos, ne videatur tēpus sine causa protrahere, subiungit necessitatem, per quā non sibi licebat eō statim proferare. Ob idq̄ ait [Hinc statim proficiscar in Hierusalem.] Textus græcus habet de p̄senti, proficiscor ministrans. Sed cum futurum a p̄senti sola vna litera distet, non est certū an olim fuerit futurum. Et ad sententiā nihil omnino refert, iam enim sese accingebat ad iter [Ministrare sanctis.] Aug. post alios super epistolam ad Gal. & in lib. de catechizandis rudibus hanc eleemosynarum rationē deducit ab illo Christianorum instituto, quōd confluentēs ad baptisma, quibus erat cor vnū, & anima vna, nihil suum dicebant, sed ponebāt sua quisq̄ propria ad pedes Apostolorū, quæ singulis, prout cuiq̄ opuserat, distribuerētur. Hoc autem non fiebat nisi tantum Hierosolymis, & in circumiacente Iudæa. Neq̄ verō compellebātur Christiani vniuersi id facere, sed in suo cuiusq̄ erat arbitrio: vt colligitur ex capitulo statim quinto. Vbi Ananiæ, qui fraudauerat de pretio agri, ait Petrus, Nonne manent tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quocirca non oēs Christiani

erant in tali paupertate, sed tamen cōplures & p̄cipuē sacerdotes, & Ecclesiarum ministri, quibus tunc nō erant decreta decimæ. Neq̄ omni tempore laborabant inopia, sed tunc maximē ingruente illa fame: quam cum Agabus propheta significasset per spiritum famem magnam futuram, quæ fuit sub Claudio, discipuli proposuerunt in ministeriū mittere habitantibus in Iudæa fratribus per manus Barnabæ & Pauli. Quapropter ait ad Gal. quōd cum ipsi segregarentur ad p̄dicandum Gentibus, hoc in super negotium acceptarunt, vt memores essent pauperum: illorum nimirum qui erant in Iudæa. De quibus quidē eleemosynis meminit in vtraq̄ epistola ad Cor. Et quanuis dum priorem ad illos daret, nondum certō statuisset, an ipse per se delaturus esset easdem eleemosynas, an per alios missurus (vt legitur cap. vlt.) Tandē ipse negotium suscepit. Vbi dignissimum adnotatur esse munus dispensandi eleemosynas, vt cui p̄cipui Ecclesiæ p̄lati destinantur. Neq̄ ait tantū, asportare, sed ministrare: ibat enim vt ipse illas distribueret pro cuiusq̄ necessitate. [Probauerūt enim Macedonia & Achaia.] Propinqua erant regiones [Collationem aliquam facere.] Harum collationum formam p̄scribit Corinthiis loco modo citato. Alii autem vertunt / communionem / seu communicationem / propterea quōd diuites communicabant pauperibus bona sua. [In pauperes sanctorū qui sunt in Hierusalem.] Hoc est, in subsidium, & ad subleuandam egestatem pauperum. Non enim ait, in totā urbem, vel, in oēs sanctos, sed, in pauperes sanctorū. Hoc est, in eos qui ex numero sanctorū pauperie premuntur. Atqui hac quidē collectarum commemorationē allicere cōtendit & Romanos, vt aliorum exēplo adducti, simili beneficio eandē beneuolentiā proferant in eosdē Hierosolymitanos, quibus vtroq̄ noīe & iure tenentur: nempe & naturali lege, quia pauperes erant: & Christiana pietate, quia sancti. Simili enim modo & Corinthios loco iam dudum citato allexit Galatarum exemplo. Quin & Galatas ipsos, Macedonas & Achaeos vehementer extimulat, vt maiora ac maiora faciāt, dum eos in exemplum profert: talis enim debet esse antistitis prudentia in laudandis subditorum officiis.

Placuit enim eis, & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.

carnalibus ministrare illis. Subdit causam ac debitū collectarum eleemosynarum. [Placuit enim eis, & debitores sunt eorum.] Idē verbum græcū quod supra retulit per / probauerunt / vertit hic per / placuit / id quod nō est illi dandum affectationis vitio: quando quidem id fecit propterea, quōd cum eiusdē sint ambo significatus, vnum per alterum elucidatur. Et p̄terea quia optimē cohærent / placuit / & / debitores sunt. Est enim auxesis. Acti dixisset, Non solum voluntate beneuola, sed iusto id debito fecerunt. Similia enim misericordiæ officia penē connexas habēt rationes consilii & debiti. Est enim debita eleemosyna de superfluo iis qui in extrema sunt, vel graui necessitate: extra illos autē casus, opus est consilii. At quoniā neq̄ liquidō semper constat, quando adsit tam grauis necessitas, neq̄ æqui sumus iudices, quid nobis sufficiat, quidq̄ redundet: neq̄ verō sit lege semper definitum, quantum debeas erogare, nemo debet Christianus tā graues spectare necessitates, nec tam rigidē seruare statum suū, nec tam parcus esse in operibus misericordiæ, si quidem illi hæc rependuntur, qui pro nobis propriam dispendit vitam. Vnde Apost. ubi animare contendit Corinthios ad huiusmodi eleemosynas, Vnusquisq̄, inquit, prout destinavit in corde suo, & non ex tristitia, & necessitate, &c. [Nam si spiritualium participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis.] Subnectit causam illius quod dixit / debitores / nam qui recipiunt spiritualia, debent eos alere qui illa ministrant. Hinc nulla capitur coniectura, quōd vbi supra dixit / In sanctos / peculiariter intellexerit ecclesiasticos, sacramentorum scilicet & verbi administratos. Nam isti erant propriē, per quos, Gentiles participabant spiritualia. Tametsi licet ad pauperes omnes referatur, quod probabilius est, stat etiam tunc ratio. Nam Hierusalem, quō missus est ad Iudæos peculiariter CHRISTVS, vbi & patrata sunt salutis mysteria, & illustrator spiritus linguis donauit promulgatores verbi, censetur ab Apostolo, sicuti emporium, vnde diuulgata, deriuataq̄ est fides in orbem, atque adeo tota Hierusalem existimata est communicasse spiritualia per Apostolos & discipulos, inde per orbem dimissos. Vnde supra cap. 9. de Iudæis aiebat, Quorum adoptio est filiorum, & gloria, &c. Et cap. 11. iudicauit Gentes vt ramos inferos oliuæ, adscitosq̄ in focios pinguedinis. Sed vide nō ait spirituales ministros debitorum.

res esse spiritualium. Nam licet p̄dicatores, dispensatoresq̄ sacramentorum, antea etiam quam vllas recipiant eleemosynas, ex officio teneantur disseminare verbum, aliāq̄ p̄stare spiritualium munia, & maximē Apostoli & discipuli, legatione fungentes CHRISTI, sunt tamen beneficia hæc Dei, nihil debentis hominibus, atq̄ adeo gratis illis impēsa: quæ ideo gratis etiam administranda sunt. Attamen populus verē debitor est illos sustentandi. Non quidem ratione iustitiæ commutatiuæ, sicuti ex emptione & conductione contrahitur debitum: non enim venduntur spiritualia: sed tamē illo iure, quo temporalia sunt propter spiritualia, ceu est propter animam corpus. Et ideo non ait, quōd sicuti Gentiles emerunt, sed, sicuti participes facti sunt spiritualiū. Neq̄ ait, quōd debent soluere id quod receperūt, quippe quod nullo est pretio æstimandum, sed quōd debent ministrare: nempe sicut illi ministrant in spiritualibus. Vt sint in summa ecclesiastici (quemadmodum hic ait August.) tanquam milites CHRISTI, plebes autem, tanquam stipendiarii prouinciales. Appellatione autē carnaliū, oīa veniunt tēporalia, quæ carni famulātur. Sed dixit / In carnalibus / tū quōd carnalia et spiritualia, sicut spiritus & caro, rectā ex diametro opponuntur, tum etiā quōd satis deberent esse contenti ecclesiastici viri subsidio necessario, ad sustentationē vitæ, quæ noīe carnis designatur.

Hoc igitur cū consummauero, & assignauiero eis fructū hunc, per vos proficiscar in Hispaniam: scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. P̄missio negotio quod eū remorabatur, replet pollicitationē suā, quōd cum id consummauerit, statim demigraturus sit in Hispaniā. [Hoc igitur cū consummauero, & assignauiero.] Seu cōsignauiero, & obsignauiero [Eis fructū hūc.] Vide quanta cū dignitate de eleemosynis loquatur. Nō enim eas sic simpliciter appellat, sed fructū. Vel eorū scilicet pauperū qui eas recipiebāt, veluti subsidia, quæ ob recepta spiritualia munera Gentes illis rependebāt pro suis laboribus: secundum illud, Si nos vobis spiritualia seminamus, magnū est, si nos temporalia vestra metamus: In quo sensu / assignauiero / idem est quod, in ærariū pauperū, quasi communē eorum fructum sibi debitū reposuero. Vel forsan appellat fructum eorundem ipsorum qui eleemosynas erogabāt, the

Spiritualia non debentur, sed tēporalia.

Aug. Carnalia.

Eleemosynarum dignitas.

1. Cor. 9.

2. q. 2. con. de al. Pat.

Argumentum.

Reg. 4.

Act. 11. 20.

Aug.

Act. 4.

Eleemosynarū debitum.

2. Cor. 9.

Act. 11.

Gal. 2.



Mar. 6. thesaurizantes, iuxta verbum Euangelii, thesauros suos in cœlis, vbi ab ærugine & tineâ non corroduntur. Vnde secundum hunc sensum assignauiero / idem est quod, recondidero in cœlestem thesaurum, quo in æterna beatitudine largitores ipsi perfruentur. [Per vos proficiscar in Hispaniam.] Id est, per vos transibo. Et, per vos, id est, adiutus opera vestra, per quorum auxilia à vobis (vt nuper dixit) illuc deducar. [Scio autem.] Hoc est, confido in misericordia CHRISTI. [Quoniam ueniens ad uos, in abundantia benedictionis CHRISTI ueniam.] Codices qui nunc habentur Græci, habent alium genitiuum / In abundantia benedictionis Euangelii CHRISTI. Et ita legit consultò in commẽto Chry. dicens, quòd hic adiecit / Euangelii. Orig. autem non legit: unde fit verisimile, non extitisse in exemplari, quo usus est noster interpres. Neq; quidpiã momenti vel adfert, vel aufert sententiã. Et quanuis id quod interpres trãstulit / In abundantia / transferre potuisset / In plenitudine / tamen cum nomen vtrunq; ferat significatio nem, usus est moderatori verbo. Nam / In plenitudine / quandã prã se videtur ferre insolentia notam: quasi allaturus esset ipse benedictionis plenitudinem, complementumq; & perfectionem. Abundantia / autem solum significat maiorem copiam, quã tunc habebant. Erat enim mos vetus (vt ait Chry.) elemosynas omnes, benedictionem appellare, hoc est, benignitatem ac largitatem. Vnde ad Corinth. Et prãparent promissam benedictionem, scilicet, elemosynã, tanquam benedictionem, id est, affluentiam, nõ tanquam auaritiã: nam, Qui parcẽ seminã, parcẽ & metet. Vnde ad vtrunq; elemosynarum genus potest hoc referri, spiritualium scilicet & temporalium. Sunt autem, qui non intelligãt dixisse hic Paulum, allaturum se illam benedictionis abundantiam, sed inuenturum illic multiplicatã iam gratiã Euangelii per alios. At verò phrasis alium suggerit intellectũ: nẽpe quòd vel ipse esset allaturus, vel quòd cum eius aduentu prouentura esset illa abundantia. Id quod congruenter respondet propositioni exordii, vbi dixit, sæpe proposuisse venire ad eos, vt aliquem fructum haberet in eis. Neque verò hoc Paulo attribuendum est arrogantia, siquidem nõ suis viribus subnixus, hoc pollicetur, sed virtute CHRISTI. Atq; hoc potius adiecit in laudem & commendationem ipsorum, quã quòd se ipsum extuleris. Ac si dixisset, Spero adeò vos esse

In plenitudine.

2. Cor. 9.

paratos in Euangelium CHRISTI, adeoq; audios eius doctrinã, vt per me quoq; abundantius vobis CHRISTVS, affluentiusq; & locupletius benedicat, tam in spirituali cognitione fidei, quã etiam in eleemosynis contribuendis. Nisi forsan prãsagium, hoc erat Spiritus sancti, quòd vêturus illuc foret in catenis, & vinculis, martyrium pro CHRISTO perpassurus, quod pro summa ducebat benedictione CHRISTI. Ex qua post Romanis tam ingentes prouenere sanctitatis culmi.

Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deũ, vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis, vt veniam ad vos in gaudio, per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Sequitur tandem quinta postremaq; particula huius capituli, quã conclusio est totius epistolæ, eademq; congruentissima. Etenim quoniam à precationibus exordium sumpsit, quas ipse pro Romanis fundebat: nam, Sine intermissione, inquit, memoriam vestri facio semper in orationibus meis, iure optimo in calce easdem vicissim ab illis repetit preces, à quibus & ipse adiuuetur, tanquam eorũ Apostolus, qui illam sustinebat prouinciã, in eorum rem & commodum. Vnde meritò Christianis in morem abiit, tali facie postulatio nis orationum, epistolas suas concludere.

Vbi & consideratẽ præterea animaduertendum est, quanti facienda sint fratrum suffragia, & maximè vbi duo vel tres congregantur in nomine CHRISTI, quando vas electionis Paul. tot muneribus, gratiarumq; priuilegiis ditatus diuinitus, tanta cum obsecratione à Romanis, tunc in fide nouitiis, illa efflagitat. Quod si viuentium in hac militia tantum estimandã sunt huiusmodi orationes, quanto sunt maiori pretio habendã illã triumphantium in conspectu Dei, qui cum ipso absoluta sunt charitate coniuncti, qua & nos maximè prosequuntur. Quo fit, vt si Deo gloria est, vt viuentes in hoc seculo mutuis nos adiuuemus precationibus, quas alii ab aliis vicissim petam? apud ipsum, multò erit maior, vt easdem ab illis triumphantibus cœlicolis exposulemus. Vnde & liquidò consequitur, vt ipse

QUINTA  
PARS  
CAPITULI

Suffragia  
plurimi facienda.

vt ipse illis preces repræsenteret nostras, contra quam suis Lutherani persuadere pertendunt. Igitur Paul. in sua profectioe ad Hierosolymas, vbi & insidiã illi à Iudæis nesciebantur, & acceptum optabat fieri officium suum & munus, sanctas orationes deposcit, quibus in vtroq; adiuuetur. Sunt autem in hoc textu particula quatuor: nam primum præmittit obsecrationẽ per duo sacra, mox subdit duo, in quibus cupit orationum præsidium: deinde supponit, quo sine illa desideret: ac postremò bene illis ipse vicissim precatur. [Obsecro ergo uos fratres.] Obsecratio, est obtestatio per sacra: quã duo idcirco maxima subnequit. [Per dominum nostrum IESUM CHRISTUM.] Cuius & legatione fungimur, & negotia gerimus, causamq; agimus, pro qua factus homo non recusauit ipse mori. [Et per charitatem sancti Spiritus.] Quam ipse tanquã spiritus Dei, & CHRISTI, & virtute eius redemptionis effudit in nos abundè, vt vno teneremur vinculo, vnumq; effemus in Deo, sicuti & pater, & filius, vnum sunt. Haud veruntamẽ hic meminit patris, quoniam in hac epistola nullam inuit de Trinitate disputationem, sed de CHRISTO redemptore, deq; satisfactore spiritu sancto: per quas relatiuè per sonas & pater quoq; ipsarum origo insinuat. [Vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.] Obsecrationi appendit petitionẽ. Quod autem hic ait / adiuuetis / vehementiorem habet grãcẽ significationẽ, puta / adiuuetis periclitantem in pugna: hoc est, simul mecum vestris orationibus pro me fuis ad Deum, pugnetis, seu agonem sustineatis. Et quanuis Orig. vel eius interpres hoc referat ad pugnam, qua Paul. per orationes etiam pugnat, vt sit tandem sensus, Vt adiuuetis me in agone & certamine orationum persistentẽ. At forsan tamen congruentius refertur ad alios eius labores & pericula: vt palam fit ex subiuncto cõtinuo textu. [Vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa.] Ecce vnum in quo prius suppetias exoptat. Haud te vlla tamen attingat cogitatio, quòd qui supra dixerit, neque per vllum periculum, per persecutionẽ, aut gladium potuisse dimoueri à charitate CHRISTI, optet modo liberari à Iudæis, ob metum aliquem persecutiois aut mortis, quã paratissimus erat oppetere pro CHRISTO: sed tamen quòd in agro dñi vberiore possit ferre frugem, procurat sanctissimis mediis, iuxta voluntatẽ Dei, prolongare vitam. Coarctabatur enim è duobus desiderijs: cupiebat

Philip. 1.

inquam, vna parte dissolutus, & esse cũ CHRISTO, sed ex alia tanquã meliori, permanere propter fratres. Atqui iam ei animus forsan prælagiebat periculum mortis, quã post per tulit. Vnde in illo postremo itinere, quo capiendus festinabat Hierosolymas, Et nũc ecce inquit, ego alligatus spiritu vado in Hierusalem, quã in ea ventura sunt mihi, ignorãs: nisi quòd spiritus sanctus per oẽs ciuitates mihi protestatur, dicẽs, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manẽt. Ecce quomodo in confuso, & successu temporis reuelabat Paulo spiritus sanctus vincula: non autem qualiter esset tradendus in manus Gentium, quod post prædixit ei Agabus. Quocirca forsan hic nõ appellat infideles, eos solos Iudæos, qui nondum susceperant Euangeliũ, verum & pseudoapostolos, qui etiam si crederant, æmulatores tamen erant legis, obiciẽtes Paulo, quòd discessionẽ doceret à Mo se, eorum qui per Gentes erant Iudæorum, dicẽs, non debere eos circũcidere filios suos, &c. Hac enim de causa, & quia Gentiles induxerat in templum, coniectus est in vincula, vt ibidem refertur. [Et ut obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierusalem sanctis.] Alterum ob quod fauorẽ petit, est, vt acceptabile fiat munus suum sanctis, quibus elemosynas deferebat. Et quidẽ grãcẽ non est, nisi, Vt ministerium meum acceptum fiat. Et videtur aptius conuenire rei veritati: nam Paul. nõ erat, qui tale elemosynarum obsequium offererebat, sed tantũ minister, cuius sollicitudine consecta erant, & ministerio mittebantur. At reuera idem pollet translatio interpretis. Vbi enim ait / obsequii mei oblatio / non significat, elemosynas esse Pauli, sed offerri per obsequium & ministerium Pauli. Imò Ambro. legit / munerum meorum oblatio / id est, quã per me offeruntur. Neque verò particula / In Hierusalem / certum est, vel grãcẽ, vel latinẽ, cum qua dictione coniungatur, an scilicet, cũ præcedenti / oblatio / an cum / fiat / an cum / sanctis. Vnde quidam primam coniunctionẽ probantes, transferunt, supplendo aliud verbum, Vt ministerium, quod exhibebo in Hierusalem, acceptum fiat, &c. At verò cum grãcẽ amphibola sit oratio, deberet absq; vllò supplemento cum sua amphibologia verti, vt fecit interpres noster. Nihil enim refert, an dicas / oblatio quam faciã in Hierusalem / an / accepta fiat in Hierusalem sanctis / an / accepta fiat sanctis, qui sunt in Hierusalẽ. Quantũ secunda lectio sit probabilior. At forsan dubitatio.

Act. 21.

Act. 21.

Ambro.

Dubitatio.

bium est, an intelligendum sit / ut accepta fiat sanctis / an verò accepta Deo in sanctis: ut / sanctis sit ablatius. Nam quòd accepta foret sanctis, nulla esse poterat dubitatio. Et præterea Paul. qui in Deum omnia refert, id videtur hic optare, ut obsequium suum acceptum ei sit: nempe ut elemosynæ nō fuerint, vel ex rapina, vel per vim extortæ, &c. Nihilominus phrasim / In Hierusalem sanctis / egerimè ferret, ut esset ablatius: legendum est ergo in datiuo / ut accepta sit sanctis. Nectis enim membrum cum membro: nempe cupit liberari ab infidelibus qui sunt in Iudæa, ne ab illis præpeditus, elemosynas, vel nunquā perferat vsq; ad Hierusalem, vel nimirū sero, quando gratiā temporis non habeant. Ait ergo / Et ut oblatio accepta illis fiat, & grata, tanquā optatissima. Ac si dixisset, & ut sanctis qui sunt in Hierusalem, hanc adferam cōsolationem, & recreationem, qua animos eorum exhilarat: vnde gratias Deo mecum referant de charitate & benignitate Gentilium, qui non ex tristitia, vel coactu, vel alia prauitate, aut vanitate ducti, sed pro elemosynarum dignitate hilarib; animis gratiosum hoc munus illis offerunt: quasi profitentes ac remunerantes spiritualia bona, quæ per eorum delegatos concionatores susceperunt. [Ut ueniam ad uos in gaudio, per uoluntatē Dei.] Ad est finis prior, cur tã liberari percuperet à Iudæis, & falsis fratribus, q̄ gratum haberi obsequium suum apud sanctos: nempe ut vtrinq; gaudio perfunderetur, quod Romanis, dum ad illos perueniret, cōmunicaret. Et respondet illi verbo exordii / Obsecrās, si quomodo prosperum iter habeā ueniendi ad uos in uoluntate Dei. Eadē enim ratione & hic appositum / per uoluntatē dei / extra cuius ordinē nihil, aut tractabat vnq; aut animo proponebat. Et forsā quod ait / in gaudio / percussio id iam animo dicebat: futurū enim erat, ut nō cum gaudio, quod per hoc uerbum intelligerent Romani, venturus esset ad illos, sed in compedibus, & cum catena: de qua, pertractus Romam, ait, Propter spem Israel catena hac circumdatus sum. Tameñ illud erat ei summum gaudium, cui nulla erat gloria, nisi in cruce domini. [Ut refrigerer uobiscum.] Hic est finis alter prioris, ob quem, uidelicet cum gaudio, optabat Romā progredi. Alii transferunt / ut refociller / & alii / ut requiescam. Sed idem est / refrigerer: nam quid est refrigerium, nisi requies quædā, & refocillatio. Quo uerbo respondet exordio, ubi aiebat, ad con-

firmandum uos / id est, simul confirmari in uobis. Et ait, refrigerer, conspectu uestro ab æstu laborum, antractuum, periculorum, & aduersitatum, quæ perpeffus sum inter Gentes. Quo etiam refrigeratiōis uerbo uidetur, licet futurorum hac parte nescius, carceres suos prædicere, Romæ futuros, quorum refrigerio qui fuerat peregrinationibus fatigatus, prædicationibus attritus, iactatus pelago, laboribus deniq; confectus, recreandus erat. [Deus autem pacis sit cum omnibus uobis.] Prius quidem dixerat / Deus autem patientiæ & solatii det uobis id ipsum sapere, hoc est, animorum concordiam. Deinde / Deus autem spei, repleat uos omni gaudio: nimirū quod concordia prouentus est: iam nunc uero in epistolæ conclusionē, Deus inquit, pacis sit cum omnibus uobis. Quo quidē uerbo ostendit, totum epistolæ argumentum huc instituisse, ut in pace eos, & concordia, & unanimitate confirmaret, qui proprius effectus est, atque adeo irrefragabile testimonium susceptæ fidei. Optimè ergo concludit, quod cap. 5. iubere proposuerat illis uerbis, Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per dominū nostrū IESVM CHRISTVM [Amen.] Sic fiat,

### CAP. XVI.

Commendo autem uobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchræis, ut eam suscipiatis in domino dignè sanctis, & assistatis ei, in quocunq; negotio uestri indigerit, etenim ipsa quoque assistit multis, & mihi ipsi. Capitulum hoc postremum salutationibus totum expensum est. Id autem quinq; particulis distribuitur. In hac enim prima breuissima commendat Romanis Phœben Cenchræsem, latricem huius epistolæ, quam misit (ut diximus ab initio) à Corintho, cuius portus est Cenchræ. In secunda / Salute Priscam / saluere iubet plurimos Christianorum qui agebant Romæ. In tertia uerò / Rogo autem uos / iubet illos cauere ab pseudoapostolis, sed in quarta / Salutat uos / salutes mittit Romanis, eorum qui in Achaia erant cum ipso, ac deniq; in quinta / Ei autem / epistolam absoluit per gratiarum actionē, quas refert Deo. Solennè quidē erat Paulo, ut in omnibus suis epistolis cernere est, finem epistolæ salutationibus occupare. Id quod apud Marcionem (ut infra uidebi-

Distributio capituli.

mus) & alios hæreticos non nihil eius auctoritatis deterebat, & extenuabat: nēpe quòd tantam in salutationibus haberet rationem priuatarum personarum, & maximè mulierularum. At profectò qui ebullientem tunc Christi sanguinem, feruentemq; adeò charitatem inter fratres pusillæ tunc Ecclesiæ fuerit contemplatus, longè aliter sentiat. Erat enim tunc maximè operæpretium, ad incitandam, fouendamq; nascentem religionem, insignes personas omnibus esse notas, ut mutuis uirtutis exemplis, sese omnes extimularent & promouerent: inter quos vel hac ratione sanctitas coalesceret inter Gentes, Christiani nominis inimicas. Erat quoq; ad rem decentissimum, suis quemq; laudibus profecti, qui aliquid emolumentum, suis, vel fauoribus vel sudoribus attulissent Ecclesiæ, ut alii ad similia excitarentur. Qua quidem de causa Apost. neminem ferè huiusmodi salutationibus nominat, quem non suis titulis & uirtutibus efferat, & exornet. Erant enim tunc personæ illæ (ut Chrysost. luculentur differuit) digniores multo, quæ in pretio haberentur, quam ditissimi modo homines, & inter seculares clarissimi. [Commendo uobis Phœben.] Proprium nomen est insignis mulieris: ac si dicas / Lunam / quæ hospitio suscipiebat discipulos, ac pauperes Christi: quam ideo appellat sororem nostram, sicuti & uiros appellat fratres. [Quæ in ministerio est Ecclesiæ quæ est Cenchræis.] Id est, quæ uictū ministrat, & necessaria Ecclesiæ, ut puta, sanctorum cōgregationi, qui commorantur Cenchræis: pauperibus scilicet, & illis præsertim, qui ministri erant uerbi, & sacramentorum dispensatores. Alii transferunt / Cenchræis / ut sit nomen trisyllabum. Sed tamen de orthographia priorum nominum uix esse potest certa notitia, neq; apud Latinos, neq; apud Græcos. Quocirca neq; de hoc, neq; de cæteris nominibus, quæ hic subscribuntur, magna nos uexabit sollicitudo, quibus sint characteribus exaranda. Igitur / quæ est Cenchræis / idem est, quod Cenchræensis. Et refertur, non tam ad Phœben, quam ad Ecclesiā. [Ut eam suscipiatis in domino dignè sanctis.] Quoniam / dignè sanctis / non adeò redolet latinam phrasim, quam græcam, sunt qui legant / dignè satis / sed profectò frigidior tunc esset oratio. Neq; dubiū est, quin legendū sit / dignè sanctis. Maxime cū græcè tam sit magna distātia talium uocū. Et est forsā hebraismus, ac si dixisset pro sanctorum dignitate: hoc est, prout san-

De uobis propriis.

ctos decet. Siue illud referas ad Phœben, putata, prout condecens est, & dignum, suscipi, tractariq; sanctos: siue referatur ad ipsos, qui hospitio debent recipere peregrinos, uidelicet, prout decet sanctos, ut recipiant, tum exteros omnes, tum maximè probos. [Ut assistatis et.] Quauis (ut Paul. instituit Timotheum) nemo militans Deo, implicare se debeat at secularibus negotiis, ea ratione qua seculares homines sese illis immergunt, neu ad aucupandum fauorem populi, neu ambitus, vel lucri gratia, tamen pietatis officia & misericordiæ in negotiis debent collocari, pupillarum maximè ac uiduarum: quorum causæ sunt in sacra scriptura tanta inculcatione cōmendatæ: idq; præsertim quando tales personæ frugi sunt, uilesq; Ecclesiæ. Enim uero sicuti (ut docebat paulò ante Paul.) illi, qui spiritualia suscipiunt, refundere debent temporalia sua, ita & vice uersa uiri religiosi non se debent subducere, si, quatenus metæ suæ religionis negotia illis secularia limitant, & circumscribunt, fauere uillo modo in temporalibus possunt suis benefactoribus: vel eatenus saltem quatenus non fiat illis iniuria, usque adeò est iustitia, digna uirtus, quam uniuersi tueantur mortales. Cum ergo Phœbe esset Ecclesiæ fructuosa, rogat Romanos Paul. ut ei assistant, hoc est, opitulentur & patrocinentur. Cum enim Achei, prouinciales essent Romanorum, & Phœbe matrona esset illustis (ut coniectare inde uel maximè licet, quòd per ipsam Apost. scripserit, & Romanis, & de re tam egregii momenti) uis uenerat, ut negotia haberet Romæ, in quibus fauore indigebat & patrocinio: ob idq; ait [In quocunq; negotio uestri indigerit.] Seu / uobis indigerit. Dicimus enim, te, & tui indigeo. [Etenim ipsa quoq; assistit multis, & mihi ipsi.] Et ex his quoq; uerbis argumētum sumitur, quòd esset scæmina præcipuæ autoritatis Cenchræis. Atqui ex ista commendationis forma collectum est, per hanc matronā, missam esse hanc epistolam. Neq; uerò est cur debeat id uillus miraculum reputare, quòd negotium tanti ponderis & autoritatis committeret sapientissimus Apost. uni scæminæ. Haud enim iudicanda est Ecclesia in sua infantia, de maiestate quā modo in temporalibus habet. Tunc enim cū nō esset tãta personarū copia, ut posset uir aliquis maioris autoritatis, tanto maioris, terrarumq; tractu mitti Romā ex Achaia, nil mirū si sanctæ scæminæ, Ecclesiæq; Cenchræis fauorici & hospitiæ, & quæ nō erat ple-

beia, sed quæ creditur cum comitatu & comitatu ad nauigasse Romam, epistolam concredere Paul. Cui quidem epistola nihil inde apud Romanos deperibat vel fidei, vel maiestatis.

Salutate Priscam, & Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium: & domesticam Ecclesiam eorum. In hac secunda parte capituli, salutationes intexit, quas ad personas mittit, tunc Romæ degentes, numero vigintio octo. Etenim Romam scribens, quo vndique terrarum Christiani concurrerant, multo plures mittit salutationes, quam in aliqua cæterarum epistolarum. Neque numeri prolixitatem fastidit, dummodo officium præstet christiani pectoris. Primi ergo sunt Aquila, & Prisca, eius vxor. Quauis vxorem prænominauerit, eò forsan quòd ob insignem probitatem præclari esset nominis.

Orig. Atqui secundum Origenem & Chrysostomum, hi sunt illi duo ciues Corinthii, quorum hospitio exceptus est Paul. dum Athenis veniret Corinthum. Quiquidem Aquila professione Iudæus, genere fuit Ponticus, cuius vxor illic non Prisca, sed Priscilla vocatur. nisi forsan diminutiuum sit ab eo quòd est, Prisca. Eratque eiusdem artis cum Paulo, puta, scænisætorix, hoc est, consuendorum tabernaculorum. Qua de causa dicitur Act. 18. ad illum diuertisse, cum applicaret Corinthum. Neque Corinthi modo, sed & Ephesiprius constat habitasse. Ex quo loco cum Paul. misisset ad Corinthios priorem epistolam, quæ hanc antecessit, ait cap. ultimo inter alias salutationes, Salutant vos in domino multum, Aquila, & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor [Adiutores meos in CHRISTO IESU.] Non quidem adiutores in prædicta arte mechanica, sed vel in prædiis, subsidiisque sufficiens euangelicis viris: vel forsan in persuasione ipsa euangelica: erant enim fortè personæ potentes, non modo facultatibus huius mundi, verum & opere & sermone. [Qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt.] Hoc credibile est contigisse in periculo, quòd eodem capite, Act. 18. legitur subiisse Corinthi. Quauis nonnulli hæreant hoc loco, eò quòd non videntur illis tempora conuenire: nam (vt illic scribitur) coniuges isti receperat se Co-

rinthum, pulsi Roma edicto Claudii, qui inde propulit Iudæos. Hæc autem epistola videtur missa Romanis, antequam isti Romam decederent, aliàs non iuberet eos saluere, quasi Romæ habitantes. Ob idque aiunt, de alio hic periculo meminisse Paulum. Sed tamen dicendum, quòd isti bis fuerunt Romæ, vnde semel per Claudium relegati, aduentarunt Ephesum, & post, Corinthum, quando & Paulum tecto donarunt, suoque ipsorum periculo, illum eripuerunt a furore populi: post verò cessante persecutione Claudii, reuersi fuerunt Romam. Et fortè tanquam discipuli, ad propalandum Euangelium: siquidem eos appellat Paul. adiutores in CHRISTO IESU. Moram ergo illic trahebant, quando hanc epistolam scripsit Paul. reduces ab Achaia. [Quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium.] Hinc constat, graue obiuisse periculum illustres hos Christianos, vt Paulum seruarent: siquidem ipse constat, de eorum beneficio gratias illis haberi à cunctis Gentium Ecclesiis, tanquam de salute seruata sui proprii Apostoli.

Haud tamen quispiam decipiatur, opinatus, hunc fuisse Aquilam, qui secundus fuit interpretis veteris testamenti: nam licet & ille fuerit genere Ponticus, fuit tamen (vt Epiphanius in lib. de mensuris, & de scripturæ interpretibus, author est) post CHRISTI passionem annis ferè ducētis: nempe sub Adriano, qui abnegato, cui crediderat, christianismo, profelytus fuit, & circumcisis Iudæus, atque adeo Christiani nominis infestissimus osor. Quem ideo Hierony. in prologo super Iob, inter iudaizantes hæreticos connumerat. Hic scripsit sub Sixto pontifice octauo à Petro. [Et domesticam Ecclesiam eorum.] Videlicet Salute. Domesticam Ecclesiam appellat familiam suam ob probatam religionem, & fortè celebrem inter Christianos: propterea (vt ait Chrysof.) quòd biennio habuerant Paulum hospitio: à quo ideo fuere sanctè instituit. Et sit coniectura, hominem fuisse prædiuitem, qui egentes Christianos in domum reciperet, quæ veluti collegium instrueret, & gubernaret: similibus enim verbis vitur ad Corinth. Quocirca cum in græco expressè sit Ecclesiam gratiam, & energiã verbo detrahunt, illi, qui trāsferunt cōgregatione: quæ nomē & de quauis seculari vulgarique cōgregatione predicatur: eū tamē Pau. ob claritudinem sanctitatis, appellauerit Ecclesiã: & quia hospitio credentes admitteret: vt post Origenem,

Hic nō fuit Aquila interpretis.

genem, Chrysof. quoque & Theophyl. adnotarunt.

Salutate Epānetū dilectū mihi: qui est primitiuus Asiæ in Christo Iesu.

Tertio loco collocat Epānetum, sibi dilectum. Alii scribunt sine diphthongo, & alii cū aspiratione Ephānetum: sicuti Aquila alii scribunt Acyla. Sed nihil de hoc certi (vt diximus) venari possumus. Attamen si Græcus hic erat, verisimile est, scribendum esse, per diphthongum, sine aspiratione: vt Epānetus idem sit quòd laudatus vel laudabilis. [Qui est primitiuus Ecclesiæ Asiæ in CHRISTO IESU.] Alii textus habent, non Asiæ sed Achaia. Neque habet primitiuus sed primitiæ quòd germanius esse videtur verbo græco. Et primitiæ Achaia idem est quòd, prima fruges christianismi in Achaia: puta, qui primus illic suscepit fidem. At eiusdē significationis esse potest & primitiuus. Nisi quòd potest & pro eo quoque accipi, quòd est, præcipuus inter fideles, vel Asiæ, vel Achaia. Sed tamen quantum ad prouinciã, licet Chry. cum suo Theophylacto legant Achaia non ideo fit inde compertum, ita scripsisse Paulum: non solum quòd Latini legunt Asiæ verum quòd antiquissimus etiam Orige. identidem, & crebro ita legit, & ita constat extitisse in antiquissimo codice græco. Sed & argumentum Origenis magnum est. Nam in priori epistola ad Corinthios, vocat Apost. Stephanum, fortunatum, & Achaicum, primitias Achaia: inter quos non ponit Epānetū. Vnde idem Orige. 11. Homilia, super Numeros, Alios inquit, appellat Apost. primitias Asiæ, alios verò primitias Achaia. Probabile ergo fit, vt aliqui textum hunc græcum mutauerint, scribentes Achaia pro Asiæ: eò quòd sic erat in epistola ad Corinth. cum tamen illic non connumeretur iste Epānetus. Colligitur hinc autē, fuisse Achaicum, vel Asiaticum, qui in obsequium etiam fidei transmigrauerat Romam.

Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Interferit fœminas viris: et est Mariæ commendatio, quòd multum laborauit erga Ecclesiam. Est veruntamen dubium, an legendum sit laborauit in nobis sicut est in textu græco, an verò in vobis quòd non caret probabilitate. Nam de fœmina nō est adeò verisimile, vt de viris, quòd prius fuerit in Achaia, vel in alio loco, vbi multum laborasset erga Paulum, & inde postea com-

meauerit Romam. Sed apparet probabilius, fuisse ciuem Romanam, quæ operam naualem nascenti Ecclesiæ Romanæ, fortè vt inter diuersos populos pacem componeret, alia uere opitularetur. Quauis nihil vetet, vt, sicuti Phœbe, ita & hæc aliundè venisset Romam, essetque Paulo de facie nota.

Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo. Alii legunt Iuliam inde adducti, quòd nomen est Romanum. Acsi Iulia fœmina esset, & forsan Andronici vxor. Sed multò est probabilius, legendum esse Iuniam, vt sit nomen viri Iunias. Secus autem de Iulia fœmina, quam inferius nominat. Haud enim fuerant Romani, sed conuersi ex Iudaismo: vt patet ex subiunctis verbis, [Cognatos meos.] Hoc est, eiusdē mecum generis, puta, Iudæos: sicuti cap. 9. dixerat, Qui sunt cognati mei secundum carnem. Quauis cum inter has salutationes non omnes Iudæos appellet cognatos, forsan de alia cognatione loquitur magis peculiari, puta baptismali, vel spiritali quauis alia: vt infra ex Origene adnotabimus. [Et concaptiuos.] Non legitur de hac captiuitate, vbinam fuerit: quòd ideo nomine Chrysof. non peculiare vllorū carceres, sed vniuersos Pauli labores intelligit: Orig. autem, captiuitatē, quæ erat sub culpa & sub lege. Sed est verisimilius, quòd fuerint alicubi cū Paulo à persecutoribus comprehensi. [Qui sunt nobiles in Apostolis.] Magno hic nomine illos honestat, appellans eos non modo Apostolos, sed, in Apostolis nobiles. Vnde coniecturam facit Orige. fuisse ex numero septuaginta duorum discipulorum. [Qui & ante me fuerunt in CHRISTO IESU.] Id est, Qui antequam ego, susceperunt fidem. Ex quo etiam colligitur non infimum argumentum pro sententia Origenis: nempe quòd fuerint tempore CHRISTI, inter discipulos, atque adeò Romam adiuissent, fungentes euangelico munere.

Salutate Ampliatum, dilectum mihi in domino. Salute Vrbanum, adiutorem nostrū in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. Salute Apellem, probum in Christo. Salute eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salute Herodionem cognatum meum. Salute



eos, qui sūt ex Narcissi domo, qui sunt in domino. Salutate Tryphānam, & Tryphosam, quæ laborant in domino. Salutate Perfidem charissimam, quæ multū laborauit in domino. Salutate Rufum electum in domino, & matrē eius, & meam. Salutate Asyncritum, Phlegōtem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres. Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, & sororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt, sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. Subscribit viginti duas præterea salutatiōes. [Salutate Ampliatum dilectum, & c.] Græcè non est nisi Ampliam/cuius rectus/Amplias/sicuti/Iunias. Sed interpret ex græco nomine, vel hebræo, fecit latinum. Sicut si ab Amynthas, dixisses, Amynthatus, vel à Iosyas, Iosyatus. Neq̄ est dilectissimum/vt aliqui textus latini habent, sed dilectum. Id quod & Orige. adnotauit, dicens, quod quanuis nihil huic egregium videatur adscribere, tamen hoc ipso quod dilectus erat Paul. laudabilis est. [Salutate Urbanū adiutorem nostrum in CHRISTO IESU.] Forſan erat & minister verbi. [Et Stachyn dilectum meum.] Fortasse erant sodales, vel alia necessitudine coniuncti: quos ideo eadē salutatione complexus est. Et quando alium non addit honoris titulum, saltē appellat eos dilectos, quod inditium est eorum sanctimonix. [Salutate Apellem, probum in CHRISTO.] Alii transferunt/probatum/græcè tamen non est participium, sed nomen/probum/eiusdem tamē significationis. Et sunt qui putent (referente Theophylacto) dictum, Probum, ad differentiam alterius Apellis iniqui. Sed vide quanta cum fide dispensat sua singulis encomia. Non enim ad captandam gratiam, sed iudicio suum cuiq̄ ius tribuit. Hunc ergo non ab officio, vel adiutorio, sed inde laudat, quod esset probatæ virtutis. Hæc nāq̄ eximia erat commendatio, maximè ab ore Pauli, nescientis blandiri hominibus. Neque (vt Chrysoſt. adnotauit) quenquam appellat, vel dominū, vel quid simile, quod tantum ad honoris titulum spectet, sed illa penitus de singulis profert, quæ sunt virtutis. [Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo.] Hunc Aristobolum, ait Ambro. congregatorem fuisse fidelium: & quia ille forſan, vel mortuus erat, vel absens, do-

mum eius, veluti scholam fidei, & morum, salutatur: citra quemcunq̄ tamen titulum, tanquam religionis tyrones. [Salutate Herodionē, cognatum meum.] Probabile est, fuisse Iudæū, nisi alia illi erat ratione cognatus: sicuti & de Andronico & Iunia prænotauimus. [Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in domino.] Hunc Ambr. ait fuisse presbyterum, officio functum peregrini, qui exhortationibus firmabat credentes. Et quia nondum comperitum erat Apostolo, an tota, quam collegerat familiam, firma esset in fide, non omnes salutatur, sed eos inquit, qui sunt in domino. Neminus enim salutem dicere consueuerat, nisi ei, quem charitate cõsebat Deo coniunctum. Eum, quippe qui nō amat dominum nostrū IESVM CHRISTVM, anathema esse iubet in alia epistola. [Salutate Tryphānam, & Tryphosam, quæ laborant in domino.] Eò scilicet modo, quo de Maria dictum est. Idemq̄ sentiēdum & de Perfide, de qua subdit, [Salutate Perfidem charissimam, quæ multū laborauit in domino.] Nisi quod hanc superioribus prætulit, tū quod eam charissimam compellat: quanuis græcè non sit nisi dilectam/tum quod multum ait laborasse in domino, exhortationibus scilicet, & subsidiis. [Salutate Rufum electum in domino.] Sicuti de Apelle diximus, ita & hunc non à ministerio villo commendat, sed quod esset elect⁹ in domino. Id quod maximum encomium erat. Non enim de illa tantū electione intelligit generali, qua sunt omnes electi ante mūdi constitutionem, sed significat, virum fuisse, selectæ raræq̄ sanctitatis. [Et matrē eius.] Scilicet, secundum carnem. [Et meam.] Vt quæ eum maternis visceribus tractasset. Quod quidem verbum, & aliam humilitatem Pauli profert, & egregiam adfert laudem illi sanctæ sceminæ. [Salutate Asyncritum, & Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eo sunt fratres.] Hos quinque vna eademq̄ simplici salutatione comprehendit, cum suis sodalibus: erant enim forſan in eadem familia. Hermam priori loco ab Hermas: posteriori verò Hermen ab Hermes, quod est Mercurius. Illum autem Hermam putat Orig. fuisse authorem libelli, qui inscribitur, Pastor. [Salutate Philologū, & Iuliam, Nereum, & sororem eius: & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos.] Et hos quoq̄ ex eadem ratione citra vllū titulū salutatur, eò quod nihil præstātius agnoscebat in illis, nisi quod digni erant salutatione. Aliqui verò textus pro/Olympiadem/habent/Olympam/ab/Olym-

Olympas. [Salutate inuicem in osculo sancto.] Ne illi qui præteriti erant absq̄ salutatione, aliis nominatis inuiderent, neu qui nominati erant, alios despicerent, subdit hoc pacis & concordix verbum, vt se inuicem salutent in osculo sancto, hoc est, non libidinoso: de quo vt in Prou. est, Apprehensum de osculatur iuuenem: neq̄ sub dolo, de quo ibidem, Meliora sunt vulnera diligentis, q̄ fraudulentis oscula inimici: sed sancto & honesto. Et alludit (vt ait Orig. ad osculum pacis, quo Christiani inter sacra se inuicem suscipiebant. [Salutate vos omnes Ecclesiæ CHRISTI.] Percunctatur hic Orig. quo modo cum in vna esset Ecclesia Achaix, omnium nomine salutabat Romanos, et respōdet quod id faciebat, eò quod vnus erat spiritus Pauli, & omnium Ecclesiarum, quæ orationibus communibus pro omnium salute precabantur. Sed forſan hoc affirmat de omnib⁹ Ecclesiis, quas ipse perlustrauerat. Nam apud omnes mentionē habebat Romanorū, oēs q̄ illū forſan rogabāt, vt cõmuni noīe salutaret eos Christianos, qui erāt Romæ: ad quā urbem vndiq̄ confluebatur.

Prou. 7.  
& 27.

Orig.

TERTIA  
PARS CAP  
PITVLL.Psal. 36  
Philip. 3.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Cum probos & sanctimonia præcellentes diuersis salutationibus honestauerit, suisq̄ extulerit inonoris nominibus, in hac tertia parte capituli admonitionem subtexit, vt à prauis, falsisq̄ discipulis caueant. Habet autem pars hæc quatuor, quinqueue membra. Proponit ergo exhortationem maxima cum dulcedine & suauitate sermonis. [Rogo autē vos fratres.] Siue, obsecro, dixeris, siue, oro, perparui refert: induit enim personam, non vel præceptoris, vel accusatoris, sed æqualis fratris, placidè consulētis, & cohortātis [Vt obseruetis.] Hoc est, vt impendit q̄ solertissimè consideretis & perpendatis. Obseruat enim quis alterum, vel insidias ei tendendo ad nocendum: iuxta verbum Psal. Obseruat peccator iustum, vel ad imitandum: secundū illud, Obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formā nostrā: vel ad fugiendum, quod hic precando admonet Paulus. [Eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.] Hoc verbo, secundū oēs enarratores, pseudoapostolos subnotat, qui legalia pertendebant Christianis obtrudere: vnde diffidia primū ac lites promanabant, quibus Ecclesia in se-

ctas disscindebatur: mox scandala & offendicula: quæ (vt cap. 14. visum est) prouectiores, neq̄ inter cibos, neq̄ inter dies discernentes, obiciiebant infirmis. Sed vide quemadmodum, veluti propriam ac peculiarē Christianorum, eam doctrinā censeat, quæ bis per omnia repugnat dissensionibus, seditionibus, ac offendiculis: non solum quod apud Esaiā ita cautum est, Auferte offendicula de medio populi mei, verū quod in Euangelio nihil inculcatius, maioriq̄ cum vehementia & exaggeratione docemur Christiani, quam charitatem & pacem. In hoc enim, inquit CHRISTVS, cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et alibi, Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Nempe tanquam rex pacificus coadunans vtrunq̄ populum in vnum ouile, & pacificans quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. [Et declinate ab illis.] Non ait, Patienter ferte, tolerateq̄ illos, neq̄, Docete, aut, informate, sed, declinate ab illis. Quandiu enim apparentia vlla est & probabilitas, quod hæreticus, schismaticus, vel seditiosus, cateriq̄ in bonum publicum pestilentes, ignorantia laborant, salutare est, & charitatis officium, illos blandè ferre, veritatisq̄ admonere. Nam ignorantia medicabile est vitium: sed vbi primū constat, proteruitiam, studioq̄, & animositate hæere suis sectis, statim declinandi sunt: secundum aliud etiam Apostoli præceptum, Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem, deuita. Et, Subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante. Declinandi inquam, sunt, vel certè extirpandi, de medioq̄ tollendi: ne quorū salus membrorum deplorata est, eorum contagio reliquum inficiat corpus.

Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Subscribit secundo loco causam, cur debeant Romani fugere talem hominum pestem. Huiusmodi enim inquit: nimirum homines, nō seruiunt CHRISTO, sed ventri. Haud veruntamē existimes hic illos subindicare, qui non discernentes cibos, sed omnia manducantes, scandalo erant pusillis. Perpetuat namq̄ orationem de pseudoapostolis, legalium patronis, ac propugnatoribus: in quibus describit hæreticos oēs & schismaticos, & eos qui tumultus excitāt. Id. enī oēs faciūt v̄tris causa,

Ioan. 13.

Mat. 5.

Col. 1.

Tit. 3.

2. Thes. 3.

hoc est, vt suo genio indulgeant, suisq; fruatur cupiditatibus, & vt per quasus auramq; populi ad maiores prouecti dignitates, nomina sibi faciāt ampliora. Hæc enim omnia corporalia ac temporalia intelligit nomine ventris, quo significatur corporea hæc vita temporalis. Eadem quippe ratione ait ad Philip. eorum eis ventrem esse pro Deo. Et ad Titum iactauit in istos illud Epimenidis, de Cretenfisibus, Mala bestia, ventres pigri. Et CHRISTVS de eodem illos vitio criminatur, nempe qui amant salutationes in foro, & primas cathedras, & primos accubitus, qui & deuorant domos viduarum. [Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.] Benedictiōes idem est quod, bona verba: quasi assentationes & palpationes, per quas vafri homines seducunt corda innocentium. Appellat innocentes, simplices, & eos qui syncerè ambulant, sed sunt faciles, ob idq; sequaces cuiusq; doctrinæ. Sic enim illi falsi fratres subouina pelle (vt ait CHRISTVS) rapaces lupi, per talem blandiloquentiã inescabant plebè.

Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Tertio subdit etiam causam, cur eos duxerit sic admonendos. Eam autè causam inducit vrbaniſsimè, captata eorum beneuolentia, ab obedientia & obsequio. Est enim obedientia ita laudanda, & commendanda, vt tamen cautio fiat, ne facilitas adsit cuiuscunq; verbo auscultandi, & cuiuscunq; credendi spiritui. Ait ergo, [Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est.] Alii transferunt / In omnes permanauit / sed profecto non nihil versio hæc mutat sententiæ: significat enim quòd Romani docuerint, omnes Gentes obedire. Vbi enim dicimus, cuiuspiam doctrinam permanasse in alios, id intelligim⁹, quòd ab illo, ceu à fonte, fuerit talis doctrina deriuata. Paul. autem non vult dicere, nisi quòd eorum obedientia est celebris, vt omnibus fuerit nationibus diuulgata, & nota. Respiciens ad illud procemii, Fides vestra annūciatur in vniuerso mundo: quod hic ait / In omni loco. Vnde sicut illic dixit / Primum gratias ago, quòd fides vestra, & c. ita & hic subdit, [Gaudeo igitur in vobis.] Eò videlicet, quòd tam prompti sitis ad parendum Euangelio. [Sed volo vos sapientes quidem esse in bono, & simplices in malo.] En vertex quo totus Christianæ disciplinæ

Philip. 3.

Tit. 1.

Luc. 20.

Mat. 8.

Vertex Christianæ disciplinæ.

vsus versatur, si sapiens sis ac prudens in bonum, simplex autem, rudisq; adeò ac syncerus in malum. Contra quàm de aliis ait Iere. Qui sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nesciunt. Nempe si quemadmodū solertissimus quisq; artifex nihil studii sui in aliis collocat, sed ea satagit perscrutari & callere, quæ ad propriam artem attinent, illi soli inuigilat, & incumbit, vt nouis eam inuentio nibus locupletet, ita & tu te præstiteris in omni virtutum cultura, cuius te proprium opificem Deus constituit. Puta si vbiq; se materia obtulerit virtutis, illic summopere studeas, qua maximè ratione possis, illam suis numeris explere. Sed vbi materia se dederit, virtuti contraria, illic technas, & quæ ad sapientiam attinent secularem, vel ignores, vel dissimules, vel prorsus abhorreas. Verbi gratia. Vt ab Origene petamus exemplū, si vbi pulsamur iniuria, non simus callidi, non versuti, artes & argumenta quærentes, ad vindicandum nos, sed in hoc potius vires ingenii intendamus, vt propriam reprimamus iram, & (vt Paul. supra nos docuit) vincamus in bono malum, stultiq; habeamur huius mudi, non reddentes malum pro malo, vt sapientes simus apud Deum, qui ait, Mihi vindictam, & ego retribuam. Pari ratione si reliquis virtutibus, humilitatis scilicet, iustitiæ & temperantiæ cognoscendis, comparandisq; operam nauemus omnem & studium. Enimuerò in seculari disciplina, qua superbia gignitur, nunturq; reliqua vitia, quò minus fueris progressus, magis te arbitrare profecisse. Sed heu miseram sortem nostri humani ingenii. Quoniam affectio animi, acumen intellectus exacuit: & præsentia hæc sensualia vrgentiùs affectum permouent, quàm spiritualia, comparatum mortalibus est, vt filii huius seculi prudentiores sint filiis lucis: nempe vt plures modos, viasq; excogitent explendi animum suum, quàm filii lucis complendi voluntatem Dei. Atque inde adeò tubemur, sapientes esse, vt serpentes, simplices verò sicut columbæ. Quò enim prudentia, vbi cum simplicitate columbina coniungitur, preciosior est, eò est perniciosior, si adiungitur malignitati serpentis. Vnde malignus spiritus, quò nos in culpam proiceret, callidi serpentis induit formam: paracletus autem spiritus, qui nos restituit in gratiam, sub effigie apparuit simplicis columbæ. Vt ad Paulum igitur redeamus, Optat Romanos sapientes fieri in bonum, simplices autem in malum.

Iere. 4.

Miseria hominis.

Sapienter vt serpentes, &c.

Mat. 10.

Gen. 3.

Mat. 10.

Nemo

Nempe ne pro sapientia ducant, cuius præstare obedientiam, sed sapienter momenta doctrinæ, doctorumq; librent & expendant. Et vnde veritas eluxerit, illuc sapienter propendeant: sed à quibus prodierint humanæ fallaciæ, ab illis astutè & prudenter fugiant.

Deus autem pacis conterat Sathanã sub pedibus vestris velociter. Gratia domini nostri Iesu Christi vobiscum. Quarto loco imprecatur illis pacem & gratiam Dei, cuius fauore liberari queant à nequitia illorum, qui falsis illis dogmata prædicabant. Est autem consideranda antithesis inter Deum pacis, & Sathanam. Idem enim est / Sathanas / quod / aduersarius. Secundum illud Petri, Aduersarius vester diabolus, etc. & ille quidem aduersarius qui discordias ferit, & conferit bella. Vnde, vbinos legimus, Suscitauit dominus aduersarium Salomoni, græcè est, Sathanam, qui aduersatur Salomoni, hoc est, pacifico. Ait ergo Paul. Deus autem pacis conterat Sathanã sub pedibus vestris velociter. Sathanam / hoc est, perturbatorè pacis. Alii textus Græci habent / conteret / de futuro: & ita habent Græci: & sic legit Orig. & Chrys. in cõmento: quauis de Chrysofostomo nihil comperti habeam. Ait enim, quòd non dixit / subdet / sed quòd magis est / conteret / sed hæc tamen verba referens Theophyl. ait, Neq; subdat, intulit, sed quòd acrius est, cõterat, dixit. Est autè certum, Theophylactum retulisse verba Chrysofostomi. Quòd autem Theophyl. optatiuum legerit, ipse testatur, subiungens, Conterat verò, & optatis est, & prædicentis futurum. Atqui & per idem contestatur, nihil referre: nam verbum optatiui, per modum prophetiæ, vim quòq; habet indicatiui futuri. Neq; verò ait tantum / conteret / sed / conteret sub pedibus vestris / atq; id fiet velociter, hoc est, breui & celeriter. Et forsan spectat ad tempus sui aduentus. Poterat enim id citra iactantiam polliceri in virtute CHRISTI, qui, referente id Luc. 10. supra serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici. Sicuti Malachias prædixerat illo vaticinio, Calcabitis impios, cum fuerint sicut cinis, sub planta pedum vestrorum. At verò non ait, Conteram ego, neq; Vos conteretis, sed, Deus conterat. Ad cuius maiore explicationem subdit, [Gratia domini nostri IESU CHRISTI vobiscum.] Vbi probè adnotauit Orig. gratiam Dei, & gratiam domini nostri

Inter Deum pacis, & Sathanã.

1. Pet. 5.

3. Reg. 11.

Luc. 10.

Mal. 4.

IESU CHRISTI, eandem esse. Nam eam ob causam, cum dixisset, Deus pacis conterat, vt significaret quicquid ad nostram redemptionem pertinet, per gratiam id CHRISTI perficere, subiūxit, Gratia domini nostri IESU CHRISTI vobiscum.

Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater cognati mei. Saluto ego vos Tertius, qui scripsi epistolam in domino. Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesiæ. Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. In hac breuissima quarta sectione mittit Romanis salutes, quorundam nomine, qui socii illi aderāt in re euangelica. Sunt autem numero octo. [Salutat vos Timotheus, adiutor meus.] Hoc est, collega & socius, & coepiscopus, & (vt ait Amb.) consors laborum meorum. Hic (vt habetur Act. 16.) fuit Derbæus natione, patrè gentili natus, sed matre Iudæa. Qua ratione fuit à Paulo circumcissus, ad sedandum Iudæorum tumultum. Fuit deniq; inelytus eius discipulus. [Et Lucius.] Hunc subopinatur Orig. fuisse Lucam Euangelistam, iuxta latinam declinationem. De quo ad Coloss. Salutat vos Lucas medicus charissimus. [Et Iason.] Hic Cyprius fuit genere, antiquus discipulus, qui Thessalonica sese pro Paulo & Sylla obiecit populari furori: vt Actuum. 17. scribitur. [Et Sosipater.] Et hic quoq; Actuum. 20. commemoratur Sosipater Pyrrhi Berrhœensis. [Cognati mei.] Hic sciscitatur Orig. quomodo Paulo, qui Tharsi Ciliciæ natus erat, & Hebræus genere, cognatus fuerit vel Derbensis Timotheus, vel Iason Thessalonicensis, vel Berrhœensis Sosipater. Nam si ob id appellauerit cognatos, quòd erant Iudæi, omnes sic debuisset appellare Iudæos. Respondet ergo quòd aliam forsan cognationem commemorat ex baptismo contractam. Nam licet non fuerit Paul. missus baptizare (vt eius vtatur verbis) sed euangelizare, baptizabat nihilo minus nonnullos, vt eodem loco ad Corinth. testatur. Sed de hac Origenis sententia illi iudices sunt. [Saluto ego Tertius, qui scripsi epistolam in domino.] Alii codices habent / Terentius / sed legendū est / Tertius / cum Origene, & Chrysofostomo, & Ambrosio, qui ait, Tertius, nomine, nō numero. Nam sicut apud Romanos prænomina

QUARTA PARS CA PITVLI

Timotheus

Col. 16.

1. Cor. 15.

CC 5 erant,

erant, vel nomina, Quintus, & Sextus, ita & hic amanuensis Pauli appellabatur Tertius: & alius hic statim nuncupatur Quartus. Scribebat quidem sæpe Paul. manu propria totas epistolas: vt patet ad Gala. & ad Philemonem: vtebatur nihilo secius aliquando manu alterius: sed tunc salutationem propria sublinabat: vt videre est in. 2. ad Thess. ne à suis æmulis eius epistolæ adulterarentur. Fuit autem antiquus mos amanuensium, de facultate patroni, nomine proprio salutem dicere. [Salutat uos Caius hospes meus.] Quando Aquila erat Corinthi, apud ipsū hospitabatur Paul. sed illo absente, qui tunc erat Romæ, diuersabatur apud Caium, quem ipse baptizauerat: vt testatur. 1. ad Corinth. 1. [Et uniuersæ Ecclesiæ.] In lingua latina, vbi genitiuus singularis similis est plurali nominatiuo, dubiū fit, an intelligat, quod salutant simul, & Caius, & uniuersæ Ecclesiæ, sicuti legit Amb. Sed quia verbum singulare non quadrat plurali nomini, aliqui legunt / Et uniuersa Ecclesia. At verò græcè nullus datur locus amphibologia, sed est genitiuus singularis numeri: vt sit sensus, Caius qui est hospes meus, ac totius Ecclesiæ, nempe qui non me solum, sed totam Ecclesiam, hoc est, pauperes & peregrinos communi hospitio excipit, salutatur vos. Fuit enim inter Christianos tunc illustrissimus, nempe Magnus, vt de cuius charitatis ac pietatis commendatione ac laude, scriberet Ioannes tertiam Canonicam. [Salutat uos Erastus arcarius ciuitatis.] Quod est, publico ærario præfectus, quem dicebant, Quæstorem. Et quanquā non nominet cuius ciuitatis, verisimile est, fuisse quæstorem Corinthi. Neque verò officii eius & magistratus meminit, eò quod eius modi amplitudinem dignitatum magnificaret, sed quia tunc tenera Ecclesia non nihil splendoris inde accipiebat, quod fidem, personæ etiam illustres susciperent. Qua ratione & de Cornelio Centurione metio fit in Actibus Apostolorum. Et ad Philip. Paul. ipse, Salutatur vos, inquit, omnes sancti, maximè autem qui de Cesaris domo sunt. [Et Quartus fratres.] Nomen erat proprium illius, quem octauum ac postremum huc producit. [Gratia domini nostri IESV CHRISTI cum omnibus uobis. Amen.] Saluatio est quam Paul. post alienas, veluti propriam, subscribit. Est nihilo minus apud aliquos sub iudice, vtrum cum paulo ante eadem ferè verba præmiserit, vtroque ne loco eadem scripserit Paul. an verò seu in supe-

riori, seu in hoc, adiecta sint ab aliquo interpretum. Amb. enim atque Orige. superius quidem legunt, hic verò minimè. Chryso. verò contra superiori loco ea præterit, hoc verò legit. Sed Theophylact. vtroque ea commentatur. Quod si altero loco redundant, scilicet crederem redundare superius, quam hic, pro eo quod mos sit Pauli, vbique ei obseruatissimus, calcem epistolæ per huiusmodi salutationem finire: tutius autem crederimus, vtroque fuisse à Paulo conscripta.

Ei autem qui potens est vos conformare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterii temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei, in cunctis Gentibus cogniti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum, Amen. Particulam hanc quintam huius capituli, postremamque totius epistolæ, Marcion hæreticus interpolator euangelicæ, Apostolicæque doctrinæ, vt author est Origen. de hac epistola abstulit. Quinimò cum in calce cap. 14. eam suo tempore reperisset, inde vsque ad finem, putà, quintum decimum, ac sextum decimum capitulum deleuit: vt finis epistolæ concluderetur illo verbo, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Vtraque enim duo hæc postrema capitula indigna reputabat, quæ Paulo inscriberentur: hoc præsertim sextum decimum, eò quod totum sit salutationibus expensum, quæ (vt dicebat) apostolicam non referunt auctoritatem. Huic autem blasphemix iam supra responsum est. Neque de his duobus capitulis dubitatum inter orthodoxos vnquam fuit, quin sint pro canonicis habita. At verò particula hæc, multi sunt codices græci, in quibus non legitur, licet plures sint in quibus extat: de qua iam nunc hæsitare non licet. At verò nondum satis constat inter catholicos interpretes, vtro in loco collocata fuerit ab Apostolo, hoc scilicet, an in fine quarti decimi capituli, Chryso. namque non hic, sed illic eam interpretatur. Cui consentit Theophylact. licet eius interpres non eam translulerit latinè. Orig. autem & Amb. & reliqui legunt hoc loco. Nec profectò probabilitate caret opinio

Chry.

Chryso. tum quod verba hæc de fidelium confirmatione (vt considerare est in commentario Chryso. congruentissimè adaptantur tractatui illius capituli, de litibus & turgis Romanorum, fide vacillantium, dum infirmi firmiores iudicabant, illi autem contemnebant, scandalizabantque infirmos: tum etiam quod hic post salutationes non adeò ad rem propriè appenditur. Tametsi honor & gloria in secula seculorum / non ineptus sit finis. Adde quod (vt supra dicebamus) sollemnissimum est Paulo, epistolas omnes prædicatione illa concludere, Gratia domini nostri IESV CHRISTI cum omnibus vobis, Amen. Adeò vt Amb. licet hanc particulam hic interfert à legerit, illam nihilo minus prædicationem huic postposuit, quæ esset epistolæ finis. At sequamur regiam interpretum viam. Sed offundit præterea obsecrationis non nihil tum prolixum hyperbaton, tum præsertim relationum / cui in fine adiectum, quod reddit totam præsentem orationem truncam, & verbi appetentem. Sententia ergo est, vt honor & gloria habeatur omnipotenti Deo, qui potens est Romanos confirmare in fide. Sed eam tamen nonnullis aliis confercit membris. [Et autem.] Scilicet, Deo vni in Trinitate. Haud enim de Patre seorsum dictū existimes. [Qui potens est uos confirmare.] Videlicet, ne discipationibus et similitudinibus litigantes, nutare pergatis in fide: hoc enim est quod per totam epistolam proposuerat illis dissuadendo persuadere, ne de fidei sensu tanta cum pertinacia digladiaretur. [Iuxta Euangelium meum & prædicationem IESV CHRISTI] Existimauerim, secundum membrum, appositionem esse, & declarationem prioris. Per CHRISTVM enim dominum (vt habetur ad Heb. 2.) initium accepit enarrari salutem euangelicam. De quo ait Matthæus, quod circuibat prædicans Euangelium regni, sed per illum deriuata est prædicatione ad Apostolos. Vnde idem sunt / iuxta Euangelium meum / id est, quod ego prædico, & / per prædicationem IESV CHRISTI / qui illud & prædicare cepit, & reuelauit nobis: quibus idem iussit prædicare. Ne putaret, ideo dixisse / meum / quod ab eo esset inuentum. Ait ergo / confirmare vos iuxta Euangelium meum, & c. ac si dixisset, Potens est Deus eo vsque vos promouere, vt sitis confirmati, & solidati in fide, iuxta veram intelligentiam euangelicam. [Secundum reuelationem mysterii temporibus æternis taciti.] Mysteriū hoc, illud esse arbitrantur interpretum quipiam, quod

Gentes forent ad fidem euangelicam, vna cum Iudæis, euocandæ: hoc enim ait fuisse tacitum, propterea quod non fuerunt illis factæ promissiones. Et secundum hunc sensum induxit hoc Paul. tum ne discederet à sua functione, quæ propriè versabatur erga Gentes, tum etiam ad pacandum Iudæorum tumultus, contententium, non esse Ethnicos admittendos, saltem pari cum eis iure, in familiam CHRISTI. Fauer huic sensui, quod ad Ephe. hoc vocat sacramentum absconditum, Gentes esse coheredes, & incorporales, & com-participes promissionis Dei in CHRISTO IESU per Euangelium. Alii verò esse putant mysteriū redemptionis incarnati Dei: & quidē multo probabilius. Nā hic non loquitur Paul. peculiariter Gentilibus, sed ex vtroque populo conuersis. Quamobrem subdit, Ad obedientiam fidei in cunctis Gentibus cogniti. Tā etsi reuera vtrunque vno verbo comprehenditur, putat, & mysterium redemptionis, & eius vniuersalis fructus participandus Gentibus. Vnde ad Col. Deus inquit, voluit notas facere diuitias sacramenti huius in Gentibus, quod est CHRISTVS. Hoc autem mysterium ait tacitum fuisse temporibus æternis. Vel quod æternitatem ipsam, quæ vniuersa continet virtute tempora, appellat æterna tempora: quæ admodum Iob immensitatem diuinæ substantiæ dimensionibus quantitatis corporeæ describit, vbi ait, Longior terra mensura eius, & latior mari. Vel (quod certius credi potest) tempora æterna appellat secula omnia, à creatione mundi. Ac si dixisset, perpetuis temporibus. Nam & si mysteriū hoc in æternitate delituerit, tamen cum ante mundi creationem non fuissent quibus denunciaretur, non dicitur tā propriè tunc, vel tacitū, vel occultum fuisse. Tacitum / autem idem est quod / occultum. Sed quia innotescere non potuit, nisi per diuinam reuelationem, quæ quædam propalatio est, quasi per loquelam, ait / tacitum / hoc est, silentio contentum. Optimè ergo dixit, confirmandos fore Christianos, iuxta præscriptum Euangelii, & prædicationis CHRISTI, secundum reuelationem mysterii vniuersalis redemptionis: id est, per hoc quod sano, legitimoque intellectu reuelaretur, quemadmodum CHRISTVS vniuersalis est redemptor, perfectiorque & consummator antiquæ legis, qui abolitis omnibus eius ceremoniis in vnā familiam & legem adunaturus esset cunctarum Gentium vniuersitatem. Vellicat enim semper contentiones Iudæorum, de retinendis priscis ceremoniis

QVINTA  
PARS CA  
PITVLA

Ephe.

Col.

Æterna  
tempora.

Tacitum.

Mysteriū.



rimoniis. [Quod nunc patefactū est per scripturas prophetarū.] Videri hic sciolis ac rudioribus posset Paul. nō solum veritati cōtrariū, sed suis sibi dictis repugnare. Ait enim mysteriū hoc tacitum fuisse tēporibus æternis, vsq; nūc, hoc est, vsq; ad tēpus euangelicū. Id autē in primis videtur falsum. Nam fuit innumeris Prophetarū oraculis prædictū, imō per totā legem præfiguratum. Neq; id solum, verūm & ab orbe statim condito, sub illo mysterio Euz, de costa viri efformata, Adq; pręuultum, vt concors Patrū asserit sententia. Quinimō & Iob, aliisq; ex gētilitate subindicatū. Neq; solum incarnationis mysterium, sed quōd beneficium hoc esset etiam ad Gentes proferēdū, erat prophetis oraculis decātatum: vti capite præcedenti ex professo ipse demonstrauit Apost. Adde quōd cūm dicat hic Paul. patefactum fuisse per scripturas Prophetarū, nimirum antiquæ legis, contradicere videtur sibi, qui ait, tacitum fuisse æternis temporibus.

*Responsio.* Ad hoc autem facillima est responsio, quam cap. iam. 3. dilucidauimus super verbo, Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Haud enim hic negat Paul. quin fuerit mysteriū hoc præfiguratum & prænūciatum: sed hoc tantum, quōd fuerit lucidè patefactum, hoc est, expositum, a motisq; figurarum, prophetarūq; velaminibus, apertè reuelatum. Fuit enim antiquitus sub vmbraculis præcognitum populo, licet prophetis ipsis (vt ait Orig.) maiori luce præuultum: manifestatum verò (vt dixit cap. 3.) & patefactum (vt ait hic) nunquam, nisi per Euangelium. Vnde quōd hic subdit, patefactum esse per scripturas prophetarum, intelligit, per patentem, dilucidamq; earum intelligentiam, quam CHRISTVS & eius Apostoli per Euangelium expositam prædicauerunt. Quod cap. 3. dixerat, Testificata à lege & prophetis. Vnde ad Gal. Priusquam ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Et loco ad Ephesios citato. Aliis inquit, generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc manifestū est sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, esse Gentes cohæredes. [Secundum præceptum æterni Dei, ad obediendum fidei in cunctis Gentibus cogniti.] Ait Paul. / Dei secundum suū hebraismū, pro eo quod Latinus diceret, eius, vel eiusdē æterni Dei, vt referret significatum pronominis / ei. Sed ait / æterni Dei, sicuti dixerat / æternis temporibus / vt exprimeret, mysterium hoc, non fuisse reuela-

tum, vel fortuitū, vel ob temporalia mortaliū merita, sed per gratiam & præceptum Dei, qui quod in tempore exequitur, in æternitate præordinauit. Quōd verò ait / præceptum / nescio an ad præceptum CHRISTO à Patre impositum, de redimendo humano genere, fundandaq; Ecclesia in fide referatur: iuxta illud, Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Quāuis vt in nostris scholasticis prælectionibus solebam pro captu meo opinari, id non fuerit propriè præceptum, quod secum adferret obligationem ad culpam, si violaretur: quandoquidem illud non erat CHRISTO necessarium, vt qui transgredi uoluntatem patris non poterat. Sed idem est / Sicut mandatum dedit mihi Pater / quod, Sicut mihi commendauit Pater / seu / iuxta negotium quod mihi demandauit. Sicuti ait Euangelista. Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Vel ait hic Paul. secundum præceptum æterni Dei / datū Apostolis, & discipulis, & vniuersali Ecclesiæ, de prædicanda fide. Vel idem est / præceptum / quod, ordinatio Dei. Nisi hoc magis placeat, vt dicamus, id quod ait / secundum præceptum / non solum huc pertinere, quōd sit mysterium secundum præceptum Dei diuulgatum, sed ad hoc potius (vt verba sonant) quōd sit secundū præceptum, etiam cognitum ad obedientiam fidei: vt significetur præceptum, quo vniuersus mundus tenetur, vbi in notitiam peruenerit Euangelium, obedire fidei. Et ideo perpetuo contextu ait / Secundum præceptum, ad obediendum fidei in cunctis gentibus cogniti. Sicuti dixerat in exordio, Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus. Vnde / Gētib; / hic cum signo vniuersali / cunctis / non pro Ethnicis tantum, sed pro vniuersis mortalibus accipitur. [Soli sapienti Deo.] Adiectiuum est superioris pronominis / ei. Meminit autē consulto sapientiæ diuinæ, propterea quōd dixerat / Reuelationem mysterii taciti / vt significaret, in sempiterna eius sapientia fuisse mysterium hoc absconditum, & per eandem solam reuelatum. Nam quæ sunt Dei (vt inquit ad Corin. Paul.) nemo nouit, nisi spiritus Dei. Et vt Sapientia ipsa testatur, Filiū nemo nouit, nisi Pater, neq; Patrē nisi Filius, & cui Filius uoluit reuelare. Quod autem ait / soli / vel adiacere potest tantum / Deo / vt sit sensus / Soli Deo, qui est sapiens, honor & gloria: sicuti alibi dixit, Soli Deo. Vel potest ad hæc adiectiuo / sapienti / vt sit sensus / Deo, qui solus est sapiens. Nam sicuti ex eo quod per

per se habet esse, & non aliunde, absolute & simpliciter dicitur esse: secundum illud, Ego sum qui sum. Et, Qui est, misit me ad vos, ita & quia est ipsa per se sapientia, dicitur solus sapiens: creaturæ verò, eiusdem sapientiæ participatione, fiunt sapientes. Qua figura loquēdi ait CHRISTVS, Nemo bonus, nisi solus Deus: Et hic sensus melius seruit proposito. Nā designat, mysteriū hoc, de quo agitur, esse per se sola sapientia Dei cognitum. [Per IESVM CHRISTVM, cui honor & gloria.] Accusatiuus / per IESVM CHRISTVM / non potest adiungi orationi præcedenti / soli sapienti Deo, Nā si Pater (vt ait August.) non est sapiens, sapientia genita, eō quōd Pater nihil recipit à Filio, sed Filius à Patre, multo minus est sapiens per CHRISTVM, in quantum homo. Nisi dicitur / sapienti per CHRISTVM / hoc est, cuius sapientia manifestata est per CHRISTVM: quæ esset interpretatio valde peregrina. Adiungitur ergo subsequenti orationi / honor & gloria. At verò hoc relatiuum / cui / negotium exhibet cunctis interpretibus, eō quōd totā orationem obnubilat: illo enim expuncto, clarissimus est sensus. Ei scilicet, qui potens est, & c. soli sapienti, per IESVM CHRISTVM, honor & gloria, supple sit: hoc est, propter hoc quōd nobis donauit IESVM CHRISTVM redemptorem, atq; ideo dominum nostrum. Vel / per IESVM CHRISTVM / qui Patrē glorificauit, & honorauit, per hoc quōd eius gloriam, & honorem mundo patefecit, vt iam supra exposuimus: iuxta verbū eiusdem Saluatoris, Ego te clarificaui super terram. At verò vbi ait / cui / refertur CHRISTVS: si autē

CHRISTO intelligitur dici honor & gloria, tota præcedens oratio manet trunca, suoq; orbitata verbo. Quamobrem Augu. lib. 3. contra Maximinum cap. 13. arbitratur, reficiendam esse sic orationem. Ei soli sapienti, sit scilicet, gloria, cui per IESVM CHRISTVM est gloria. Quasi dicat, Nulli est vera gloria, nisi cui per CHRISTVM est gloria. Græcè enim solum habetur / gloria / & forsā vox / honor / adiecta est ex epistola ad Timoth. Ille autem cui uolentem apparuerit supplementum hoc, aliud excogitet, vel glossamen, vel responsū. Nā abiicere relatiuum, quod vniuersim & græcè & latinè est in omnibus exemplaribus, nonnulla videretur temeritas. Et quōd aliquid desideretur quod Paul. scripsit, nō esset ad eō assertu securum. [In secula seculorum. Amen.] Hæc iam adiectio supra exposita est in calce. 11. cap. ¶ In Græcis autem codicibus extra textum subscribitur in pede. [Ad Romanos scripta, à Corintho, per Phœben, Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ministram.] De hoc autem satis superq; à nobis dictum est in prologo. Per uentum igitur nobis est ad finem destinati operis. Nescio an me Paul. sua tum sensuum obscuritate, tum maximè mysteriorum ueritate prolixiorē iusto fecerit. Et habebor talis, si multa hic sunt quæ demi possint. Ceterum sicubi, vel negligentia, vel certè incititia collapsus sum, imō quia crebrò me collapsum vereor, quicumq; orthodoxus ad moneat, Ecclesia iudicet, ignoscatur Deus, qui est benedictus in secula.